Library
University of Pittsburgh
Darlington Memorial Library

Class ....

Book ....

124.

21



Delſenbach fecit Lipſiæ

IO. GOTTFRIDI OLEARII

BIBLIOTHECA SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

TOMIS DVOBVS

EDITA

CVM PRAEFATIONE

IO. FRANCISCI BVDDEI

CVRANTE

IO. GOTTLIEB OLEARIO. F.

I E N AE,

APVD IO. FELICEM BIELCKIVM.

M DCC XI.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

CHRISTIANO VVILHELMO

PRINCIPI IN SCHVVARTZBVRG

E QVATVOR SAC. ROM. IMP. COMITIBVS

COMITI IN HOHENSTEIN

DOMINO SONDERSHVSÆ ARNSTADII LEVTENBERGÆ

LOHRÆ ET KLETTENBERGÆ

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

ANTHONIO GVNTHERO

PRINCIPI IN SCVVARTZBVRG

E QVATVOR SAC. ROM. IMP. COMITIBVS

COMITI IN HOHENSTEIN

DOMINO ARNSTADII SONDERSHVSÆ LEVTENBERGÆ

LOHRÆ ET KLETTENBERGÆ

PRINCIPI AC DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.

SERENISSIMI PRINCIPES,

DOMINI CLEMENTISSIMI,

NOn eò audaciæ progreſſus eſſem, ut Nomina Veſtra per totum Terrarum orbem coruſcantia tenui huic opuſculo præfixiſſem, niſi Veſtra Clementia, quâ & Parentem meum & me immerentem ſemper fuiſtis amplexi, velut excitatus, gratam atque devotam Vobis offerre mentem obſequii mei eſſe putaſſem. Vos enim, SERENISSIMI PRINCIPES, inter arduas regiminis curas, quas patriæ ac ſubditorum

torum

torum bono ſuſcipitis, nihil tamen intermittitis, quod ad omnem ſcientiarum culturam atque incrementa continua posſit conducere. Hinc cum Vos, DOMINI CLEMENTISSIMI, tales noverim Muſarum Patronos non dubitavi, hoc quicquid eſt operæ, Parentisque mei inceptum olim feliciter laborem, nunc quidem à me auctum noviterque vulgatum Serenisſimis Veſtris Nominibus dicare, exindeque præſenti Operi ſplendorem æque ac dignitatem conciliare. Submiſsè igitur rogo, ut eum, tanquam ſtudiorum Vobis maxime dicatorum Primitias, clementer excipiatis, animumque offerentis magis, qui devoto Vos cultu proſequi conſtanter geſtit, quam opuſculi tenorem æſtimare dignemini. Numen inſuper Supremum bonorum omnium abundantia Vos beet, ſoſpitet, regimen feliciſſimum, Vitam longævam, proſpera atque optanda quævis gratioſisſimè concedat.

VESTRORVM NOMINVM

SERENISSIMI PRINCIPES,
DOMINI CLEMENTISSIMI,

Ienæ, d. 1. Septembr.
M DCC X.

devotiſſimus Cultor

IO. GOTTLIEB OLEARIVS.

LECTORI BENEVOLO
S. D.
IOANNES FRANCISCVS BVDDEVS
THEOL. D. & P. P. O.

Fuerunt plurimi, qui ſcriptorum eccleſiaſticorum notitiam traderent, poſtquam HIERONYMVS, tum aliis, tum hoc quoque nomine, de rebus eccleſiae praeclare meritus, reliquis exemplum, quod imitarentur, praeiuit. Et fecerunt ſane, quod operae eſt pretium. Si enim, qui philoſophorum gentilium aut vitas, aut

ſcripta,

ſcripta, dicta quoque atque facta, litteris conſignarunt, quorum iam olim ingens fuit numerus, omni laude digni cenſentur: multo magis illorum nobis gratus eſſe debet labor, qui ne, quorum opera ſtudioque, propagata ac conſeruata fuit eccleſia, quiue coeleſtem veritatem aut explicarunt diſerte, aut contra aduerſarios quoscunque propugnarunt fortiter, qui denique aut exemplo, aut ſcriptis, ad vitae ſanctitatem, integritatemque erudiuerunt alios, ignoremus, effecerunt.

Nemo itaque etiam forte fuit, qui non laudibus iuſtiſſimis eueheret diligentiam viri maxime reuerendi ac excellentiſſimi, IOANNIS GOTTFRIED OLEARII, Arnſtadienſium antiſtitis longe celeberrimi, cum anno MDCLXXIII. *abacum*, quem vocat, *patrologicum*, ederet, in quo doctorum eccleſiae, qui ingenii ac eruditionis laude effloruerunt, a prima eccleſiae chriſtianae origine, ad magni vsque LVTHERI noſtri tempora, notitiam, ordine alphabetico luculenter & perſpicue exhibuit.

Iam antea equidem eiusmodi quid inter noſtrates tentauerat B. IO. GERHARDVS noſter, cuius maxima in eccleſiam noſtram merita nemo neſcit, niſi qui nunquam Gerhardi nomen audiuit. Sed cum in ſuos ſaltem vſus collegiſſet, quicquid ſub eius nomine prodiit, perficiendum deinceps, magisque expoliendum,* ita

* Teſtatur hoc filius B. IO. ERNESTVS GERHARDVS, qui *patrologiam* parentis anno MDCLXXIII. in lucem emiſit, *per-*

ita aliis liberum adhuc campum reliquit, in quo ingenii vires periclitarentur, & poſt iſtam meſſem, ſpicilegium ampliſſimum inſtituerent. Quod expendiſſe etiam oportebat, iniquiſſimos iſtos GERHARDI cenſores, quos inter agmen ducit IO. PHILIPPVS LABBEVS Ieſuita, qui dum naeuos quosdam atque errores, in hocce ſummi viri ſcripto deprehendunt, magnos agunt triumphos: ex quibus tamen non maiorem referunt gloriam, quam ſi cum vmbra luctati fuiſſent, cum GERHARDO tribui nequeant, quae nunquam eum in finem, vt publicam lucem adſpicerent, compoſuit. Habent praeterea iſti, domi quod agant, cum & praeſtantiſſimos in hoc genere ſcriptores, qui ſumma induſtria ſua elaborarunt monumenta, & praeſidiis ampliſſimis ad perficienda, quae ſuſceperant, fuerunt inſtructi, grauiſſimos tamen admiſiſſe errores, in aprico ſit. ** Longe autem rectius, & ſibi, & litterati orbis commodis conſulunt, qui emendant potius, quae ab aliis minus recte dicta ſunt, & quae deficiunt, ſupplere ſatagunt, quam qui ex aliorum obtrectationibus laudem quaerunt, reuera foedam ſuae exiſtimationi hoc ipſo adſpergentes labem. Atque id quidem auctor etiam noſter

 doctis-

ſuaſione amicorum, & metu, ne ab aliquo alio fide non bona in lucem proferretur; *in praefat. p. 21.* Iungenda, quae hac de re habet IO. ANDREAS BOSIVS noſter, de *comparanda notitia ſcriptor. eccleſiaſticor. cap. III. §. XXXI.*

** Ipſius LABBEI hoc patet exemplo, vt BOSIVS *l. c.* oſtendit, vbi petulantiam eius pro merito caſtigauit.

doctiſſimus, ſuo demonſtrauit exemplo, dum iuſto, quod aliorum ſibi vindicant labores, illis non denegato pretio, in id ſaltem omni ſtudio incubuit, vt ampliora limatioraque proferret, quam factum hactenus erat a reliquis. Quam veram etiam & genuinam rationem rem litterariam promouendi eſſe, nemo tam malae mentis erit, qui negauerit.

Non defuerunt equidem noſtra aetate & alii, qui ad hancce ſpartam ornandam, omne contulere ſtudium, ampliſſimisque operibus id effecerunt, ne quidquam vlterius deſiderari poſſe videretur. Namque vt reliquos taceam, GVILIELMVS CAVE, atque LVDOVICVS ELIAS DV PIN, ille *in hiſtoria litteraria ſcriptorum eccleſiaſticorum*, hic in *noua bibliotheca auctorum eccleſiaſticorum*, vt omnium qui ante eos in hoc argumento verſati ſunt, longe ſuperarunt induſtriam, ita reliquis, qui poſt eos in idem ſe daturi eſſent, pauca reliquiſſe viſi ſunt, quae non ab illis iam eſſent delibata. Vnde obſcuratus quodammodo, auctoris noſtri celeberrimi abacus videri poterat, certe ſuperuacuus aut non magnae vtilitatis, cum iam praeſto ſint libri, qui vt mole, ita tractationis amplitudine, iſtud, quod nunc commendare aggreſſi ſumus, ſcriptum, multis modis ſuperant. At, ſecus, vt opinor, ſentient, qui rem omnem paulo accuratius ſecum expenderint. Vt enim de re litteraria & eccleſiaſtica optime merentur, qui pro argumenti dignitate latius ſe diffundunt,

ſiue

ſiue vitas ſcriptorum eccleſiaſticorum curatius enarrent, ſiue titulos librorum ab illis editorum indicaſſe non contenti, ſingulorum argumenta exponant, ediſſerantue, ita nec illi, quod laude ſua careat, ſuſcipiunt, qui cuncta ſcitu neceſſaria in compendio complectuntur. Præſertim ſi hi quoque obſeruationes quaſdam inſpergant, quas alibi non temere inuenias, & ad quas attendiſſe, non facile quenquam poenitebit. Non omnibus praeterea licet ampliora de rebus quibusuis conſulere volumina: plurimorum contra ſaepius intereſt, ad manus habere librum, in quoquis ſtatim, ſine temporis diſpendio, quae cupit, inueniat, ſimulque fontes indicatos videat, ex quibus plura & ampliora, ſi ea deſideret, haurire queat. Quod & vel maxime e re eſt iuuenum, qui ad haecce litterarum ſtudia animum adiiciunt, vt primis ita velut elementis notitiae ſcriptorum eccleſiaſticorum imbuti, progredi deinceps vlterius inoffenſo pede, & ad ampliora exactioraque eniti queant. Nec enim in hocce ſtudiorum genere id tantum agendum, vt ipſa horum ſcriptorum notitia nouis quotidie incrementis augeſcat, ſiue detegantur, quae incognita hactenus & minus explorata fuerunt, ſiue emendentur, quae veritati minus ſunt conſentanea; ſed illorum quoque habenda eſt ratio, qui in ſcholis & academiis erudiuntur, vt planior indies faciliorque, illis reddatur via, ad praeſtantiſſimos genuinae antiquitatis theſauros. Quemadmodum autem auctor maxime reuerendus illorum, qui ante eum in hocce argumento verſati ſunt, diligenter con-

ſuluit ſcripta: ita induſtria illorum, qui poſt eum idem ſibi, ſiue qua omnes, ſiue qua quosdam ſcriptores eccleſiaſticos tractandum ſumpſerunt, factum eſt, vt multa addi huic eius commentationi potuerint, vt tamen inſtituti, quod ſibi propoſuit, ratio non mutaretur. Atque hoc quidem in noua hacce factum eſt editione, de qua priusquam ea, quae monenda ſunt, ediſſeramus, non ingratum lectori fore, credimus, ſi venerabilis viri, qui tum hocce ſcripto, tum aliis ingenii monumentis, immortale ſibi decus peperit, vitam, ſtudia, resque geſtas, paucis exponamus. Merito namque, maxime reuerendus praeſul, ab omnibus hocce grati animi, ob labores pro republica litteraria exantlatos, proemium poſtulat, ne ignorent poſteri eum, cui ob merita quam plurima, eaque prorſus egregia, obſtricti ſunt.

Oleariae gentis tanta eſt in his terris celebritas, tanta in eccleſiam Lutheranam exiſtunt merita, vt iam inde ornamentum ingens accedat auctori noſtro, ex ea quod originem trahat. In eius ſi excurrere laudes vellem, aut enarrare ſaltem, eundo per ſumma rerum capita, quam egregiis plerique eorum effulſerint virtutibus, noſtri inſtituti longiſſime mihi tranſiliendi eſſent limites. Vel Lipſiam teſtem aduocare licet, in qua hodie adhuc theologi omni eruditionis & virtutum genere florentiſſimi, IOANNES, & GOTTFRIEDVS, OLEARII, pater & filius, omnium in ſe conuertunt oculos animosque. Quos quidem etiam, ſi ea, quae theologo ſunt

pro-

propria ſpectes, eccleſia Lutherana, ſin bonarum litterarum, Graecae ſpeciatim litteraturae decus, orbis eruditus vniuerſus, ſingulari ſibi & ornamento & praeſidio eſſe, fatebitur. Ad Arnſtadienſem itaque praeſulem, vt accedamus, patrem is agnoſcit GOTTFRIEDVM OLEARIVM, theologiae doctorem, Halae Saxonum ad aedem D. Vlrici tunc paſtorem, & gymnaſii inſpectorem, deinde & eccleſiarum eiusdem loci antiſtitem & inſpectorem primarium, theologorum quoque tandem eccleſiarum Auguſtanae confesſioni addictorum, ſeniorem; (***) matrem autem ANNAM WOGAVIAM omni, quae ſequiorem ſexum decent, virtutum genere, cumulatiſſime ornatam. Quod ſi vlterius progredi liceat, auum ei pater-

*** Non munerum tantum dignitate & amplitudiue conſpicuus fuit, ſed ſcriptis quoque quam plurimis orbi erudito innotuit, quae recenſet HENNINGVS WITTE, *in diar. biograph. ann. MDCLXXXV. die XX. Febr.* & vir ſumme reuerendus HENRICVS PIPPINGIVS, *in memoria theologorum noſtra aetate clariſſimorum p. 60. ſeqq.* qui & ibidem, orationem funebrem in laudem huius OLEARII, & fratris ejus IOANNIS, eccleſiarum Weiſenfelſenſium ſummi antiſtitis, a IO. BENEDICTO CARPZOVIO, theologo quondam Lipſienſi, dictam, exhibet *p. 41. ſeqq.* Sed ibidem quoque extat in IOANNIS OLEARII iam memorati, obitum, oratio, HENRICI IONATHANIS WERENBERGII *p. 17. & ſeqq.* & ſcripta ab eodem edita *p. 30. ſeqq.* enumerantur. Obiit GOTHOFREDVS anno MDCLXXXV. aetatis LXXXI. miniſterii LI. cum anno praecedenti frater eius IOANNES, naturae debitum perſoluiſſet. Ex filiis non tantum Arnſtadienſis noſter praeſul, ſed Lipſienſis ille theologus, IOANNES OLEARIVS, nouum genti huic addidere decus.

paternum fuiſſe ſciendum, IOANNEM OLEARIVM (****) ſeniorem illum, Halenſium eccleſiarum itidem antiſtitem grauiſſimum, a cuius patre, Oleariae gentis, quae tot deinceps meritis enituit, repetenda eſt origo. Nomen ei fuit IACOBVS KVPFFERMANN, qui Veſaliae, quod Cliuiae haud ignobile eſt oppidum, rerum ſuarum ſedem habuit, oleoque exprimendo operam nauauit, vnde felici prorſus omine, poſteris eius OLEARIORVM nomen haeſit. Doctrinae enim ſanioris per eos vndique ſpargendum erat lumen, & quod corporibus oleum, id luculentiori longe ratione, mentibus mortalium, ipſi exhibere debebant beneficium. Matrem Wogauiam fuiſſe diximus, patre quippe IO. DAVIDE WOGAVIO natam, patricio atque ſalinatore Halenſi, ſenatus quoque camerario, & ad aedem S. Vlrici octouiro. Hiſce parentibus editus in lucem eſt noſter Halae Saxonum, die XXVIII. Semptenbr. vigilia Michaelis, hora IV. matutina, anni MDCXXXV. Matris, anno ſequenti lue peſtifera illi ereptae, locum, ſumma fide impleuit ELISABETHA, IO. SCHEFFERI, iureconſulti, conſiliari

**** Hic primus ex gente Oleariorum, ſcriptis variis omnique virtutum genere, inter noſtræ eccleſiae theologos, nominis celebritatem conſecutus eſt. Vitam eius exhibet PAVLVS FREHERVS, *in theatro viror. eruditione claror. p. 416.* Scripta recenſet HENNINGVS WITTE, *diar. biograph. anno MDCXXIII. die XXVI. Ianuar.* Eo enim anno obiit, qui aetatis fuit ſeptuageſimus ſeptimus, miniſterii quadrageſimus ſecundus.

arii aulici Magdeburgici, & ſalinarum praefecti filia, quam pater anno MDCXXXVII. in matrimonium duxit. Domeſtica hinc & priuata inſtitutione eruditus, imbutusque litteris iis eſt, quarum tenera aetas capax cenſetur, donec gymnaſii, quod ibi floret, alumnis, adſcriptus, clariſſimorum ea aetate virorum, CHRISTIANI GVEINTZII, CHRISTIANI FRIEDERICI FRANCKENSTEINII, & FRIDERICI CAHLENI, diſciplinae & inſtitutioni concrederetur. Prompte & alacriter, quae ab his tradebantur accepit, eosque adeo in litterarum ſtudiis progreſſus fecit, certam vt de ſe ſpem omnibus faceret, talem ſe aliquando fore, qualem parentum, praeceptorum, atque cognatorum vota optare poterant. Idoneus itaque anno MDCLIII. iudicatus fuit, qui ad ſublimiora transferretur, & ventilata prius magna cum laude diſputatione, quam & ipſemet conſcripſerat, *de natura logices*, oratione quoque valedictoria, *de cometa eiusdem anni*, ibidem habita, Lipſiam comite M. CHRISTOPHORO LVCHTEN, qui & ephori munere apud eum fungi debebat, abiret, in academia per totum orbem celeberrima, continuaturus proſpere litterarum, quorum fundamenta iecerat, ſtudia. Ornabant eo tempore hanc academiam viri longe celeberrimi & omni eruditionis genere inſtructiſſimi, quorum etiam iam pridem aeternitati conſecrata ſunt nomina. Horum ſtatim pro eo, quo flagrauit diſcendi ardore OLEARIVS noſter

 fre-

frequentare coepit ſcholas, doctior inde ſemper diſceſſurus. HIERONYMVM KROMAIERVM in rhetoricis, in ebraicis MARTINVM GEIERVM audiuit, duumuiros iſtos, quos, inter principes deinceps effulſiſſe theologos, conſtat. FRANCKENSTEINIVS eodem tempore & Florum & Eutropium enarrabat, ſimulque docebat matheſin : SLVTERVS autem organon & metaphyſicam Ariſtotelis : quorum itidem diligens auditor praelectionibus interfuit noſter, cum quantum & praeſidii & ornamenti ex hiſce ſtudiorum generibus, illis, qui ſolida eruditione mentem imbuere cupiunt, accedat, non ignoraret. Inter tot viros eruditos, qui eam aetatem nobilitarunt, pauci tamen erant, qui cum IACOBO THOMASIO comparari poterant, viro in omni litterarum genere praeſtantiſſimo. Hunc itaque & ſibi prae reliquis praeceptorem elegit OLEARIVS noſter, ſiue in phyſicis naturae arcana rimaretur, ſive ethicam, aut politicam, aut logicam doceret, ſiue denique ciuilis prudentiae ſummum magiſtrum C. CORNELIVM TACITVM, interpretaretur. Ad eiusdem auctoris lectionem ſuos etiam praeparabat IO. ANDREAS BOSIVS, qui & quantum lucis nummi veterum hiſtoriae cognitioni adferrent, oſtendebat : hinc & praeter alios OLEARIVM noſtrum inter ſuos numerabat diſcipulos, ſummo ſtudio percipientem, colligentemque ex ore magiſtri, quae vſui aliquando eſſe poſſent. Tam ſtrenue itaque cum philo-

philoſophiae, elegantiorumque litterarum campum decurriſſet, nihil aliud ſupererat, quam vt praemia quoque laboris & induſtriae, in academiis tribui ſolita, referret. Baccalaureus itaque anno MDCLV. creatus eſt, & anno ſequenti magiſtri quoque philoſophiae titulo, ornatus. Iam tempus erat, vt ad rem ipſam propius accederet, & theologiae, cui ſe conſecrauerat, myſteriis initiaretur. Nemo autem, qui viam hic ei monſtraret, aptior erat, quam ipſemet eius parens venerabilis, quem inter theologos praecipuos eccleſia noſtra eo tempore venerabatur. Domum itaque poſt nobile quaſi triennium Lipſienſe, reuocatus, paterna in rebus ſacris fruebatur magna cum voluptate inſtitutione, operam ſimul, nequid deeſſe, iungente patruo eius IO. OLEARIO, doctore theologo itidem longe celeberrimo. Ita bene praeparatus, cum ad altiora tenderet, Argentoratum petere decreuit, quorſum plures eo tempore nominis celebritate alliciebant doctiſſimi viri, quos haecce tum oſtentabat academia. Ecquis enim eſt, qui IO. CONRADVM DANHAVERVM, SCHMIDIVM vtrumque IOANNEM & SEBASTIANVM, praeterea BALTHASAREM SCHEIDIVM, IO. HENRICVM BOECLERVM, quorum tum per omnium ora volitabant nomina, ignoret? Inter hoſce DANHAVERVM praecipue & hoſpitem & praeceptorem veneratur, ad cuius etiam ceu Gamalielis ſui pedes, ſedit, ſiue apocalypſin Ioannis interpretaretur, ſiue hodoſophiam ſuam explicaret, ſiue

hiſtoriam eccleſiaſticam traderet, ſiue denique in collegio, quod vocauit, homiletico-practico, ſelectiſſima ſcripturae oracula expoſitionibus ſuis neruoſis & ſolidiſſimis, illuſtraret. Hunc ergo vt ſingulari proſecutus eſt amore & veneratione, ita ſuam quoque illi probauit modeſtiam, diligentiam, aliasque virtutes, vt gratiſſimus prorſus ei exiſteret, & de eius beneuolentia ac fauore certus eſſe poſſet, quem non ſemel declarauit, dum ſtudiorum pariter ac vitae rationem, quam noſter tenuit, commendauit, promeritisque ornauit laudibus. DANHAVERO ita adhaeſit, vt tamen nullam occaſionem, ex aliorum laboribus proficiendi, praetermitteret: ſpeciatim SCHMIDIORVM, IOANNIS & SEBASTIANI, quorum praelectiones in prophetas, maiores pariter ac minores, multum ſibi profuiſſe, lubens fatetur. BALTHASARIS SCHEIDII, in chaldaicis & ſyriacis, vſus eſt inſtitutione, nec minus BOECLERVM, REBHANIVM, SCHALLERVM, SEBIZIVM, aliosque adiit, vt ex tantorum virorum ſermonibus & colloquiis proficeret. Conſultum etiam duxit, dum Argentorati commorabatur, excurſione facta, in celebrium virorum, qui alibi locorum degebant, ſe inſinuare fauorem, cum non ignoraret, & inde fructum haud contemnendum, ad mentem magis magisque perpoliendam referri, & iucundum praeterea ſit, innotuiſſe viris, quos ob eruditionem & ingenii praeſtantiam, ſuſpicit & veneratur orbis eruditus. Darmſtadii itaque

que BALTHASAREM MENTZERVM, Heidelbergae IO. HENRICVM HOTTINGERVM, Spirae VRSINVM, Baſileae BVXTORFIVM, WETSTENIVM, GERNLERVM, aliosque, Freiburgi, THOMAM HENRICI, inter Romanae eccleſiae theologos ac defenſores, non vltimo loco collocandum, Tubingae denique WAGNERVM, OSIANDRVM, THOMAM LANSIVM, aliosque, vidit, audiuit, admiratus eſt. Priusquam vero Argentorato diſcederet, ingenii induſtriaeque edendum erat ſpecimen: hinc praeſide Danhauero, contra CORNAEVM Ieſuitam, diſputauit. Ita ergo iuſſu parentis, ob praematurum filii natu minoris obitum, admodum adflicti, domum reuerſurus, Francofurti ad Moenum aliquantisper ſubſtitit, ſolennia coronationis LEOPOLDI Magni Imperatoris, ſpectaturus. Simul & CHRISTIANO GERLACHIO, miniſterii ſeniori, innotuit, eiusque prorſus ſibi conciliauit animum, vt fauoris ſummi ab eo documenta acciperet. Gieſſae quoque tum HABERKORNIVM & DAVIDEM CHRISTIANI, itemque MISLERVM ſalutauit, humaniſſime quoque Marpurgi a IO. CROCIO exceptus. Ienam tandem delatus eſt menſe Maio eiusdem anni MDCLVIII. quo Argentoratum reliquerat, poſtquam in tranſitu Gothae cum SALOMONE GLASSIO, Vinariae autem cum NICOLAO ZAPFFIO, locutus erat. Illuſtrabant eo tempore Salanam noſtram Muſarum ſedem, CHRI-

STIANVS CHEMNITIVS, IO. MVSAEVS, IO. ERNESTVS GERHARDVS, theologi ſummi, & de re tum academica, tum eccleſiaſtica, longe meritiſſimi. Nec poenituit OLEARIVM noſtrum horum quoque frequentaſſe ſcholas, vt ita colophonem tandem ſtudiis academicis imponeret, & ad faſtigium perduceret eruditionis aedificium, cui ornando magisque perficiendo, omnem hactenus impenderat operam. CHEMNITIVM non praeceptorem modo, ſed hoſpitem habuit, menſa quippe eius exceptus, enarrantemque audiuit *epiſtolas apoſtolicas*, & *methodum concionandi* a ſe editam, interpretantem. MVSAEVS, HAFFENREFFERI *compendium theologicum*, *Auguſtanamque confesſionem*, explicabat, more ſuo, id eſt luculenter & ſolide: ideoque & noſtrum, auditoribus eius ſe adiungentem vidit. Non minus tamen & GERHARDI vſus eſt inſtitutione, in diſputationibus, in beati parentis ſui, *Bellarminum orthodoxum*, cuius diſput. XX. de euchariſtia, eodem praeſide defendit, itemque in *collegio anti-Sociniano*, & *anti-Caluiniano*. Simul vero ſermones ſacros ad populum facere, non intermiſit, vt aptum ſe redderet muneri ſacro ſuſcipiendo, nec quidquam eorum, quae vt rite illo fungeretur, requiruntur, praetermitteret.

Et contigit ſane, dum Ienae commorabatur, vt praeter ſpem in patriam euocaretur, Adiuncti munus ibidem ſuſcepturus. Vnde & mox ab ipſo parente eius-

que

que manu, more conſueto, in ſacrum ordinem receptus, atque ipſo die Creſcentis, initiatus eſt. Prima hinc illi enata occaſio, explicandi ingenii vires, & quae indefeſſo ſtudio collegerat, in aliorum vſus iterum diſpenſandi. Neue domeſticarum rerum cura impediretur, biennio poſt matrimonio ſibi iunxit lectiſſimam virginem, DOROTHEAM, SIMONIS MALSII, iure-conſulti clariſſimi, comitisque Palatini Caeſarii, diuerſorumque imperii Principum & Statuum conſiliarii intimi, filiam, ex qua ſeptem filiorum, & quatuor filiarum pater factus eſt. Officio ſuo, cum ea, qua debebat, fide praeeſſet, anno MDCLXII. diaconus eccleſiae ad aedem B. virgin. Mariae creatus eſt, vt ita per gradus ſenſim ad maiora eueheretur. Non deerant aduerſa quae virum probarent: inter quae forte moleſtiſſimum fuit, quod coniuge dulciſſima, praematura morte, die VII. Nouembr. MDCLXXIX. ſe orbatum vidit. Cum numeroſa illi eſſet ſoboles, reique familiaris cura muneri ſacro impedimenta maxima adferret, anno ſequenti ad ſecunda vota tranſiit, duxitque in matrimonium ELEONORAM SOPHIAM, IOANNIS STVZINGII, conſulis, aedilis, & ſupremi ſcholarchae, filiam, IO. NICOLAI, circuli inferioris Saxoniae & comitatus Mansfeldici ſecretarii, viduam, ex qua filios quatuor vnicamque ſuſcepit filiam. Interea, dum ſuarum rerum ſatagit, munerique demandato pro viribus ſatisfacere ſtudet, loco parentis MDCLXXXV. inſpector

pri-

primarius circuli Salani conſtitutus eſt, poſt aliquot annos deinde Arnſtadium, haud ignobile Thuringiae oppidum, diuina voluntate euocandus. Contigit id anno M DC LXXXVIII. conſtitutusque ibidem eſt eccleſiarum antiſtes, paſtor primarius, conſiſtorii adſeſſor, gymnaſiique & Arnſtadienſium dioeceſeon ſupremus inſpector. Grauiſſimo vt ſatisfaceret muneri non quidquam faciebat reliqui, etſi & heic loci non deeſſent, quibuscum illi confligandum erat, calamitates. Reliqua vt mittamus, erepta illi iterum anno ſequenti, die XIX. Nouembr. poſtquam huc migrauerat, fuit ſuauiſſima coniux. Nihil temere triſtius aut funeſtius viro huic obtingere poterat, in tanta praeſertim familiae amplitudine. Lugendi tandem cum feciſſet finem, nihil aliud vt rebus ſuis conſuleret, ſupereſſe facile intelligebat, quam vt thori aliam ſibi adſciſceret ſociam, quae curarum in ſe ſuſciperet partem. Ea fuit ANNA GERTRVDA POLZIA tribus antea maritis orbata, quorum tertius LIDERVS erat. Sed nec iſtud vltra annos tredecim durauit matrimonium, quamuis non ſterile, filiolae natiuitate, familia venerandi ſenis, aucta. Mors inopinata & illam oppreſſit, feria prima pentecoſtes anno M DCC III. Tanto acerbior, vt credere par eſt, vxoris iſtius illi extitit obitus, quo grauior ex vulnere ſaepius reſciſſo, oriri dolor ſolet. Accedebat ingraueſcens aetas, quae vel maxime vxoris curam & ſollicitudinem poſtulare videbatur.

Prae-

Praegnantiſſimis itaque rationibus adductus, tandem MARIAM MAGDALENAM, KILIANI ENGELBRECHTI, iureconſulti & ſcabinatus Halenſis ſubſenioris filiam, IO. PHILIPPI STRVVII medicinae practici Ienenſis viduam, anno MDCCIV. die XXV. Nouembr. matrimonio ſibi iunxit. Tot vero, tamque variis fortunae caſibus iactatum, triſtiora adhuc fata experiri oportuit. Oculorum enim imbecillitate cum laborare coepiſſet, illorum tandem vſum, caligine offuſa, tantum non prorſus amiſit. Demandato nihiloſecius munere pro viribus fungi perrexit, ne tamen grex cuius curam gerit, vlla ratione negligeretur, clariſſimo viro M. GOTTFRIED TENZELIO, vices ſuas deferri voluit. Paucis interim ea felicitas contigit, vt vltra ſeculi dimidium publicis muneribus praeeſſent, quam adeo venerabili antiſtiti noſtro viri quidam doctiſſimi, prae caeteris etiam maxime reuerendus Lubecenſium praeſul, isque multis egregiis ingenii monumentis de re litteraria praeclare meritus, GEORGIVS HENRICVS GOEZIVS, peculiari commentatione, de *theologo ſemiſeculari*, gratulati ſunt.

Vt rem litterariam promoueret, pro viribus operam dedit. Id quod ſcripta eius, deinceps recenſenda, docent. Litteratorum cultor, & aeſtimator ingenuus ſemper fuit, ipſe iterum praeſtantiſſimis in pretio habi-

 tus,

tūs. Hinc & cum viris doctisſimis litterarum ei commercium interceſſit, quos ſuper variis reconditae doctrinae capitibus conſuluit, aut a quibus conſultus eſt ipſe. Hos inter eminent IACOBVS THOMASIVS, FRANCKENSTEINIVS, IO. CONRADVS DANHAVERVS, IO. SCHMIDIVS, BALTHASAR BEBELIVS, IOANNES & SAMVEL BENEDICTVS, CARPZOVII, IO. MVSAEVS, CHRISTIANVS CHEMNITIVS, IO. ERNESTVS GERHARDVS, SCHERZERVS, VALENTINVS ALBERTI, ABRAHAM CALOVIVS, THEOPHILVS SPIZELIVS, SEB. NIEMANNVS, CHRIST. DAVMIVS, GEBHARDVS, AB ALVENSLEBEN, SPENERVS, MARTINVS HANCKIVS, LIPPENIVS, IVST. A DRANSFELDT, MADERVS, BOSIVS, VINCENTIVS PLACCIVS, IO. DEVTSCHMANNVS, CASPAR LOESCHERVS, IO. ANDREAS SCHMIDIVS, IO. GEORG NEVMANNVS, aliique plures.

Cumque in omni, quae theologum decent, litterarum genere egregie ſit verſatus, eccleſiaſticae tamen antiquitatis peritia multorum illi conciliauit animos. Quam vt ſibi compararet, Halenſis, plurimum contulit bibliotheca, quam intra biennium ita perluſtrauit, vt ſingulos euolueret codices, & inde, quae vſui ſibi fore crederet, ſeligeret. Beneficio etiam procerum

pro-

prouincialium ducatus Magdeburgici obtigit illi antiquus codex, in quo vltra ducenta diplomata imperialia, Ottonis M. eiusque ſucceſſorum, pariter ac pontificialia, continebantur, quae ſummo etiam ſtudio perlegit, & quae notatu digna in iis occurrerunt, decerpſit: quae quidem excerpta in bibliotheca regia Berolinenſi adſeruantur, B. CASPARI SAGITTARIO, quoque conceſſa fuere, qui plurima inde, hiſtoriae Ottonis M. imperatoris a ſe editae, & Magdeburgicae ſuae hiſtoriae, inſeruit. Haec aliaue documento eſſe poterunt, quam procul ab illorum moribus venerandus praeſul noſter abſuerit, qui vitam otio tranſigunt, de aliorum promouendis commodis, parum ſolliciti. Teſtantur idem ſcripta ab eodem edita, quorum hic legere catalogum, lectori forte haud ingratum fuerit:

1. Diſputatio de ſtellis praeſide M. Gottfried Sternbergero, Lipſiae.
2. de teſtamentis, praeſide D. Andrea Riuino ibidem. A. C. 1654. 4. quam alia, de analyſi rhetorico-logica, praeſide Sebaſt. Goebelio, mox ſecuta eſt.
3. de animae immortalitate, ibidem, ipſomet praeſide.
4. Diſſertatio V. contra Cornaeum, Ieſuitam, in Vale Danhaueri triumphali, Danhauero praeſide &c.

5. Lutherus Germaniae modernae periclitantis Elias, Lipſiae 1663. & 1664. 8.
6. Ehren-Rettung aduerſus D. Ioh. Schefflerum, apoſtatam, Lutheromaſtygen. Lipſ. 1664. 8.
7. Apologia, aduerſus eundem.
8. Primitiae poeticae, Halae 1664. 8. recuſae & auctae, Arnſtadii, ſubtitulo: geiſtliche Singe-Luſt/ 1697. 18.
9. Scrinium antiquarium, Halae 1671. 8. auctius Ienae & Arnſtadii 1698. 8.
10. Specimen florae Hallenſis, Halae 1668. 12.
11. Hyacinth-Betrachtung Lipſ. 1665. 12.
12. Vorblick des erfreulichen Wiederſehens/ Francof. & Lipſ. 1676. 1677. 1688. 12.
13. Paradiſus animae ſ. geiſtl. Seelen-Paradies/ Norimbergae 1669. 12.
14. Manuale Auguſtini, ibid. 1666. 12.
15. Coronis Iudaeorum conuerſorum hiſtorica, der Jüden-Predigt B. Parentis ſubnexa. Lipſ. 1678. 4.
16. Analecta ad Halygraphiam B. Parentis, Halae 1679. 4.
17. Coemiterium Saxo Hallenſe; Vitembergae 1674. 4.
18. Eröffnete Himmels-Pforte/ Lipſiae 1679. 8.

19. Co-

19. Cometen Geſpräch/ Halae A. C. 1681. 4.
20. Hauß und Kirchen Handbuch/ Lipſ. 1670. 8.
21. Verneuertes Brandenburgl. Gebeth-Buch/ ibid. 1679. 4.
22. Brotuſii Chronicon, vom Hälliſchen Saltz-Brunnen ex Manuſcriptis editum, Lipſiae in appendice ad part. II. B. parent. Halygraphiae, 1679. 4.
23. Paſſions Zeiger/ Arnſtadii 1709. 12.
24. Geiſtliche Marter-Woche/ Ienae & Arnſtadii 1700. 12.
25. Pia quaedam de Nouiſſimis meletemata, Arnſtadii 1701. 8.
26. Pſalmen Luſt-oder Eintheilung der erſten LXXX. Pſ. Halae & Arnſtadii per aliquot annos explicatorum, in mehr als 300. Predigten / Arnſtadii 1690. 12. 1698. 18.
27. Glaſſii Logica ex manuſcripto ſeorſim, Ienae 1705. 4. mox ipſi philologiae adiecta, 1708. 4.
28. Dorſchei Commentarius in Eſaiam, Hamburgi, 1703. 4. ex manuſcripto I. G. O. excuſus.
29. Beicht-und Communion-Buch / Leipzig 1682. 1698. 18.
30. Alters Ehren-Crone/ Leipzig 1697. & 1700. 9.

31. Abacus patrologicus, Ienae 1673. 8. & alia, conciones funebres, parentationes, panegyricae. &c. plus 200. Halae & Arnſtadii habitae, aliaque nonnulla. &c. &c.

Sed vt tandem ad abacum eius patrologicum, qui inter ſcripta eius haud vltimum locum tenet, reuertamur, quo is loco inter reliquas virorum doctorum, de eodem argumento commentationes, habendus ſit, iam ex dictis conſtat. Cum itaque prioris editionis nulla amplius ſupereſſent exempla, eſſetque hicce liber ex eorum genere, qui non modo vtiles, ſed fere neceſſarii litterarum ſacrarum cultoribus cenſentur, conſultum plurimis viſum fuit, vt recuderetur. At cum per aliorum labores ad hiſtoriam litterariam ſcriptorum eccleſiaſticorum, poſt primam editionem, ingens facta eſſet acceſſio, plurimisque in locis abacus iſte egregie locupletari, aliquando & emendari poſſet, laborem huncce in ſe ſuſcepit, venerandi viri filius haud degener, clariſſimus doctiſſimusque iuuenis M. IOAN. GOTTLIEB OLEARIVS, * qui & aliis ingenii doctrinaeque ſpecimini-bus

* Felicitatis ſingularis partem haud vltimam merito interpretatur, venerandus noſter ſenex, quod inter filios ſuos videat, qui vt nominis, ita virtutum paternarum heredes, gentis ſuae decus ad poſteros propagare apti ſunt. Id praeter eum, qui haecce ſcribendi nobis dedit

bus elegantiſſimis orbi erudito innotuit. ** Vnde nouae huius editionis, quae ſub titulo: *bibliothecae ſcriptorum eccleſiaſticorum*, lectoribus ſe ſiſtit, longe alia eſt facies. Scripta enim GVILIELMI CAVEI, HENRICI WHARTONI, LVDOVICI ELIAE DV PIN, CASIMIRI OVDINI, aliorumque, huc ſpectantia, diligenter conſuluit, & quae bibliothecae huic locupletandae augendaeque inſeruire poterant, in ſuos inde vſus conuertit: nonnulla etiam a ſe obſeruata, nec alibi obuia, addidit. Vnde non tantum haecce editio priori multum eſt auctior, ſed in variis locis accuratior etiam, emendatiorue, vt tamen inſtituti modum limitesque non excedat. Ne enim nimis moles eius excreſceret, opera danda fuit, cum compendii, iuuenum vſibus deſtinati, modus ratio-

occaſionem, praeclare etiam facit, vir reuerendus, M. IO. CHRISTOPHORVS OLEARIVS, Arnſtadienſis eccleſiae diaconus, bibliothecarius, atque ſcholarum inſpector, qui plurimis, praeſtantiſſimisque ingenii monumentis, orbem litteratum iam pridem ſibi deuinxit. Inter ea eminent: *Iſagoge ad Numophylacium bracteatorum*; *ſpecimem vniuerſae rei numariae ſcientifice tradendae*; *rerum Thuringicarum ſyntagma*, *Hiſtoria Arnſtadienſis, et alia.* Catalogum omnium ſcriptorum ab eo editorum, legere licet, in eiusdem *theſauro hymnorum eccleſiae euangelicae, parte IV.*

** Ea ſunt: *diſputatio de conſiliis*, *Wittebergae*, *M DCC VI.* De *Iulio caeſare Vanino, diſſertationes II. Ienae MDCCIX.* De *Luthero*, *ex iuris ſtudioſo, theologo, & Zieglero ex theologo iureconſulto, diſputatio*; *ibidem MDCCIX.* De *Petro Pomponatio, ibidem MDCCX.*

tioque hoc exigeret. Probatiſſimos etiam ſecutus eſt auctores, indicatis diligenter fontibus, ex quibus vberiora de quolibet auctore, haurire licet, immo & iudiciis quandoque aliorum, de auctoribus, eorumque ſcriptis, adſperſis. Quae cum ita ſint, non eſt, quod dubites, Beneuole Lector, quin eccleſiae & reipublicae litterariae commoda, hocce quoque opere promoueri egregie poſſint. Quodſi ergo & patris & filii diligentiam, aliisque inſeruiendi ſtudium, grato agnoſcas animo, & huius conatibus honeſtiſſimis porro faueas, facies, quod ingenuo homine dignum, tuique eſt officii.

Ienae die XIV. Auguſti, anno MDCCX.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

PRodit nunc quidem in publicum *Scriptorum Eccleſiaſticorum Bibliotheca*, de cujus tractandi methodo ut pauca dicamus, poſtulat neceſſitas. Alphabetico illam ordine concinnavimus, eandemque potiſſimum ob cauſam *Bibliothecam* inſcripſimus. Autores non omnes promiſcuè, ſed illos ſaltem recenſuimus, quorum ingenii monumenta typis unquam excuſa ſunt. Præiverunt in eadem concinnanda Viri quidem eruditione clariſſimi, quorum veſtigia ſtrenuè legimus. Inprimis nobis præ manibus fuerunt Guilielmi Cavei *Hiſtoria Litteraria*, P. II. diſtincta, quorum prior cum Henrici Wartoni *Appendice*, Genevæ, 1636. fol. poſterior, ibidem, anno 1699. fol. prodiit: Eliæ du Pinii *Bibliotheque Nouvelle*, juxta exemplar Pariſienſe Gallicè anno 1690. 4. & ſeqv. excuſa: Caſimiri Oudini *Supplementum de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, Pariſiis, anno 1686. 8.

typis expreſſum. Ex his atque aliis, qui ſparſim de Scriptoribus Eccleſiaſticis egerunt, ortum, ſtatum, fata, ſcripta, eorundemque varias editiones & controverſias, quantum per brevitatem licuit, expoſuimus. Eorum quoque dicendi genus atque de iis judicia ab aliis lata, haut rarò ſubjunximus, vel ad eos, qui plenius ſingula pertractarunt, remiſimus. Neque tamen ultra Reformationis tempora ſumus progreſſi, ſed cum ipsâ fere Lutheri morte, noſtrum quoque finivimus laborem. Hunc brevi excipiet alius *de Scriptoribus Biblicis, Anonymis & Pſeudonymis* conatus, quo ea, quæ in præſenti opuſculo de induſtriâ omiſſa fuerunt, nec ab aliis ſatis obſervata, conveniente brevitate docebimus. Lectorem denique benevolum eâ, quâ par eſt, compellamus humanitate, ut ea, in quibus à vero receſſimus, modeſte in nobis redarguat, nec omnia ſtatim Typographorum errata, quæ ob temporis anguſtiam emendare non licuit, nobis temerè adſcribant. Æquas eorum cenſuras lubentes non modò excipiemus, ſed etiam, ſi quid in iisdem momenti, ad easdem Bibliothecam noſtram, datâ occaſione, emendabimus. Vale interim, Benevole Lector, & conatibus fave.

CLARISSIMO VIRO

IOHANN. GOTTLIEB OLEARIO

SS. THEOLOGIAE CANDIDATO ET LIBERALIVM ARTIVM MAGISTRO

S. P. D.

BVRCARD GOTTHELFF STRUVE.

ITa quidem Venerandi Parentis Tui veſtigia ſtrenue legis, dum exantlatis ſtudiis academicis publico Te ſiſtis, vt cuiuis pateat, quid vires valeant, & quantum profeceris. Poſtquam enim in noſtram delatus fuiſti academiam, ſtatim Tibi curæ fuit, vt, quod familiæ Tuæ proprium eſt, publicis etiam exercitiis publico prodeſſes. Binis etiam in cathedra noſtra de Vanino eiusdemque ſcriptis ventilatis diſſertationibus, cui tertia acceſſit de Pomponatio, Te talem monſtraſti, vt omnes Tibi adplauderent. Hinc Collegia aperuiſti, quæ vel ad philoſophiam vel oratoriam ſacram, vel ſtudium etiam facerent rei litterariæ. Nunc

majora omnino præſtas, atque talia, quæ eruditisſimos ſemper Viros occuparunt. Notum enim eſt, quantum in enucleandis Scriptoribus eccleſiaſticis ſuperiori potisſimum ſeculo, deſudauerint Bellarminus, Labbeus, Sauſſayus, Oudinus, Varenius, Caueus, Colomeſius, VVhartonus, du Pinius, Tentzelius, Olearii. Hi quidem Scriptores, licet egregia præſtiterint, quæ magno Tibi vſui fuerunt, Spicilegium tamen reliquerunt, ad ea, quæ ſparſim ab iisdem dicta, colligenda, vel quæ ab iis leuius pertractata, ſupplenda, vel quæ ſequius dicta, emendanda, vel ea etiam in epitomen atque meliorem ordinem redigenda. Fundamenta iecit beatus Parens, qui abaco ſuo patrologico communem eruditorum laudem iam olim promeruit. Fateor, ſi ipſam hanc Bibliothecam inſpiciamus, eruditus Orbis habet, de quo Venerando Parenti gratuletur ob iacta fundamenta, & Tibi, quod iisdem feliciter ſuperſtruxeris opus firmum atque haut leviter elaboratum. Perge hac, quam ingreſſus es, via, quæ ſane ad metam optatam Te perducet. Faxit ſupremum Numen, vt ſtudiorum, quæ probe exantlaſti, largos capias fructus, vt de proſperis Tuis ſemper gaudeat Venerandus parens Tuus, & amici. Vale. Scribebam Ienæ III. Kalend. Septembris cIↄ Iↄcc X.

ABBO

ABBO FLORIACENSIS.

COenobii S. Benedicti ad Ligerim in Epiſcopatu Aurelianenſi Abbas, gente Gallus, cujus vitam deſcripſit *Aimoinus*, Floriacenſis Monachus, quam Joh. à Boſco, Coeleſtinus in *Bibliotheca Floriacenſi* 1605. apud Horatium Cardonium, Lugduni vulgavit. Claruit Abbo circa ann. 970. Ejus obitus a Balæo, teſte Labbeo T. I. *Differt.* p. 22. ipſoque Aimoino Floriac. p. 299, qui præſens aderat, ad ann. 1004. refertur. Martyrem ipſum facit cum aliis Caſimirus Oudin *Supplement. de Script. Eccleſ.* p. 318. eò, quod in itinere boni publici cauſa ſuſcepto lancea fuerit transfoſſus. Extat ejus *Epitome de Vitis Pontificum ex Anaſtaſio decerpta*, *Moguntiæ* 1602. & 1604. 4. *Vita Eadmundi* apud Surium d. XX. Novembr. *Epitome Canonum* apud Mabillon. *Analect.* T. II p. 248. *Epiſtola ad Abbatem Fuldenſem* ap. Balutzium *Miſcell.* T. I. p 409. *Apologeticus ad Hugonem, Francorum Regem pro immunitatibus Monaſterii Floriacenſis*, cujus fragmenta apud Aimoinum l. c. c. 8. & 9. *Epiſtolæ II. ad Bernhardum: ad Gregorium V.* & ad *Ottonem Imperatorem*, *Hexametris verſibus ſcriptæ*, quarum fragmenta exhibet modo cit. Aimoinus. *Commentarius vero in Victorii Canonem Paſchalem*, & *libri dialectici atque aſtronomici*, Aimoino memorati, jam dudum interierunt. *Epiſtolas* aliquot nondum editas atque in Biblioth. quadam Pariſina deliteſcentes Abboni vindicat Oudinus loco ſuprà citato. De Abbone Flor. diſſerunt Cave *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 410. Hendreich in *Pandectis Brandenburgic.* p. 7. Buddeus in *lexico Vniverſali*, Ellies du Pin. T. VIII. p. 49 ſeq.

Bibliotheque Nouvelle. Journal des Scavans T. XV. p. 419. *Acta Eruditorum Lipſ.* ad ann. 1688. p. 233. ſeq. aliique complures.

ABBO.

S. Germani a Pratis Coenobii Monachus, patriâ Neuſtrius, quem proinde Miræus atque Pithœus cum Abbone Floriacenſi perperam confuderunt. Barthius *Cernui* cognomen ipſi attribuit quem ideò confutat Voſſius *Lib. de Poëtis latinis.* Claruit Abbo circa ann. 880. atque obſidioni Pariſinæ a Normannis factæ, interfuit. Ejus *lib. II. de Obſidione Vrbis Lutetiæ, quos ad Gozlenum Epico carmine cecinit,* Pithœus T. II. *Hiſt. Franc.* Francof. ad Mœnum 1594. inſeruit & poſt hunc Joh. Breulius *Aimoini Hiſtoriæ* ſubjecit Paris 1603. fol. Joh. Bouchetus eosdem quoque recudi curavit. Ex recentiſſimis Andreas du Cheſne *Scriptoribus ſuis Hiſt. Normann.* apud Sebaſt. Cramoiſy 1619. f. inſeruit *Tertius v. liber ad Clericos ſcriptus,* qui Caveo l. c. P. I. p. 396. ſupra modum ineptus audit, in membrana deliteſcit. *Sermones V. edidit* Lucas Dacherius *Spicileg.* T. IX. p 79. Conf præter cit. autores Hendreich. l. c. du Pin. T. VII. l. c. p. 198.

ABDIAS.

Ortu Judæus, ex LXX. Apoſtolorum diſcipulis unus, primusque Babyloniorum Epiſcopus vulgo perhibetur. Scriptor olim creditus *Lib. X. de Hiſtoria Certaminis Apoſtolici ſ. de Vitis Apoſtolorum,* in lingva ebraica, ex hac vero ab Eutropio in græcam & inde in Latinam a Julio Africano translatorum, quos Wolffgang. Lazius Baſil. 1551. fol. primus edidit. Varias editiones videre licet apud Baylium *Lex. Hiſtor. & Critiqu.* p. 14. In Gallicam quoque linguam Paris. 1569. & in Belgicam a Io. de Beckelaer verſos fuiſſe, ſcribit Hendreich in *Pand. Brandeburg.* Aſt, tanquam ſuppoſititius hic liber merito rejectus Baronio, Poſſevino, Bellarmino & aliis, ob fabulas partim riſu digniſſimas, partim, quod pia antiquitas hunc Abdiam aut plane ignoret, aut pro ſpurio habeat. Ipſe Paulus IV. P. R. eundem reſpuit. Vid. Labb. T. I. *diſſ.* p. 3. Bayle. & Budd. *in Lexicis.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. I. p. 18. Cave *Hiſt. Litter. P. I.* p. 12. Clerc. *Bibl. Choiſie* T. IV. p. 336. ſeq. Jo. Albertus Fabricius in *Cod. N. T. apocrypho* p. 687. ſeq. Ittigius *de Script. Sec. I. p. 44.*

PETRVS ABELARDVS.

Gallus, natus in Diœceſi Nannetenſi in ingreſſu minoris Britanniæ prope Ligerim Fluvium, atque adeò oriundus fuit e Britan-

tannia Galliæ, inde perperam quibusdam Anglus dicitur, quaſi e Britannia majori originem traxerit. Patrem habuit *Berengarium*, Equitem, Matrem vero Luciam, utrosque generis antiquitate florentes. Vixit circa annum 1080. Hic monachus primum, poſt S. Gildaſii Abbas evaſit. Philoſophiam adeo calluit, ut non immerito ſubtiliſſimus pariter atque inſignis dialecticus ob exactam diſſerendi facultatem audiret. In Theologicis quoque permulta præſtitit, quanquam non ſatis caute atque feliciter. Cum enim dogmata fidei ad Philoſophicas rationes trutinaret, adverſarium nactus *Bernhardum*, qui Abailardum duriter ſatis habuit. Hanc tamen litem poſt ſera tempora compoſuit Mauritius, Abbas Cluniacenſis. Melius omnino ſibi conſuluiſſet Abelardus, ſi proximam altercandi materiam evitaſſet, nec naturæ nimium indulſiſſet. Dura ſunt, quæ Bernhardus de illo in Epiſtol. 192. ad Guid. Card. p. 1561. ſcribit: *Cum de Trinitate loquitur Abelardus, ſapit Arium: cum de gratia, ſapit Pelagium: Cum de Perſona Chriſti ſapit Neſtorium.* Defenſionem quidem pro Abelardo ſuſcepit Berengarius, quam Pariſienſes Operis ejus Cenſores comprobarunt. Verum, quicquid dicatur, a culpa alienus non eſt Abelardus, prout eruditiſſime monſtravit Chriſt. Thomaſius *in vita Abailardi*, quam vide inſertam *Hiſtoriæ Sap. & Stult. T. I.* Quod autem legibus humanis ſe immiſcuerit, in Amboiſio atque eodem Thomaſio notat Baylius, quos Abelardum cum Bajalardo confudiſſe, memorat. Sunt, qui dicant, Abelardum, Heloiſam, quam poſtea conjugio ſibi junxit, furtivo complexu dehoneſtaſſe, idemque foeminæ hujus fratrem violenta virilium privatione fuiſſe ultum. Præterea multis fatis variè fuit obnoxius. Abbas quippe conſtitutus, ſuorum crudelitatem, qui ipſum veneno trucidare volebant, effugere vix potuit. Placidè tamen obiit in S. Marcellini Coenobio an. 1142. æt. 68. Bina ipſi erecta Epitaphia Labbeus ſiſtit, in *Theſauro Epitaph.* p. 115. Scripta Ejus junctim publicata ſunt cura Andreæ Quercetani cum doctiſſima Fr. Amboiſii Præfatione, Lutetiæ Paris 1616. 4t. Extant autem in illis: *Epiſtolæ diverſæ ad amicos; Apologia fidei: Expoſitio Orationis Dominicæ: Symboli Apoſtolici: Athanaſiani: Solutiones Problematum Heloiſæ: Lib. adverſus Hæreſes: Comment. in Epiſt. ad Rom. lib. V. Sermones XXII. feſtivales; Ad Heloiſam ejusque Virgines Paraclet. Introduct. ad Theolog. l. III.* MSS. quoque Codices adducit Cave in Hiſt Litter. P. I. p. 455. quales ſunt. *Liber Sententiarum, Dialectica. Expoſitio ſuper Epiſtol.*

Pauli: Pſalmos: Geneſin &c. quibus Caſimirus Oudin in *Supplem. Bellarm. de Script. Eccleſ.* p. 413. *Comment. in Ezechielem* ſuperaddit, Mſtæ *de Conceptione S. Mariæ* Orationis, a Reſcio quidem Lovanii editæ, quam Petro Comeſtori quidam vendicant, meminit Hendreich in *Pandect. Brandeb.* p. 3. Ab hoc inſuper Abelardo auſpicatur Jacobus Thomaſius Theologiam Scholaſticam, qua ratione vid. ejus *Sched. Hiſtor.* p. 61. ſeq. & Clerc.*Bibl. Vniverſ.* T. IX. p. 43. Idem Clericus Abelardum eò caſtigat, quod primus aſſeruerit, accidens ſine ſubjecto poſſe ſubſiſtere, atque ejus adverſarium, *Gauterium* inſimul allegat. Vid. *Bibl. Vniv.* T. III. p. 400. ſeq. Conf. ſi placet de Abelardo, præter citatos autores Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec.* XII. P. III. Diſp. VII. Bayle *Diction. Hiſtor. & Critiqu.* Buddei *Lex. Vniv.* Arnoldi *Hæreſiol.* T. I. Lib. XII. c. 5. p. 359. *Obſervat. Hallenſ.* T. I. c. XV. § 13. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. à p. 108. ad 122. qui in Vita Abelardi exponenda prolixiſſimi.

ABERCIVS CONSTANTINOPOLITANVS.

A Patria ita dictus, ubi anno 164. Epiſcopus creatus eſt. Multa ſub M. Aurelio & L. Vero, Imperatoribus ob veræ religionis profeſſionem a Gentilibus fuit perpeſſus, quibus etiam adhuc imperantibus placide expiravit. Vitam ejus ex actis Græcorum a Simeone Metaphraſte collectis & ex Græcorum Menæo P. Halloix *Vit. Patr. Orient.* T. II. prolixeſatis deſcripſit. Minorem tamen acta illa merentur fidem, cum nemo antiquiorum Abercii memoriam tradiderit. Scriptum ipſi vulgo adſcribitur *de diſciplina in Presbyterorum ſuorum uſum & Epiſtola ad M. Aurelium.* Hanc ex græco Cardin. Sirletti Codice Mſto eruerat, eandemque editurum ſe promiſerat Baronius, quam tamen adhuc expectamus. Conf. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 29. ſeq.

ABSALON.

Ex Canonico S. Victoris Lutetiæ Paris. abbas Sprinckirsbacenſis in Dioeceſi Trevirenſi, abſens anno 1210. electus. Malè illum ad ann. 1120. rejicit Aub. Miræus in *Auct. de Script. Eccleſ.* c. 337. p. 242. quo lucem nondum adſpexerat. Extant Abſalonis *Sermones feſtivales* LI. *cura Danielis Schillingi, abbatis Sprinckirsbacenſis* Colon. 1534, & Baſil. 1549. f. editi. Horum aliquos recudi curavit ex Pontificiis Petrus de Alva & Aſtorga in ſuo Mariali. Ex noſtratibus vero excerpſit & cum *aliis SS. Patrum ad Feſtum Natalitium homiliis anno 1670.* bono publico vulgavit Chriſt. Daumius. Conf. omnino

no Cæſarius, Abſalonis Σύγχρονος *in Opere de miraculis ſui temporis.* Du Pin *Bibliotheqv. Nouv.* T. X. p. 61.

ACACIVS BERRHOENSIS.

Natione Syrus, monaſticæ vitæ ſe totum dicavit. Adverſus Arianos ab initio quidem calamum ſtrinxit. Quam ob cauſam ab Euſebio Samoſatenſi ad Epiſcopatum Berrhoënſem anno 378. provectus fuit. Grandævus admodum circa annum 436. demortuus. Scripta ejus, quæ pauca ſunt, partim habentur inter *Epiſtolas Epheſinas* lat a Lupo editas n. 129. & *binis ad Alexandrum Hieropol.* partim *unica ad Cyrillum, Concil.* T. III. p. 382. inſerta, abſolvuntur. Plura ſuppeditat Cave in *Hiſt. Litterar.* P. I. p. 232. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 66.

ACACIVS CÆSAREENSIS.

Μονόφθαλμος dictus, eo quod Luſcus, homo in fide parum ſibi conſtans, Euſebio denato in Epiſcopatu ſucceſſit. Ingenio ſuo fortuna ſe accommodavit, quam modo ſecundam, adverſam modo expertus, iterata vice ab Epiſcopatu remotus. Is autor *Acacianorum* extitit, qui Hieronymo *Semi Ariani* dicuntur. Niceno tamen Symbolo vix ante mortem ſubſcripſit, omnesque, quos antea fovebat errores, revocavit. Obiit anno 366. Libros feræ poſteritati relictos recenſet Hieronymus, qui Ejus *XVII. in Eccleſiaſten Volumina* Συμμίκτων ζητημάτων VI. p. 22. b. refert. *Antilogiæ* vero *adverſus Marcellum* fragmenta, Epiphanius Hæres. 72. *Vitam Euſebii,* Prædeceſſoris ſui, ab Acacio ſcriptam adlegat Socrates *Hiſt. Eccleſ.* L. II. c. IV. Conf. Aub. Miræus, Trithemius atque è recentiſſimis Guil. Cave *Hiſt. Litt.* P. I. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. II, p. 122. Hendreich *Pandect. Brandeb.* p. 28. Adde, quæ du Pin l. c. T. IV. p. 262. de autore Actorum Acacii, ediſſeruit.

ACACIVS CONSTANTINOPOL.

Primùm Orphanotrophii Præfectus, deinde vero Conſtantinopol. Epiſcopus anno 476. deſignatus. Multæ ipſi lites cum *Simplicio* Papa, de autoritate ſedis ſuæ, atque cum *Baſiliſco* Tyranno, de Synodo Chalcedonenſi fuerunt. In quibus tamen invicta animi perſeverantia fidem catholicam propugnavit, neque Anathematis fulmine perterritus a veritate receſſit. Mortuus eſt ann. 488. De Conſtantia ejus teſtantur *Epiſtolæ*, quarum *altera* gr. lat. *ad Petrum*

Fullonem, de Triſagio Concil. T. IV. p. 1108. *altera* lat. *ad Simplicium P. R. de Eccleſiæ Alexandrinæ Statu.* ibid. p. 1080. inſertæ. Leg. Cave *Hiſt. Litter.* P. I. p. 258. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

ACACIVS MELITENSIS.

Epiſcopus circa annum 431. clarus, perpetuus Neſtorii oppugnator, Cyrilli vero defenſor extitit. Superſunt ejus *Homilia* in Synodo Epheſina adverſus Neſtorium habita gr. lat. Concil. T. III. p. 983. & *Epiſtola* lat. ad Cyrillum inter *Epiſtol. Epheſinas* à Lupo editas n. 472. Hæc ex iisdem fontibus hauſit Cl. Cave in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 233. Conf. du Pin l. c. T. IV. p. 70.

ACCA.

Epiſcopus Hagulſtadienſis gente Anglus, Bezæ & S. Wilfridi diſcipulus. Claruit anno 740. Scripta ejus, quæ recenſent Baleus & Pitſeus *de Scriptor. Angl.* p. 141. hæc ſunt; *De Vitis SS. quorum Reliquiæ in ſua Eccleſia recondebantur: De Eccleſiaſticis ſui chori officiis: Carmina varia: Epiſtolæ ad diverſos:* Inter Bedæ quoque Epiſtolas *unica* extat, qua ipſum ad dilucidandum S. fontem, cumprimis Lucæ Evangelium, fraterne cohortatur.

ACHAIÆ PRESBYTERI.

Putatitii Paſſionis D. Andreæ Apoſtoli Scriptores, quos quidem prolixe defendit Bellarminus *de Scriptor. Eccleſ.* & cum eo Labbeus T. I. *diſſert.* p. 4. ſeq, atque in app. p. 677. Nos tamen antiquiorum Scriptorum ſuffragiis deſtituti, atque idololatricis ejusdem Libri contentis commoti, contrariam partem tuemur. Ex ipſis Pontificiis ſuffragatur Baronius ad an. 44. Sect. 42. ſeq. an. 69. Sect. 34. Extat autem hoc Pomum Eridos apud Surium lat. ad d. XXX. Nov. aliosque complures. Autores pro utraque ſententia pugnantes operoſe collegit Chriſtoph. Hendreich in *Pand. Brandeb.* Ex recentiſſimis autem Natalis Alexander *Hiſt. Eccleſ.* Sec. I. c. X. art. 8. eorundem authentiam defendere auſus eſt, ſed quam lubricis argumentis vid. apud Guil. Cav. T. II. *Hiſt. Litter.* p. 9, ubi omnia discutiuntur, & du Pin T. I. *Bibl. Nouv.*

ACHARDVS CLARÆVALLENSIS.

Inſignis Philoſophus atque Theologus acutiſſimus, O. Ciſtertienſis Monachus, Bernhardi temporibus circa ann. 1140. floruit. Vnicum ſaltem Scriptum inſpeximus, quod *Vitam Geſelini Eremitæ*

ex-

exponit, & ab Arnoldo Raiſio *Duaci* 1626. 12. excuſum eſt. Nec novimus plura. Quæ enim de *Concionibus illius ad ſuos Novitios* controvertuntur, inextricabilis adhuc lis eſt. De Achardo Hendreich *Pand. Brandeb.* p. 31.

ADALARDVS.

Natione Gallus, Bernhardi Comitis filius, Abbas Corbejenſis circa an. 812. clarus. Eodem anno abbatiam recuperavit, qua antea ob conjurationem expulſus fuerat. Obiit ann 826. Præter *fragmenta de Statutis abbatiæ Corbejenſis* comperti nihil habemus, quod poſteritati reliquerit. Extant autem illa apud Dacherium T. IV. *Spicileg.* anno 1661. 4. Paris. edit. Hincmarus quidem Rhemenſis Archi-Epiſcopus Adalardo *Libellum de Ordine Palatii Regii* adſcribit, *Epiſtol. ad Epiſc. Franc.* c. XII. Vitam Ejus exaravit Paſchaſius Ratbertus atque ex recentioribus Jo. Bollandus in *Vitis* SS. ad quos pariter atque Cl. du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 152. B. L. remittimus.

ADALGISVS.

Gente Gallus, Coenobii Theodorici montis O R. apud Remos Monachus circa annum 1150. inclaruit. Tractatum reliquit *de Miraculis S. Theodorici, Abbatis Remenſis*, qui apud Mabillonium *Sec. Bened.* I. p. 622. ex ejusdem Monaſterii Mſt. deſcriptus extat. Teſtatur hæc Guil. Cave in *Hiſt. Litter.* P. II. p. 225.

ADAMANNVS.

Scoto-Hybernus, Presbyter & Abbas Monaſterii Huenſis in Inſula Scotiæ, Vir divinis in litteris eruditus circa ann. 679. floruit. Sunt qui *Adamandum, Adamnanum & Adomnanum* vocant, vid. Henr. Caniſius *antiq. Lect.* T. V. p. 561. E vita emigravit anno 704. ætatis ſuæ 74. aut ut alii volunt 80. ann. *Columbæ Vitam tribus libris* deſcripſit, quam primus omnium Henr. Caniſius, poſt Surius, Benedictus Gononus *Vit. Patr. Occid.* fol. 420. & Mabillon in *Act.* SS. O. B. *Sec.* I. ediderunt. *Lib. III. de Locis Terræ Sanctæ ex relatu Arculfi*, Ingolſtad. 1619. cura Serarii prodierunt. De *Paſchate Legitimo Canones quidam.* De eo Trithemius, S. Senenſis, Poſſevinus, Molanus, Gesnerus, Hendreich, Oudin, Cave, du Pin aliique ſuis locis prolixiſſime egerunt.

ADAMVS BREMENSIS.

Canonicus, Patria Miſenus, circa ann. 1080. clarus, ingenuus at-

atque veraciſſimus Scriptor omnibus audit, Auctor eſt *Librorum IV. Hiſtor. Eccleſ. de Geſtis propagatæ Religionis a Carolo M. usque ad Henricum IV. in Eccleſiis Germaniæ Septentrionalibus* quam Juvenis adhuc ſcripſit, quamque ex Msto. Rantzoviano, ſed Andreæ Velleji exemplari collato, vulgavit Erpoldus Lindenbrog. Lugd. Bat. 1595. 4. cujus quoque cura acceſſit anonymi *Hiſtoria Archi-Epiſc. Bremenſ.* a Carolo M. ad Carol. IV. Eadem recuſa Francof. 1609. fol. Helmſtadi cura Joach. Joh. Maderi 1670. 4. & nuper inter Scriptores rerum Septentrionalium cura Io. Alberti Fabricii Hamburgi 1706 f. Antea prodierat Haffniæ 1579 4. absque appendice. Scripſit etiam *Librum de Situ Daniæ: De Natura & moribus Danorum: Vitam Ansgarii* &c. Conf. Voſſ. de *Hiſt. Lat.* Hendreich l. c Cave *Hiſt. Litter.* P. I. p. 434. Sagittar. *Introd. ad H. E.* p. 488. Maderus in *Præfat.* & alii.

ADAMVS de DOMMERSHAM.

Anglus, Monaſterii Glaſtonienſis Monachus anno circiter 1272. clarus. *Controverſias ſuorum cum Epiſcopis Bathonienſibus* conſignavit, quas e Mst. in lucem emiſit H. Wharton *Angl. S.* T. I. p. 578. Conf. Cl. Clave l. c. P. II. p. 253.

ADAMVS GODDAM.

Anglus, Norvicenſis, prout Caveo videtur, Anglicus ſæpe ἁπλῶς dictus, Franc. Monachus, Theol. D. & Prof. Oxon. anno 1320 clarus, uti referunt, qui ejus quoque Scripta ex parte edita, ex parte adhuc delitescentia, enarrant. Baleus *Cent.* V. c. 98. H. Willot *Athen. Franc.* p. 2. Pitſeus *de Illuſtr. Angl. Script.* p. 415. ſeq. *Comment. in IV. lib. Sentent.* impreſſi Paris. 1512. Hic Goddamus non videtur idem eſſe cum *Adamo* Woddheamo, (ut quidem putat Labbeus T. I. p. 7. & app. p. 680.) qui Occami diſcipulus S. Senenſi & H. Whartono *app. Cav.* p. 19. dicitur, atque juxta Willotum l. c. & Pitſeum anno 1357. floruit. Idem ſcripſit in *Cantic. Cant.* it. *Poſtillam Euchariſticam ſuper lib. I. Sententiarum.*

ADAMVS de PERSENNIA.

Monachus primum, deinde Abbas de Perſennia O. C. in Epiſcopatu Cenomanenſi anno 1200. claruit. Ejus *Sermones de beata Virgine* cum notis Hyppoliti Maracii Romæ prodierunt 1652. 4. *Epiſtolas* vero *ad Osmundum* vulgavit Stephanus Baluz. T. I. Miſcell. p. 423. Mst. *Opus Sermonum* Romæ apud Hillarionem Rancatum, aliud

vero

vero apud Coenobium Perſennenſe aſſervari ſcribit Oudin l. c. p. 477. ſeq. Conf. Trithemius *de Script. Eccleſ.* p. 267.

ADAMVS SASBOVT.

Delphis, oppido Bataviæ oriundus, vir Hebr. & Græce doctus, Franciſcanorum Lovanii Prof., eximius Theologus & Concionator clariſſimus, teſte Bellarm. apud Dorſch. Pentad. p. 345. Ejus *Comment. in Eſ. & Pauli Epiſt. cum variis Homil. extant* Colon. 1568. & 1575. vid. recenſentem Willot. l. c. p. 3. *Homilias autem & Vitam autoris edidit* Bernh. Gualtherus Col. 1613. floruit anno 1540. obiit 1553. conditusque Lovanii teſte Miræo *Elog. Belg.* p. 65. & Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 4.

ADAMVS SCOTVS.

Canonicus O. R. Præmonſtratenſis ab anno 1160. usque ad 1180. floruit, quo ipſo denatus eſt. Scripta ejus plurima impreſſa ſunt Antwerpiæ cura Godofr. Ghiſelberdi 1659. fol. quorum contenta ordine recenſet Hendreich in *Pand. Brandeb.* p. 38. Pauciora vero prodierunt Paris. 1518. fol. LIII. *Sermones adhuc ineditos æque ac Soliloquium ejus de anima* apud Coeleſtinos Meduntinos Codice 618. ſeq. in 4. latere aſſerit Oudin l. c. Conf. Poſſev. in *app. S.* Paige in *Bibl. Præmonſtr.* p. 305. Cave l. c. P. I. p. 472. & du Pin T. IX. p. 187. Hendreich l. c.

ADELAGVS.

Bremenſis Archi-Epiſcop. Sec. X. vixit ætate Flodoardi, ad quem ſcripſit *Epiſtolam Conſolatoriam*, quæ habetur T. XVII. Bibl. P.P. fol. 503.

ADELBOLDVS.

Ex Conſiliario Henrici III. Imp. & Summo belli duce, eo quod res infeliciter cederent, Monachus Laubienſis in ditione Leodienſi & deinde an 1008. Epiſcopus Vltrajectinus. Obiit 1027. Scripſit *Vitam Henrici II.* Imp. quæ paſſim apud Surium, Caniſium & Gretſerum extat. locis a Caveo adductis. Plures de eo autores conſulas Ioh. de Beka in *Hiſtor. Epiſc. Vltraj.* Poſſev. Sanmarthan. in *Gallia Chriſt.* T. I. p. 824. Hendreich in *Pand. Brand.* p. 39. Trithemius alia memorat ab Adelboldo Scripta, ut ſunt *Hymni in laudem S. Crucis & S. Virginis* &c. quæ ex eodem repetit du Pin, T. VIII. p. 51. ſeq.

ADELMANNVS.

Floruit juxta Labb. T. I. p. 7. labente Sec. XI. ex Leodienſi Scholaſtico Brixienſis in Italia factus Epiſcopus anno 1048. Ejus Scripta recenſent Bellarminus, Caveus, Labbeus. Ex iſtis edita ſeorſim Lovanii 1551. 1561. *Epiſt. de Veritate Corporis & Sangvinis Chriſti in S. Coena* quam vide quoque in Bibl. P.P. Paris. edit. II. T. III. fol. 949. & pluribus Ferdin. Ughellum, Abb. Florent. ſplendidiſſimi Operis, *Italiæ S.* autorem T. V. *Epiſtola* vero teſte Sigeberto libr. de *Script. Eccleſ.* p. 153. ad Paulum Metenſem ſcripta aut interiit, aut nondum prodiit. Conf. præter cit. aut. Cave l. c. P. I. p. 422. Hendr. in *Pand Brand.* p. 39. ubi plures viſuntur. Obiit hic Adelmannus anno 1061.

ADELMVS.

Sive ut alii ſcribunt, Adelhelmus, Aldhelmus, Altelmus, Anthelmus, juxta Labbeum autem etiam Aldelinus, ſecundum Pitseum *Script. Angl.* f. 116. natione Anglus, Abbas primum in Scotia Maidubienſis ſive Malmesbur. O. B. poſt occidentalium Saxonum in Angliæ Oppido Schireburgenſi, primus Epiſcopus. Obiit anno 709. Communi ſuffragio Pietatis & eruditionis Cultor maxime inſignis, Carmine & proſa, Lat. Græc. Saxoniceque facundiſſimus, Muſicæ quoque inſtrumentalis & vocalis & aliarum artium callentiſſimus. De quo hunc verſum alicubi ſcriptum a ſe repertum ait Pitſeus:

ALDHELMVS CECINIT MILLENIS VERSIBVS ODAS.

Multa ſcripſit, pleraque ſub involucris ingenii teſtibus & ænigmatice. Ejus *opuscula metrica* edidit Mart. Delrio Moguntiæ 1601. vid quoque ex parte illa inter *Orthodoxographa SS. Patrum* Lat. I. fol. 1677. & *Bibl. P.P. Paris.* edit. II. T. III. fol. 1005. item ap. Henr. Canis. *T. V. antiq. Lect.* P. II. p. 793. Inter alia ſtupendum ejus ingenium elucet ex præf. *libri Carminici de laude Virginum ad Maximam Abbatiſſam*, ubi unico verſu, triginta ſex alios verſus heroicos ſic in quadro undique includit, ut idem verſus ſemper reſultet primus, ſi recto ordine, ultimus ſi retrogrado, acroſtichos, ſi deſcendendo, Teloſtichos, ſi aſcendendo decurras. Videat, cui libet Caniſium l. c. & quia mendis ibidem paſſim deformatum nobile ſcriptum

cor-

corrigat ad ductum I. F. Gronovii *Obſerv. Eccleſ. Ser.* c. 15. 20. aliisque locis. Alia ejus Scripta quanqam publicata pauciſſima, refert Pitſeus l. c. fol. 119. ex quibus omnibus ſcrutatori antiquitatis, maximi ingenii Scriptor, apparet, quoquidem elogio à Barthio jure mactatur, *animadv. ad Claud. Mamert. de Stat. anim.* l. I. p. 387. Plura de eodem Adelmo habet Hendreich. l. c. p. 40. & du Pin T. VI *Bibl. Nouv.* p. 40. Alius eſſe nobis videtur atque diverſus a noſtro Aldelmo, de quo Caye in *Hiſt. Litter.* P. II. p. 167. meminit, qui circa annum 890. claruerit. Male *Adelinum* vocari quidem dicit Cave, quod tamen obſervare non voluit du Pin. T. VII. p. 199. Tempus enim & Scripta prohibent, quo minus illi confundantur. Hic Sagienſis in Normannia Epiſcopus, *Vitam S. Oportunæ* ſcripſiſſe perhibetur. Quibus denique difficultatibus hæc res involvatur, videre eſt apud Oudin. in *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 289. ſeq.

ADEMARVS.

Patria Cabannenſis, primùm Lemovicenſis, deinde Engolismæ in Monaſterio S. Eparchii O. B. Monachus vivebat anno circiter 1030 Scripſit *Commemorationem Abbatum Baſilicæ S. Martialis Lemovicenſis*, quæ inſerta eſt *Bibl. Mſt.* Labbei T. II. p. 271. *Chronicon* ab anno 829. ad 1029. quod ibidem habetur p. 151. & cum notis nonnullisque interpolatis Petrus a S. Romualdo Fulienſis Paris. *1652. 12.* produxit. It. *Supplementum ad libros Amalharii de divinis officiis*, evulgatum *T. II. analect.* Joh. Mabillon p. 96. Conf. Cav. P. I. l. c. p. 419. imò Labb. & Mabillon qui Opera Ademari imprimi curarunt. Conf. Hendr. l. c.

ADEODATVS.

Gente Romanus, Monachus anno *672.* P. R. electus, anno *677.* expiravit. *Vnicam ad univerſos Galliæ Epiſcopos Epiſtolam ſcripſit*, qua privilegium S. Martini Monaſterio conceſſit, inſertam *Concil. T. VI.* p. 523. Conf. Lud. Jacob a S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 1.

ADILREDVS.

Ut cum Trithemio ſcribit S. Senensis qui Pitſeo Ealredus, l. c. f. 229. aliis Ælredus audit vel Elredus, nobilibus in Anglia Parentibus prognatus, ex Ciſtertienſi Monacho Abbas Rievallenſis, dioeceſis Eboracenſis, Auguſtini Scriptis, maxime libris Confeſſionum,

apprime delectatus, & in varia doctrina armatus, ad ſcribendum appulit animum. Bernhardum quoque teſte du Pinio T. IX. p. 385. ejusdemque genus Scriptionis, imitatus. Ejus monumenta vide ap. Pitseum quæ Richardus Gibbonus ex Mst. primus edidit. Duaci 1616. & 1631. Colon. 1618. 4t. Editio autem ſecunda prodiit Paris. 1654. Eminent inter iſta, *Speculum Charitatis: Homiliæ in Eſaiam: in Lucam: Dialogi: Epiſtolæ &c. Conf. Bibl. P.P. Col.* anno 1622. edit. T. XII. f. 1. ſeq. Plura de Scriptis Adilredi habet cit. Hendreich. p. 48. & Cave in H. L. P. I. p. 468. qui ſingula recenſent. Floruit jam anno 1138. & obiit 1166. De alio & ab hoc diverſo Scriptore Edilredo Wardenſi, quem anno 1220. diu poſthunc claruiſſe ajunt, vide Pits. l. c. p. 294.

ADO TREVIRENSIS.

Sive Udo, cui Aloyſius Lipomannus, Bellarminus & alii tribuunt *Martyrologium SS.* quod tamen ſine dubio ſequentis eſt & revera nullus fuit Adonis nomine Trevirenſis Archi-Epiſcopus, monentibus Sanmarthanis fratribus T. I. *Gall. Chriſt.* f. 798. & Labb. p. 10. 12.

ADO VIENNENSIS.

Natione Gallus, Achi-Epiſcopus Viennenſis Præſulatum iniit anno 859. obiit 875. Scientia & Sanctitate celebris. Autor *Breviarii Chronici ab orig. mundi ad ſua usque tempora* ſcripti, inque ætates VI. diſtributi, quod habetur ſeorſim editum, Paris. 1522. cum Gregor. Turonenſi, Paris. 1512. & 1567. Baſil. ex editione Petri Pernæ 1568. & in Bibl. Patr. Paris. edit. 2. T. VII. fol. 1009. Ejus *Martyrolog. SS. extat* a Lipomanno & Moſandro editum, Antwerpiæ 1613. & Paris. 1645. fol. cum notis Heriberti Rosweidi, cui affixus eſt *Adonis de feſtivitatibus Apoſtolorum.* Aliud *Martyrol. S. Deſiderii, eodem Adone autore* ſcriptum exhibet H. Caniſius *antiq. Lect. T. VI.* p. 441. Conf. Sanmarth. & Labb. Vincentium Barral. in *Illuſtr. Virorum Chronol.* p. 64. *Vitam S. Theuderii, Abbatis Viennenſis* ex Mabillon *Sec. Bened.* I. p. 678. addidit Cave l. c. T. I. p. 390. Evolv. & du Pin. T. VII. p. 200. l. c. & Hendr. l. c. p. 41.

ADREVALDVS.

Floriacenſis Monachus O. B. clarus ab anno 870. ad 910. Scripſit *librum unum de Corpore & Sangvine Jeſu Chriſti contra Joh. Scoti ineptias,*

ineptias, qui inſertus *Spicil. Dacher.* T. XII. *Opuſculum de translatione Corporis S. Benedicti in Galliam* apud Bollandiſtas & Io. Mabillon Sec. II. SS. O. B. quod Hendreich Lugduni quoque 1605. 8. prodiiſſe, adſeverat. Item prolixum librum de *miraculis S. Benedicti in Gallia factis*, quem habet idem Mabillon l. c. Conf. Cav. l. c. P. I. p. 397. & Oud. l. c. p. 196. qui *Vitam S. Aigulfi ab Adrevaldo ſcriptam* meminit quæ ap. Surium ad diem 3. Septembr. extat, id quod Cav. etiam obſervat. T II. p. 167. Plura de illo habent Aimonius Floriac. *prologo ſuo in II. libros miraculorum S. Bened.* & Sigebertus *de Script. Eccleſ.*

ADRIANVS vid. HADRIANVS

ADSO.

Monachus O. B. poſtea Abbas Dervenſis circa annum 980. floruit. Mortuus anno 992. Auctor libri *miraculorum S. Bercharii, quem Mabillon* Sec. II. O. B. p. 844. n. XI. *Vitæ Bercharii*, quam ibid. p. 831. *Geſtorum Baſoli*, ibid. p. 67. *Miraculorum Baſoli* quem Sec. IV. Bened. T. II. p. 137. *Vitæ S. Frodoberti* Sec. II. p. 626. *Hiſtoriæ translationis reliquiarum* quam Sec. IV. T. II. p, 243. exhibet. *Vita Manſveti* edit. Paris. 1636. a Fr. Bosqueto. Eccl. Gall. H. 1636. T. I. Par. 2. p. 23. Conf. Cave l c. P. I. p. 411.

ADSO.

Cognomine *Hermiricus*, Monachus & Abbas Luxovienſis circa annum 960. floruit. Extat ejus Scriptum *de Miraculis S. Waldeberti* apud Mabillon. Sec. III. O. B. T. I. p. 451. ſeq. qui in Præfatione etiam de hoc Adſone diſſerit. Cave hujus Adſonis librum ſuperiori adſcripſit, quod omnino ex errore factum eſſe, nobis videtur. Conf. Du Pin. T. VIII. p. 52.

JOH. ÆGEATES.

Presbyter, Secta Neſtorianus, circa annum 483. juxta Voſſium clarus, quem tamen annis aliquot poſteriorem judicat Cave P. I. *Hiſt. Litt.* p. 161. Scripſiſſe fertur *X. Hiſt. Eccl.* Libros quorum priores ſaltem V ſe vidiſſe teſtatur Photius Cod 41. Fragmentum eorundem extat Act. V. Synodi Nicen. II. *Concil.* T VII. p. 369 & apud Theodor. lectorem Collect. l. 2. p. 563. Scripſit quoque *peculiare adverſus Synodum Chalcedonenſem Opus*, probris & calumniis refertiſſimum. Stylus illi clarus & floridus, ut Photius judicat, verborum ſplendore ac ſuavitate, cum perſpicuitate & claritate uſus. Conf. Du Pin *Bibl. Nov.* T. IV p. 254.

ÆGIDIUS ASSISIAS.

Ordinis Minorum & Franciſc. Monachus, obiit anno 1262. juxta Oud. l.c. p. 507. Sed ſecundum Hendreich. anno 1282. Vnicum nobis cognitum eſt Scriptum idque impreſſum Antwerp. 1534. quod *Aurea Verba* inſcribitur. Reliqua adhuc inedita ex Rodolpho notavit modo dictus Hendr. p. 44. in *Pand. Brandeb.* & ſunt: *De Conſiliis animarum: de Fide: Dilectione: Humilitate: Patientia: Contemtu mundi: Caſtitate: Tentatione: Pœnitentia: Scientia utili & inutili: Verbi Dei Prædicatoribus: Timore: Oratione: Verbis bonis & non bonis: Perſeverantia: Religione: Obedientia: Contemplatione: Via Salutis & Perfectionis: Spirituali cautela & ejus conſideratione. &c.*

ÆGIDIUS CARLERIUS.

Patriâ Cameracenſis, ejusdemque Eccleſiæ Decanus anno 1431. creatus, Obiit anno 1472. Illius geſta tacemus, de quibus alii ad nauſeam usque egerunt. Adhæc ex Colloquio cum Huſſitis habito ſatis ſuperque notus eſt. De Scriptis prolixe diſſerit H. Warton in *App. P.* I. Cav. p. 74. Prolixius Valerius Andreæ in *Bibl. Belg.* MSt. Prolixiſſime autem Oudin. l. c. à p. 708. usq. 713. Noſtri obſervare intereſt pleraque Ægidii Scripta ſub *Sportæ atque Sportulæ* titulo prodiiſſe Bruxellis 1478. 2. Vol. fol. reliqua nunquam emiſſa ſunt, ſed in Biblioth. adhuc latent Conf. Ant. Poſſev. in *App. S. T. I.* p. 11. & Aub. Miræus in *Auct. de Script. Eccl.* c. 464. p. 268. Joh. Launojus *in Hiſt. Regii Navarræ Gymnaſii* P. III. lib. II. c. IV. p. 580. ſeq.

ÆGIDIUS A LEODIO.

Aureæ Vallis O. C. in Ducatu Luxemburgenſi Religioſus, ſcripſit *Additiones* ad *Harigerii & Anſelmi* Hiſtorias *Pontificum Tungr. Traject. & Leodienſ.* edit. anno 1612. Leodii à Joh. Chapeaville, cum aliis ejusdem materiæ Scriptoribus. Editor in epiſtola ad Lectorem ait, quod *Ægidius* anno 1240. floruerit.

ÆGIDIUS ROMANUS.

A Patria dictus, (non enim Gallus fuit, uti fingit *Gordonus*, reprehenſus a Samarthanis *T. I. Gall. Chriſt. f.* 179.) Illuſtri familia Columnenſi ſatus Archi-Epiſcopus Bituricenſis, & Aquitaniæ Primas, Eremitarum S. Aug Generalis quondam Prior. Thomæ Aquinatis diſcipulus, Alberti Patavini Magiſter, ad Epiſcopatum evectus anno non 1285. juxta Genebrardum & Gordonum, ſed

1296.

1296. Is *Ægidius de Columna* cum Petro de Tarantaſia primus Theologiæ Doctor Pariſiis creatus. Sicut refert Fileſacus lib. de *Orig. Statut. Fac. Theol. Pariſ.* Aliàs Doctoris fundatiſſimi titulo ornatus, obiit anno 1316. Ejus Opera, licet in unum nunquam redacta corpus, poſt Trithem. Sixt. Sen Bellarm. Cave omnium pleniſſime enumerat, qui omnino evolvendus eſt, in H. L. T. I. p. 522. Indicem illorum promiſit quidem Labb. T. I. l. c. p. 13. Sed promiſſum forſitan non explevit. De Cardinalatu inſuper Ægidii hujus multa controvertuntur, Chenuto enim & Bzovio contradicit Labb. & Sanmarth. l. c. Argumenta tamen pro utraque parte accurate evolvit Dattichius *Hiſt. Cardin.* T. I. p. 372. qui pro Cardinalatu ab illo aſſecuto, ibidem pugnavit.

ÆGIDIUS DE ROYA.

Gallus, Paris. Prof. & Cœnobii montis Regalis Abbas anno 1463 clarus. Obiit anno 1478. Author *Annalium Belgicor.* vulgò creditus, quos Fr. Sweertius Francof. 1620. fol. edidit. Sed alios autores ex *Sandii notis in Voſſ.* adducit Cav. Hiſt. lit. P. II. p. 313. Joh. Brandonem, ex Barthol. de Beka quorum ſaltem labores in Compendium redegerit noſter Ægidius.

ÆGIDIVS.

Alius, Gallus quidem, ſed incerti Cœnobii Abbas anno 514. claruit. Extat ejus libellus pro *Privilegiis Eccleſiæ Arelatenſis Symmacho Papæ oblatus* Concil. T. IV. p. 1310. quem parvi pretii eſſe judicat Cave l. c. p. 278.

ÆGIL.

S. Aigil vel Eigil, patriâ Noricus, Fuldenſis Abbas ab ann. 818. ad 822. Sturmione Abbate familiariter uſus, cujus *Vitam* deſcripſit, quæ a Browero Ingolſt. 1616. edita apud Surium ad diem XVII. Decembr. extat, Mabillon. Sec. III. *O. B. T.* II. p. 267. ſeq. *Ægilis autem vita* l.c. Sec. IV. T. I. p 226. ſeq. quam Candidus, diſcipulus ejus exaravit. Hæc ex iisdem fontibus hauſerunt Cave & Oud. ll. cc. p. 223. qui paulo prolixiores ſunt. His add. Voſſium de H. L. Broweri antiquitates Fuldenſes lib. 4. p. 275.

ÆLFRICUS.

Anglus, Æthelwoldi, Epiſcopi Wintonienſis auditor, ejusque in regimine Cœnobii Abendonienſis juxta Baleum, ſucceſſor. Alia, quæ obierit munia Ælfricus, diſcutiant eruditi, nos ſuffragamur

gamur Caveo P. I. *hiſt. litt.* p. 412. qui eum Cantuarienſem tenuiſſe Archi-Epiſcopatum, Vſſerii aliorumque autoritatibus, adſtruxit. Floruit autem Ælfricus circa annum 980. Vir admodum eruditus, atque ob grammatices peritiam, *Grammaticus* appellitatus. Scripſit *Tract. de V. ac N. T.* Saxonicè. *Homiliam Paſchalem de Corpore & Sanguine J. C.* quæ lat. & Saxon. prodiit cura Joh. Daii Londin. 1566. & alibi. *Epiſt. II.* una ad *Wulſinum*, *Epiſcopum Schireburnenſem.* Altera *ad Wulfſtanum*, *Archi Ep. Eboracenſem,* quæ omnia, *excepta ad Wulfſtanum Epiſtola,* Angl. & Saxon. extulit Guilielmus L'Isle Londini 1623. 1638. 8. *Epiſtol. de Canonibus ad Wulſinum Epiſcopum* capit. XXXV. lat. extat. Concil. T. IX. p. 1003. Reliqua Ælfrici Scripta, quidem inedita, memorat Cav. l. c, quem conſule. Conf. Hendreich, l. c. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 61. ſeq.

ÆLNOTUS.

S. Aug. Monachus Cantuarienſis, floruit 1105. Scripſit *vitam & Paſſionem S. Canuti Regis Daniæ*, ad *Nicolaum Daniæ Regem* quam publicavit Arnoldus Huitfeld. Hafn. 1602. 8. Secundam verò editionem notis illuſtravit Joh. Meurſius, quæ ibidem anno 1631. in 4to. cum Anonymi Scriptoris de Paſſione S. Caroli Comitis Flandriæ additione prodiit. Hujus authoris quoque meminit Cave in *Hiſt. Litt.* P. I, p. 445. Conf. Meurſii Epiſtola dedic. & Du Pin T. IX. p. 196.

ÆNEAS GAZÆUS.

Ex Philoſopho gentili Chriſtianus, floruit Sec. V. labente, ut ipſemet teſtatur, inſigni, quem ſcripſit, *Dialogo de animæ immortalitate & corporum reſurrectione*, cui *Theophraſti* titulum fecit. Is interprete Ambroſio Monacho Camalduenſi, primò Baſil. 1516. deinde 1560. cum Verſione Wolfii poſt Tiguri prodiit inſertus Bibl. PP. (vid. Edit. 2. T. II. f. 433.) tandem cum Zacharia Mytileno, Lipſ. anno 1653. 4to. per Caſp. Barth. nova verſione ornatus, & notis auctus. Vid. Labb. T. I. p. 15. & app. p. 683. ipſumque Barthium, Caveum l. c. Plures editiones quæ Pariſiis prodierunt, adducit Hendr. *Pand Brandeb.* p. 49. Summam hujus Scripti, maximasque Æneæ opiniones ſiſtit Du Pin. T. IV. p. 280. *Bibl. Nouvell.*

ÆNEAS GALLUS.

Pariſienſis Epiſcopus, Photii tempore vir maximæ ob eruditionem & ſanctitatem authoritatis, multis Synodis interfuit. Aliis adhuc

adhuc S. Palatii notarius ſubſcripſit. Scripſit librum adverſus *Objectiones* Græcorum juſſu & rogatu Nicolai I. Papæ, qui habetur in *Spicilegii Dacheriani* T. VII p. 1. ſeqq. *Epiſtolam ad Hincmarum Remenſem* exhibet Concil. T. VIII. p. 1898. Duas vero Epiſtolas memorat Oud. l. c. p. 252 Conf. præter Cave H. L. P. I. p. 883. Sanmarth. *in Gall Chriſt.* T. I. p. 408. Du Pin. T. VII. p. 109. ſeq. Obiit circa annum 870.

AETIUS.

Patria Antiochenus, adoleſcens adhuc circumforaneus extitiſſe, vulgo adſeritur. Hoc demum liquet, illum fuiſſe aurifabrum. Matre vero ejus demortua, animum ad Philoſophica adpulit, homo ingenio præcellens, atque Præceptores, Paulinum, Athanaſium, Antonium, Leontium nactus, Sopolim quoque medicum audivit, ejusque principia imbibit. Ipſe in hac arte excellens medicinas gratis tulit, noctu vero artificio aurifabrili vitæ ſuſtentandæ cauſâ, incubuit. Denique Antiochenus Diaconus conſtitutus, varia anno 359. hæreſeos ſuæ ſemina ſpargere cœpit. Illa repetere non lubet, quippe ab Epiphanio, Theodoreto, aliisque jam obſervata. Chriſtum ἑτερέσιον ſtatuens in exilium miſſus, à Juliano tamen revocatus in Epiſcopum evaſit. E vivis exceſſit anno 366. Mores atque genium ejus deſcripſit Nicetas, qui ipſum *temerarium atque ſcurrilem & mimicis thymelicisque ſermonibus geſtibus & cultibus indecoris oblectatum fuiſſe teſtatur.* Scripſit Lib. *de Fide* cap. 47. quem vid ap. Epiphanium *hæres.* 76. refutatum. *Epiſtolas ad Imper. Conſtantium. Epiſtolam ad Eunonium*, ut Cave P. I. p. 120. conjicit, cujus fragmentum cum Eunonii Scholiis apud Athanaſium. *Dial. II. de Trin.* T. II p. 166. ſeq. De Aetio Epiphan. *Hæres.* 70. c. 9. Nicephorus l. 9. c. 44 l. 12. c. 16. Du Pin. T. II. *Bibl. Nouv.* p. 123. & alii Hiſt Eccl Scriptores quam plurimi.

AGAPETVS CONSTANTINOP.

Magnæ quondam Eccleſiæ Conſtantinop. Diaconus, temporibus Juſtiniani Imperatoris circa annum 527. clarus ad quem *Parænesin de Officio boni Principis* ſcripſit, aureum verè libellum, ſchedam regiam non meritò olim prædicatum, qui paſſim extat vid. *Orthodoxogr. Grynæi* T. I. Græcolat. f. 180. & in *Bibl. PP.* edit 2. Paris. T. II. f. 795 Seorſim vero prodiit Venet. 1509. 8. Baſil. 1518 8. Herborni 1605. 8. Franeckeræ 1608. 8v. Ff 1659 4. Lipſ. 1669. 8. Alias adhuc editiones pene multas exhibet Hendreich in Theſauro

 Brand.

Brand. p. 58. qui in Gallicam linguam à Picoto illum translatum eſſe fidem facit. An vero idem Agapetus ex cap. 17. Schedæ, adulationis à Barthio l. XLIX. adverſar. c. 3. jure inſimuletur, viderint, quibus vacat. Nunc quidem talia arbitrari vetat libelli hujus noſtri anguſtia.

AGAPETVS I. P. R.

Gente Romanus, anno 534. ordinatus, ex eo potiſſimum notus, quod Dioſcorum ab anteceſſore ſuo condemnatum abſolvit, & Anthimum Ariana labe infectum a ſede Conſtantinop. removit. Obiit Conſtantinopoli ann. 535. *Septem Epiſtolæ* ipſi vulgò attribuuntur, quæ *T. IV. Concil.* p. 1789 extant. Harum tamen *quintam* ad Anthimum ſcriptam in dubium vocat atque Leoni I. vendicat, imò *aliam ad Petrum Patriarcham.* Conſtantin. Græc. lat Concil. Conſtantinop. ſub Menna act I Conc. T. V. p. 47. contentam adducit Cave in H. L. P. I. p. 288. Du Pin T. V. p. 45. & 48. Poſſev. in *App. S.* Baron. *Annal.* T. VII. Conf Lud. Jacob a S. Carolo. l. c. p. 2.

AGAPETVS II. P. R.

Itidem Romanus, & Pontifex ſummus anno 946. electus. Obiit anno 956. *Epiſtolæ* binæ Concil. T. IX. p. 618. inſertæ ſunt. Alia vero Caveo teſte, in H. L. P. I. p. 408. apud Lambecium Comment. l. II. p. 651. extat, ad Gerhardum Archiep. Laureacenſem ſcripta. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 19. & 8.

AGAPETVS.

Inſulæ Rhodi Metropolita circa annum 457. clarus, ad Leonem Auguſtum Imperatorem Epiſtolam ſcripſit, qua ipſi exquirenti ſententiam de Chalcedonenſi Concilio ſuam ſuorumque plenius expoſuit. Illa deprehenditur lat. Concil. Chalced. part. 3. cap. 45. p. 940. Conf. Cave l. c. p. 254. Du Pin. T. IV. p. 205.

AGATHIVS.

Guidiacenſis, Theologiæ & Orient. linguar. Prof. quem ad ann. 1540. reponit, ejusdemque in XXIV. *priores Pſalm. & Cantic. Cant. Commentaria* Paris. anno 1521. 1531. 1540. 1570. edit. refert Poſſev. l. 2. *Bibl.* f. 243. ſequ. Sixt. Sen. *Bibl. Sel. l.* 4. f. 204.

AGATHO CONSTANTINOP.

Eccleſiæ ſuæ primùm Lector, dein Bibliothecarius, Patriarchalis Protonotarius, & Cancellarius ſecundus, uti de eo Cave

tradit

tradit l. c. P. I. p. ... Claruit anno 680. Scripſit anno 712. libellum quo ipſe *Bardanis* tyrannidem depinxerit. Cujus exemplar in Palatio repoſitum, Bardanes flammis tradidiſſe ſcribitur cap. 199. *Bibl. P. P. App.* Extat autem *Epilogus* Græc. Lat. *Concil.* T. VI. p. 1401. Conf. Du Pin. T. VI. p. 89.

AGATHO.

Gente Siculus, Monachus & P. R. anno 679. Obiit anno 681. Tres extant *Epiſtolæ* ab ipſo conſcriptæ. *Vna* ad Conſt. Imperat de Monotheletis; quæ habetur Græco-lat. *Concil.* T VI. p. 629. *Altera* ad Imperat. & Concil. Conſtant. de legatis ad Synodum miſſis, ibid. p. 678. *Tertia* ad Ethelredum Merciorum Regem, & alios de collata Abbati Medamſtedenſi poteſtate vicaria, ibid. p. 576. Hæc & alia Cave in H. L. P. I. p. 327. Plura Du Pin l. c. T. VI. p. 33. Ephitaphium exhibet Lud Jacob à S. Carolo l. c. p. 4.

AGNELLVS.

Archi-Epiſcopus Ravennatenſis, quem Sec. V. collocat Coccius, VI. vero Voſſius de Hiſt. Lat. p. 757. Epiſtolam ſcripſit ad *Arminium de ratione rectæ fidei*, qua præcipuæ Arii objectiones contra divinitatem filii docte confutantur, quam exhibet ſæpius cit. *Bibl PP.* edit. 2. Paris. T. III. f. 579. T. V. edit. Col. T. VIII. Lugdun. p. 666 Seorſim vero prodiit Helmſt 1613. 8. editore J. Fuchten. Prolixiores de illo ſunt Hieron. Rubeus *Hiſt. Ravennat.* L. III. p. 169. ex quo ſua hauſit Cave. l. c. P. I. p. 294. Hendreich. *Pand. Brand.* p. 61. ubi de pluribus editionibus diſſerit. Du Pin T. V. p. 85. *Nouvell. Bibl.* Obiit anno 556. ætat. 94.

AGOBARDVS.

Natione Gallus, Archi-Epiſcopus Lugdunenſis anno 813. ordinatus. Felicis Urgelit. hoſtis infenſiſſimus, cujus dogma peculiari libro execratus eſt. Particeps erat diſſidii Ludovici Pii Imperatoris ejusdemque filiorum, quod juſto zelo deteſtantur Sanmarthani cordatiſſimi T. I. *Gall. Chriſt.* f. 302. Vir alias doctiſſimus, qui varia monumenta reliquit, quæ primus edidit Papirius Maſſonius Paris. 1605. 8. Illa ordine recenſent Hendreich. l. c. p. 61. & Cav. l. c. P. I. p. 362. quæ proinde non repetimus, ſed optimam ſaltem Baluzii editionem, quæ Paris. 1666. II. Vol. 8v. prodiit, commendamus. Plura ſuppeditabunt jam cit. autores & Oudin in *ſupp. de Script. Eccl.* p. 235. qui ad *Raynaudum Poſſev. Miræum*, aliosque remittit.

mittit. Magni ſunt ponderis illa, quæ Du Pin T. VII. *Bibl. Nouv.* de Agobardo conſignavit. Etenim pag. 41. ſcribit quod imaginum cultum atque venerationem tanquam idololatricum rejecerit. pag. verò 141. ad pag. 151. & p. 160. omnia Agobardi Scripta recenſet, examinat, atque exactè de iis judicat.

RVDOLPHVS AGRICOLA.

Natione Friſius, in pago Baslon prope Grœningam natus circa annum 1442. Galliam & Italiam ſtudiorum causâ adpulit, atque in patriam redux Reipublicæ Grœningenſis Syndicus eſt conſtitutus. Poſtmodum Wormatiæ atque Heidelbergæ docuit atque anno 1485. Heidelbergæ ſuccubuit. Ipſe elogio Cl. Wharthoni præter accuratam trium linguarum notitiam, omni ſcientiarum genere excultiſſimus, philoſophus ſummus, Rhetor diſertus, Theologus inſignis, Muſicæ, Picturæ, aliarumque artium molliorum ſtudioſiſſimus. Scripſit varia, quæ in unum collegit atque edidit Alardus Amſtelrodamus Colon. 1539. f. T. II. è quibus huc ſpectant *Oratio de Nativitate Chriſti* & alia pauca, reliqua magis philoſophiam ſapiunt. Seorſim prodierunt *Comment. in Bœtii libros de Conſolatione Philoſophiæ* Colon. 1535. Baſil. 1570. *Oratio in laudem Matthiæ Richeli* 1519. 8. Manuſcr. *Epitome hiſtorica: Vita Franc. Petrarchæ: Carmen de S. Anna* memorantur Cl. Warthono *in append. Cav.* p. 103. Multò plura de Agricola tradit Hendreich *in Pandectis Brandeburgicis*, quem non ſine fructu evolves. *Vir erat*, judice Eraſmo in *Ciceronianis*, *Divini pectoris, eruditionis reconditæ, ſtylo minimè vulgari, ſolidus, nervoſus, elaboratus, compoſitus, ſed qui nonnihil reſipiat & Quintilianum in eloquendo & Iſocratem in Orationis ſtructura, utroque tamen ſublimior, Quintiliano etiam fuſior ac dilucidior. Et huic tamen ad ſummam laudem cum alia quædam obſtitere, tùm præcipue regionis ac temporis infelicitas. In Italia ſummus eſſe poterat, niſi Germaniam prætuliſſet &c.* Plura de eo judicia exhibet Pope- Blount. *Cenſur. Celebr. Author.* p. 479. ſeq. Conf. Bayle & Buddeus l. c. & Bentheims Holländiſchen Kirch- und Schulen-Staat. p. 2. c. 4. §. 10.

AGRIPPA CASTOR.

Adriani Imperatoris temporibus circa annum 132. vixit, atque adverſus Baſilidem acerrime ſcripſit, cujus XXIV. libros *contra Evangelium* refutavit, omnesque Baſilii fraudes callide detexit. Fragmenta ejusdem libri extant, licet exigua, apud Euſeb. l. IV. de *Script.*, quem amplexus Cave l. c. Conf. ſi placet DuPin T. I. p. 55. *Bibl. Nouv.*

AIGRA-

AIGRADVS.

Aliis *Angradus*, Fontanellenſis Monachus circa annum 700. clarus, quo ipſo *Vitam S. Ansberti Rothomagenſis* Epiſcopi, Hiltberto, Abbati ſuo obtulit. Extat hæc vita apud Surium & Bollandum ad d. IX Febr. Itemque apud Mabill. Sec. II. B. O. pag. 1048. Hæc lucubratio eruditis interpolata videtur eo, quod quædam, quæ poſt Hiltberti demum tempora contigerunt, ſint intermixta. Conf. Sandii doctiſſimas in Voſſ. notas. p. 241. ſeq. & Oudin. in *Suppl, Bellarm.* p. 189.

AILLERANVS.

Scoto-Hybernus, cognomento Sapiens. Ejus *interpretatio myſtica progenitorum Dn. J. C.* habetur T, XII. *Bibl* P. P f. 37. edit Lugd. 1677. Vide tamen, quæ initio Opuſculi prænotantur de hoc autore a Patre Patricio Flemingo O. M. qui eum ſuo Columbano adjunxit Sec. VII. quo etiam illum Bibl Patr. reponit.

AIMOINVS.

Geminos omnino Aimoinos in Galliis claruiſſe Labbeus accurate diſſerit T. I. p. 16. ſeq. idque probat non tantùm aliquali digreſſiuncula p. 20. ſeq. ſed prolixa inſuper diatriba T. II. p. 829. adjuncta, qua plurima Bellarmini, Baronii, Freheri, Voſſii &c. circa Franc. hiſtoriam errata detegit & corrigit. Fuit autem ut brevibus complectamur, *Aimoinus* unus junior ætate, Aquitanus, Floriacenſis Cœnobii Monachus Sec. XI. clarus ſcriptor paſſim editæ Paris. & Ff. 1613. f. per Marqu. Freherum, emendatius vero per Du Chesnium anno 1641. f. publicatæ *Hiſtoriæ Francicæ*: libror. it. de *Mirac. S. Bened*: *Abbonis vita* &c. quæ Hendr. in *Pandect. Brandeb.* Du Pin. l. c. T. VIII. p. 50. & Cav. p. I. p. 418. l. c. conſignarunt. Alter Monachus B. O. S. Germani de Pratis, *Aimoinus* Pariſienſis, iſto, ſeculo ad minimum integro, antiquior, cujus levicula quædam opuſcula *de Translatione Corporis Vincentii Georgii Aurelii &c. de Miraculis illorum æque ac S. Germani, &c.* recenſent modo cit. autores & Labbeus p. 21. qui eum circa annum 872. claruiſſe, & anno 892. adhuc vixiſſe ex membranis probant. Vid. Cav. l. c. p. 394. Oudin. p. 261. & poſt Pithœum, Voſſius.

AINARDUS.

Monachus S. Trinit. de Rotomago patriâ Teutonicus,

 primus

primus Petri ſuper Divam in Normannia Abbas circa annum 1046. florens; 1063. deceſſit. Scripſit hiſtoriam *Kiliani* Epiſcopi Würtzb. & Catharinæ Virginis. vid. Sanmarthan. *Gall. Chriſt.* T. IV. f. 715. qui referunt Epitaphium, quod ei Durandus Troarnenſis Abbas fecit, ita incipiens: *Hic jacet Ainardus redolens ut piſtica Nardus.*

AMBROSIUS ALANTSEE.

Carthuſianus, ſcripſit *librum de fœdere Chriſtianorum* edit. Auguſtæ 1504. quem vidimus in Bibl. Franciſc. diſcalc. Halberſtadii.

ALANUS.

Autiſiodorenſis, natione Flander, patriâ Inſulenſis, ex monacho & primo Abbate Ripatorii in Diœceſi Trecenſi cœnobii Epiſcopus Autiſiodorenſis ànno 1151. ad Clarævallenſe, unde exierat, cœnobium, ſponte abdicato Epiſcopatu, anno 1167. rediit & in eodem obiit 1181. vid. Sanmarth. *Gall. Chriſt.* Tom. II. f. 276. *Vitam S. Bernhardi* ſcripſiſſe dicitur Valerio Andreæ *Bibl. Belg.* p. 31. quæ nunc præmiſſa eſt *Opp. Bernhardi* à Mabillonio editis Paris. 1666. & edit. noviſſ. 1690. T. VI.

ALANVS.

Magnus de Inſulis, a præcedente longe diverſus, intolerabili errore (uti loquitur Carolus a Viſch hujus editor) ab Auberto Miræo cum illo confuſus, qui annis 112. ante hunc obiit. Floruit non 1200. juxta Trithemium, ſed circa 1290. & anno 1294. obiit, ut ex Epitaphiis ejus ſuffragiisque quam plurimis probat, qui omnia ejus *Opera, Moralia, Parænetica, & Polemica* ex Mstis cum paucis antea vulgatis, Antwerpiæ 1654. fol. edidit modo dictus *Carolus de Viſch.* Attamen circa ætatem noſtri *Alani* lis inexpugnabilis eſt prout Cave in H. L. P. I. p. 492. loquitur. Hic Scripta ejusdem ordine recenſet, atque alia a *Viſchio* omiſſa, ex Oudino ſupplet. Fuit autem is Alanus quoque Belga, unde forte Miræi error & ex Civitate Inſulenſi, Gallo-Flandriæ metropoli oriundus, ex moderatore Scholæ Eccleſ. Pariſienſis, Ciſtercienſis, Doctorque Theologiæ, cognomento *univerſalis* nuncupatus. Epitaphium ſatis monſtroſum legitur apud Silveſtrum Marulum L. II. *S. Hiſtoriæ omnium ordinum religioſorum* f. 143 De eo loquuntur Henr. Gandav. Rob. Holkoth Hartm. Schedel. Sixt. Sen. Ant. Poſſevinus &c. quorum teſtimonia Viſchius l. c. prolixe expoſuit. Hendreich in *Pand. Brand.* p. 76. qui doctri-

doctrinale Alani cum notis *Andreæ Senſlebii* JCti anno 1653. Wratisl. 8. prodiiſſe fidem facit. Ejus Tractatum de *Planctu Naturæ*, quem Joh. de Caſa Carmini in laudem Sodomiæ, oppoſuerat, illuſtrandum ſuſceperat *Leo Allatius*, ſicut refert ipſe in *Apibus Vrbanis* p. 179. Sed promiſſis ſtare ob mortis præventum forte non potuit. Alani Scripta exhibet quoque du Pin l. c. T. X. p. 60. Sententiam de Transſubſtantiatione repetit Clerc. *Bibl. Vniverſ.* T. III. p. 403.

ALANVS.

Tempore Alphonſi Regis Arragoniæ florens teſte Ottone de S. Blaſio, *app. Chron.* c 40. ſcripſit anno 1194. contra *Albingenſes, Waldenſes, Judæos & Saracenos libellum* ſuccinctum ad Wilhelmum Montispeſſulani Dominum & anno 1202. Ciſtercii mortuus eſt, ſicut *Chronico Magno Belgico* hiſtorii traditur. Duo priores iſtius Voluminis libelli e Biblio hecaPapiriiMaſſoniiParis. 1612. excuſi ſunt. Vid. de his & pluribus circa iſthunc Alanum Jac. Uſſerius *de Eccleſ. Succeſ.* c. 8. p. 307. ſeq.

ALANVS RVPENSIS.

Dominicanus de Rupe, qui anno 1430. vixit, primus novum Ordinem, *fraternitatem roſarii* dictum, cæpit juxta Hildebr. *Ritual. Orant.* p. 177. ſeq. ubi lepidam ſimul, modo non contumelioſam B. Virgini hiſtoriam ſive fabellam narrat. Hic pro ſuperſtitioſo ævi ingenio, *Canticum Canticorum* ad Deiparam detorſit. Extat ejus Commentarius Pariſiis impreſſus & a Coppenſteinio Friburgi 1619. 4to. ex parte recuſus in libro *de dignitate Pſalterii JEſu Mariæ.* Cæterum eo temeritatis progredi auſus, ut numerum guttarum effuſi a Salvatore patiente Sagvinis inire tentaverit. Mortuus anno circiter 1474.

ALANVS TEVKESBVRIENSIS.

Anglus natione, Monachus O. B. Cantuarienſis, poſt Prior & tandem Teuckesburienſis Monaſterii Abbas S. Thomæ Cantuarienſi Archi-Epiſcopo intimè dilectus. Scripſit de *Vita & exilio S. Thomæ Cantuar.* cujus fragmenta Operi ſuo inſeruit autor *Quadrilogi*, qui Thomæ Epiſtolis præfigi ſolet Mſt. *Sermones, Epiſtolas, Acta Claredonenſia, Problemata*, adducit Pitſeus de *Script. Angl.* p. 271. ſeq. quem Cave amplectitur *Hiſt. Litt.* T. II. p. 2 0. Floruit autem Alanus 1177. Obiit. 1201. De eo Voſſius de H. L. & Hendreich l. c.

ALAR-

ALARDVS AMSTELRODAMVS.

Ab Illuſtri Belgii emporio, unde natus, cognomen induit. Sub Auguſtiſſimo Carolo V. Imp. florens Philologus præprimis excellens. Sed a Sixto Senenſi l. 4. Bibl. f. 205. inter Eccleſ. Script. relatus. Scripſit *de mirac. Euchariſt.* item *Selectas Similitudines* è SS. Bibl. & Patribus Paris. 1538. Colon. 1639. 4 Venet. 1659. excuſas: *Eccleſiaſten ſive de Concionatore* & alia, quæ enarrant Aub. Miræus, *elog. Belg.* p. 110. & Jo. Jac. Boiſſardus *Icon. Illuſtr.* P. II. p. 211. qui ſimul ajunt, obiiſſe eum Lovanii anno 1541. Conf. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 34. Idem Alardus *Mathæi Philadelphi precationes* e græco latine vertit. Edit. Salingiaci 1539. vid. Simler. *epit. Geſner.* fol. 493. a. Hendreich l. c.

ALBERICVS BERGOMENSIS.

A Patria, de *Roſate vel Roxiati* dictus, Juris Pontificii Doctor eximius atque eruditiſſimus, a Wahremundo ab Ehrenberg, Juſto Reinhardo, aliisque *Robbius* nuncupatus, Bartolo coævus floruit anno 1340. Scripſit *Comment. in lib. VI. decretalium & de Statutis* libr. IV. qui extant inter *Tract. Illuſtrium* JCtorum Venet. 1584. *Dictionarium Juris Civil. & Canon.* Venet. 1573. & 1601. *Tractatus de Teſtibus*, in Tractatu Tractatuum, Vol. V. f. 176. *De Præpoſitionibus* ibid Vol I, f. 334. Idem Albericus ad *Dantis Aligerii Comoedias Comment.* ſcripſiſſe fertur. vid. *Simlerus* l. c. Cæterum Labbeus app. T, I. p. 684. Mareſium alicubi hunc autorem cum quodam cognomine alio, Monacho Trium-fontium, confundentem, perſtringit. Vid. H. Warton. in *app. Cav.* p. 30.

ALBERICVS.

Monachus Caſinenſis & S. R. E. Diaconus, Cardinalis a Stephano P. X. aut, ut alii legunt ab Alexandro II. creatus, floruit 1057. Scripta ejus recenſuit Petrus Diaconus de *Viris illuſtribus Caſinenſibus*, p. 41. & ex eo Cave P. I. p. 427. è quibus notamus librum *adverſus Berengarium de Corpore Chriſti in SS. Coena* ſcriptum. Hic & reliqui libri omnes habentur Msti in Bibl. O. M. Civitatis Florentiæ. librum *de Viſione* Alberico Juniori vendicat Joh. Bapt. Marus in *notis* ad *Petr. Diac.* p. 44. qui Bollandum, Arnold. Wion. Poſſev. Torrigium aliosque caſtigat. Conf. Hendreich l. c. Poſſevinus *app. S.* Wion *in ligno vitæ* & alii.

ALBE-

ALBERICVS.

Monachus O. Ciſtercienſis in Coenobio Trium fontium, Diœceſis Leodienſis, vel juxta Codicem Claræmontanum apud Pariſios, Catalaunenſis, anno 1241. claruit. Scripſit *Chronicon* quod in geſtis anni 1241. deſinit. Promiſerat illud Aub. Miræus & Phil. Labbeus ſed promiſſis non ſteterunt. Emiſit tamen in lucem publicam Cl. Godofr. Guilielmus Leibnitius, juxta cum aliis rerum Germanicarum Scriptoribus è MSto. Guelfferbytano, Hanoveræ anno *1698.* 4to. Laudatur hic partus Act. Erud. Lipſ. Collectoribus ad annum 1698. p. 353.

ALBERTANVS.

Brixienſis Cauſidicus Sec. XIII. floruit. Extant ejus libri de *Dilectione Dei & proximi*, de *Conſolatione & Conſilio*, de *Doctrina loquendi & tacendi*, quos in pluribus *Bibl.* & in Anglia & Gallia MStos. ſe vidiſſe ſcribit Oud. p. 516. l. c. Impreſſi autem ſunt Cunei apud Pedemontanos 1507. in 4. quanquam mendis nævisq; refertiſſimi. Si *Hendreichio* fides habenda eſt, *Albertani de Doctrina dicendi & tacendi liber jam ante prodiit* Lipſ. 1491. Daventr 1490. 4to. ex quo illum Tract. *de Virtutibus diligendis & vitiis fugiendis*, compoſuiſſe probat.

ALBERTINVS vid. MVSSATVS.

ALBERTVS.

Aquisgranenſis Canonicus & Ædituus circa ann. 1120. clarus. Extat ejus *Hiſtoria expeditionis Hierosolymitanæ ſub itinere Godofredi Bullonii*, quæ 26. annorum geſta XII. libris comprehendit. Incipit autem ab anno 1095. & progreditur ad annum 1120. Debemus illam Alberti Hiſtoriam primum in lucem vulgatam Reinero Reineccio, qui eandem ſine præmiſſo authoris nomine Helmſt. 1584. edidit. Nomen autem perſcrutatus eſt Hœſchelius in *Præfat. in Alexiadem*, quem ſecutus eſt Gretſerus. Authori proinde reſtituta inter *Geſta Dei per Francos.* T. I p. 184. collocata atque excuſa. Hanoviæ *1611.* T. II. cura Jacobi Bongarſii Vid. Cave P. I. p. 455. l. c. & Oud. p. 380. Swertius *Athen. Belg.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.*

ALBERTVS.

Argentinenſis, qui conſcripſit Chronicon ab anno 1270. ad 1378. Fuit Germanus, patriâ Argentinenſis, Doctor & Presbyter.

Floruit anno 1378. *Opus ejus Chronicon* primus imprimi curavit Cuſpinianus cum *Conſulibus Roman.* Baſil. 1553. 1569. emendatius vero & plenius Vrſtſius inter *Scriptores German.* Ff 1585. 1670. T. II. p. 97. Quibus etiam *Bertholdi vitam* ab Alberto exaratam annexuit p. 167. Seorſim verò Baſil. 1553. & 1566. prodiit Conf. H. Warthon in *app. Cav.* p. 43. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XI. p 81.

ALBERTVS de BONSTETT.

Baro, natione Germanus, Maximil. I. a Sacris & Eremitarum in Helvetia Decanus 1491. clarus, ſcripſit *Vitam Nicolai Tolentini*, O. Erem. quæ apud Surium ad diem X. Sept. & *Hiſtoriam Auſtriacam*, quæ aſſervatur MSS. in Bibl. Vindob. Illam quidem edendam promiſerat Petrus Lambecius T. II. p. 4. præmatura tamen morte abreptus non præſtitit. Succeſſor ejus *Dan. Neſſelius* idem in animo habuit, quod ipſius *Sciagraphia Vindob.* 1692. edita teſtatur.

ALBERTVS.

Marchiobrandeb. Elector Mogunt. & Archi-Epiſcopus tempore Lutheri clarus *Ejus Reſponſionem ad Lutheri Epiſtolas*, vide in Opp. *Lutheri. Orationem* habuit *de bello movendo contra Turcas. Islebiæ* 1603. juxta *Reſponſionem ad Orationem Maximil. I.* 1596. Ejus impenſis prodiit *Pſalterium collegiatæ Hallenſ. Sax. Eccl. SS. Mauritii & Mar. Magd. ad Sudarium*, excuſum Lipſ. apud Melch. Lotter. 1527. Extat in Bibl. Metropolitana Magdeb. in eleganti membrana vid. Mallinkrot de *Archicancell. S. R. I.* p. 158. Bruſchius *Epitom. de German. Epiſcopat.* T. I. f. 10. b. Lutherus in Opp. paſſim. Buddeus in Lexico, aliique.

ALBERTVS CRVMMEDICKIVS.

Patriâ Holſatus, Canonicus, & deinde Epiſcopus Lubecenſis, floruit 1468. Obiit. 1489. Scripſit de *Epiſcopis Lubecenſibus Chronicon* a primis ad ſua tempora, quod Meibomius Senior edendum promiſerat, editum tamen, à Nepote inter *Rerum German. Scriptores* T. II. Helmſt. 1688. fol. Conf. Cave in *Hiſt. Litter.* P. II. p. 314.

ALBERTVS M.

Natione Suevus, patriâ Lauinganus, parentibus ex equeſtri Bolſtatenſium Ordine nobiliſſimis prognatus anno 1193. cognomento honoris, conſenſu litteratorum *Magnus* meritò dictus. Litteris imbutus, Pariſios ſe contulit ibique Theologiam & Philoſophiam

Ariſto-

Ariſtotelicam maximè profeſſus, abhinc Coloniæ Agrippinæ Præd. Monachus & Prof. Theol. Facult. inſuper ab Alexandro IV. Epiſcopus Ratisbonenſis Eccleſiæ ordinatus, tandem ut tutius vacaret litteris, Coloniam rediit, & ætate 87. anno 1280. d. *15.* Novembr. ibidem è ſeculo migravit. Epitaphia ipſi erecta exhibent Sylveſter Marulus *hiſt. omnium Ord. l.* 3. f. 244. Labb. *Theſ. Epitaph.* p. VII. n. 17. Diſcipulos habuit Thomam de Aquino, Bonaventuram, Thomam Cantipratenſem, pluresque alios. Vitam ejus prolixe ſcripſerunt Jovius *Elog. Doct.* Aventin l. 7. Pantaleon T. II. *her. germ.* Boisſard. *Icon Illuſtr.* Virorum T. I. f. 67. T II. f. 3. ſeqq. De ſcriptis ferè innumeris poſt Trithemium Sixt. Senens. Boisſard & Mich Mayer. *Symb. aur. menſ.* 16. p. 238. Conf. Labbeus qui p. 26. ait excuſa, ejus pleraque opera Lugduni *1651.* T XXI. ſtudio Petri Jammy O. P. ſed parum diſcretis genuinis & ſuppoſititiis, quod in aliis quoq; factum ibidem cordate conqueritur & T. I. app. p. 685. multa ejus nomen mentiri ait, ut ſunt *liber de ſecretis mulierum*, lib de *Natura rerum*, ubi de arte obſtetricandi agitur, qui poſterior auditoris ejus Thomæ Cantipratenſis eſt. Vid & Cave & Hendreich. locis cit. qui eadem non modo ordine commemorarunt, ſed judicia quoque de ipſis tulerunt. His adjunge Cl. Du Pin T. X. *Bibl. Nouv* p. 72. ſeq. Blount. *Cenſur. Celebr. autor.* p. 416. ſeqq. Alium quoque Alberti Operum Tomum prelo paratum fuiſſe teſtatur Ambroſius de Altamura *Bibl. Præd.* p. 55. *In dicendo* teſte Rhodigino *Lect. antiq* 1. p. 3. *Gothicum ſapit & barbarum, oratione ſquarroſa prorſus & illepida.* Adde Buddeum in Lexico & alios.

ALBERTVS PATAVINVS.

ItalusEremitanus S. Auguſtini frater, Ægidii Romani diſcipulus, Litteris S. & profanis, concionibus item ad populum habitis clariſſimus. Floruit anno *1316,* Obiit Lutetiæ *1328.* De ſtatua ipſi erecta loquitur H. Warton. *in app.* T. I. Cav. H L. p. *13.* Scripta, quæ prodierunt, ſunt, *Sermones de Tempore, de SS. & Quadrageſima* Paris. 1544 1550 8v. Venet. 1584. *Expoſitio Evangeliorum Domin.* Venet. 1476. fol. *Comment. vero in Pentateuchum, Evangel. Epp. Pauli, in Magiſt. Sentent.* meminit Manuſc. Patavii hodienum extantium Joſeph. Pamphilus *Chron. Ordinis Eremit. S. Auguſtini* p. 45. Conf. Trithem. *de Scrip. Eccl.* p. 305. Du Pin T. XI. *Bibl. Nouv.* p. 63.

ALBERTVS de SARTHIANO.

Mediolanenſis, Guarini Veronenſis alumnus D. Bernhardi diſcipu-

ſcipulus. Obiit 1450. Multa ſcripſit, quæ Waddingus edenda promiſit ſingula. Tract. de *Pœnitentia:* de *Euchariſtia:* de *Conditione Amicitiæ*, & de *malitia invidentiæ:* de *Inſolentibus corripiendis contra martyrum vituperatores: Sermonem & Epiſtolas*, aliaque plura quæ partim Willot in *Athenis Franciſc.* p. 8. partim ex eo Oudin. p. 703. recenſent. Qui poſterior ex noſtro Alberto, Etruſcum facit, atque multa ex illius ſcriptis apud Waddingum T. IV. *Annal.* reperiri ſcribit. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XII. p. 93.

ALBERTVS.

Abbas Stadenſis, Henrico Willoto *Athen. Franc.* p. 9. Albertus Piſanus Etruſcus, Arnoldo vero Wiono l. 2. *lign. vitæ* c. 62. Germanus dictus. Abbas primum Stadenſis Benedictinæ familiæ, dein Franciſcanus. Cum enim in Abbatiam ſuam O. Ciſterc. obſervantiam inducere meditaretur, illumque in finem bullam a Gregorio IX. obtinuiſſet, fratres tamen reniterentur, ex voto perfectioris vitæ anno 1240. ad hunc ordinem tranſiit. Generalis tandem totius Ordinis a Gregorio IX. confirmatus, in rem litterariam laudabiliter propenſus, adeo, ut eo autore, teſte *Willoto*, celebre apud Anglos Gymnaſium inſtitueretur. *Chronicon* ſcripſit, quod ab orbe condito cœpit, ad ſuam vero ætatem, annum puta, 1256. produxit. Quo opere cum aliis in partibus vetus hiſtoria, imprimis vero res Germaniæ illuſtrantur, tum Saxoniæ & Metropoleos Cranzianæ fundamenta aperiuntur. Delituit iſtud Trithemio aliisque non memorantibus, ſed Cranzium excipimus, in illuſtri Ranzoviana Bibliotheca, donec primus illud Helmſt. 1587. 4to. notis decoratum produxit *Reinerus* Reineccius *Steinhemius*, quod aculeatus licet, fatetur *Willotus* l. c. p. 10. Idem recuſum poſtea anno 1608. 4. Wittebergæ & cum Scriptoribus ſuis rerum Germanicarum edidit Kulpiſius. Conf. Luc. Wadding. *in Bibl. O. M.* p. 6. Cave in H. L. P. I. p. 506. Vltimo monemus, Arnold. Wionem. l. c. ſibi quidem ſerio propoſuiſſe, hanc quam modo diximus, editionem, tanquam hæreticam corrigere, uti Poſſevinus in *app. S.* teſtatur, ſed illam vulgatam eſſe vix unquam credimus. Conf. Sagittarii Hiſt. Eccleſ. p. 64. & alii.

ALBERTVS VERCELLENSIS.

Eremita, tum poſtea Vercell. Epiſcopus, deinde Patriarcha Hieroſolymitanus claruit juxta Trithemium & alios 1190. Scripſit de

Statu

Statu terræ S. & regulam vivendi pro Carmelitis in terra S. commorantibus, eamque complevit anno 1209. Innocentii III. Papæ juſſu, juxta S. Senenſem, rogatu vero, Brocardi, ſecundum Petrum Waſtel Vind. Joh Hieroſol. l. I. p. 19. Hanc Bollandi Acta Sanctorum menſe April. habent. In præludiis autem *Comment. ad vitam S. Alberti* Carmelitarum Legislatoris, multa de illo referunt. Conf. Aub. Miræus in *Auct. de Script. Eccl.* c. 381. p. 255. & Oud. in *Suppl. Bellarm.* p. 478.

BARTHOLOMÆUS ALBICIUS.

Italus Piſanus, ex Rivanoſin Tuſcia ortus, O. minorum Monachus, anno 1372. clarus, in Conventu Piſano anno 1401. mortalitatem explevit. Scripſit *Conformitates S. Franciſci cum Domino J. C.* impreſſas Mediolani 1510. fol. auctiores a Jerem. Brucchio O. Franciſc. Bonon. 1590 f. *Conformitates B. Mariæ cum J. C.* Venet. 1596. f. *Sermones Quadrageſimales de contemptu mundi* ſeu de *triplici mundo*, ſcriptos anno 1397. Mediolani vero excuſos anno 1488. 4. Venet. 1503. *Sermones alios Quadrageſimales*, qui caſuum Conſcientiæ reſolutiones continent, Lugd. 1519. 8. *Vitam B. Gerhardi Laici*, anno 1343. denati, quam Manuſc. penes ſe habuit Waddingus, ut ipſemet teſtatur in Bibl. Scriptorum O. min. p. 48. De Albicio conferendi Oudin. l. c. p. 685. & Cl. Warton. *app. Cav.* p. 42.

FLACCUS ALCUINUS.

Anglus, Eboraci in patria Diaconus, officio Scholaſticus, Caroli M. Franciæ Regis & Imperatoris Præceptor, eidemque percarus, Abbas S. Martini & Cormariceni Monaſterii anno 800. Venerabilis Bedæ diſcipulus quoque fuiſſe traditur. Conf. qui vitam ejus edidit & Paris. 1617 fol. editis à ſe operibus Alcuini præfixit, Andream Du Chesne, Joh. Pits. *Script. Angl. Illuſtr.* p. 156. atque Sanmarth. T. IV. *Galliæ Chriſt.* f. 540. & 613. & præter hos aliosque Cave in H. L. P. I. p. 349. ſeq. Du Pin T. VI. p. 120. ſeqq. Buddeum & Hendreich qui de illo inſtar omnium egerunt. Scripta enim genuina, à ſpuriis & deperditis accuratè diſcriminantur æque ac Oudin. p. 210. Obiit Turonis, non uti Pitſeus 790. ſed anno 804. uti Cave contra Pitſeum probavit. Epitaphium vid. apud Labbeum *in Theſauro Epitaph.* p. 82. Scripta enumerare ſingula libelli brevitas vetat. Notatu dignum, eſt quod Alcuinus *Poema*, 658. *verſuum de Pontificibus & SS. Eccl. Eborac.* compoſuerit. Hoc edidit atque Rerum Anglicarum Scriptor. Tom. III. pag. 703. inſeruit *Thom. Galæus* Vid. Cave. T. II. p. 149.

p. 149. ſtylum ob eloquentiam atque nitorem eximium maximopere deprædicat Du Pin l. c. p. 113. Elogia quæras apud Blount, l. c. p. 342. ſeq.

ALDEBERTVS.

Hildesheimenſis Abbas O, B. circa annum 1164. clarens, conſignavit *Relationem Hiſtoricam de Reſtitutione ſui Monaſterii* Benedictinis facta ſub Eugenio Papa III. quam cum Comment. Philippi Eyſtetenſis Epiſcopi de Epiſcopis Eiſtetenſibus edidit Gretzerus Ingolſtadii 1617. 4. Paucis de eo agunt Oud. l. c. p. 434. & Du Pin T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 195.

ALEXANDER ALEXANDRINVS.

Alexandriæ in Ægypto Epiſcopus, anno 313. clarus, paucis poſt Nicenum Concilium menſibus anno 326. defunctus. Acerrimum orthodoxæ Veritatis contra Arianos defenſorem laudant, ejusque preces efficaciſſimas celebrant Athanaſius, Theodoretus, &c vid. Meelfuhrer. Corona centum Patr. p. 65. Reliquit LXX. *Epiſtolas Encyclicas*, periere tamen omnes, præter unicam, quæ ad Homonymum ſuum *Alexandrum Antiſtitem Byzant.* ſcripta habetur apud Theodoretum l. I. c. 4. *aliam* ad omnes Eccleſiæ Epiſcopos apud Socrat. l. i. c. 6. Gelas. Cyzic Hiſt. *Concil. Nic* l. 2. c. 3. Cotelerium in *not. ad Patres Apoſtolicos* col. 317. quam editam ignoraſſe *Lambecium* miratur Cave. T. II. p. 41. atque aliam ad *Aiglonem* Cynopolis Epiſcopum cujus bina fragmenta exhibet S. Maximus *Opuſc. Theol. & Polem.* T. II p. 152. & 155. memorat Conf. Du Pin. T. II. p. 33. ſeq. Clerc. *Bibl. Univ.* T. IX. p. 423. 428. 454.

ALEXANDER CÆSARIENSIS.

Cappadociæ primum Epiſcopus, deinde in Hieroſolymitana ſede Narciſſo mortuo ſucceſſit. Floruit 212. Nobiliſſimam Hieroſolymæ Bibl. fundavit, qua Euſebius cum fructu uſus. Multa paſſus ſub Severo, Caracalla & Decio, ſub quo carceri incluſus, & præclara fidei confeſſione edita anno 250. expiravit. Scripſit quidem Epiſtolas ad Antinoitas, Antiochenos, ad Origenem, Demetrium Alexandrinum, quarum fragmenta ſaltem habet Euſebius l. VI. c. 11. 14. 19. Cave in H. L. P. I. p. 48. Hieron. p. 17. & Trithem. *de Script. Eccl.* p. 195. S. Sen. *Bibl. Sel. L.* IV. & Poſſevinus, quos citat Hendr. in *Pand. Brandeb.* p. 107. Du Pin. T. I. p. 114.

ALE-

ALEXANDER CARPENTARIVS.

Anglus, anno 1429. clarus, ſcripſit *Deſtructorium Vitiorum*, quod Venet. 1552. 4. Norimb. 1496. & alibi prodiit. De eo Cl. H. Wharton *app. Cav.* p. 71. Uſſerius *in Bibl. Theol.* MSS & alii.

ALEXANDER.

Abbas Celeſini Monaſterii, floruit 1154. Extant ejus *Libr. IV. de Rebus geſtis Rogerii, Siciliæ Regis*, impreſſæ Cæſaraug. 1578. cura *Portoneri* Conf. Oudin. p. 422. du Pin T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 194.

ALEXANDER de S. ELPIDIO.

Gente Italus, a Patria ita vocatus, O. A. Eremita, Ordinis ſui Prior generalis & demùm Ravennat. Archi-Epiſcopus, claruit anno 1320. Extant ejus Scripta partim adhuc in membranis ut ſunt *de Eccleſiæ Vnitate, Paupertate & Comment. in Ariſtotelem* in Bibliothecis Fratrum O. A. Cremonæ & Bononiæ, partim excuſa, Tract. *de Eccleſiaſtica Poteſtate* Lugd. 1498. & 1624. Arimini, cura Angeli Vantii, quem uſſu Joh. XXII. P. R. compoſuit. Vid. Phil. Elsſius in *Encomiaſt. Auguſt.* H. Warton in *app. ad* P. I. H. L. Cav. p. 10. Oudin. p. 602. Jonſius de *Scriptor. Hiſt. Philoſ.* du Pin l. c. T. XI. p. 64.

ALEXANDER de HALES.

Et Halenſis (a Monaſterio Halenſi, in quo educatus, teſte Pitſeo l. c. p. 313. vocatus) vel Alenſis au Galenſis, Henrico de Gandavo & Oudino dictus, Anglus natione, Patria Gloceſtrienſis, Thomæ Aquin. & Bonaventuræ Præceptor, Doctor Doctorum, Doctor irrefragabilis & fons vitæ nuncupatus, Franciſcanus coeteroquin & Prof. Theol. Pariſ. anno 1240. clarus. Ejus ſingula Scripta commemorare, proprii indicis eſſet. Evolvendi igitur Trithemius S. Sen. Poſſev. Willot, Pitſeus, Labbeus, Cave, Oudin, Hendreich. du Pin, qui omnia recenſent. Ex iisdem *Summa Theologiæ* (quæ magis proprium opus eſt, quam ut vulgo habetur *Commentarius in Lombardum* judice Calixto, de Trasſubſt. §. 28.) ſæpius prodiit Noribergæ 1482. Baſil. 1502. Venet. 1576. Col. 1612. *Quæſtiones in IV. libr. Sentent.* totidem Tomis Lugd. 1515. *Summa Virtutum* Paris. 1509 *Comment. in Pſalm.* (quem alii Hugoni de S. Charo tribuunt) Venet. 1546. in *Apocalypſin* Paris. 1647. fol. *Comment. in Metaph. Ariſtot.* (quem alii malunt Alex. ab Alexandro, Minoritæ, juxta Willotum an-

anno 1130 clarenti adjudicare & merito judice Labbeo app. T. I. p. 686.) Venet 1572. *Deſtructorium Vitiorum* Nuremb. 1496. & alibi. *Mariale & Comment. in Prophetas Evangg. & Pauli Epiſt.* de quibus Mſt. differit Cave P. I. p. 496. Oudin p. 508. ſeq. qui poſterior doctiſſimas animadverſiones adjecit, non modo enim *Deſtructorium Vitiorum* Alexandro Halenſi tanquam genuino autori vendicat p. 509. ſed & Magiſterium Bonaventuræ & Thomæ, quod Nat. Alexander in peculiari diſſert. 1680. 8v. impugnaverat, ſatis erudite ex marmoribus aliisque ponderibus p. 510. probat. Rude Epitaphium, quod & Silv. Marulus habet l. 3. de *Omnium Ordinum Religioſis* f. 253. ibidem conſpicitur, atque mortis annus 1245. deſignatur.

ALEXANDER.

Hierapol. Epiſcopus anno 431. clarus, ex pertinaci adverſus Cyrillum odio notiſſimus, *Epiſtolas* quasdam numero 23. lat. conſcripſit, quas *Lupus* inter Epheſinas collocavit: *Sermonem*, qui nova a Chriſto in mundum illata, explicat. Hic alius ab illo Alexandro Apameæ Epiſcopo, ad quem noſter Epiſtolam transmiſit, quæ ibid. extat num. 132. Hæc & alia nos edocuit Cave l. c. T. I. p. 233.

ALEXANDER de IMOLA.

Tartagnus, patria Imolenſis ſive Forocorlenienſis ex Romaniolæ finibus, Joh. de Imola & Joh. Ananienſis auditor, obiit anno 1487. Scripſit *Comment. in VI. decretalium & Clement. & Conſil. libr.* VII. Venet. 1571. 1597. fol. *Comment. in Digeſtum Vetus, Codicem & Digeſt. Novum & Infortiatum* Lugd. 1558. *Additiones ad Baldum Ubaldum in Cod. Digeſt. & infort.* Lugd. 1545. Romæ eum floruiſſe quondam, poſt Papiæ, Ferrariæ & Bononiæ per 30. fere annos docuiſſe refert, qui ejus iconem & vitam repræſentat Jan. Jac. Boisſardus T. I. *Icon. Illuſtr. Vir.* f. 145. Conf. & H. Warton *in app. Cav.* p. 100.

ALEXANDER.

Lycopolita, Thebaidis civitate ortus, qui ex gentibus ad Manichæorum errores, ab illis vero ad veram doctrinam converſus eſt. Calamum ſtrinxit adverſus Manichæos, illorumque abſurdas ſatis Opiniones vel ex Philoſophia refellit. *Tractatus* ejus inſertus *Bibl. P. P. maximæ* T. XXVII. atque ultimo. f. 459. Extat quoque ap. Franc. Combefiſium *Auct. Noviſſ.* Paris, 1672. P. II. p. 3. Pluribus erudite de Alexan-

xandro diſſerit Cave in *app. T. II. diſp. I.* p. 4. ubi illum ad Sec. IV. reponit.

ALEXANDER.

Monachus græcus incertæ ætatis Scriptor, *Glycâ* tamen antiquior, qui ad illum provocavit. *Duæ ejus orationes* ſuperſunt, quarum *una* de Cruce, Andrea Schotto interprete græco-latina prodiit. Notis illam illuſtravit Jac. Gretſerus Ingolſt. 1600. T. II. *de S. Cruce* fol. 1089. Hic autor plagium hoc libello aut paſſus, aut commiſiſſe nonnullis creditur; vid. *Thomaſius de Plagio* §. 353. 526. *Altera* encomiaſtica in S. Apoſt. Barnabam, quam habes apud *Surium* Lat. Jun. XI.

ALEXANDER II. P. R.

Anſelmus aliàs dictus, ortu Mediolanenſis, Epiſcopus Lucenſis, Pontifex demum 1061. electus eſt. Concilii Lateranenſis autor extitit, in quo Simoniam & concubinatum damnavit. Ipſe quidem Criminis hujus accuſatus, ſuſpicionem juramento exuit. Multæ lites ipſi cum Antipapa *Cadaloo* fuerunt, quas non recoquimus. Obiit 1073. *Epiſtolæ* 45. ab ipſo ſcriptæ extant. T. IX. *Concil.* p. 1115.

ALEX. III. P. R.

Rolandus antea vocatus, Tuſcus Senenſis ex Piſano Canonico, Cardinalis Diaconus titulo SS. Coſmæ & Damiani, imò Presbyter titulo S. Marci & Apoſtolicæ Sedis Cancellarius creatus eſt. Pontifex demum ordinatus anno 1159. Roma autem a Victore Antipapa ejectus, in Concilio Piſano anno 1160. celebrato communi Epiſcoporum ſuffragio reprobatus. Poſt varias tamen rerum viciſſitudines, Venetorum auxilio, Sedem recuperavit & Friderici imperatoris ad iniquas pacis conditiones adacti cervici pedes impoſuit, hic Pſaltis verbis abuſus: *Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis & conculcabis Leonem ac Draconem.* Licet de hoc facto perplures adhuc dubitent. Convocavit anno 1179. Romæ Concilium generale, in quo Hæreticorum hoſtes à peccatis abſolvit. Obiit anno 1181. Scripſit *Epiſtolas* 337. quas vide *Concil.* T. X. p. 1138. *alias* IV. ibid. p. 1854. *Conſtitutiones* ibid. p. 1135. *Epiſt.* IV. exhibet Baluz. *Miſcell.* T. II. p. 227. Epiſt. II. ibid. T. IV. p. 466. Epiſt. ad Athalandum de Schismate iſtius temporis *Bibl. Patr.* T. XXIV. p. 1519. Conf. Cave P. I. p.

470.

470. Hendreich l. c. Poſſevinus *app. S. T.* I. Theoph. Raynaudus *de bonis & malis libris* p. 120. du Pin l. c. T. IX. p. 126. & 131. Buddeus, Natalis, Alex. Ludov. Jacob a S. Carolo & alii.

ALEXANDER IV.

Antea Rolandus vocatus, ortu Campanus, de Caſtro Gennæ in Dioeceſi Anagnina, Philippi Anagnini filius, Gregorii IX. nepos, Eccleſ. Rom. Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis & Velitrenſis, P. R. anno 1255. conſecratus, Viterbii anno 1261. expiravit. Habentur ejus *Epiſt.* III. Concil. T. XI. p. 716. *aliæ* LI. apud Wadding. *annal. minor.* ad anno 1256. *aliæ* 124. ibid. T. II. in *Regeſto Pontif.* p. 18. *Conſtitutio Cypria* gr. cum verſione & notis Vinc. Riccardi, Rom. 1636. & Concil. T. XI. p. 2352. Evolv. in hanc rem cit. Cave P. I. p. 501. Conf. Bzovium, Spondanum, & Balæum, Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. X. p. 55. Lud. Jacob. a S. Carolo Bibl. Pontif. p. 10.

ALEXANDER V.

Antè *Petrus Philareti*, græcus Cretenſis, Ordinis Minorum, anno 1409. clarus, mira ſtudiorum cupiditate exarſit, eorundemque cauſa Oxonienſem atque Pariſinorum academias frequentavit, e quibus Doctoratus Infulas in Italiam transportavit. Poſt Ducis Mediol. Conſiliarius, Epiſcopus Vicentinus, imò Novarienſis & Mediolanenſis Archi Epiſcop. factus. Anno demum 1409. Papa conſecratus, anno 1410. obiit. Scripſit vir ſtupendæ in egenos munificentiæ, *Epiſtolam ad Hugonem Eterianum*, quæ extat *Bibl. Patrum* Paris. 1589. edit. in reliquis edit. prætermiſſam. *Comment. in libros Sententiarum. Quodlibeta & Sermones varios*, quæ in MSS. adhuc delitescunt, prout teſtatur Cave P. II. p. 300. Evolv. Poſſev. in *Bibl. Select.* Baleum &c. du Pin l. c. T. XII. p. 6. & 9.

ALEXANDER VI.

Rodericus Borgia aliàs dictus, gente Hiſpanus, patria Valentinus, genere Borgiarum clarus Eccleſiæ Rom. Cardinalis, Archidiaconus & Vice-Cancellarius, poſt Epiſcopus Portuenſis & S. Collegii Decanus, Innocentio VIII. in Sede Papali anno 1492. quam pecunia mercatus, ſucceſſit. Mores ejus foediſſimi, ambitio, avaritia, ſævitia, libido, & inceſtuoſus cum Lucretia filia, congreſſus reprobatur ab omnibus, qui fata ejus attigerunt. Obiit peccatis pollutus, veneno, quod Cardinalibus parari fecerat, & quidem incuriâ Pincernæ anno 1503. Scripſit *Bullam ſuper Canonizatione Anſelmi, Archi-*

Archi-Epiſc. Cantuar. Concil. T. XIII. p. 1476. *Epiſt. & Conſtitutiones Eccleſ. XXI.* apud Bzovium ad an. 1493. Plures in *Collectione Romana & Bullario Laertii Cherubini* habentur. *Epiſt. aliquot ad Fr. Ximenium* in Vita Ximenii. *Clypeus defenſionis fidei S. R. Eccleſiæ* Argentor. 1497 excuſus. Lib. de *Cardinalium excellentia & officio Vice-Cancellarii & gloſſa in regulas Cancellariæ ad Innocentium* VIII. in membrana extat in Bibl Cardinalis Sirleti, ut fidem facit H. Wharton *app. Cav.* p. 120. Confer autores ſupra citatos.

ALEXANDER de VILLA DEI.

Dolenſis Aremoricus O Prædicatorum juxta Trithemium Monachus, de quo Henricus Gandavenſis l bro de Script. Eccleſ. c. 59. hæc habet: *Alexander Dolenſis ſcripſit metrice librum, quem Doctrinale vocant, cujus libri in Scholis Grammaticorum magnus uſus eſt temporibus hodiernis.* Compoſuit ſci icet *doctrinale puerorum*, gothicis litteris ſæpius impreſſum, & cum explicatione Ludovici de Guaſchis, Venet. 1483. Floruit anno 1230. & vixit adhuc circa ann. 1240. ſi Trithemio & Oudino *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 409. fides habenda eſt. Scripſit quoque juxta Trithemium *Tract. de Calendario, de Sphæra & Arithmetica.* conf. du Pin. *Bibl. Nouv.* T. X. p. 85.

ALEXIVS COMNEMVS.

Græcorum Imperator, ejus nominis Junior, qui 37. menſibus regnavit Sec XII. Imperii anno ſecundo vulgavit *Reſcriptum ſive Orationem, quam auream Bullam* inſcripſit, de donariis rebusque ſacris per Principes & Imperatores non auferendis. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. III. f. 1003.

ALEXIVS.

Melfitanus Epiſcopus, anno 1512. clarus, in Concilio Lateranenſi *Orationem* habuit de ratione Synodorum habendarum optima & Concordiæ neceſſitate. Extat illa ſimul cum *Epiſtola* ad Julium II. T. XIV. *Concil.* p. 83. Conf H. Warton in H. L. P. I. app. p. 137.

ALEXIVS STVDITA.

Cœnobii Studiani Eccleſiarcha, & deinde Patriarcha Conſtantinop anno 1034. Michaelem Paphlagonem coronavit ac Zoen Imperatricem adulteram matrimonio ei ſociavit. Obiit 1043. Extant ejus aliquot *Decreta* de diverſis cauſis Eccl. in *Jure Gr.* Rom. L. IV. p. 230. Hæc Cave l. c. p. 419. P. I.

ALFREDVS.

Qui & *Ælfredus, Magnus* cognomento, natione Anglus, patriâ Berchercenſis, Ethelulphi Angliæ Regis IV. & ultimi filius, & ipſe tandem anno 871. Angliæ Rex. Vir, teſte Pitſeo l. c. p. 169. à natura ad bonas literas & virtutes formatus; in Regem ſublimatus, alios, niſi viros doctos & pios, ſibi non aſcivit conſiliarios ex omnibus Provinciis ad ſe evocatos & apud ſe enutritos. Jam tum Rex ex 24. horis diei naturalis 8. quotidie legendo, ſcribendo & orando conſumſit. Oxoniæ tria Collegia extruxit, Academiamque illic reparavit. Multa ſcripſit, quæ idem Pitſeus l. c. enarrat, inter illa eminere dicitur *Manuale Meditationum* quod *Hand. Booke* veteri lingua Saxon. vocavit. Multa etiam ex Lat. in Anglicam linguam tranſtulit, utpote *Hiſtoriam Bedæ* Cantabrig. *1644.* edit. fol. *Bœtium de Conſolatione: Paſtorale Gregorii,* ejusque *Dialogos* &c. *Ejus aliam Epiſtolam* ad *Wulfſigeum* Epiſcopum ſcriptam (quæ ad calcem *Hiſtoriæ Johannis Aſſerii*, inferius memorandi, qui illi à Sacris quondam fuit, hujusque Regis geſta conſcripſit, extat). Ling. vet. Saxon. addita verſione lat. præſentat Bonav. Vulcanius *Goth. & Longobard. rerum ſcriptarum* circa fin. p. 73. & ante hunc Guil. Cambdenus *Script. Angl. vet.* f. 25. in qua declarat ſe paſtorale Gregor. P. R. inter alia varia Regni ſui negotia è lat. in Angl. linguam tranſtuliſſe & ad unam quamque Epiſcopi Sedem in Regno exemplar unum transmiſiſſe. Idem Vulcanius ait, mortuum eum eſſe anno 900. at Pitſeus ad *901.* ejus obitum refert. Vitam ejus ſcripſit Joh. Aſſerius. De *Alfredo* teſtatur *Hiſtoria Elienſis* l. II. quod totum *V. & N. T.* in Eulogiam Angl. gentis transmutaverit. *Pſalterium Davidis* ab ipſo verſum edidit Spelmannus Londini *1640.* 4. De illis vero quæ perierunt ſcriptis, diſſerit Balæus Cent. II. c. *26.* Ita profecto, ut eſt in Epitaphio, quod ei Henr. Huntingdon fecit, Pientiſſimo huic Regi Nobilitas innata dedit pietatis honorem, probitasque laborem, perpetuumque labor nomen! Vnde mirari maxime ſubit, qui factum, quod Trithemius, S. Sen. & horum veſtigiis inſiſtentes plurimi alii, tanti, tamque auguſti Scriptoris non meminerint. Exiguum enim eſt quod de eo habent Voſſius H. L. l. 2. c. 48. p. 393. Zeiler. P. II. Hiſt. Catal. p. 5. Plura autem de illo tradunt Natalis Alex. *H. E. Sect. IX. P. I.* c. 9. art. 3. p. *851.* & Cav. in H. L. P. *I.* p. 393. Oudin. in *Suppl. Bellarm.* p. 263. Hendreich. in *Pandectis Brandeburgicis.* Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. *199.* & Buddeus in Lexico.

ALFRIDVS.

Monaſterienſis Epiſcopus anno 839. creatus, obiit 849 Scripſit II. Libros *de Vita Liudgeri*, quos notis illuſtratos videmus in Actis Sanctorum. Mart. 26. Tom. III. p. 626. Mabillon. Sec. Bened. IV. P. I. p. 15. *Vitam inſuper Liudgeri* aliis II. libris, interpolatam à Monacho anonymo ſcriptam tradit Cave in H. L. P. II. p. 160. quam *Browerus in S. Germania & Surius*. Mart. 26. atque Mabillon. ibidem p. 35. memorant. Cave hunc Alfridum Monaſt. cum alio Hildesh. Epiſcopo confundas, qui ſeculo eodem floruit, cujusque elogium texuit Mabillon Sec. IV. O. B. Tom. II. p. 259. Conf. Oudin loco citato p. 241. Hendreich. & Du Pin T. VII. l. c. p. 198. & alii.

ALGERVS.

Leodienſis, ex Canonico & Scholaſtico Monachus in Saxonia Corbejenſis, ut ait Trithemius libr. II. *Vir. Illuſtr. Bened.* c. 90. f. 48. & catal. *catal. Script. Eccleſ.* Sec. XII. circa annum 1130, floruit. Scripſit libros III. de *SS. Cœna adverſus Berengarium, quos* vide *in Biblioth. PP.* Tom. XXI. p. 251. & Paris. edit. 2. Tom. VI. p. 451. & edit. Morell. T. VI. f. 171 Seorſim vero prodiit cum *Cypriani* Sermone de S. Cœna Antw. 1536. 8v. ex recognitione Eraſmi Roterodami. Lib. III. *de Miſericordia & Juſtitia*, quos Manuſc. ſe vidiſſe fidem facit Oudin. p. 395. in Belgio, in Bibl. Alnenſi C. O. ubi Algerus, Augerus ſcriptus fuerit. Extat autem apud *Mabillonium Analect.* T. I. p. 307. illorum prologus, qui totum infimul opus edendum promiſit. Liber de *Antiquitate Eccleſiæ Leodienſis* periit. Conf. omnino Cave loco citato P. I. p. 460. & Hendreich qui plura ſuppeditant.

ALPHANVS SALERNITANUS.

Monachus primo Caſinenſis, deinde Monaſterii S. Benedicti Salerni Abbas, & poſtremo ejusdem civitatis primus Archi Epiſcopus, circa tempora Henrici III. & IV. ab anno 1057. ad 1086. clarus, quo ipſo obiit. Theologus, Philoſophus, Orator atque Poëta ævo iſto celeberrimus. Scripſit *Hymnos & Poemata* varia, quæ ſingula recenſet Petrus Diaconus de Viris Illuſtribus Caſin. c. 19. p. 37. & ex illo Cave in H. L. P. I. p. 428. Primus autem qui Alphani Opuſcula, paucis demtis, vulgavit, Ferd. Ughellus eſt. vide ejus *Ital. S.* T. II. f. 1085. uſque ad finem. Alia verò vulgavit *Proſper Martinengus* Poëmat. T. III. Rom. 1589. 4to. Vide quæ habet de

Alphano Joh. Bapt. Marus *in notis ad Petrum Diaconum* p. 38. ſeq. Legi omnino meretur Hendreich loco citato.

ALTMANNVS.

Altivillarenſis in Tractu Catalaunenſi Monachus, floruit 850. eo, quo Normanni Galliam devaſtabantur, tempore 890. Scripſit *Vitam S. Memmii Catalaunenſis* primi Epiſcopi, cujus *Epiſtolas prævias* evulgavit Mabillon *Anal.* T. II. p 86. *Vitam S Sindulphi* confeſſoris apud Remos, quæ apud eundem extat *Sec. Bened.* I. p, 368 *Vitas* inſuper *S. Nivardi, S. Helenæ*, aliaque ab ipſo ſcripta memorat *Sigebertus Gemblacenſis de Script. Eccl.* c. 98. De Altmanno agunt Surius, Bollandus, Mabillon. T. II. *Anal* p. 93. ſeqq & *Sec. IV. Bened.* Tom. II. p. 158. Cave l. c. P. II. p. 102. Oudin. p. 291. Du Pin *Bibl. Nouv.* Tom VII. p. 199.

ALVARVS CORDVBEIENSIS.

Hiſpanus. ibidem anno 859. floruit. *S. Eulogii Vitam & Martyrum*, tormentorum oculatus teſtis ſcripſit, quæ *Eulogii Operibus* præfixa eſt Legitur eadem apud Surium ad XI Martii. *Epiſtolæ* autem ad Eulogium ſcriptæ extant T. XV. *Bibl. P.P.* p. 89. 303. 306. inter Eulogianas. Opuſcula Alvari inſerta quoque ſunt *Hiſpan. illuſtratæ Collectaneo*. Plura vide apud Oudin loco citato p. 249. Cave l. c. P I. p 382. qui poſterior alium *Alvari* librum, *Scintillas Patrum*, dictum, atque Baſileæ mutilate abſque autore vulgatum ex Voſſio de H. L, l. 3. c 4. tranſcripſit.

PELAGIVS ALVARVS.

Sive Alpharus, Hiſpanus, patriâ Gallæcus, Minorita Joh Scoti auditor, Juris Canonici Doctor, Joh. XXII. Papæ Avenione ſedentis, Pœnitentiarius, Coronenſis in Achaia primum, dein Silvenſis in Algarbiis ſive Luſitania Epiſcopus, obiit poſt annum 1340. ſicut perhibet Labbeus p. 177. Conf. quæ de eo narrant Trithemius, Willot l. c. p. 24. Schottus *Bibl. Hiſp* f 222. 251. Scripſit inſigne & ingens opus (placet enim e citatis locis cum Willoto loqui) *de Planctu Eccleſiæ* quo vitia Eccleſ. Viris indigna, cenſoria virga annotavit. *Schottus* loco citato egregium variaque eruditione refertum opus vocat. Impreſſum illud extat Vlmæ anno 1474. Lugduni 1517. Venet. anno 1560. Ejusdem *Summam Eccleſiæ* Vlmæ quoque anno 1474. excuſam Labbeus refert Alia quæ ſcripſit nondum typis vulgata, verbi gratiâ, *Collyrium Fidei adverſus Hæreſes: Sermonem*

de Vi-

de Viſione animarum exhibent H. Warton in H. L. P. I. Cav. app. p. 25. & Waddingus *de Script. O. M.* p. 15. Hendreich l. c. du Pin T. XI. *Bibl. Nouv.* p. 64. ſeq.

ALVLFVS.

Monachus S. Martini Tornacenſis, natione gallus, an. 1096. clarens, monaſterii ſui præcentor per 47. annos extitit. Extat ejus *Gregoriale*, opus ex propriis Gregorii verbis compoſitum IV. Volum. fol. in variis Galliæ Bibl. MSt. reſervatum, uti fidem nobis facit Caſim. Oudin. l. c. p. 373. quem conſule. Prologum ejusdem habet Mabillon in *anal. T. I.* p. 313. Pars vero ſecunda in N. T. Argentor. per Joh. Knoblauch emiſſa eſt 1516. 4. Conf. Cave in H. L. P. II. p. 205. & Simlerus l. c. imò du Pin l. c. T. IX. p. 187.

ALYPIVS.

Presbyter Conſtantinop. anno 430. clarus ad Cyrillum *Epiſtolam* ſcripſit, ut adverſus Neſtorii hæreſin viriliter pergat, *adhortatoriam*, Extat illa *Concil.* T. III. p. 785. Conf. Cav. H. L. P. I. p. 233.

AMALARIVS.

Fortunatus *Treverenſis* ex Luxovienſi Monacho Alcuini olim diſcipulus, antiſtes tandem Trevirenſis Eccleſiæ anno 813. admotus, a Carolo M. Conſtantinopolin, non ad Michaelem Balbum (uti Miræus a Labbeo, T. I. diſſ. p. 40. correctus ſcripſerat) ſed Mich. Rangabe Curopalatam, miſſus, pro pace cum ipſo ſancienda. Obiit anno 814. Eidem libr. IV. *de divinis Officiis* tribuunt quidam, juxta Sanmarth. T. I. f. 720. quos alii melius cum Labbeo ſequenti Amalario Metenſi vendicant. Ejus autem foetum eſſe Librum *de S. Baptiſmate* ad Carolum M. falſo hactenus Alcuino ſuppoſitum adſerit Sirmondus atque ex Codicis Petaviani autoritate probat. Conf. Labb. p. 41. Cav. l. c. P. I. p. 358. Oud. p. 216. Brower. *in annal. Trevir.* &c. du Pin. T. VII. l. c. p. 157.

AMALARIVS METENSIS.

Diaconus & Abbas in membranis vocatus, & Choro-Epiſcopus ab aliis, præcedente paulo junior, cognomine etiam *Fortunatus* quibusdam dictus. Vixit ab anno 800. ad 840. Ejus ſunt, aſſertore Labbeo T. I. p. 41. non verò præcedentis Amalarii (cui tamen à Bellarmino, Poſſevino &c. tribuuntur ſuperius memorati IV.

libr.

libri de div. Offic. anno 827. juſſu Ludovici Pii Imperatoris, conſcripti; ut & liber *de Ordine Antiphonarii*, in quo ſe ab eodem Imperat. ad Gregor. IV. P R miſſum eſſe ait. Vide illos *Bibl. PP. Paris.* edit. 2. fol. 847. 1082. & conſ. poſt Trithem. Script. Eccleſ. & O. B. Baronium anno 813. 830. Bernh. a Mallinkrot Tract. de *Cardinal. Eccleſ. Rom. German.* & Sanmarthanos l. c. dignamque lectu *Epiſtolam Jac. Sirmondi*, quam ex ſchedis ejus deſcriptam communicat Labbeus T. I. app. p 692. *De Ecloga vero in Canonem Miſſæ: Epiſtolis aliquot ad Epiſcopos*, & *Inſtitutione Canonicorum*, loquuntur Cav. l. c. P. I p. 358 & Oudin l. c. p. 230. ubi doctiſſima ſimul ad duo quarti libri Officiorum ultima capita, annotatio legitur, quæ, illa eſſe interpolata, ſatis abunde probat, atque genuino ſuo autori, *Adhemaro* O. B. monacho, reſtituit. Conf. de Amalario Metenſi du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 158. ſeq.

AMBROSIVS CAMALDVLENSIS.

Florentinus, vel uti Raphael Volaterranus ait, è Porticu Flaminiæ oppidulo, non procul Florentia, oriundus, Ordinis Camaldulenſis (a Madalo quodam Appenninicola, qui locum his Monachis, autore Romaldo concitatis & ortis, ceſſit vide Franc. Modii Lib. de *Ord. Eccleſ.* f. 16.) monachus ac ſubinde Abbas Generalis Sec. XV. anno 1437. floruit, calculo Labbei T I. p. 45. & anno 1490. obiit. Ejus tamen mortis annum 1439 facere maluit du Pin T. XII. l. c. p. 95. Epitaphium ejus refert *Silveſt. Marulus opere* di tutte le religioni, Meſſinæ edito 1613. f. 106. Vitam ejus poſt alios ſcripſit Auguſtinus Florentinus, monachus quoque Camaldulenſis, non tamen tribus libris, ut male Labbeus, ſed in Libr, III. Hiſtoriæ Camaldul. appendice quem jure id circo caſtigavit H Wharton in H. L. *app. Cav.* p. 84. Hic Scripta quoque recenſet, quæ proinde ſingula non repetimus, ſed ſaltem potiora, ut ſunt *Hodoeporicon* Florent. & Lucæ 1681. 4to. *Definitio Synodi Florent.* aliaque quæ partim è Græco, latinitate donavit, partim adhuc MSt. quæ propria induſtria compoſuit. Conf. Hendreich. in *Pand. Brandeb.* p. 143. Stylum Ambroſii laudat quidem du Pinius l. c. ob puritatem eximiam, carpit tamen liberam terminorum applicationem. Conf. Bayl. Diction. ſub voce Camaldoli. & Cl. Buddeus in Lexico.

AMBROSIVS MEDIOLANENSIS.

Origine Romanus, ortu Gallus, Arelate ad Rhodanum anno

333.

333. natus, ab Anicio Probo Mediolanum miſſus anno 369. poſt mortem Auxentii, Archi-Epiſcopus mediolan anno 374. creatus & conſecratus. Vide miranda circa ejus promotionem apud Eraſmum, præf. ad ipſius Opera & Oſiandr. *Cent. IV.* f. 389. Idem Eraſmus in autoritate Epiſcopali, ambroſia & melliflua eloquentia, ſupra invidiam glorioſa (qua grandem illum Cetum, Auguſtinum, in Eccleſiæ ſagenam traxit) palmam ei tribuit. Vid. Baronium anno 383. Incomparabilem, in excommunicando Theodoſio, autoritatem, autores allegati graviter deſcribunt. Conf. Schopffii Acad. J. C. f 75. Huc ſpectant nummi Mediolanenſes, Ambroſium cum flagello referentes, de quibus Tentzel. in Colloq. Menſtr. ad anno 1691. p. 795. & 1043. prolixe diſſerit. Sancto fine quievit d. 4. April. anno 397. ætat. 64. poſtquam annos 22. præfuit, nactusque ſubſtitutum Simplicianum. Vitam ejus expoſuit atque ad Auguſtinum ſcripſit, Paulinus, Operibus Ambroſii præfixam, & Godefr. Hermant. Pariſiis, 1678. 4. De illis autem prolixius agit Cave in H. L. P. I. p. 149. Hendreich l. c. Conciſius Cave P. II. p. 49. Hæc autem transſcribere ſuperfluum, nec hujus libelli anguſtia permittit. Commendamus ſaltem optimam, eamq; noviſſimam edit. Pariſienſem ab O. B. monachis vulgatam, 1690. fol. T. II. quam ſatis digne laudant Collectores *Actorum Eruditnrum Lipſienſium,* anno. 168;. p. 64. & T. II. *Supplementorum* p. 209. Nec de ſpuriis atque deperditis Ambroſii Scriptis litigare amplius licet, cum doctiſſimi autores etiam hæc ſatis exhauſerint. Illa enim, quæ ſub Ambroſii nomine ediderat *Jac. Hommejus,* & tamen illius non erant, penitus excluſerunt. *Hymnum* quoque, *Te Deum laudamus,* Ambroſii non eſſe, ſatis abunde docent. Prodierant jam ante Ambroſii Opera, cura Maffelli Venia, absque loci, vel anni mentione. Mediolani 1494. f. Baſil. 1492. 1527. 1538. 1567. f. T. II. Romæ 1580. 1585. Paris. 1529. 1540. 1549. 1586. 1603. 1614. 1632. 1642. 1665. & forſan alibi. Cœterum, vix crediderimus, Ambroſium plagiariis jure annumerandum, quem Jac. Thomaſius, de *plagio* §. 355. ſeq. eximit. Conf. Cl. Buddeus l. c. qui plures de Ambroſio autores, allegat. & du Pin T. II. *Bibl. Nouv.* qui in tradendis Ambroſii Vita & Scriptis, prolixiſſimus, a p. 250. ad 295. Journal des Scavans T. XIV. p. 178. Spizelius in Veteri Academ. Jeſu p 129. ſeq. Arnold. Hæres T. I. L. IV. c. 4. §. 2. 3 p. 144. Elogia exhibet Blount. l. c. p. 147. ſeq.

AMEDEVS.

Genere nobilis, forma præſtans, rebus gerendis prudens, moribus ſanctus, Sanmarthanis laudatur, T. II. *Gall. Chriſt.* f. 628. De Caſtro Coſta, haud procul à Vienna oriundus, ex Monacho Claræ vallenſi ſub Bernhardo Abbate, Abbas Altecumbæ, & tandem Epiſcopus Lauſannenſis, floruit 1159. Friderici Imperatoris quoque Cancellarius fuiſſe, dicitur. Ejus *Homiliæ* VIII. de laudibus Deiparæ extant *Bibl. Magnæ P. P.* Colon, anno 1622. à Richardo Gibbono recognitæ T. XV. f. 308. Seorſim verò eaſdem primò ediderat Gervaſius Sopherus, Briſacenſis, Baſil. 1517. 4t. quibus in fine Vitam *Amedei* adnexuit, ex qua noſtra hauſimus. Vide & Cave in H. L. P. I. p. 465. Du Pin *Bibl. Nouv* T. IX. p 184.

AMMONIVS ÆGYPTIACVS.

Monachus, Nitrienſium Pater, claruit 330. Extant inter Ephræmi Opera T. II. Ejus *Capita Parænetica* XIX. quæ ex Codicis Manuſcr. authoritate, Ammonio à Voſſio tribuuntur. Epiſtolas item apud Chaldæos ſub ejusdem nomine circumferri, memorat Hebedieſu. Conf. *Palladius, Socrates & Sozomenus* qui de Ammonii geſtis prolixi, ex quibus ſua hauſit Cave in H. L. P. I. p. 107.

AMMON.

Natione Ægyptius, Epiſcopus Adrianopolitanus, circa annum 399. floruiſſe fertur. Ipſe autor dicitur *Epiſtolæ Canonicæ* de iis, qui cum Arianis communicaverant, deque Biſto, Presbytero Lycopolytano, quæ habetur *Pandect. Canon.* T. II. p. 170. & *aliæ*, ad Theophilum, Patriarcham Alexandrinum, de Vita & converſatione S. Pachomii & Theodori, quam recenſent Bollandiani Menſe Majo Tom. III. p. 63. Libros verò *de Reſurrectione Mortuorum, adverſus Origenem* ſcriptos, doctiſſimus Cave deperditos eſſe, exiſtimat, loco citato P. II. p. 60.

AMMONIVS ALEXANDRINVS.

Diſertus & valde eruditus, Philoſophus Platonicus, tandem Chriſtianus, Alexandriæ clarus extitit, anno circiter 222. cognomento *Saccus* aut *Saccophorus*, Præceptor juxta quosdam, Origenis & Plutarchi, vide quos citat Magirus Eponym. Crit. p. 14. quem ad Ethnicos rediiſſe mentitus eſt Porphyrius, teſtibus Freculpho, *Chron.* p. 511. & Bebel. *Antiq. Sec.* III. f. 478. Labb. T. I. diſſ. p. 58, Scripſit de

Conſo-

Conſonantia Moſis & Jeſu, item *Evangelicos Canones*, quos poſtea ſecutus Euſebius Cæſarienſis. Eidemque tribuitur *Harmonia Evangelica*, in Orthodoxogr. Patr. lat. T. I. f. 747. 765. canonibus præmiſſa. Sed neque decem Canones in iſtis Orthodoxogr. ſunt Ammonii, verum Euſebii, neque Harmonia ejus eſt, *Diateſſeron*, dicta, vide prolixe Bebelium, loco citato, & Du Pin T. I. p. 120. & quæ in contrarium adducuntur à Baronio, Bellarmino &c. contra Victorem Capuanum. Errant qui huic noſtro Ammonio tribuunt cum Volaterrano T. 13. *Anthropol.* quod aſinum, ſtupidiſſimum animal, ſapientiæ auditorem habuerit, id enim *Ammoniano Grammatico*, Syriani cognato, convenire docet, Labbeus Tom. I. *app.* p. 709. Idem loco citato p. 59. à dicto Ammonio Alex. probe diſtinguit *Ammonium juniorem*, qui poſt Concil. Chalcedon. ſcripſiſſe fertur, cujus in *Catenis Græc. Patr.* in S. Joh. Evangelium & alios SS. libros, frequens mentio. Geminos præterea adhuc *Ammonios* recenſent, *Collectores Bibl. Magnæ Colon.* T. XV. *ind. Chronol.* Vnum, circa annum 372. clarum, qui, ne Epiſcopus a Theophilo eligeretur, aurem ſuam præſcidit, & cujus Hiſtoricus iſte Commentarius, quem Fr. Combefiſius græc. lat *Actis Martyrum antiquis* Paris. 1650. 8. p 88. inſeruit, de quibus Cave P. II p. 47. Alterum, quem una cum Petro Alexandrino Martyrium ſubiiſſe ait, Euſebius l. 8. c. 25. Conf. Hendreich l. c. Clerc. *Bibl. Vniv.* T. VI. p. 31.

AMOENVS.

Poeta Chriſtianus, Seculo V. clarus, uti quidem perhibet Coccius, autor dicitur *Enchiridii V. & N. Teſt.* Prudentio adſcripti judice *Georgio Fabricio*; conf. Labb T. II. p. 263. & illud vide *Bibl. PP.* Paris. edit. 2. Tom. VIII. f. 587. ibidem extat ejus *Acroſtichis* in reditum Leontii f. 592. Conf. Poſſev. *App. S.* Vincentius Placcius, de *Anonym. Script.* p. 48. qui *Amœni* nomen fictum eſſe, exiſtimat.

AMPHILOCHIVS.

Iconii in Licaonia Monachus, & deinde Epiſcopus, vixit anno 392. SS. Baſilio & Gregorio Nazianz. percarum caput. Obiit circa annum 395. Opera ejus 1644. f. Pariſiis, græce latineque edita, ſtudio Franciſci Combefiſii, Burdegalenſis, Ord. Præd. ordine recenſet Cave in H. L. P. I. p. 143. ubi deperdita inſimul commemorat. & Du Pin loco citato T. II. p. 234. Seorſim quoque quædam prodierunt, *Epiſtola græca de ſtudiis rite formandis*, Schleuſingæ, *opera*

Joach. Zehneri 1609. 8. aliaque plura, quæ refert Hendreich in *Pandectis Brandeburgicis* p. 155. *Tractatum de non deſperando* ſub Amphilochii nomine græco-lat. in *Theſ. Aſcet.* p. 255. Poſſini, vulgatum, rejicit Cave P. II. loco citato p. 46. tanquam fabulis atque recentioribus loquendi formulis refertiſſimum. Adhæc *Homil. de occurſu Domini noſtri J. C.* & *de Deipara atque Simeone*, cum nonnullis aliis, *Amphilochio, Sidæ Epiſcopo*, qui anno 431. Concilio Epheſino contra Neſtorium interfuit, tribuit Labbeus T. I. p. 60. quam *Bibl. Magna* PP. noſtro hactenus falsò adſcripſerat. T. IV. f. 929. De Amphilochio agit Cl. Buddeus *in Lexico*, qui plures de eo adduxit autores.

AMVLO LVGDVNENSIS.

Archi-Epiſcopus, Adoni Viennenſi dictus *Amalo*, Flodoardo *Amolus*, Agobardo ſuffectus, anno 846. ſedit, & floruit juxta Sanmarth. Fratres T. I. *Gall. Chriſt.* f. 303. Sublatus Oudino dicitur circa annum 850. Scripta ejus e tenebris primus eruit Steph. Baluzius, cujus cura Pariſiis cum Agobardo impreſſa ſunt, 1688. T. II. 8. Illa vide apud cit. Oudin. p. 240. & Cave P. I. p. 374. Sunt autem pauca, quæ proinde repetimus. *Epiſtola adverſus Godeſchalcum; ad Theoboldum: Reſponſio ad quæſtionem de Prædeſtinatione, de Gratia & Præſentia Dei: Sententiæ B. Auguſtini ex ejus Operibus* collectæ, quæ probabiliter Amuloni tribuuntur. Hæc omnia quoque inſerta ſunt T. XIV. fol. 329. *Bibl. PP.* Liber autem *contra Judæos*, inter *Rabani Mauri Opuſcula*, prodiit Divione, anno 1656. cura Fr. Chiffletii, quem omninò *Trithemius* & Codex Manuſc. Bibl. Colbertinæ eidem vendicant. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 150. ſeq. & p. 18.

ANACLETIANVS.

Eugenii Anti-Papa, cujus *Litteras* XXXIIX. Lupus in *App. Collect. Litter.* Lovan. 1682. recenſuit. Laudat in illis ſtyli nitorem atque elegantiam, ipſamque vim dicendi. Cl. Du Pin Tom. IX. *Bibl. Nouv.* p. 47.

ANASTASIA.

Fœmina Romana, fidem Chriſtianam, quam à matre Flavia edocta fuerat, ſtrenue profeſſa, atque martyrium anno 303. paſſa perhibetur. Tribuuntur illi *Epiſtolæ* binæ, quas ad Chryſogonum. Confeſſorem, ſcripſerit, quæ extant cum Chryſogoni reſponſis apud Suidam, in voce *Chryſogonus*. Sed acute judicat de illis Cave,

P. I. p.

P. I. p. 80. quod ſibi aliisque videantur eſſe ſuppoſititiæ. Conf. Baronius ad annum 303.

ANASTASIVS.

Abbas Monaſterii S. Euthymii in Palæſtina, claruit anno 741. Anno 749. male audire cœpit, *Triſagium* totum ad Filium referens, atque Joh. Damaſcenum in ea re adverſarium nactus eſt, qui in *Epiſtola de Triſagio*, ad Jordanem, Cœnobiarcham, ſcriptam, errorem ejus rejecit. Vide pluribus Collectores Bibl. Magnæ PP. Colon. edit. 1622. T. VIII. Baronium ad annum 749. Caniſium T. III. antiqu. Lect. p. 56. 59. & p. 123. ubi librum *contra Judæos*, ab Anaſtaſio Abbate ſcriptum, ex Franciſci Turriani Verſione, exhibet. Manuſc græcum aſſervatur Romæ, in Bibliotheca Vaticana & aliis, ut fidem facit Oudin. p. 196. Cave P. I p. 343. Conf. & Poſſevinus *in App. S.* Aubertus Miræus in *Auct.* cap. 212 p 221. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 100. qui alia de Anaſtaſio noſtro, quæ tamen huc faciunt, adduxit.

ANASTASIVS.

Rom. Eccleſ. Apocriſiarius B. Maximi diſcipulus, ob veræ doctrinæ confeſſionem in Lazica exulans anno 665. obiit anno ſequenti. Inde miſit *Epiſtolam ad Theodoſium Gangrenſem Presbyterum*, qua de obitu S. Maximi Conſtantinop. narrat, atque fragmenta ſatis prolixa ex S. *Hippolyti, Portuenſis Epiſcopi, Sermonibus*, ſiſtit. Extat illa latine inter *Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii*, a Sirmondo 1620. Paris. edita. Et in Prolegom. p. 67. ad *Opera S. Maximi Monachi*, quæ collegit Franc. Combefiſius, ubi græc. lat. exhibetur. Conf. de eo Oudinum, de *Script. Eccleſ.* p. 182. Cave P. I. p. 325. du Pin *Bibl. Nouv.* pag. 27. T. VI.

ANASTASIVS.

Abbas Romanus, Eccleſiæ Rom Presbyter & Bibliothecarius anno 870. clarus, ultimæ Pſeudo-Octavi Concilii actioni interfuit. Anno 871. ab Hadriano P. R. Neapolim miſſus eſt, ut Athanaſium, Epiſcopum Neapolitanum, à Sergio, duce Neapolitano, urbe expulſum, ſedi ſuæ reſtitueret, id quod tamen præſtare, ob populi contumaciam, vix valuit. Vixit adhuc juxta Baronium anno 886. Vir cæteroquin doctus, atque linguæ utriusque peritus, cui cum principibus ævi ſui Viris, Photio atque Hincmaro, arcta interceſſit amicitia. Conf. de ejus laudibus Blount. l. c. p. 354. ſeq. Scripſit *Acta*

Concilii Conſtantinop. ſive Generalis Pſeudo-Octavi anno 869 habiti, quæ extant *Concil.* Tom. VIII. p. 961. *Acta Concilii Niceni II. vel Pſeudo-Septimi Generalis* anno 787 celebrati, latine vertit, extant T. VIII. p. 29. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, ſeu *Chronographiam Tripartitam*, ex Nicephoro, Georgio Syncello & Theophane, maximam partem collectam, & latine verſam, quæ prodiit cum notis Fabroti Paris 1649. *Hiſtoriam de Vitis P. R.* quæ tamen ejus, præter nudam collectionem, non eſt, uti ex Manuſcripto vetuſtiſſimo Labbeus, *Bibl. Manuſc.* P. I. p. 309. & Lambecius *Comment.* l. 2. p. 927. probant, & illam ad autorem multò antiquiorem referunt. Doctiſſima ſunt annotata, quæ Cave in H. L. P. I. p. 129. & 392 communicavit, quibus totum de hac lite negotium, exhauſit. Prodiit autem Moguntiæ 1602. cura Joh. Buſæi, & denuò Lutet. 1649. fol. ad calcem *Hiſtoriæ Eccleſ.* cum notis Fabroti. *Collectanea* de iis, quæ ſpectant *ad Hiſtoriam Monotheletarum*, edita a Jacobo Sirmondo Paris 1620. 8v. & exinde in *Bibl. Patr.* Tom. XII. p. 831. Hæc ordine enumerat Cave, loco citato p. 393. *Vitam Demetrii Martyris*, quæ apud Mabillonium, *Analect.* Tom. I. p. 65. *Vitam S. Dionyſii Areopagitæ*, ex Methodio in latinum verſam, quæ interiit. Præfatio tamen habetur apud Surium ad III Octobr. *Vitam S. Joh. Eleemoſynarii*, ex Leontio in latinum translata, quæ aut interiit, aut in Manuſcripto adhuc latet. *Vitam S. Petri, Alexandrini Archi-Epiſcopi* & *Paſſionem S. Acacii & ſociorum ejus*, Anaſtaſium quoque in latinum tranſtuliſſe, idem Cave ſcribit P. II. p. 166. ubi erudite diſſeruit de vexatiſſima inter doctos controverſia: *Vtrum Anaſtaſius Cardinalis & Anaſtaſius Bibliothecarius, unus idemque fuerint?* qui Voſſii, Lambecii, Sagittarii, Labbei, aliorumque ſententiis examinatis ſuam ſubjicit, atque duplicem omninò Anaſtaſium extitiſſe, firmiter concludit. Conf. Cl. Buddeus in Lexico. Hendreich. loco citato, & Du Pin: *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 195.

ANASTASIVS.

Monachus primum, deinde Abbas, natus anno 618. S. *Maximi* diſcipulus, ejusdemque fatorum individuus comes, circa annum 655. clarus, Conſtantinopoli male tractatus, Lazicæ anno 664. obdormivit. Scripſit *Epiſtolam ad Calaritanos in Sardinia Monachos, contra Monothelitas hæreticos*, quæ extat inter *Collectanea Anaſtaſii Bibl.* a Sirmondo edita 1620, 8v p. 142. & inter *Maximi Opera* T. I. p. 43. De eo Cave P. I. p. 575. Oudin. l. c. p. 181. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 27.

ANASTA-

ANASTASIVS NICENVS.

Floruit tempore S. Maximi Abbatis & Martyris, qui ad eum ſcripſit, circa annum 640. Ejus *Reſponſa ad Orthodoxorum Interrogationes de diverſis Capitibus Eccleſiaſticis*, extant T. I. *Bibl. Paris. edit.* 2. f. 25. a Gentiano Herveto Aurelio, Remenſi Canonico, prius vulgata & latinitate donata. Conf. Labb. T. I. p. 68. T. II. p. 84.

ANASTASIVS P. R. I.

Natione Romanus, Maximi Presbyteri filius, P. R. anno 398. ordinatus, anno 401. die 14. Decembris, juxta Baronium verò & alios die 27. Aprilis, anno 402. obiit. Scripſit *Epiſtolam ad Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum*, qui ipſius de Ruffino, librisque Origenis, ab eo verſis, conſilium petierat, quæ extat inter *Opera Hieronymi* T. IV. & *Concil.* T. II. Plenior autem inter *Marii Mercatoris Opera*, editionis Garnerianæ part. I. p. 109. *Tria Fragmenta Epiſtolæ ad Vrſinum, de Incarnatione Chriſti*, ſiſtit *Appendix ad Liberati Breviarium.* *Binæ* quoque ſub Anaſtaſii noſtri nomine, *Epiſtolæ*, habentur, T. IV. *Concil.* de quarum ſuſpecta autoritate egit Daniel Papebrochius, *Conat. Chron. Hiſt. ad Catal. Pontif.* 60. & cum eo Cave P. I. p. 175. Conf. Du Pin T. III. p. 83. & Ludov. Jacob à S. Carolo in *Bibl. Pontif.* p. 15. ſeq. qui ejus Epitaphium exhibuit.

ANASTASIVS P. R. II.

Romanus, Petri filius, anno 496. die 15. Septembr. Papa electus eſt. Nominis Acacii, è Diphtychis abolendi cauſa, legatos quidem ad Anaſtaſium, Imperatorem, miſit, ſpe tamen ſua fruſtratus. Incuſent ipſum alii cum Platina doli, quem Anaſtaſius Papa commiſerit, dum ipſe a parte Acacii poſtmodum ſteterit, atque multa de ejus morte horrenda dicant, nos certa potius veſtigia premimus, Anaſtaſium anno 498. die 8. Septembris obiiſſe. Scripſit *Epiſtolas binas*, ad Anaſtaſium Aug. *unam*, *alteram* ad Clodovæum, Francorum Regem, quâ ejus converſioni applaudit. Hæ extant *Concil.* T. IV. p. 1278. & fragmenta quædam apud Baluzium *Nov. Collect.* Concil, p. 1457. Alios libros ſcripſit, ſi quæ Platinæ fides, De *Trinitate:* De *Libero Arbitrio:* De *Regulis Fidei: adverſus hæreſin Pelagianorum:* & *Sermones quamplurimos*, jam deperditos. Conf. Cave P. I. p. 267. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 271. ſeq. & Ludov. Jacob, a S. Carolo p. 16. loco citato.

ANA-

ANASTASIVS P. R. IV.

Conradus antea appellatus, Romanus, è regione Saburræ, Benedicti filius, è Canonico regulari & Cœnobii S. Anaſtaſii, in Diœceſi Veliterna, Abbate Ordinis Auguſtini, Cardinale & Epiſcopo Sabinenſi, anno 1153. die 12. Julii, P. R. creatus eſt. Obiit anno 1154. die 2. Decembris. Scripſit *Epiſtolas XIII.* quas vide *Concil.* T. X. p. 1133. & 1851. & recenſitas Cl. Du Pinio *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 130. Conf. p. 125. De eo modo cit. Ludov. Jacob. a S. Carolo p. 17.

ANASTASIVS SINAITA.

In Monte Sinai Monaſticam vitam egit. Sedem Antiochenam anno 561. obtinuit, à Juſtino deinde in exilium miſſus, Gregorio locum ceſſit. At, illo defuncto, Mauritioque imperante, reſtitutus, anno 595. terræ valedixit ann. 599. Juſtiniani, Imperatoris, de incorruptibilitate corporis Chriſti delirium, fortiter oppugnavit. Cum Gainitis quoque atque Severianis acriter dimicavit. Laudes ipſi dixit Evagrius l. IV. c 40. qui illum à pura doctrina, vivendique ratione accuratiſſima, egregie commendat. Multa ſcripſit Anaſtaſius, teſte Nicephoro, ut ſunt *Orationes V. dogmaticæ*, quæ prodierunt latine, interprete Godofr. Tilmanno, 1556. 8v. & in *Bibl. PP. Paris.* 1575. 1589. Turriano, interprete, Ingolſt. 1616. 4to. Manuſc. græcum habetur in Bibl. Vaticana, aliisque. *Libri XI. anagog. contemplationum in Hexaemeron,* latine prodierunt, Paris 1609. *Duodecimum vero librum* edidit Cl. Allixius, Londini 1682. 4. An autem genuinus noſtri Anaſtaſii partus ſint iſti libri, dubitat Labbeus, *obſervatione prima in Anaſtaſium Sinaitam*, p. 71. Tom. I. *Diſſert. De Duce Viæ adverſus Acephalos*, quem Græc. Lat. edidit Gretſerus, Ingolſt 1606. 4 non immeritò dubitat Albertinus, *Opere de Euchariſtia,* Daventriæ ann. 1654. fol. edito. p. 893. cujus verba ex eo tranſcripſit Oudinus p. 147. ſeq. Conf. Cave P. I. p. 296. *Quæſtiones & Reſponſiones de variis argumentis in SS.* numero 154. quas, aut interpolatas, aut planè ſuppoſititias eſſe, vel eruditiſſimi judicant. Has græc. lat. edidit Jacob. Gretſerus Ingolſt. 1617. 4. Opera hæc omnia Anaſtaſii vide *Bibl. PP.* T. IX. Cæterum *Compendiariam Fidei inſtitutionem* græc. lat. imprimi curavit Theod. Beza 1570. 8. *Homiliæ II. in Annunciationem Mariæ*, græce inter *Varia divina* Lugd. Batav. 1619. 4t. De *S. Synaxi & de non judicando Homiliæ*, græc. lat. cum *Duce Viæ* 1606. 4. *In Pſalmum VI. Homil. II.* græc. lat. Ingolſt. 1603. 4. *In Transfigurationem J. C. Homilia,* græc lat. à Com-

Combefiſio in auct. T. I. p. 850. *Tract. de Sanctis tribus Quadrageſimis* gr. lat. cum notis *inter Cotelerii monumenta Eccleſ. Gr.* Tom. III. p. 425. habe & aliqua ejus nondum edita aſſerunt atque notant, qui Scripta ipſius ediderunt, & poſt illos Cave P. I. p. 297. P. II. p. 3. qui ſimul Opera ejus deperdita ordine repræſentat P. I. p. l. c. Conf. Labb. P. I. p. 68. ſeqq. Oudin. l. c. p. 144. Hendreich. l. c. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 95. ſeqq.

ANASTASIVS SINAITA.

Junior, Antiochenus Patriarcha, Sinaitæ ſenioris Succeſſor, à Judæis ſub Imperatore Phoca miſere peremptus, aut ann. 608. juxta *Martyrologium Romanum*, die 21. Decembris, aut anno ſequenti, uti quidam putant, inter quos referendi ſunt Collectores *Bibl. Magnæ Patrum*, qui T. VI. ejus *compendiariam fidei inſtitutionem* & nonnulla alia ſiſtunt, quæ extat *Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* T. IV. fol. 1097. itemque ſeorſim gr. & lat. edita per Theod. Bezam, apud Henricum Stephanum, 1570. 8v. ſub nomine *Athanaſii Alexandrini*, item Helmſtadii per Johannem Fuchtenium 1613. Quanquam non diffiteamur, hunc partum neque Seniori neque Juniori Sinaitæ ortum debere, ſed potius à S. Maximo eſſe profectum. Illi tamen *Verſionem Græcam Gregorii M. libri de cura Paſtorali* adſcripſit ipſe Gregorius, eundemque laudat, *Lib. X. Epiſt. 22.* quæ autem interiit. De eo Cave P. I. p. 308.

ANATOLIVS ALEXANDRINVS.

Vir ſuo tempore ultra vulgarem ſortem eruditus, teſte Euſebio, L. VII. c. 32. principem ſine controverſia inter omnes coævos locum obtinuit. Quodvis doctrinæ genus exacte calluit, atque ea de cauſa ab Alexandrinis rogitatus, ad exemplum Scholæ Platonicæ Scholam Ariſtotelicam ibidem inſtituit. Tandem in Syriam profectus, à Theotechno Cæſareenſis Præſul eſt deſignatus. A Laodicenſibus quoque in Euſebii locum Epiſcopus creatus Martyrem alii ex ipſo faciunt, quem & ipſi vindicent. Nec omittendum eſt, hunc Anatolium ab illo diverſum eſſe, qui Jamblici Præceptor extitit. Tempus omnino repugnat, nec noſtrum, ut Valeſius *in annot. ad Euſebium* p. 158. opinatus, confundere cum illo permittit. Floruit cæteroquin Anatolius circa Annum 270. Scripſit *Canones Paſchales*, quorum Fragmenta ſiſtit Euſebius l. VII. c. 32. Integrum vero opus cum Victorii *Canone Paſchali*, ex prava Ruffini, ut creditur, Interpretatione, prodiit Antverp. 1634. cura Ægidii Bucherii

 No-

Notatu dignum eſt, quod Clariſſimus Du Pinius *Bibl. Nouv.* P. I. p. 193. librum eundem pro ſpurio venditet, quem tamen Cave, Euſebii atque Bedæ teſtimoniis fretus, Anatolio noſtro reſtituit. Conf. ejus *Hiſt. Litt.* P. II. p 32. Extant quoque *excerpta Inſtitutionum Arithmeth. Libr. X.* inter *Θεολογούμενα Arithmetica*, ut nos monuit Valerius, in *Annot ad Euſebium* p. 160. qui alia ejus Scripta ob eloquentiam & multiplicem eruditionem commendanda, memorat, quæ tamen dubio procul interierunt. Conf. quæ obſervavit Hendreich in Pandectis Brandeburgicis.

ANATOLIVS CONSTANTINOPOLIT.

Dioſcuri Alexandrini apud Conſtantinop. Apocriſiarius, & deinde Epiſcopus ordinatus, Conſtantinopoli anno 450. Synodum convocavit, quâ Eutychis atque Neſtorii hæreſes rejiciens, atque Leonis ad Flavianum Epiſtolæ ſubſcribens, ejusdem ſibi favorem conciliavit. Cum autem in Chalcedonenſis Synodi, cui interfuit, Seſſione ultima, *ἴσα* cum Roma vetere *πρεσβεῖα*, Sedi ejus a Patribus decreta fuiſſent, Leonem hoſtem expertus eſt acerrimum. Obiit Anatolius anno 458, poſtquam ſcripſiſſet *Epiſtolam* anno 457. ad Leonem Imperatorem, de Concilio Chalcedonenſi & rebus à Timotheo Æluro Alexandriæ improbe geſtis. Quæ extat *Concil. T.* IV. p. 905. De eo Cave P. I. p. 252.

ANDREAS BARBATIVS.

Sive *Barbatius*, aliis *Andreas de Bartholomæo*, Siculus Mactanenſis, Joh. de Imola diſcipulus, anno 460. clarus, JCtus, *Monarcha legum* dictus, Bononiæ ſenex profiteri cœpit, nimio diſputandi ſtudio communes ubique & receptas opiniones convellere ſemper conatus, deliri Senis nomen ſibi attraxit, uti ex Forſtero refert Labb. T. I. *Diſſ. app.* p. 718. Scripſit *Lecturam in Clementinas*, Pariſiis, 1517. *Commentaria in III priores Libros Decretalium* Venet. 1511. *Conciliorum Volumina IV. Venetiis* 1516. *Additiones ad Baldum Vbaldum in Codicem Digeſtorum, Feuda, & Infortiatum*, Lugduni, 1545. De *Præſtantia Cardinalium Tractatum* ad Cardinalem Beſſarionem, In *Tractatu Tractatuum* T. XIII. part. 2. p. 63. Venet. 1584. excuſum. *Tractatum de Cardinalibus & Legatis a latere*, ibidem p 31. *De Teſtibus Tract.* ibidem. *Repetitiones varias*, Papiæ 1496. Lugd. 1553. Venet. 1587. Conf. de eo Henr. Warthon. in *App. Cav.* p. I. p. 98.

ANDREAS.

ANDREAS.

Cæſarienſis Epiſcopus natione Græcus, ſcripſit *Commentarios in Apocalypſin*, quos latinitate a Theodoro Peltano donatos, cum græco Textu vide ad finem *Comment. Chryſoſtomi* in Joh. edit. Morellianæ Tom. VIII. Alias verò editiones ſiſtit Hendreich in *Pandectis Brandeburgicis. Therapeuticam ſpiritualem*, è cujus Libro II. fragmenta exhibentur in *Eclogis aſceticis* Joh. Patriarchæ Antiocheni, fol. 38. p. 2. Conf. Neſſel. *Catal. Vindob.* P. I. Cod. 276 n. I. p. 381. & Cave P. II p. 89. De ætate Andreæ utplurimùm litigant autores, Bellarminus, Labbeus, Cave, eum ad annum 500. circiter collocant. Ante Aretam certe Cæſareenſem, qui ſuas ex eo in Apocalypſin Commentationes concinnavit, uno minimum alterove Seculo floruit. Errat igitur Sixtus Senenſis, qui eum circa annum 600. refert.

ANDREAS.

Ord. Præd. Frater, Carnenſis Archi-Epiſcopus, & Eccleſiæ Romanæ Presbyter Cardinalis, eximiâ eruditionis & pietatis laude anno 1480. conſpicuus, Eccleſiæ repurgationem quovis promovere modo allaboravit, eandemque ob cauſam Concilium Generale Baſileæ anno 1482. indixit. Vix tamen illum, quem intenderat, ſcopum, aſſequutus; quippe Sixti, ſceleratiſſimi Papæ, inſidiis, ſingula irrita facta, ipſe verò Andreas captus, carceri incluſus, tandemque ſuffocatus eſt. Ejus geſta narrat Hottingerus *in Hiſtoria Eccleſiaſtica* Sec. XV, 1654. 8v. *app. ad Sect. I.* a. p. 355. ad p. 605. qui ſcripta Andreæ, Petri Numagenii Scholiis illuſtrata, ibidem exhibet. Sunt autem *Epiſtola Encyclica*, quæ depravatum Eccleſiæ ſtatum deplorat, indictique Concilii rationes explicat. *Appellatio à Papali ſententia*, quæ in Sixtum IV. acrius invehitur. *Reſponſio ad Epiſtolam Henrici Inſtitutoris Dominicani, Appellationis ſuæ refutatoriam: Exhortatio de reformandis moribus & Eccleſia ad omnes Chriſtianos: Epiſtola ad Fridericum Imperatorem*, qua ejus auxilium implorat. *Oratio defenſoria ad Antonium Gratiam Dei*, Judicem Cæſareanum. *Epiſtola ad Caſparum, Epiſcopum Baſileenſem*, quâ illum enixe rogat, ut incœptis ſuis opituletur.

ANDREAS.

Ortu Damaſcenus, Monachus Hieroſolymitanus, Archidiaconus & Orphanotrophus Conſtantinopolitanus, demum Epiſcopi

piſcopus Cretenſis, circa ann. 635. & diu poſt de ſententia Cavei floruit. Hic illorum ſententiam, qui eum ad ann. 550. aut 570. collocant, rejicit, imò ipſum Oudinum, qui p. 190. Andream ad an. 730. retulit. Extant ejus *Homiliæ XVII.* varii argumenti: *Canones IX. Idiomela, in varios dies feſtos:* quæ ſingula in lucem protraxit, atque cum notis edidit Fr. Combefiſius, Pariſ. 1644. fol. *Homiliæ II. in nativitatem S. Deiparæ,* quorum poſteriorem Schottus ſub nomine Germani, Patriarchæ Conſtantinopolitani evulgavit, quamque Codices quidam Joh. Damasceno tribuunt. *In decollationem S. Joh. Baptiſtæ. Idiomelon in Feſtum annuntiationis.* Hæc quatuor opuſcula edidit idem Combefiſius gr. lat. *Auct. Nov. Paris* 1648. T. I. p. 1289. 1327. *Jambi Euchariſtia ad Agathonem Diaconum* gr. lat. ibidem T. II. p. 235. *Computus Paſchalis* a Petavio gr. lat. emiſſus, T. III. de *doctr. temp.* p. 393. de his tamen Andreæ Scriptis Cave fatetur P. I. Hiſt. Litter. p. 320. quod multa ſint ſuppoſitia, quæ novum ſcribendi genus redoleant. Cui aſſentitur Clar. du Pin *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 100. qui ſingula Andreæ Scripta enumerat.

ANDREAS GAMBARVS vid. GAMBARVS.

ANDREAS HORNE.

Anglus patria, juxta Baleum *Centur.* XII. c. 41. Gloceſtrenſis, JCtus inſignis, qui S. Scripturæ leges cum humanis conciliavit. Hunc Henr. Wharton inter Eccleſiæ Scriptores numerat, partim quod Scripturam, unicam Jurisprudentiæ normam, poſuerit, partim, quod illuſtre anglicanæ Eccleſiæ de libris Canonicis, teſtimonium, exhibuerit. Conf. ejus *append. ad Cav.* p. 15. Floruit anno 1320. obiit 1343. Scripſit anno 1324. *Speculum Juſtitiariorum,* quod gallicè prodiit, Londini 1642. 8. anglicè ibid. 1646. 8. *Chronicon Claudioceſtriæ,* Baleo l. c. memoratum, quod jam dudum deperiit.

ANDREAS.

Italus Lucenſis, Gundualdi, civis Lucenſis, ipſius Walafridi cognati & ſocii, filius, Palatioli in Tuscia Abbas III. circa anno 806. clarus, ſcripſit *Vitam Walfridi Palatioli, Abbatis I.* Hanc primus edidit Godefr. Henſchenius ad d. XV. Febr. & poſt illum Mabillonius *Sæc. Bened.* III. P. II. p. 196.

ANDREAS SILVIVS.

Monachus, poſt Coenobii Marchianenſis Ordinis Benedicti

in Territorio Duacenſi abbas, ſcripſit circa ann. 1200. *Hiſtoriam Merovingicæ Stirpis, Regum Francorum Synopſin*, hortatu Petri, Atrebatenſis Epiſcopi, quæ cum continuatione aliorum prodiit, Duaci 1633. T. II. 4t. *Lib. II. de Miraculis S. Rictrudis*, quos anonymos evulgarunt Bollandi Continuatores ad d. 12. Maji. Eidem adſcribit Oudinus l. c. p. 478. *Chronicon Marchianenſe*, MSt. Antwerpiæ, aſſervatum, eò, quod cum Andreæ temporibus plane conveniat.

ANDREAS NOVOCASTRENSIS.

Anglus, Ordinis Dominicani Monachus & Theologiæ Doctor, anno 1301. clarus, ſcripſit *Comment. in Librum I. Sententiarum*, Paris. 1514. fol. *Comment. in Boethii librum de Conſolatione Philoſophiæ*, ut refert ex Baleo *Centur.* X. P. 44. H. Wharton *in Append. Caveana* p. 4.

ANDREAS de PETRA.

Rhodius, ibidemque Epiſcopus, anno 1432. clarus, qui à Græcis ad Latinos defecit, atque Concilio Baſileenſi interfuit, atque in eodem de Vnione ineunda publicè dixit. Extat illa *Oratio* Concil. T. XII. p. 872. & apud Bzovium ad annum 1432. ſive 37. In Concilio Ferrarienſi adverſus Marcum Epheſium & Beſſarionem anno 1438. ſtrenuè diſputavit. *Hæ ejus aſſertiones adverſus Græcos propoſitæ* habentur apud eundem Bzovium, ad annum 1438. 8. Cæterùm *Operis ejus Antirrhetici in Marci Epheſii Epiſtolam* quandam, ad Georgium Presbyterum, in forma Dialogi concepti, in defenſionem rituum latinorum, meminit L. Allatius *Creigthon* p. 162. & *in Libr. de Eccl. Græc.* p. 196. *Apologia demonſtrativa ad Beſſarionem, Archi-Epiſcopum Nicenum, de divina Eſſentia & energia*, Manuſcr. in Bibl. Vaticana & Pariſina, teſte Caveo adſervatur. Conf. P. II. p. 303.

ANDREAS.

Presbyter Ratisponenſis, ſub Sigismundo Imperatore, anno 1439. clarus, ſcripſit *Chronicon de Principibus terræ Bavarorum*, quod cum notis ſuis & Paralipomenis Leonhardi Bauholtzii primus evulgavit Marqu. Freherus, Ambergæ, 1602. 4t. recuſum illud cura Joh. Henr. Bœcleri, ad calcem *Æneæ Sylvii, de rebus Freder. Imp. hiſtoria*, Argentorati, 1685. fol.

ANDREAS.

Samoſatenſium Epiſcopus, anno 431. clarus, anno 429. Cy-

rilli dogmata, juſſu Joh. Antiocheni, ſcripto, invitus licet, oppugnavit; Poſtea verò acriter adverſus illum diſputavit, ſemperque à Neſtorii parte ſtetit. Ipſius demum Joh. Antiocheni ſuaſu Cyrillo quidem reſtitutus, ejus tamen ſententiæ, quâ Deum paſſum eſſe adſtruebat, vix unquam ſubſcripſit. Extant ejus *Epiſtolæ VIII.* inter Lupi *Epheſinas*, numero 43. 59. 62. 90. 98, 101. 103 106. Fragmentum ſecundi, contra Cyrilli anathematiſmos, libri, exhibet Anaſtaſius, in ὁδηγῷ cap. 22. plura verò primi, apud *Cyrilli Apologeticum pro XII. anathemathiſmis adverſus Orientalium objectiones*, ſeu Andreæ librum, quem Synodus Orientalium ante annum 431. Antiochiæ approbaverat, Conf. Cav. P. I. p. 235. Du Pin *Bibl. Nouv.* P. IV, p. 119.

ANDRONICVS CONSTANTINOP.

Ex Imperatoria Comnemorum Familia oriundus, circa annum 1183. floruit. Admodùm erga fratrem Alexium, crudelis, quem non modo depoſuit, ſed & ſtrangulari juſſit, ipſe demum à furibundo populo confoſſus eſt & diſcerptus. Veniunt in Andronico conſideranda vitia, avaritia & crudelitas: Inter Virtutes ipſius commendanda, liberalitas, ſobrietas, & ingens in S. Scripturam amor. Viros eruditos magni faciebat, ipſe imbutus literis. Ejus *Dialogus contra Judæos* lat. ex Joh. Livineii verſione, extat in *Stevartii auctuario ad Caniſium*, Ingolſt. 1616. 4. à p. 263. ad p. 405. & *Bibl. Patr. Colon.* T. XIV. f. 35. Manuſcriptum verò gr. & lat. in Bibl Vindobonenſi & Ducis Bavariæ. Summam exhibet Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XI. p. 99. Non tamen hic Andronicus cum Palæologo Imperatore confundendus eſt, ut in Whartono, Miræo, atque Oudino notat Cave P. II. p. 231.

ANDRON. PALÆALOGVS COMNEMVS.

Michaelis Palæologi Imperatoris filius, Patre adhuc ſuperſtite coronatus, atque, eodem anno poſt denato, 1282. ſolus regnavit. Eccleſiæ Græcæ maximopere favit, ejusdemque dogmata ſtrenue defendit. Senio confectus, ab Andronico Nepote Solio expulſus, Cucullum induit, *Antoniique* nomen aſſumſit. Obiit biennio poſt anno 1332. Scripſit *Expoſitionem Metropoleωn Patriarchali Throno Conſtantinop. ſubjectarum, ſimul & Thronorum Epiſcopalium*, qui unicuique Metropoli ſubjecti ſunt. Hæc græc. & lat. ex editio-

ione Jac. Goar habetur in append. *ad G. Codini Curopalatæ librum de Officiis Conſtantinop.* Paris. 1648. p. 400. Manuſcr. in Bibl. Vindob. asſervatur, ut ſcribit Cave P. II. p. 254.

ANGELOMVS.

Luxovienſis in Burgundia Cœnobii Monachus, anno 856. floruit, Benedictinorum Cœtui addictus. Ejus opera Colon. 1530. 1535. 1535. 1618. & Romæ quoque 1561. & 1565. à Paulo Manutio excuſa habentur. Sunt autem *Commentaria in IV. Libros Regum*, ex Veterum Patrum monumentis, juſſu Dragonis Epiſcopi congeſti, & in *Canticum Canticorum*, juſſu Lotharii Imperatoris, quæ extant *Bibl. Magn. PP. Colon.* T. IX. P. I. f. 700. Conf. Trithem. Sixtus Senens. Cave, Hendreich. Labbeus, Poſſevinus, Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 176. ſeq.

ANGELVS.

Anachorita, ſive Eremita Vallis umbroſæ, ſcripſit *Orationem pro Concilio Lateranenſi contra Conventiculum Piſanum*, quæ prodiit Lipſiæ anno 1512. 4. Magnæ doctrinæ Virum eum vocat præfatio ad Matthæum Schurerium, Typographum, à neſcio quo, ſcripta.

ANGELVS CLAVASIVS.

A Clavaſio Patria, Liguriæ civitate, ita appellatus, Ordinis minorum ſodalis & familiæ obſervantium Vicarius generalis, anno 1495. ſecundum Waddingum *in Annal. & Bibl. Minor.* Obiit Cunii non ſine opinione Sanctitatis, uti loquitur Willotus *Athen. Franciſc.* p. 34. Claruit anno 1480. atque Theologus & JCtus inſignis extitit. Ejus eſt *Summa Caſuum Conſcientiæ, Additionibus ejusdem aucta*, fœtus, à Patris nomine, *Summa Angelica*, dictus, qui ſæpiſſime prelum fatigavit. Poſt vitioſas aliquot editiones, ipſo Clavaſio curante, prodiit, Venet. 1490. emendatior ibidem, 1569 1578. 1582. Argent. 1513. Norimberg. 1498. 1588. f. Tract. quoque *de Reſtitutionibus* & alium *Arca Fidei* inſcriptum, Compluti, 1562. 4. impreſſum; ei tribuit Labb. T. I. diſp. p. 78. Conf. H. Warthon in *Append. Cav.* p. 106.

ANGRADVS.

Fontanellenſis in Normannia Monachus, anno 699. clarus, Scripſit ad Hilbertum Abbatem ſuum, *Vitam S. Ansberti, Archi Epiſcop. Rhotomagenſis*, quæ extat apud Surium d. Febr. IX. De eo Voſſius de H. L. & ad hunc Sandius p. 241. *in notis*.

ANIA-

ANIANUS.

Vir ſub Athalarico, Gothorum Rege, circa annum 507. clarus, atque ejusdem juſſu *Codicis Theodoſiani Brevarium*, ſcripſit, uti narrat Sigebertus Gemblacenſis c. 70. Verùm aliud edocemur ex Clar. *Godofredi Annot. ad Cod. Theodoſ. cap.* V. Anianum, recognitorem tantummodo hujus Breviarii extitiſſe. Nec XV. *Chryſoſtomi Homilias* in lat. vertit, uti idem erravit Sigebertus, quippe quæ verſio ſequenti Aniano competit. De noſtro Cave P. I. p. 272.

ANIANUS.

Patriâ Campanus, Diaconus Celedenſis, Pelagii Amanuenſis, errores ejus vel mordicus defendit. Claruit anno 415. Scripſit *libros quosdam contra Hieronymi Epiſtolam ad Cteſiphontem*, ut ipſe Hieronymus, refutationem in animo habens, *Epiſt. ad Auguſt.* 24. teſtatur. Hujus Aniani verſio eſt *Homil. XV. Hieronymi*, ſicut Garnerius & cum eo Cave P. I. p. 216. partim ex Aniani dignitate, partim ex ejusdem ætate, firmiter deducunt. Conf. Du Pin T. IV. loco citato p. 57.

ANNA COMNEMA.

Alexii & Irenes filia, in Purpura nata, anno 1083. ut ipſa de ſe ſcribit, *Lib. II. & VI. Alexiados.* Imperatori, Conſtantino Ducæ in matrimonium promiſſa, quod tamen morte ejus præmatura, evanuit. Poſt Nicephoro Bryennio aſſociata eſt. Patre autem atque marito defunctis, ſtudiis litterariis vacavit; Græcæ linguæ & ſublimiorum diſciplinarum, Zonara teſte, lib. III. *Annal.* peritiſſima Imperatrix. Scripſit anno 1148. *Hiſtor. Libr. XV. de rebus ab Alexio Patre geſtis*, quos *Alexiada* inſcripſit, quibus inceptum Mariti ſui opus elegantiſſime complevit. Edidit primùm *Lib. VIII* priores ex Manuſcr Bibl. Auguſt Græcè, cum notis ſuis, David. Hœſchelius, Aug. Vindel. 1610. 4. *Omnes XV. verò* prodierunt græc. lat. cum Hœſchelii notis & Poſſini Gloſſario Paris. 1651. f. ex Typographia regia. In eosdem libros omnes ampliſſimæ notæ Caroli Du Fresnii ad *calcem Hiſtoriæ Cinnami*, ex eadem Typographia, Paris. 1670. fol. De hoc opere judicat Voſſius, quod multa de Parente aliter narret, quam Latini conſueverint. Verùm probabile eſt, Latinos ſuo erga Græcos odio indulſiſſe, Alexium Principem fraudulentum ac perfidum deſcribendo, aut filiam Comnemam, tenerrimo ſuo erga Parentem

rentem affectui aliquantulum obtemperaſſe. Conf. Hanckius de *Byzant. rerum Scriptor.* P. I. c. 29. a p. 507. ad p. 515. Cave P. I. p. 452. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 203. Cl. Buddeus *in Lexico* & alii.

ANNIBAL de ANNIBALDIS.

Ord. Fratr. Prædic. ex illuſtri familia Romana ortus, Theologiam Pariſiis per aliquot tempus profeſſus eſt. Poſt factus eſt Magiſter S. Palatii Romani, ſub Alexandro IV. & Vrbano IV. & demum 1266. Cardinalis tituli SS. XII. Apoſtolorum. Scripſit *Comment in IV. Libros Magiſtri Sententiarum*, qui inter Opera S. Thomæ ſub Thomæ nomine, impreſſus eſt. Obiit Annibal Orvieti anno 1272. ubi quieſcit cum Epitaphio in Eccleſia Fratr. Prædic. Conf. de eo Ambroſius de Altamura *in Bibliotheca Dominicana*, ad annum 1272. p. 27. & app. p. 437. & Oudin loco citato, p. 545. Du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. X. p. 81.

JOH. ANNIVS.

Viterbienſis Italus, Ord. Prædic. Theologiæ Profeſſor & S. Palatii Magiſter, Vir Lat. Græc. Hebr. Chald. & Arab. eruditus, atque totius Antiquitatis ſtudioſiſſimus. Claruit anno 1490. Obiit Romæ 1492. Simlerus eum Paulo de Campo Fulgoſo, Cardinali à conſuetis colloquiis fuiſſe, refert, & non pauca ejus Scripta enumerat, ex quibus huc ſpectant: *Comment. in omnem Hiſtoriam Sacram; In Geneſin ad Literam* Lib. I. *In Deuteronom.* Lib. I. *In Pſalterium Davidis* Lib. I. *In Prophetas Majores* Lib. IV. *In Minores* Lib. XII. *Super Epiſtolas Pauli* Lib. XIV. *In Apocalypſin* Lib. I. *In Lombardi Sententias: Emendationes Chronicorum: Liber de Divinis Litteris: Chronographia contra Euſebium* &c. & alia plura, de quibus Hendreich *Pand. Brandeb.* p. 199. Si Judicia de Annio varia cupis, Clar. Hanckius ſuppeditat. P. I. *de Scriptor. Romanarum Rerum.* cap. 49. p. 208. Adde, quæ de ejus in hiſtoriis maximè, fucis, fabulis, & inepriis prolixo autorum agmine ſtipatus, produxit Voſſius l. III. de *Hiſtoricis latinis* cap. 8. pag. 609. ſeq.

ANSCHARIUS.

Friſius, natus Vardenæ, anno 805. novi Corbejenſis Monaſterii in Saxonia alumnus. Anno 826. ad Danos & Suecos profectus, multos eorum ad fidem convertit, hinc Aquilonarium & *Danorum Apoſtolus vocatus*. Anno circiter 832. primus Hamburgi Archi-Epiſcopus a Drogone, Metenſi Antiſtite, ordinatus eſt. Deinde pallium

Roma impetravit atque Gregorii IV. in partibus Borealibus Legatus conſtitutus. A Barbaris Hamburgo fugatus, Bremenſi Eccleſiæ præficitur, & inter eandem & Hamburgenſem unione ſancita utrique præfuit. Obiit Bremæ anno 865. Extat ejus *Vita S Willibad, Bremenſis Epiſcopi*, Lib. II. impreſſa, Antwerpiæ, 1642. & habetur apud Mabillon. *Sec. Bened. III.* part. 2. p. 401. Citat Albertus Crantzius *Metropol.* l. I. c. 42. p. 75. *Pſalterium* ab Anſchario conſcriptum, clariſſimum omnino monumentum. *Epiſtolas* quoque ſcripſit, easque plurimas, quæ non extant. Conf. de Anſchario Cave P. I. p. 368. Suffridus Petri, Libr. *De Scriptor. Friſiæ.* Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p 197. Vitam Anſcharii collegit Claudius Arrhenius, Prof. Vpſalienſis, quam cum Hymnis & Collectis Veterum in Anſcharii memoriam, exhibuit, atque noviſſimæ Petri Lambecii, *Originum Hamburgenſium* editioni, 1706. f. præmiſit Joh. Albertus Fabricius.

ANSCHERVS.

Abbas S. Richarii ſeu Centulenſis in Pontivo, floruit anno 1108. & ſcripſit Libr. *III. de Miraculis S. Angelberti, Abbatis Centulani*, quorum primum evulgavit Bollandus ad d. 18. Febr. ſub nomine *Harnulphi*, Monachi & Abbatis Centulani. Omnes verò tres libros edidit atque genuino autori reſtituit Joh. Mabillon, *Sec. Ben.* IV. P. I. p. 130 Ejus pro Anſchero rationes videas ibidem p. 90. De eo Cave P. II. p. 221. Oudin p. 365. loco citato. Du Pin T. IX. *Biblioth. Nouv.* p. 196.

ANSEGISVS.

Luxovienſis, pòſt Fontanellenſis Abbas, claruit anno 827. Obiit anno 833. in Cœnobio Fontanellenſi, ubi ſepultus eſt. Sigebertus quidem ad annum 817. ſcribit, Anſegiſum Abbatem Laubienſem fuiſſe, quem Poſſevinus, Miræus, aliique amplexi ſunt, a Mabillonio Sec. IV. Ord. Bened. P. I. p. 630. ſeq. ob id notati. Collegit *Capitularia Caroli Magni de rebus præſertim Eccleſiaſticis*, in IV. libros digeſta, quæ edita ſunt Pariſiis, 1550. Baſileæ 1557. Paris. 1588. Mogunt. 1603. 8. Paris. 1623. 8. à Sirmondo Paris. 1640. & recentiſſimè, ut alias taceamus editiones, a Baluzio, cum notis, Paris. 1677. T. II fol. Circa quam Baluzii editionem monet Cave P. I. p. 367. quod cum prioribus editionibus vix conveniat, atque illis multo auctior prodierit. Conf. Sanmarth. *Gall. Chriſt.* T. I. f. 623. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 61.

qui

qui tamen poſterior noſtrum Anſegiſum cum recentiore Senonenſi Archi-Epiſcopo anno 871. clarente, & 883. defuncto, male confundit.

ANSELMVS.

Burgundus, Auguſtæ in Alpibus natus, Ordinis Benedicti, diſcipulus Lanfranci ejusq; ſucceſſor, anno 1093. ad Archi-Epiſcopatum Canturienſem pervenit. Liberrime docuit, ob id bis à Rege Angliâ ejectus. Londini tandem, multis in Italia, Gallia atque Britannia laboribus functus, anno 1109 ætatis 76. notatur mortuus. Vita ejus conſcripta ab *Edmero*, ejus diſcipulo, Libr. II. & extat apud Surium die 21. Aprilis. Cum moreretur, modicum temporis adhuc optavit, ut quæſtionem obſcuriſſimam, de origine animæ, quam cœperat, abſolveret. Prodierunt *Anſelmi Opera*, Norimbergæ, 1491. fol. per Caſparum Hochfederum. Paris. 1549. Colon. 1573. Tom. III. fol. cum notis Joh. Piccardi, Colon. 1612. T. IV. Lugduni 1630. T. III. & recentiſſime ex edit. Gabr. Gerberonis Paris. 1675. Anſelmi quoque *Epiſtolas* aliquot exhibet Jacobus Vſſerius, *Veterum Epiſtolarum Sylloge* ann. 1632. Dublinii edita Baluz *Miſcell.* Tom. IV p. 471. Dacher. *Spicil.* T. IX. *Elucidarium* ejus edidit Bartholomæus Honorius, Leodienſis, 1586. *Hymnum de Vita J. C.* latine & Germanice. *Andreas Rivinus*, Lipſiæ 1635. 12. Reliqua ordine repræſentare, libelli anguſtia prohibet. Commendamus proinde Joſ. Arndii *Lex. antiq.* f. 1060. Labbeum *Diſſ.* Tom. I. p. 84. ſeq. Cave *Hiſt. Lit.* P. I. p. 439 qui de ſuppoſititiis pariter ſcriptis exacte judicat. Conf. præter eos Poſſevinum, Bellarminum. Arnoldum *Hæres* T. I. L. XI. c. 3. §. 2. 3. p. 332. Cl. Buddeum, Du Pinium, Hendreichium & alios.

ANSELMVS.

Abbas Gemblacenſis in Brabantia ab anno 1112. ad 1137. vel ſequentem, quo mortuus. Continuavit *Chronicon Sigeberti*, cui ſucceſſit, uſque ad annum 1137. quod cum aliis continuationibus edidit Aub. Miræus, Antwerpiæ, 1608. 8. De eo Aub. Miræus c. 346. p. 244. *De Script. Eccleſ.* Natalis Alex. *H. E. Sec. XII.* part. I. c. 6. *art.* 3. p. 462. Lucas Dacherius, *in Libro de geſtis Abbatum Gemblacenſium*, *Spicilegii* Tom. VI inſerto, p. 539. Oudinus loco citato p. 399. Swertius *in Athen. Belg.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* Du Pin Tom. IX. I. c. p. 189. *Bibl. Nouvelle.*

ANSELMVS.

Havelbergenſis, in Marchionatu Brandeburgico, Epiſcopus, anno 1149. clarus; Scripſit doctum Opus contra Græcos *Dialogis III.* comprehenſum, quod primus è Manuſcripto edidit Lucas Dacherius Tom XIII. *Spicileg.* De eo citatus, Dacherius in *Præliminaribus*, loco citato. Hotting. *Hiſt Eccleſ.* Lib. III. c. 66. Poſſev. in *Appar. S.* Cl. Du Pin Summam ſiſtit hujus opuſculi, *Bibl. Nouv.* T. IX p. 182. quem conſulas.

ANSELMVS.

Laudunenſis Eccleſiæ Scholaſticus & Decanus, quem ad annum 1101. perveniſſe probabiliter aſſerit Labbeus, T. I p. 88. ad annum verò 1110 protrahit Trithemius. Plures habuit diſcipulos, quos inter Abelardus, qui tamen famam Anshelmi imminuit, *Hiſtor. Calamitatum ſuarum* c. 3. p. 7. Ejus eſt *Gloſſa interlinearis V. & N. T.* congruis Patrum ſententiis illuſtrans, quæ extat cum Ordinaria Walafridi Strabi, Monachi Fuldenſis, & Nicolai de Lyra &c. Lugduni 1528 & in Opere *Bibl. Gloſſatorum* ſplendido, per Leandrum Benedictinum edito, Antwerpiæ 1634. Reliquá ejus opera inter Anſelmi Cantuarienſis Scripta ſub ejus nomine habentur in editione Colonienſi 1612. & ſunt: *Commentaria in Matthæum, in Evangelia, in Epiſtolas Pauli, Apocalypſin, Canticum Canticorum*, quæ Anſelmo noſtro, non Guilielmo Pariſienſi, aut alii, Manuſcr. Codices adjudicant. Conf. cum Anſelmo memorato, illum, quem Sanmarth. fol. 625. T. II. ſiſtunt, qui fuerit Decanus & Archidiaconus Laudunenſis Guiberto Abbate, *proœmio ad moralitates Geneſ.* & Ruperto Tuitienſi, *Libro de Omnipotentia Dei*, laudatus, annoque 1117. denatus. Conf. Hendreich in *Pandectis Brandeburgicis*. Du Pin loco citato T. IX. p. 179. Moreri, Buddeus & Bayle *Diction. hiſtor. & critiqu.* Blount *Cenſ. Celebr. aut.* p. 369. ſeq. juxta cum aliis.

ANSELMVS.

Leodienſis Canonicus, S. Lamberti ejusdem urbis Scholaſticus, poſt Namurcenſis Decanus, ſcripſit ad inſtantiam Idæ, S. Cæciliani Coloniæ Abbatiſſæ, *Hiſtoriam Epiſcoporum Leodienſium*, ab anno 666. ad 1048 Exhibet eam Joh. Chapeaville T. I. *Geſt. Pontif. Tungr Traj. & Leod.* fol. 99. ſeq. Leodii 1612. 4. De eo Sigebertus de *Illuſtr. Script.* c. 164. Poſſevinus in *Append. S.* Aub Miræus de *Script. Eccleſ.* Cave P. I. p. 423. Oudin, l. c. p. 329.

AN-

ANSELMVS.

Lucenſis Eccleſiæ in Tuſcia Epiſcopus, patria Mantuanus, Sec. XI. floruit & anno 1086. Obiit. Scripſit contra Guibertum Antipapam pro defenſione Gregorii VII. P. R. Lib. II. qui extant apud Henr. Caniſium *antiq. lect.* T. VI. p. 102. & T. XI *Bibl magn. Colon.* f. 579. *Ejus Canonum collectionem antiquam* ab Antonio Auguſtino editam, memorat Andr. Schottus, *Bibl Hiſpan.* p. 313. & hunc *Anſelmum*, compilatorem juris, Pontificii quartum, ibidem appellat. Hoc autem Opus Hildeberto, Cenomanenſi Epiſcopo, Baluzius & cum eo Oudinus p. 346. adſcribunt, quippe cum ejus temporibus optime conveniat. Extat apud citatum *Caniſium T. VI.* p. 235. & alibi. Alia quæ ſcripſit, hodie non extant, Vide Trithemium, Cavium & alios. Baronius tamen in *Annalibus* plures ejus Epiſtolas exhibet.

ANSELMVS.

Minorita, Quis ille? conjicit Voſſius l. III *Hiſt. lat.* f. 648. Polonum & fortaſſe Cracovienſem fuiſſe. Ætatem ipſe arguit libello *deſcripta Terræ S.* Cracoviæ, 1514. 4t. impreſſo, quod circa eadem tempora floruerit. Illum exhibet Henricus Caniſius, *Tom, VI. antiq. lect.* f. 1281. Inter alia ridicula hic Anſelmus recenſet, Templum S. Mariæ de Spaſmo, eo loco ædificatum olim, ubi B. Virgo, Filium ligno crucis oneratum videns, cadens in terram, uti loquitur, ſpaſmavit. Recte ait, Caniſius loco citato, p. 1288. quod parum cum Religionis Chriſtianæ gravitate hoc relatum conſentiat. Hinc Franciſcus Suarez non tantum, ſed & Thomas de Vio Cajetano illud impugnavit, vide Dorſch. T. I. *Theol. Zach.* p. 23. ſeq.

ANSO.

Belga, Laubienſis in Belgio Abbas, anno 776. Theodulfo ſuccedens, obiit anno 800. Scripſit adhuc Monachus, *Vitam Vrſmari, Epiſcopi & Abbatis Laubienſis*, quam habet Mabillon. *Sec. Bened.* III. P. I. p. 246. *Vitam Erminonis, Epiſcopi & Abbatis Laubienſis*, apud Mabillon. p. 564. Conf. Cave, P. II. p. 148. qui & alia ſubjicit. Sweertius in *Athen. Belg.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* Voſſius de *Hiſt. Lat.* & alii.

ANTENOR.

Epiſcopus, circa annum forſan 720. clarus, qui ſcripſit *Vitam S. Silvini, apud Morinos in Gallia Epiſcopi*, Hæc ab anonymo interpola-

polata extat apud *Catellum, in Hiſtoria Epiſcoporum Toloſanum* Bolland. XVII Febr. T. III. p. 24. & 257. Mabillon. *Sec. Bened.* II., P. I. p. 295. De eo Cave P. II. p. 146. *Hiſt. Litter.*

ANTHEON.

Arſinoës Epiſcopus, anno 484. clarus, eodem tempore *Epiſtolam ad Petrum Fullonem*, de Clauſula Triſagio addita, eaque hæretica, ſcripſit, quæ extat *Concil.* T. IV p. 1112. Cave P. I. p. 261.

ANTHIMVS.

Trapezuntii Epiſcopus, deinde Patriarcha Conſtantinop. circa annum 535. clarus, Eutychianorum hæreſi addictus fuit. Quam ob cauſam throno ejectus, atque in Conſtantinop. Synodo damnatus eſt. Scripſit *Sermonem Proſphoneticum* ad *Juſtinianum Imperatorem*, cujus fragmenta exhibet *Concil. Tom. VI.* p. 831. 906. 907. *Epiſtolarum ejus ad Theodoſium Alexandrinum* meminit Evagrius, l. 4. c. 11. Cave P. I. p. 187.

ANTIOCHVS.

Monachus Palæſtinus in Laurâ S. Sabbæ Abbatis, de quo multa Baronius T. VIII. *Annal.* Vixit ſub Heraclio, Sec. VII. circa annum 614. & ſuperfuit anno 629. Ejus extat *Pandectes Divinæ Scripturæ* in 130. homilias diſtinctus, *unacum Exomologeſi*, T. II. *Bibl. Paris.* edit. 2. f. 531. ex Verſione Godefridi Tilmanni, quam Fronto Ducæus primus græc. lat. edidit & Tom. VII. *Colon.* f. 638. Liber ejusdem *de vitioſis cogitationibus ad Euſtathicum*, *Petro Pantino* interprete, *in Bibl Patr. Colon. 1618.* & alibi. His adjungit Cave P. II. p. 129. *Vitam* S. *Euphroſyni*, quæ in Bibliothecæ Vindobonenſis membrana extat. Agunt de illa Neſſelius & Lambecius locis à Caveo citatis. Eſt autem inſignis hallucinatio non tantum *Miræi*, quem Labbeus T. I. p. 90. nominat & arguit, ſed & ipſius Bellarmini, ſcribentium, Antiochum hunc 129. homiliis calamitatem Hieroſolymitanam, raptamque S. Crucem ſub Cosroa a Perſis deploraſſe, cum in una tantùm vel altera illius cladis aperte mentionem fecerit, puta *præfationem* & *homiliam 107.* atque in *Exomologeſi.* Conf. Hendreich. l. c Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 13.

ANTIOCHVS.

Syrus, Ptolemaidis in Phœnicia Epiſcopus, anno 401. clarus, eloquentia, quâ pollebat, totius plebis Conſtantinop. ad quam

ſæpis-

ſæpiſſimè dixerat, favorem promeruit. Teſtatur de eo Palladius *Dialog.* p. 49. quod Chryſoſtomi inimicus, isque acerrimus extiterit. Obiit anno 408. Scripſit *Sermones plurimos, inter quos unus adverſus avaritiam & in Curationem Cœci a Salvatore illuminati*, qui tamen omnes periere. *Sententiolam* ex eo profert Theodoritus, *Dialog. II.* Fragmentum verò ejusdem longum, *de Chriſto lancea transfoſſo*, Autor *Catenæ in Joh.* p. 443. aliud *Acta Concil. Epheſ.* P. I. c. 4. Vide Cave P. I. p. 203. Du Pin T. III. *Bibl. Nouv.* p. 75. ſeq.

ANTIPATER.

Boſtrenſis in Arabia Epiſcopus anno 460. clarus. Scripſit *Refutationem Apologiæ Euſebii Cæſarienſis pro Origene*, cujus fragmenta proferunt *Concilii Nic. II. Patres act.* 5. *Concil.* Tom. VII p. 368. *Sermon. in S. Job, nativitatem, Zachariæ ſilentium, & Salutationem B. Virginis*, quos Manuſcr. poſſidet teſte Caveo P. II. p. 87. Galeus. Plura meminit Hendreich. loco citato. Du Pin T. IV. *Bibl. Nouv.* p. 234.

ANTONIVS.

Abbas Ægyptius, Magnus, & Monachorum Pater dictus. Ejus Vitam libro ſingulari deſcripſit D. Athanaſius, quem græce ad id tempus nunquam editum, David Hœſchelius, de re litteraria meritiſſimus, primus vulgavit, vide a Meurſio editam, *Hiſtor. Laus. Palladii* p. 175. Hic enim iſtum de Vita Antonii librum laudat, cum aliis, Nicephoro, Socrate, Hieronymo ibi allegatis. Adde Epicriſin Barthii *animadv. ad Hermæ Paſtorem* p. 856. ſcilicet B. Athanaſium ſcripſiſſe illam, non ut putaretur ſic eum virum vivere potuiſſe, ſed ut monaſticæ vitæ leges ſtatueret. Natus autem Antonius in Coma, qui vicus eſt juxta Heracleam minorem, anno 252. Primus eremi incola, duriſſimo cibo contentus, Deum impensè coluit. Ab omnibus Sectis & hæreſibus abhorruit, atque conſtanter in fide perſeveravit. A Dæmonibus exagitatus atque vexatus, precibus eosdem convicit. Sine hominum Magiſterio hunc Eremitam a Deo fuiſſe edoctum, ex Auguſtino enarrat Antonius Guevarra, *Exegeſi in Habacuc. præfat.* Alii, Philoſophiæ & Theologiæ ignarum, eum pronunciarunt; quod negare tamen audet Symphorianus *Epiſt. Proœm. ad ejus Epiſtolas*, ubi & ad adducta ab iis Auguſtini teſtimonia reſpondet. Circa tempora Conſtantini M. Antonius noſter floruiſſe & 105. annos vixiſſe, imò eum anno 356. obiiſſe, teſtis Hieronymus cum aliis

aliis multis. In Thebaide verò expiraſſe illum anno 360 ætatis 105 ait Symphorianus Champerius, loco citato, addens; corpus Juſtiniano Principi repertum, Alexandriam primò, mox verò in Galliam tranſportatum, ejusque Natalem XVI. Kal. Febr. celebrari. Scripſit *Epiſtolas VII. ad fratres*, quæ ex Ægyptiaco in Græcum ſermonem tranſlatæ a Valerio Sarraſio & cum aliis edit. Colon. 1536. Ante hanc editionem vulgatæ ſunt à Symphoriano Champerio, Paris. 1515. Extant quoque T. II *Bibl. Paris. edit. 2.* f. 106. & *Orthodoxogr. Patr. ïät.* f. 25. ex iis *ea, quæ eſt ad Arſenoitas* maxime probatur Hieronymo, *Catal. Illuſtr. Script.* & eſt in ordine *Secunda. Regulam Monachis præſcriptam*, de cujus authentia non immerito diſceptatur. Extat illa in *Collectione Regularum Benedicti a Holſtenio* edit. Paris. 1663. 4. P. I. p. 3. Reliqua Antonii Opuſcula prodierunt cura Abrahami Rochellenſis, Paris. 1646. 8v. quæ maximam partem recenſuit Cave, P. I. *Hiſt. Litt.* p. 107. quem evolve & Hendreich. *Pand. Brand.* Du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. II. p. 66.

ANTONIVS ANDREAS.

Arragonius, Franciſcanus, propter mellitam in dicendo facultatem, calamique ſuavitatem, *Doctor dulciſluus* agnominatus, Joh. Duns Scoti diſcipulus, anno 1320. floruiſſe dicitur Willoto. *Athen. Franc.* p. 36. H Warthono autem anno 1308. qui illum circa annum 1320, obiiſſe, ſcribit. Conf. ejus *Appendicem Cav.* p. 9. Præter Philoſophica, quæ idem Wharton loco citato ſiſtit, ſcripſit *in IV. Libros Sentent. Commentarium*, qui opera Cardinalis Sarnani, Venetiis 1578. 1584. prodiit. Conf. Labb. T. I. p. 92. Du Pin Tom. XI. p. 62. *Bibl. Nouv.*

ANTONIVS de BALACHO.

Aliis de Vercellis, Italus, a patria Balacho, in Diœceſi Vercellenſi ſito, dictus; Ordinis Franciſci Monachus, anno 1480. clarus, Orator in tota Italia celebratiſſimus. Scripſit *Quadrageſimale de XII. excellentiis Chriſtianæ Fidei*, Venet. 1492. Lugd. 1504. excuſum. *Tract. de Virtutibus*, Hagenoæ, 1513. 4. *Quadrageſimale alterum de æternis fructibus SS.* in XVIII. *Tractatus diſtributum*, quorum titulos exhibet Waddingus, qui totum Opus Manuſcr. poſſedit, *de Script. Ord. Minor.* p. 29. Conf. H. Wharton *in Appendice Cav.* p. 107. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XII. p. 111.

AN-

ANTONIVS BONFINIVS, vide BONFINIVS.

ANTONIVS BONITUS, vide BONITVS.

ANTONIVS de BVRGOS.

Hiſpanus Salmanticenſis, J. V. D. Bononienſis, & S. Clementis Hiſpanorum Collegii, ab Ægidio Cardinali Albornozio extructi, ſodalis. Claruit anno 1507. Ob inſignem doctrinæ & pietatis famam, utriusque Signaturæ Referendarius à Leone X. conſtitutus, poſt plurima eidem præſtita officia, Romæ 1525. obiit. Scripſit *Comment. ſuper utili & quotidiano titulo, de emptione & venditione in Decretalibus*, Ticini, 1511. Parmæ, 1574. Venet. 1575. 8v. Lugd. 1575. fol. *Comment. in alios Decretalium Titulos binos*, de *Conſtitutionibus & Reſcriptis*, cum priori excuſos. Et *Varias Repetitiones in Jure Civili*, Venet. 1587. editas. De eo Henr. Wharton l. c. p. 135.

ANTONIVS de BVTRIO.

Italus Bononienſis, J. V. D. ibidemque & Ferrariæ Profeſſor, Joh. de Immola & Geminiani Præceptor, anno 1398. clarus, Bononiæ 1408. juxta Fœrſterum, obiit. Scripſit *Comment. in V. Libros Decretalium*, Venet. 1578. T. VI. *Comment. in VI. Decret. Librum*, Venet. 1575. *Reſponſa Juris*, Venet. 1582. *Tract. de Jure Patronatûs*, Francof. 1581. *Speculum de Confeſſione*, Lovanii, fol. *Reportatoria II Juris Canonici & Civilis*, & quæ ſunt alia, quæ huc non faciunt. Conf. idem Wharton p. 48.

ANTONIVS CONSTANTIENSIS.

Epiſcopus, de quo nihil habemus aut reperimus, niſi *Epiſtolam Conſolatoriam*, cuidam Arcadio, à Genſerico, Gothorum Rege in exilium acto, ſcriptam, quæ extat *Bibl. Patr. edit. 2.* Tom. III. f. 575. & *Bibl. Magn. Colon.* T. V. & apud Baronium ad annum 437. ad quem ipſum, ſub *Honorati* nomine, collocat Gennadius, *de Script.* cap. 95.

ANTONIVS FLORENTINVS.

Italus, ob parvam ſtaturam, *Antoninus* vocatus, Nicolai & Thomaſiæ filius, anno 1389. natus, Ordinis Præd. ſodalis, *Laurentio Ripafracta* Præceptore uſus, poſt alias functiones, anno 1446. Archi-Epiſcopatum Neapolitanum obtinuit. Obiit 1459. ætatis 70. Sanctitatis laude fuit conſpicuus, ob id in vita & morte magni

 factus.

factus. Legat hujus rei cupidus H. Wharton. *loco citato* p. 87. qui prolixè de hac materia diſſerit. Superſtitioſiſſimus omnium, qui in iſta Secta unquam fuerunt, Monachus, Berneggero audit, *Idol. Lauret.* p. 117. Sed & Scriptor diligentiſſimus, parvo licet judicio præditus. Eminet inter ejus Scripta, *Chronicon Tripartitum*, laborioſum Opus, ab Adamo ad ſua uſque tempora, quod Venet. 1481. Norimb. 1484. Baſil. 1491. & cum notis P. Maturi Lugd. 1586. T. III. fol. prodiit. *Summa Theologica* in IV. Partes diviſa, Memmingæ, 1483. Argent. 1496. IV. Vol. f. Venet. 1591. *Summa Confeſſionalis*, Argent. 1492. 1499. 4. Paris. 1516. 8. Lugd. 1564. 8. Venet 1572. 16. *Annotationes de Conſtantini Magni donatione*, quæ inter alios Tract. Colon. 1535. excuſos, habentur. *Trialogus de Diſcipulis Emaunticis*, cum autoris vita. *De Virtutibus Liber*, Norimb. 1472. *Tract. de Excommunicatione, de Interdicto Eccleſiaſtico, de Irregularitate, de Suſpenſione & de Vſuris*, extant in *Tract. Juris*, Venet. 1584. edit. De Manuſcriptis & ineditis Antonii Operibus, videatur Altumura *Bibl. Præd* p. 183. & Michael Pocciancius, *Catal. Script. Florent.* p. 13. Taxatur in hoc autore, quod aniles ac putidiſſimas fabulas corradere undiquaque conſueverit.

ANTONIVS du FOVR.

Dominicanus Aurelianenſis, D. Theol. Pariſienſis, Ludovico XII. Regi Galliarum à Confeſſionibus & Concionibus ſacris, Epiſcopus anno 1507. Maſſilienſis. Obiit anno 1509. Vernacula lingua ſcripſit in *VII. Pſalmos pœnitentiales paraphraſin. Dietam quoque ſalutis*, & juſſu Annæ Franciæ Reginæ, *S. Biblia Gallico ſermone tranſtulit.* Præterea quoque duo *Volumina Sermonum* ſcripſit. Vid. Sanmarth. Tom. III. *Gall. Chriſt* f. 665.

ANTONIVS GHISLANDVS.

Italus, Saveno, Lombardiæ oppido, oriundus, Ord. Præd. Monachus, & per Provinciam Taurinenſem hæreticæ pravitatis inquiſitor, anno 1489. clarus; Scripſit *Reſolutionem dubiorum Evangelicorum* Tom. II, quorum prior ſeorſim editus, Lugd. 1510. 8. Vterque ibidem 1542. 8. Venet. 1574. 4to. Taurini 1507. fol. In hoc Opere Evangelia quadruplici ſenſu explicat, & decem millia quæſtionum ſolvit. Ab hoc haud diverſum judicat Cave *Hiſt. Litt.* P. II. p. 317. *Opus aureum ſuper Evangelia totius anni*, ſecundum uſum Romanæ Curiæ & Ord. Fratr. Præd. impreſſum, Venet. 1598. 1606. 4.

Inter

Inter alia Antoni Operi præfixa elogia, ita de eo Johan. Thomas Sertorius :

Scripta quis hæc cudit? Ghislandus quæſtor eorum,
qui penitus mali numina ficta colunt.

ANTONIVS MARGARITA, vid. MARGARITA.

ANTONIVS MELISSA.

Ab opere, quod contexuit, nomen accepit, ut nos docent Bellarminus, Labbeus, Cave, aliique, Monachus Græcus fuit, qui Sec. XII. circa annum 1140. floruit, non verò Sec. VIII, ut contra Labbeum demonſtrat Oudinus p. 409. Scripſit Libros II. *De Virtutibus & Vitiis*, ex Patribus decerptos, qui impreſſi ſunt Pariſiis, 1575. 1589. & *Bibl. Patr. T. V. edit. Paris. p. 878.* Græc. Lat. Tiguri, 1546. fol. à Gesnero editi & ad *Calcem Stobæi*, Genevæ, 1609. fol. Conf. Hendr. *Pand. Brandeb.* ubi plura extant de Antonio documenta, & Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 201.

ANTONIVS MONACHVS.

S. Symeonis Stylitæ, ſenioris, diſcipulus, anno 460. clarus, *Vitam S. Symeonis Stylitæ* ſcripſit, quæ lat. extat *in Vitis Patrum* Libr. I. Manuſcriptam aſſervabat olim Leo Allatius, ut videre eſt ex *Diatriba de Scriptor. Symeon.* p. 8, 101. Voſſium notat Cave P. II. p. 87. quod Antonium noſtrum *Hiſtoricis latinis* perperam accenſuerit. Vid. Voſſium Lib. II. c. 17. p. 231. De Antonio agit Aub. Miræus, *in Auct. de Script. Eccleſ.* c. 94.

ÆLIVS ANTONIVS NEBRISSENSIS.

Lingua ſua *de Lebrixa* dictus, Hiſpanus, in cognomine oppido, anno 1444. in æſtuariis Boetis fluvii ſito natus, parentibus Joh. Martinez de Cala, & Catharina de Xarana. Litterarum elementis feliciter hauſtis, *Salmanticam*, & omnes ferè in Italia Academias, frequentavit, atque cuivis ſtudiorum generi ſedulò incubuit. Italiæ humaniores litteras primus reſtituit, atque per aliquot annos Hiſpali docuit. Salmanticæ quoque profeſſus eſt, indefeſſoq; ſtudio Scholaſticorum barbariei obſtitit, quos idcirco hoſtes expertus. Claruit 1488. Compluti etiam docuit, ubi anno 1522. ætat. 77. Apoplexiâ obiit. Epitaphia, ipſi erecta, refert Labbeus, in *Theſauro* pag. 231. Erat Cardinali Ximenio admodum carus, cui trilinguem Biblio-

bliorum editionem molienti, pro virili adſtitit. Hiſtoricus Regius & Rhetor Complutenſis, audit Joh. Marianæ, *Rerum Hiſpanicarum Lib.* 26. c. 5. f. 455. *Vir*, ut illum Alphonſus Matamorus vocat, *multæ & variæ lectionis*, *magnus Hiſpaniæ Ariſtarchus*, *præclarus Orator*, *Cœleſtis ingenii & eminentis doctrinæ*, *Romanæ Togæ gloria*. Scripſit quamplurima, quæ illâ, quâ fieri brevitate poterit, annotabimus. *Paraphraſin in Sedulii Poëma de miraculis Chriſti*, Compluti 1524. 4. *Annotationes in Hymnos & Pſychomachiam Prudentii*, Lucronii, 1512. 4. Antwerpiæ 1540. 8 Hanov. 1613. 8. *Quinquagena SS. locorum*, Baſil 1543. 8. Paris. 1520. 4to. Antwerpiæ, 1600. 8v. & alibi. *Duas alias Quinquagenas* ſcripſit, quæ extortæ, ab Inquiſitore judicatæ ſunt. *Scholia in Segmenta ex Epiſtolis Pauli, Petri & Johannis, &c.* Granatæ 1545. *Annotationes in Orationes anniverſarias.* 1549. & alibi. *Expoſitio in Hymnos Eccl.* Granatæ 1541. 4. cum duobus præcedentibus prodiit. *Homiliæ diverſorum autorum in Evangelia*, Granatæ, 1549. *Acta SS.* Lucronii, 1527. *Homil. III. de Vinea ſpirituali mentis noſtræ & ſapientiæ*, inter *Orthodoxogr.* p. 1934. *Regis Ferdinandi & Iſabellæ Hiſtoria*, quam alii Ferdinando Pulgari adſcribunt. Hujus fragmenta ſaltem prodierunt, Granatæ, 1545. fol. Francofurti, 1579. fol. & *Hiſpan. Illuſtr.* Tom I. p. 786. De *Bello Navarrenſi*, cum priori excuſum. *Lexicon Juris Civilis*, Antwerpiæ, 1527. 8v. Lugd. 1537. Paris. 1594. Venet. 1606. 8v. *Lexicon Medicum*, Compluti, 1518. *Dictionarium quadruplex*, Compluti, 1532. fol. Antwerpiæ, 1572. Granatæ, 1554. 1585. Antiquariæ, 1600. Hiſpali, 1612. Lugd. 1655. *Introductio in latinam Grammaticam*, Libr. V. Barcinone, 1523 f. Compluti 1524. Lugd. 1541. Antiquariæ, 1601. 8v. *Prælectio de vi litterarum*, Salmanticæ 1507. *De Accentu latino*, Hiſpali, 1513. 4. *Vocabularium parvum*, Barcinone, 1523. fol. *Repet. III. de Menſuris, Ponderibus & Numeris*, Compluti, 1529. *De digitorum ſupputatione*, Granatæ, 1535. *Introductio in Coſmographiam*, Paris.-- 4to. *Collationes Antiquitatum*, Hiſpali, -- *Ecphraſes in Virgilii Opera*, Granatæ. 1546. 4to. *Annotationes in Perſii Satyras.* Lucronii 1529. 8. *Poemata varia*, quæ recenſuit cum aliis ejus Scriptis. H Wharton. in *Cav. Hiſtor. Litt. app.* p. 117. ſeq Junctim *illa Poemata* prodierunt, Granatæ, 1534. 4 cum notis, Antiquariæ, 1577. Plura ejus opera partim edita, partim Manuſcr. memorat, Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſpan.* T. I. p 107. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XII. p. 116.

ANTONIVS de PADVA.

Venetorum urbe celeberrima, quâ ad plures anno 1231. tran-

tranſiit, cognomen ſortitus, aliàs Olyſſipone in Luſitania natus, Ordinis minorum primus Theologiæ Profeſſor, perhibetur. Ejus laudes Pontificii cumulant, quibus in pretio eſt. Vid. Wadding. Willot. & alii. Tempore Friderici II. & Gregorii IX. P. R. floruit, qui eum ob inſignem promptitudinem in citandis, & memoriam incredibilem in recitandis quibusvis Scripturæ dictis, *Arcam Teſtamenti* nominare ſolebat. Opera, quæ ſcripſit, omnia ſtudio Joh. de là Haye prodierunt, Pariſiis 1641. fol. & ſunt *Sermones Dominicales, Adventus, Quadrageſ.* &c. *Sermones de SS.* Paris. 1521. Venet. 1575. ſeorſim excuſi ſunt. *Expoſitio Myſter. in Sacramentis, Concordantiarum Moralium in SS. Libr. V.* *Sermones alios* edidit Antonius Pagi, Avenione 1684. 8. quos tamen indignos, qui ederentur, cenſuit Oudin. *Suppl.* p 489. Conf. & Cave P. I p. 492. Hendreich loco citato. Du Pin Tom. X. loco citato p. 64. Epitaphium exhibet Labbeus *in Theſ.* p. 157.

ANTONIVS PVCCIVS, vide PVCCIVS.

ANTONIVS RAMPELOGVS.

Sive *de Rampigollis*, Italus Genuenſis, Ord Eremit. S. Auguſt. & D. Theologus, contra Huſſitas in Concilio Conſtantienſi diſputavit, quo tempore ſcilicet 1418. maxime inclaruit. Scripſit *Bibliæ figuras*, quod Opus Sixtus Senenſis *Bibl. S.* lib. IV. p. 198. rude vocavit. Graviorem in illud cenſuram *ſtrinxit* Poſſevinus, *App. S.* Tom. I. p 104. ut teſtatur Cave P. II. p 301. Prohibetur in *Indice expurgatorio* a Clement. VIII. eò, quod erroribus, ex Oudini ſententia, p. 694. refertum, atque abſurdis ſententiis. Impreſſum Pariſiis 1506. 8. 1511. 4. Colon. 1505. 1617. 12. Argentorati 1516. Lugduni 1558. 1570. & alibi. *Dictionarium pauperum & Speculum Salvationis humanæ.* Paris. 1497. 8. *Aureum Bibl. Repertorium, ſeu Loci communes Theologici*, juxta alphabeticum ordinem congeſti in 4to -- impreſſum, cum quo illud, quod ſub Antonii Amphilogii nomine, Colon. 1628. 8. excuſum eſt, atque *Biblia Aurea* inſcribitur, unum idemque eſſe, nobis videtur. De eo Aub. Miræus *in Auct.* c. 483 p. 271. Philip. Elſſius, in *Encomiaſtico Auguſtiniano.* Kœnigius in *Bibl.* fol. 676.

ANTONIVS RAUDENSIS.

Sive *Raudinus*, humili loco Falmentæ in Inſubria natus, Theologiæ Magiſter, Lactantii aſſidua lectione delectatus, anno 1420. juxta Waddingum *Ord. Fratr. Minor. Bibl.* fol. 37. floruit. Hic emendavit Opera Lactantii, quæ poſtmodum Venet. 1497. Baſil. 1544.

prodierunt. Pauca de eo Poſſevinus *in App. S.* Tom. I. p. 104. Plura Oudin. in Supplem. *de Script. Eccleſ.* p. 700. ſeq. Alia ſcripſit Antonius, quæ jam pridem interierunt.

ANTONIVS de ROSELLIS.

Tuſcus Aretinus, Juris Vtr. D. in Gymnaſio Patavino interpres, Eugenii IV. P. R. Orator, ad Concilium Baſileenſe miſſus, poſt Friderico III. Imperatori a ſecretis Conſiliis. Floruit anno 1450. Expiravit Patavii 1467. Scripſit egregium Opus, *Monarchiam* inſcriptum, quo poteſtatem Papæ temporalem rejecit. Prohibitum illud in *Indice expurgatorio.* Prodiit Venetiis, 1483. 1587 & extat apud Goldaſtum, *Monarch. T. I.* à p. 252. ad 556. *Tract. de Legitimatione, Succeſſione ab Inteſtato*, de *Indiciis & Tortura*, de *Conciliis generalibus*, de *Vſuris & Indulgentiis*, quære in *Tractatu Tractatuum.* De eo H. Wharton. l. c. p. 91.

ANTONIVS SORIANVS.

Venetiarum Patriarcha, anno 1508. obiit, ſicuti tradit Hieron. Ghilinus *Theat. litter.* Scripſit *de Informatione interiori, vita contemplativa & ſolitudine.*

ANTONIVS TORQVATVS.

Anno 1480. librum ſcripſit, de *Reformatione*, quem citat Hottingerus *Theſ. Philolog.* p. 10. & univerſalem Judæorum Converſionem eum ſtatuiſſe, adſerit.

ANTONIVS TROMBETA.

Aliis *Tubeta*, Italus Patavinus, Ord. minor. Provinciæ S. Antonii Miniſter, & Profeſſor Metaph. in Academia Patavina conſtitutus, Scoti Sectator eximius, anno 1501. claruit. Summa diligentia Curiæ Romanæ atque Petri Bembi comprimis favorem promeruit. Tandem Archi Epiſcopus Athenarum titularis, poſt verò Epiſcopus Vrbinas ordinatus, à Julio II. P. R. ad Concilium Lateranenſe evocatus eſt. Mortuus Patavii 1518. ætatis 82. Scripſit *Expoſitiones in Iſagogicas formalitates ad Scoti Theologiam*, ab Antonio Syrrecto paulo ante vulgatas. Prodierunt Paris 1588. 1605. & cum *Trombetæ expoſitionibus*, Venet. 1518. *Quæſt. in Metaphyſicam, & Tract. de futuris Contingentibus*, quæ eidem tribuit Waddingus, *De Script. Ord. minor.* p. 38. nondum prodierunt. Tract. *contra Averroiſtas, de animarum purificatione*, Venet. 1498. f. Conf. ſi placet H. Wharton *in app. p. 131.* ſeq.

APOL-

APOLLINARIS.

Hierapolitanus, anno 170. clarus, Eccleſiæ Hieropolitanæ in Phrygia Epiſcopus, *Vir,* teſte Theodorito Hæret. fab. l. 3. c. 2. *Laude dignus & qui præter divinarum rerum cognitionem externa quoque diſciplinâ excultus fuit.* Et qui juxta Photium Codice 14. *Vir præſtans & præſtanti ſtylo uſus,* extitit. Nudi tituli Scriptorum ejus extant, & recenſentur apud Photium: *Oratio pro fide Chriſtianorum ad M. Aurelium, Imperatorem.* Libr. V. *adverſus Gentiles.* Lib. II. de *Veritate.* Lib. II. *Adverſus Judæos.* Liber *de Pietate. Adverſus hæreſin Cataphrygum. Litteræ ſuper condemnatione Montani,* quarum meminit Serapion Antiochenus, apud Euſebium, l. V. c. 19. His ſuperaddit Cave H. L. P. II. p. 19. *Librum de Paſchate,* cujus fragmenta quædam exhibet Conditor *Chronici Paſchalis in præf.* p. 6. edit. Noviſſ. Conf. de Apollinari, Du Pin T. I. pag. 67. ſeq.

APOLLINARIS vide SIDONIVS.

APOLLINARIVS.

Senior, Alexandrinus, Grammaticus, Eccleſiæ Laodicenæ Presbyter. Ob arctiſſimam cum Epiphanio Gentili, amicitiam, à Theodoto excommunicatus, paulò poſt verò in Eccleſiæ ſinum receptus eſt. Floruit anno 362. *Libros Moſis*, Homerum imitatus, heroico carmine, interpretatus eſt. Imò *totam Hebræorum Antiquitatem ad Saulem uſque*, ſi Sozomeno fides adhibenda. Alios quoque V. T. Libros, dactylico genere, expreſſit, ad modum Tragœdiarum, aut Comœdiarum, quæ tamen lucubrationes ſingulæ evanuerunt. Ipſi tribuit Voſſius, de *Hiſt. Gr.* l. 2. c. 18. *Metaphraſin Pſalmorum*, quæ ſeorſim prodiit gr. Paris. 1580. 8. gr. lat. Heidelb. 1596 & ad calcem *Bibl. PP.* Paris 1624. Tom. VIII. qui illam alii, Juniori Apollinario, adſcribunt. Ipſius eſſe dicit Cave, P. I. p. 125. *Tragœdiam*, quæ *Chriſtus patiens*, inſcribitur. Ejus *Carmina, ad imitationem Græcorum Poetarum* conſcripta, Veteres Chriſtiani aliquando in Scholis, loco Homeri prælegerunt; non quidem, quod Apollinarium Homero præferrent, ſed quod per edictum Juliani Apoſtatæ, Chriſtianis Homerum & Heſiodum in Scholis docere, non liceret. Conf. Du Pin. T. II. p. 125.

APOLLINARIVS.

Junior, præcedentis filius, Epiphanii dicti, itidem diſci-

pulus,

pulus, & Rhetor, Eccleſiæ Patriæ Laodicenæ Lector, & deinde Epiſcopus, floruit anno 370. Occaſionem à vera Eccleſia aberrandi præbuit ipſi Georgius, Laodicenus Epiſcopus, homo Arianus, qui ipſum Chryſoſtomo familiariter utentem, è cœtu Eccleſiæ ejecit, necunquam recipere voluit. Hinc hæreſin ſpargere cœpit Apollinarius, cujus errores palmarii hi ſunt: Chriſtum e cœlo humanam naturam detuliſſe: Eum mortalem, adeoque Divinitatem ejus paſſam, & in triduo mortis extinctam, Patris Virtute reſuſcitatam fuiſſe ſtatuit, ut ex Gregorii Nazian. *Epiſt.* ad Nectarium, probat Cave P. I. p. 142. Damnatur quidem in Concilio Romano, errores tamen nunquam depoſuit. Scripſit hic Apollinarius eruditione inſigni clarus, innumerabilia, ut Socrates & Hieronymus teſtantur, è quibus ſequentia ab antiquioribus recenſentur. *Evangeliſtarum & Apoſtolorum Scripta, ad Platonis exemplum, in Dialogos redacta. Adverſus Porphyrium Libr. XXX.* quos Cave l. c. opus adverſus Gentiles *De Veritate*, ſcriptum eſſe, autumat. *Apologiam contra Eunomium. Comment. in Eſaiam. Hymnos ad laudem Dei ſpectantes.* Lib. *Compendiarium*, cujus fragmenta ſiſtit Theodoritus, *Dial.* l. 23. Lib. *de Incarnatione.* L. *De fide.* Fragmenta quædam ejusdem librorum exhibent, *Catenæ Veterum in Jobum, Pſalmos, Matthæum, Lucam*, &c. *Epiſtolas II. ad Baſilium*, apud Coterium, *Monum. Eccl. Græc.* Tom. II. de quibus adhuc diſceptatur. Lib. *De ætatibus hominum*, Leodii, anno 1575. ſub Apollinarii nomine editus. De quo dixit Labb. P. I. p. 100. & Aub. Miræus *in notis ad Hieronymum.* Conf. Hendreich. l. c. ubi pene multi allegantur autores. Du Pin T. II p. 126. Jacob Basnage *Epiſt. de Apollinaris hæreſi*, quæ cum aliis prodiit, Traj. ad Rhenum, 1687. 8.

APOLLONIVS.

Anno 192. clarus, adverſus *Cataphrygas* ſcripſit, cujus Voluminis quædam apud Euſebium l. V. c. 18. fragmenta habentur.

APOLLONIVS.

Euſebio Lib. V. c. 21. memoratus, Commodo imperante, Romæ martyrium ſubiit. Scripſit *Librum pro fide ſua*, quem cum actis martyrii ejus, *Collectioni ſuæ antiquorum martyriorum* inſeruit Euſebius. Ejus quoque meminit Hieronymus, de *Scriptoribus*, cap. 42. Du Pin T. 1. p. 68. *Bibl. Nouv.* & alii.

PETRVS

PETRVS APOLLONIVS COLLATIVS.

Presbyter Novarienſis, cujus de *Excidio Hieroſolymitano libri IV.* ſtudio Andr. Van der Burch editi, extant T. VIII. Bibl. Paris. edit. 2. f. 729. Sed quando vixerit hic autor, nil præfatur Marg. Bignæus, niſi quod in *Indice Chronologico* T. IX. annexo, Sec. VII. eum collocat. Sed multò juniorem eum faciunt Barthius l. 23 *adverſar.* c. 27. & Voſſius de H. L. l. 3. c. 10. p. 811. & Scaliger quoque *Poet.* l. 6. ad eos referre videtur, qui ſub Sec. XV. finem, aut Sec. XVI. principium ſcripſerunt & floruerunt. Du Pin verò ad annum circiter 650. ipſum collocavit. Conf. *Bibl. Nouv.* Tom. VI. p. 19. & *Indic. Chronol.* ejusdem Tomi VI. p. 160.

APONIVS.

Vir eruditus, Bedæ & Angelomo laudatus, adeoque neutiquam referendus ad ann. 812. uti Bellarminus à Labbeo correctus, T. I. *Diſſ.* p. 100. & alii eum ſecuti fecerunt, ſed ad annum 680. Ejus *Expoſitio Cantici Canticorum* edita, Friburgi Brisg. 1538. poſt Tom. I. *Bibl. Patrum* Paris. edit. 2. fol. 763. inſerta, cum *Summariis Lucæ, Abbatis montis* S. Cornelii in agro ſuburbano Leodienſis civitatis Ord. Præmonſtrat. anno 1149. clari, ex Aponii Commentariis concinnatis, quæ vide *Tomo eodem* f. 840. & in recentioribus quoque *Patr. Bibl.* aliis. Conf. Du Pin. l. c. T. VI. p. 44.

AQVILA.

Ponticus, Sinopæus, Gentilis, ad Chriſtianiſmum converſus, eruditiſſimus in Lingua Hebræa, & verbum de verbo exprimens, teſte Hieronymo, *Comment in Eſaiæ* 49. Poſt verò Rabbi Akibæ diſcipulus, Judæorum Proſelytus, cum ob pertinax Aſtrologiæ Judiciariæ ſtudium, Eccleſia ejectus eſſet. Vide poſt Epiphanium, & Sixt. Senens. Joach. Camerarium, *Explic. Chronolog. Nicephori* f. 33 ſeq. Henr. Ranzovium *Catal. excell. Viror. in arte aſtrologica* p. 51 *Verſionem Bibliorum, eamque geminam,* vix dum exacto ſeculo poſt Salvatorem natum primo, ſcripſiſſe, pro certo tradit, Nic. Füllerus l. 3. *Miſcellan. Sacr.* c. 12. p. 348. Conf. Hottinger. *Theſ. Philolog.* p. 376. ſeq. Cæterum de Aquilæ interpretatione diſparia ſunt judicia. Laudant illam Hieronymus, atque Origenes. Vituperant, Hieronymus alio loco, & alii. Certe Aquila ex odio adverſus Chriſtianos multa Sacræ Scripturæ loca, eaque de Meſſia agentia, pervertit. Id pro-

 batur

batur ex Eſaiæ IX, 8. ubi pro voce λόγος, ῥῆμα poſuit, aliisque innumeris. Hæc translatio maximam partem interiit, & quoad particulas ſaltem a Druſio & Waltono editas, adhuc extat. Agunt de Aquila Wetstenius *not. ad Epiſt. Orig.* p. 179. ſeq. Vlyſſes Aldrovand. *Ornith.* l. 1 f. 12, a. b. qui de aliis diverſis clarisque Viris, Aquilæ nomine dictis, inſimul diſſeruit. Cave H. L. P. I. p. 24. P. II. p. 17. Hendreich l. c. Richard. Simon *Hiſt. Crit. Vet. Teſt.* L. 2. c. 9. Blount *Cens. celebr. aut.* p. 151. ſeq. Cl Buddeus *in Lexico* & alii.

ARATOR.

Eccleſiæ Romanæ Subdiaconus, patriâ Ligur, quem Damianus à Goes, Hiſpanis adnumerat, *Acta Apoſtolorum heroico Carmine* conſcripſit, Vigilio Papæ atque Floriano Abbati dicata. Vide ea T. VIII. *Bibl. Paris. edit. 2.* fol. 540. Illuſtratum hoc Poëma *Commentario Arii Barboſæ*, Luſitani, refert *Schottus, Bibl. Hiſp.* p. 472. Prodiit Salmanticæ, 1516. fol. Paris. 1575. 1589. 1624. Ejusdem, ad *Parthenium*, cujus ſuaſu Carmen hoc pepegerat, *egregiam Epiſtolam*, elegiaco Carmine ſcriptam, ex Codice Remenſi edidiſſe Sirmondum, notavit Labbeus T. I. p. 103. anno 543. illum claruiſſe ſimul tradens. Prodiit inter alia ſæpiſſime, ſeorſim verò Argentorati, 1507 12. Conf. Sigebert. Gemblac. c. 38. Sixtum Senenſem, Bellarminum, Paige in *Bibl. Præmonſtratenſi*, p. 133. & poſt alios Hendreich *in Pandectis Brandeburgicis* p. 247. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 73.

ARCADIVS.

Conſtantiæ, Cypri Archi-Epiſcopus, vel ante Sec. VIII. clarus, *Vitam S. Symeonis Stylitæ Junioris* ſcripſit, cujus ampla fragmenta in *Concilii Niceni II. act. IV. p. 265.* abſque autoris nomine, exhibentur. Sed huuc fœtum Arcadio vendicat teſtimonium Joh. Damaſceni, quod vide de *Imag. in Orat. III.* p. 781. De eo Cave *Diſſertatione I.* P. II. *Hiſtor. Litter.* annexa, p. 5.

ARCHARDVS.

Philoſophus & Theologus inſignis, Ord. Ciſterc. Monachus & ſub Bernhardo in Monaſterio Claræval lenſi Novitiorum Director, anno 1140. claruit. Scripſit *Vitam S. Geſelini Eremitæ*, quæ prodiit cura Arnoldi Raiſii, Duaci, 1626. 12. *Conciones* autem, quas habuerit, interierunt. Conf. Cave P. I. p. 463. Du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. IX. pag. 196.

ARCHE-

ARCHELAVS.

Caſcharorum urbis in Meſopotamia Epiſcopus, anno 278. clarus, Vir fervidioris animi, Manetem in Meſopotamiam profugum publicâ diſceptatione proſtravit. Hujus *Diſputationis Hiſtoriam*, Syriace compoſitam, ad Diodorum cum prolixa Epiſtola transmiſit, quæ poſteà in latinum eſt translata. Plurima ex illa habet Cyrillus Hieroſolym. *Catech. VI.* & *Socrates* l. I. c. 2. Amplum Fragmentum Diſputationis & totam Epiſtolam è Manuſc. Bibl. Ambroſianæ Codice, ſiſtit Valeſius, ad calcem *Annot. in Socratem & Sozomenum*, lat. ex antiquiſſima verſione; Græcè verò illud Diſputationis fragmentum extat apud Epiphanium, *Hæres.* 66. quod Bigotius in multis locis emendavit. Cœterum meminit Cave P. I. p. 72. quod Photius Cod 85. hujus hiſtoriæ autorem Hegemonium faciat, atque rem in medio relinquit. Conf. Du Pin T. I. p. 193. *Bibl. Nouv.*

ARCVLPHVS.

Galliæ Epiſcopus 690. clarus, totam ferè Orientem peragravit. Itinere abſoluto Galliam quidem repetere meditatus, ſed vi tempeſtatis Britanniam appulit. Ibi ab Adamanno, Abbate Hyenſi, bene tractatus, qui ex ejus ore *peregrinationis Hiſtoriam* percepit, eandemque poſtea chartæ inſcripſit. Hanc edidit Serarius Ingolſt. 1619. & extat apud Mabillon. Sec. Bened. III. part. II. p. 502. uti ſupra in Adamanno diximus.

ARDO SMARAGDVS, vide SMARAGDVS.

ARETHAS.

Cæſarienſis Archi Epiſcopus, juxta Coccium, Miræum & alios anno 540. Mornæum 530. Oudinus, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 98. Labbeum & editorem noviſſimæ Bibl. notat, eum vel ad VI vel VII. Seculum, collocantes. Reponit ideò Aretham ad annum 910. atque eundem cum Aretha Presbytero Cæſareenſi, qui anno 901. *Translationem Euthymii Patriarchæ Conſtantinop.* apud Lipomannum T. III. relatam, ſcripſerit. Nos ejus conjecturas in medio relinquimus, imprimis, cum lubricis ſaltem argumentis innitatur. Scripſit noſter brevem *Explicationem Apocalypſeos*, ex Andreæ Cæſareenſis Commentariis collectam, quæ latine a Joh. Hentennio Hieronymiano, teſte Sixto Senenſi, facta, & ex interpretatione Maximi Florent. Baſil, 1553. 8. prodiit. Græc. Veronæ 1532. 1568. fol. dein Græc. lat.

Oecumenio Paris. 1631. & Chryſoſtomo, ibidem, 1633. editis, juncta atque *Bibl. Patrum* inſerta eſt. Obſervat Cave P. I. p. 289. *Orationem de SS. Martyribus, Samona, Carica & Abibo,* apud Surium, ad Novembr. XV. latine ſub ejus nomine circumferri.

ARIBO.

Aliàs Cyrinus, vel *Hæres* vocatus, Germanus, Ord. Bened. Monachus, poſt Schlechdorpienſis Abbas, deinde Freſingenſis Epiſcopus anno 760. clarus, anno 783. obiit. Scripſit *Vitam Corbiniani, Freſingenſis Epiſcopi I.* quæ extat apud Surium d. Sept. VIII. Mabillon *Sec. Ben.* III. P. I. p. 500. Alium memorat Sigebertus Gemblac. c. 14. p. 152. Archi-Epiſcopum Moguntinum, qui XV. *Pſalmos graduum* interpretatus, atque anno 1031. è vivis exceſſerit. De priori agunt Aub. Miræus *de Script. Eccleſ.* c. 298. p. 235. & in *Scholio ad caput.* 140. Mabillon l. c. Cave P. II. p. 147. Oudin *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 205.

ALEXIVS ARISTINVS.

Nomophylax & Eccleſiæ Conſtantinop. Oeconomus, anno 1166. clarus, quo Synodum Conſtantinop. frequentavit. Scripſit *Synopſin Canonum*, ſeu potius *explicationem eorundem*, quam græc. lat. ſimul *cum Canonibus* edidit, notisque auxit, Beveregius, in *Pandectis Canonum*, Oxon. 1672. f. Vide Cave P. I. p. 473. & cumprimis Juſtellus in *præf. Bibl. Juris Canon. Veteris* T. II ubi græc. lat. eadem exhibetur.

ARISTO PELLÆVS.

A Patria *Pella*, in Palæſtina dictus, Judæus, & probabiliter Chriſtianus. Claruiſſe Caveo P. II. p. 25. videtur circa annum 136. Scripſit *Obſidionem Bethara & Judaeorum expugnationem*, ex quo ſcripto quædam tranſcripſit Euſebius l. 4. c. 6. Huic idem Cave *Diſputationem Papiſci & Jaſonis* tribuit, Maximi autoritati innixus. Quicquid autem Euſebius *de Apologia Apellis & Ariſtonis pro fide Chriſtiana*, dicat, quam autor Chronici cujusdam iisdem adſcribit, ejus tamen exiſtentiam vel plane in dubium vocat Cave, P. II. p. 18.

ARIVS.

Famoſiſſimus iſte Hæreſiarcha, gente Lybs, vel juxta Photium, Alexandrinus, Ammonii filius, qui propter errores, quos late diſſeminavit, paulo ante Nicenum Concilium, innotuit. Meletianis primum favit. Poſtea pœnitentiam ſimulans, ab Alexandriæ Epiſcopo, Petro, in Diaconum creatus, mox verò depoſitus. Iterata

vice,

vice, ſimulatâ pœnitentia, in Presbyteriatum adſcitus, eodem ob turbulentum ingenium iterum privatus eſt. Catholicam fidem impiis ſuis dogmatibus labefactavit, & ut Summam rei proponamus, *Chriſti Divinitatem* inficiatus eſt. Et licet variis argumentis execrandum errorem defendere conaretur, publice tamen atque privatim damnatus. Poſt eò dementiæ pervenit, ut palàm per Scripta æque atque ſermones hæreſin ſuam propagaret. Scripta comburi juſſit Nicena 318. Epiſcoporum Societas, ipſum verò in Illyricum relegari Vnde poſt inſidias ſtructas atque fucatum de errore dolorem, juſſu Imperatoris, in unionem readmiſſus eſt. Sed ſtatim horrendâ morte obiit, circa annum 336. non verò 335. ut hariolatur Valeſius. Inteſtinis quippe per alvum exoneratis, Vindictam divinam expertus. Vide tamen quid de illo adducat Arnoldus in *Hæreſiol.* unicum Arium in binos diſſecans, atque horridum hoc mortis genus in dubium vocans. *Vir erat plane acutus & eruditus, moribusque ad fallendum compoſitis, ſpecie & forma magis, quam virtute religioſus,* ut ~~de eo~~ Ruffinus exacte judicavit. *Cantica* varii generis, teſte Philoſtorgio, l. 2. c. 2. compoſuit, quibus imperitæ plebis favorem nactus. Inter hæc eminet *Thalia,* in quo libro Myſteria divina, leviter atque lubrice tractat. Citatur ille aliquoties B. Athanaſio, qui etiam excerpta ex eodem, *Oratione II. contra Arianos* p. 137. ſeq & alibi, ſiſtit. Alii loborioſe diſquirant, an liber hic totus Carminice, an verò per interſperſas Odas, ſit confectus. *Binæ* ejus ſuperſunt *Epiſtolæ. Vna* ad Euſebium Nicomedienſem, apud Epiphanium, *Hæres.* 69. *Altera* ad Alexandrum, Alexandrinum Antiſtitem, apud Athanaſium, *Lib. de Synodo Arimin.* & *Seleuc.* p. 682. & *Epiphan.* l. c. Conf. de Ario, Clerc. *Bibl. Vniv.* T. X paſſim. Cl. Buddeus *in Lexico.* Bayle *Diction. Hiſtor. & Critiqu.* Sagittarius in *Introd. ad Hiſt. Eccleſ.* p. 845. ſeq. Calvoer, in *Fiſſura Sionis.* Arnold. *Harreſiol.* P. I. paſſim.

ARLOTVS è PRATO.

Natione Thuſcus vel Etruſcus; Prato; inſigni oppido oriundus, Ord. minor. Generalis, anno 1285. creatus, floruit ſub Adolpho Imperatore anno 1290. Lutetiæ vitam clauſiſſe dicitur Trithemio, Sixto Senenſi, & Willoto; *Athen. Franc.* p. 50. *Concordantias utriuſque Teſtamenti & Sermones diverſos*, ſcripſiſſe perhibetur. Ita quoque Rabbi Gedaliah refert in *Chronico ſuo*, aitque, Rabbi Iſaac Na-

than, Concordantias ab eo compoſitas tranſtuliſſe ex lat. in Ebræum. Conf. Buxtorff. *præf. in Concord. Ebr.*

ARMANDVS de BELLOVISV.

Italus Bononienſis, Ord. Domin. Monachus, S. Palatii Apoſtolici Magiſter, qui juxta quosdam anno 1296. alios verò 1496. floruit. Scripſit *Poſtillam in Pſalmos: Meditationes: Preces:* Mogunt. 1503. *Sermones, Brixiæ.* 1610 4. *Explicationem terminorum difficilium, tam in Philoſophia, quam Theologia*, Venet. 1586. Wittenb. 1623. 8. Tres Armandos obſervat Ambroſius de Altamura, quorum tamen duos pro Chimæricis habet Cave P. I. p. 523. eò, quod *Nicolaus Antonius*, aliique rerum Hiſpanicarum Scriptores, eosdem reticeant.

ARNALDVS CESCOMES.

Archi-Epiſcopus Tarraconenſis, anno 1337. clarus, ſcripſit *Epiſtolas II. de Saracenis ab Hiſpania pellendis*, quæ extant apud Baluz. *Miſcell.* T. II. p. 267.

ARNALDVS de VERDALA.

Carcaſſonenſis, Juris utriusque Profeſſor, Canonicus, & Officialis Mirapicenſis, & contra Albingenſes Inquiſitor. Poſt Eccleſiæ S. Pauli de Fenaldeſio, Diœceſis Alectenſis, Decanus, ac per totam Narbonnenſem Provinciam, Jurium, Rerum, ac Perſonarum, reformator. A Benedicto P. R. XII. ad Ludovicum Bavarum, miſſus, pacem obtinuit, atque in præmium Cathedralem Magalonenſem deportavit. Floruit anno 1339. Concilium Biterrenſe, anno 1351. habitum, frequentavit, atque anno 1352. Monſpelii obiit, Magalonæ verô humatus eſt. Extat ejus *Hiſtoria Epiſcoporum Magalonenſium*, apud Labbeum, *Bibl. Manuſc.* T. I. p. 793. & inter P. Garielli *Commentarios ejuſdem argumenti*, Toloſæ, 1665. fol. T. II. edit. Conf. Cave P. II. p. 276.

ARNO.

Salisburgenſis Archi-Epiſcopus, tempore Caroli M. Imperatoris, ab anno 800. ad 818. floruit. *Ejus Annotatio, ſive Index Donorum Ducum Bavariæ Eccleſiæ Salisburgenſi datorum extat apud* Henricum Caniſium T. II. *antiqu. lect.* p. 483. edit. Ingolſt. 1602. 4. T. VI. edit. 1611. Idem epiſtola dedicatoria ait, Arnonem Salisburgenſem X. Epiſcopum, & primum Archi-Epiſcopum numerari & diverſis vicibus a Carolo M. Romam ablegatum, una quidem vice, ad quæſtionem

ibi

ibi habendam in eos, qui Leonem III. Papam oculis & lingua privarunt. De hoc vide Dieterici *Brev. Pontif.* p. 147. Teſtamento quoque Caroli M. eum interfuiſſe, ex Eginhardo conſtat. Vide ejus Epitaphium apud Mabillon. Sec. IV. *Analect.* Conf de Arnone Aub. Miræum *in auct.* c. 317. p. 239. Oudin. p. 214. Raderum in *Bavaria pia*, p. 11.

ARNOBIVS.

Afer, Siccæ in Numidia Africæ provincia, Rhetoricam profeſſus, ex Ethnico per ſomnium admonito, Chriſtianus, poſt ſcriptos adverſus Gentiles Libros VII. baptizatus, multorum præclarorum diſcipulorum, Lactantii & aliorum magiſter, omnia Theologorum Myſteria doctus, teſte, ex antiquitate, Barthio l. 59. *adverſar.* c. 10. Floruit anno 303. quo librum *adverſus Gentiles* compoſuit. Prodierunt illi Romæ, 1543. Baſileæ, 1546. 1560. 1602. Pariſiis, 1570. Antwerpiæ, 1583. 1603. 1609. Coloniæ, 1596. 1604. Francofurti, 1618. Genevæ, 1597. Paris. 1605. Hamburgi, 1610. Duaci, 1634. 1636. Lugduni Batavorum, 1651. 4. 1656. 4. & Paris. 1666. ad calcem Cypriani. Accurata eſt editio, quæ Lugduni Batav. 1651 |4. prodiit, *notis & animadverſionibus* Th. Canteri Godeſchalci, Stewechii, Gebhardi, Elmenhorſtii & Deſiderii Heraldi, inſtructa, laudata etiam Labbeo T. I. p. 105. qui tamen miratur, Joh. Meurſii *Criticum Arnobianum*, anno 1598. Leidæ editum, cum Hypocritico Minutiano non fuiſſe additum, imò nec memoratum. Belgicè prodiit Harlingæ, 1677. 8. interprete Joach. Oudaen. Stylum quidem carpit Hieronymus *Epiſt. ad Paulinum*, p. 104. tanquam inæqualem & nimium, Librum ipſum juſto ordine non diſpoſitum. Quod judicium tamen non adeo juſtum videtur, quippe Caveo judice, P. I. p. 80. Stylo florentiſſimo atque optima methodo hic Arnobii liber conſcriptus eſt. De *Comment. in Pſalmos*, Arnobio ſuppoſitis, & aliis circa illum, conf. Labbeus l. c. Bebelius *Hiſt. triſec.* p. 507. ſeq. Cocus, *cenſur.* p. 158. Dogmata quædam erronea in Arnobio advertit citatus Cave, quæ tamen homini recens converſo, facile condonari poſſe, ipſemet arbitratur. Conf. Hendreich *Pandect. Brandeb.* Du Pin. T. I. p. 203. ſeq. qui contenta Libri Arnobiani, ejusdemque gemini, enarrat. Bayle *Diction. Hiſtor. & Critiqu.* Blount. l. c. p. 213. ſeq.

ARNOBIVS.

Junior, probabiliter Gallus, quem ad annum 445. referunt alii, rectius verò ad annum 460. collocant Labbeus, Oudin,

Oudin, Cave. Ad librum, cui titulus: *Conflictus Arnobianus cum Serapione Ægyptio,* notæ extant Fr. Feurardentii, minoritæ, T. XV. *Magn. Bibl.* Paris. f. 352. & in *quibusdam Irenæi editionibus,* in appendice. Fruſtra illud opuſculum Vigilio Tapſenſi, Oudinus l. c. p. 100. adſcribit, ut Cave ex antiquiſſimo Manuſcripto probat. vid. ejus H. L. P. I. p. 255. Scripſit *Arnobius Comment. in Pſalmos,* qui ſeorſim Baſil. 1522. & & per Eraſmum, Colon 1532 8. edit. Habentur illi ex emendatione de la Barre, T V. *Bibl. Magn.* Colon & alibi. In his latinitatem barbaram & inſulſam, peccantemque grammaticarum legum deſpectum, notat Oudin l. c. *Annotationes ad quædam loca Evangeliſtarum,* editæ, Baſil. 1543. 8. a Schotto recognitæ 1639. Pariſiis. De eo Sixtus Sen. L. IV. *Bibl. S.* Poſſevinus, Bellarminus, Natalis Alex. Sec. IV. T. I. c. 4. p. 619. Hendreich l. c. Du Pin l. c. T. IV. p. 218. qui de ſtylo Arnobii, aliisque ejus ſcriptis, docte, prout ſolet, diſſeruit. Cæterum, an Arnobius extiterit Semipelagianus, pronunciet Clerc, *Bibl. Univ.* T. III. p. 260.

ARNOLDVS.

Abbas Carnotenſis Bonævallis, S. Bernhardi familiaris, cujus & vitam ſcripſit, & poſt ejus adhuc obitum ſuperſtes 1162. floruit. Henr. Gandavenſis eum *Ernaldum* vocat, & ita etiam ſcribitur aliquoties Arnulpho Lexovienſi. Ciſtercienſem eum facit Aub. Miræus *Chron. Ciſterc.* p. 164. alii rectius, Benedictinum. Extant ſeorſim & *Bibl. Patrum* inſerti varii ejus libri. Inter illos *Tract. de VII Verbis J. C. in cruce prolatis,* cum Scholiis Fr. Titelmanni, Antwerpiæ, 1532. 8v. & ex Andr. Schotti recognitione, T. XII. *Bibl. Magn.* Colon. part. II. f. 419. Præterea, *Sermo de laudibus Mariæ,* ibidem f. 436. *Tract. de Operibus VI. dierum* ex recognitione Dionyſii Perronetti, ibid. f. 438. ſeorſim Antiſſiodori, 1609. 8. Huic Arnoldo Labb. T. I. p. 108. & 239. tribuit *Tract. de Cardinalibus Operibus Chriſti,* inter *Opera Cypriani* aliàs editum, & alicubi Arnoldo Bonavillarenſi, Abbati adſcriptum, quem hunc ipſum Arnoldum Bonævallis in Carnutibus Abbatem eſſe docet. *Meditationes variæ,* quæ cum dictis Operibus ejus ad calcem *Cypriani* prodierunt, Oxon. 1682 fol. *Comment.* verò *in Pſalmos,* & *Opuſculum de VII. donis SS.* ex Codice Manuſcr. vulgavit Caſim. Oudinus *inter Veterum Opuſcula S.* Conf. Cave P. I. p. 472. P. II. p. 227. Oudin. *Supplem.* p. 431. Hendreich l. c. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 91. ſeq. ubi ſingula Arnoldi Opera, prolixius exhibentur. Clerc. *Bibl. Univ.* T. XII. p. 375.

ARNOLDVS BOSTIVS, vide BOSTIVS.

ARNOLDVS.

Epiſcopus Halberſtatenſis, anno 1011. clarus. Scripſit *Epiſtolam de Inſtitutione Epiſcopatus Bambergenſis*, quæ extat apud Baluzium, *Miſcell.* T. IV. p. 435. De eo Cave P. I. p. 419.

ARNOLDVS.

Ex Præpoſito Hildesheimenſi Abbas Lubecenſis, anno 1209. clarus, Helmoldi *Chronicon* ab anno 1171. ad annum 1209. continuavit. Editum eſt illud cum ſupplemento Arnoldi, per Rein. Reineccium, 1556. & 1581. Francof. & Lubecæ, cum notis Henr. Bangerti, 1659. 4. & inter *Meibomii Opuſcula Hiſtor.* Helmſt. 1660 4. p. 568. Conf. Labb T. I. p. 422. Voſſius *Hiſt. lat.* p. 435. qui poſterior aſſerit, maximam ipſi fidem deberi in rebus Sclavicis. Conf. & Cave P. I. p. 490. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. X. p. 61.

ARNOLDVS LVYDIVS.

Sive a Lude Tungrenſis, Theol D. Colonienſis, & Laurentianæ Scholæ regens, anno 1540. fato functus, teſte Valerio Andreæ, *Bibl. Belg.* p 82. Multa adverſus Judæos ſcripſit, quibus Joh. Capnionem ſeu Reuchlinum inſecutus, edita Coloniæ, 1512. Aſt, *Comment. in Matth. & Joh. Evangeliſtam*, quos confeciſſe fertur, nondum licuit videre.

ARNOLPHVS.

Sub Henrico S. & Conrado Salico floruit, Sec. XI. anno 1024. Comes Vogburgenſis, & Marchio de Cham, Monachus S. Emmerani H. Caniſio T. II. *Lect. antiq. præfatione.* Ibidem p. 33. extant ejus *de Miraculis Emmerani & de memoria Cultorum ejuſdem Libri II.* De eo Joh. Mabillon *Sec. V.* O. B. p. 108. Oudin l. c. p. 323. Poſſevinus *in app. S.* Baronius, T. XI. *Annal.* ad annum 1001. qui illum ſui temporis fideliſſimum Scriptorem adpellat.

ARNVLPHVS.

Patriâ Normannus, Eccleſiæ Sagenſis Archidiaconus, dein Luxovienſis in Neuſtria Epiſcopus, Crucigeros ſub Ludovico VII. Francorum Rege, in expeditione transmarina, ad Palæſtinam anno 1147. comitatus, teſte Wilh. Tyrio, l. 7. c. 1. & Aimonii continuatore, l. 5. c. 52. vixit ad annum 1182. quo obiit juxta Sanmar-

thanos, T. II. f 648. & Labb. T. I. p. 109 Multa egit laudabilia, de quibus loquuntur ejus *Opera*, Paris. 1585 8. ex Codice Manuſc. Bibliothecæ *Odonis Turnebi, Hadriani filii*, edita, antea autem parum aut nunquam cognita, vel tamdiu ſepulta, uti loquitur Claudius Minos, *præf. Arnulphi*, qui ejus ſimul eloquentiam, & divini pariter atque humani Juris ampliſſimam ſcientiam, atque, quod in aulæ asſuetis rarum & mirum, tenacis propoſiti ſanctitatem, & ſinceritatem ſummopere commendat. Hinc eadem opera T. XII. *Bibl. Magn.* Colon. P. II. f. 458. quæ ſuperioribus Bibl. Patrum Pariſienſibus editionibus deficiebant. *Tract. ejus brevem ad Gaufridum, Carnotenſem Epiſcopum, de ſchiſmate inter Innocentium II. & Petrum Antipapam*, vide apud Dacherium, T. II. *Spicileg. Sermonem in Concilio Turonenſi*, anno 1163. habitum. *Concil.* T. X. p. 1411. *Epiſt. III. ad Arnoldum Carnotenſem*, inter *Arnoldi Opera*, Oxon. 1682. Vide quæ habet Cl. Du Pin. l. c. T. IX. p. 161. atque de Arnulpho pererudite diſcuſſit. Alienus autem ab hoc *Arnulpho* eſt ille Monachus Lirinenſis, & Metenſis anno 613. factus Epiſcopus, *Arnulphus* itidem dictus, quem memorat Vincentius Barralis de Salerno, *Chron. Lirin.* f. 194. 203. & Joh. Jac. Chiffletius, P. II. *Veſontionis* f. 160. cujus vitam Jonas aliquis conſcripſit apud Bedam, T. III à Baronio quoque citatam, anno 631. cujus tamen ἀβλεψίαν circa eandem notat Chiffletius, l c. De priori Arnulpho, vide Cav. P I. p. 464.

ARNVLPHVS.

Sive *Ernulphus*, Roffenſis, in Anglia Epiſcopus, patriâ Bellovacenſis Gallus, anno 1120. clarus, anno 1124. obiit. Extant quædam ejus Opuſcula apud Dacherium, *Spicileg.* T. II. p 420. Scilicet *Tomellus ſeu Epiſtola, de inceſtis Conjugiis. Epiſtola*, quâ variis Lamberti quæſtionibus, & illi de Corpore & Sanguine Chriſti reſpondetur. p. 431. De eo Dacherius *in Prologo*, T. II. p. 18. & Antonius Poſſevinus, T. I. p. 514. qui tamen eidem *Tract. de Operibus VI. dierum, & de Verbis VI. Chriſti in Cruce*, qui Arnulphi Carnotenſis ſunt, falsò adſcribit. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 156 ſeq.

ARSENIVS CONSTANTINOPOLITANVS.

Monachus primùm, deinde à Theodoro Laſcare Patriarcha Conſtantinopolitanus electus eſt. Poſt verò inſidias Johanni, Theodori filio, à Muzalone ſtructas, in Monaſterium ſeceſſit. E quo quidem evocatus ſedique priſtinæ reſtitutus; Verum, dum factum

Micha-

Michaëlis Imperatoris, Johannem Theodori filium, oculis privantis, improbaret, fictis criminibus in Proconneſum relegatur. Florere cœpit anno 1255. Scripſit adhuc Monachus *Synopſin divinorum Canonum, in 141. titulos digeſtam*, quæ græc. lat. habetur apud Henricum Juſtellum, *in Bibl. Jur. Can.* T. II. p. 749. *Teſtamentum Arſenii* extat apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 168. De eo plura exhibet Juſtellus in *præf. ad T. II.* l. c. & Cave P. I. p. 503.

ARSENIVS.

Patricius Romanus, græc. & lat. doctus, anno 384. floruit; Arcadii & Honorii Pater dictus, quod illos Theodoſii M. Parentis juſſu, litteris imbuerat. Aula relicta, in ſolitudinem ſeceſſit, ſummoque vitam monaſticam amore amplexus eſt. Obiit Troë, poſtquam annos 95. vixit. *Exhortatio ejus ad Monachos*, apud Combefiſium extat græc. lat. *Auct. Noviſſ.* Paris. 1672. p. 301. & T. XXVII. *Bibl. Maximæ*, Lugduni, 1677. f. 180. *Apophtegmata ejus XLIV.* ab amicis collecta exhibet Cotelerius, *Monum.* T. I. p. 353. Conf. Cave. P. II. p. 50. Bayle *Diction. Hiſtor. & Critiq.* qui in Moreri falſa quædam advertit.

ASCLEPIADES.

Trallium Epiſcopus, anno 484. clarus, *Epiſtolâ* Fullonis Triſagium oppugnavit, & *X. anathematiſmis* execratus eſt. Extat utraque græc. lat. *Concil.* T. IV. p. 1120.

JOH. ASSERIVS.

Britannus Menevenſis, Scoti diſcipulus, anno 890. clarus, Monachus Ord. Bened. ab *Alfredo* Rege in aulam vocatus, ejusque filiis præfectus, tandem ad Schireburnenſem Epiſcopatum evectus, anno 909. obiit. Alfredo Regi autor ſuaſorque extitit, ut Academiam Oxonienſem fundaret. Inter eximia, quibus Eccleſiam ornavit, monumenta, a Pitſeo, *Script. Angl.* f. 171. enarrata, ut ſunt *Homiliæ. Aurearum Sententiarum Enchiridion: Comment. in Boëthium de Conſolatione*, &c. proſtat *Hiſtoria Regis Alfredi* ſcripta, & luculenter expreſſa, edita inter alia Anglica, Hibernica, Normanica & Cambrica Scripta, a Guilielmo Camdeno, Francof. ad Mœnum, 1602 fol. Antea verò Londini 1574 f. à Matthæo Parkero, literis Saxonicis, ſed lingua latinâ cum præf. linguâ Saxonica, edita. Hunc Aſſerium tantæ fidei autorem judicavit Twynus, *antiqu. Oxon.* l. 1. p. 141. teſte

 Caveo,

Caveo, P I p. 398. ut nemini unquam ſuſpectus apparuerit. Conf. Voſſ. H.L. l. 2. c. 39. p. 338. *Chronicon* ſive *Annales*, à Julii Cæſaris in Britanniam adventu, uſque ad Seculi X. initium, edidit Galeus, *Rerum Angl. Script.* T. III. p. 141. De quo pererudite diſſerit Cave. P. II. p. 167. Conf. Lambecius *in Prodromo.* Blondellus *de Joh. Papiſſa*, p. 83. Du Pin l. c. T. VII, p. 200.

ASTERIVS AMASENVS.

Amaſeæ in Ponto Epiſcopus, vixit anno circiter 400. calculo Labbei, T. I. *Diſſert.* p. 110. citatus jam olim Concil. Nicen. II. & Photio *Myriobibl.* Codice 271. Ejus *Orationes*, ſeu *Homilias V.* gr. & lat: ex interpretatione Phil. Rubeni editæ, tum ſeorſim Antwerpiæ, 1615. 4t. tum T. XIII. *Bibl. Magn.* Paris. fol. 561. & T. IV. *Bibl. Colon. Magn.* f. 697. & *in auct. Combefiſii* T. I. p. 1. anno 1648. editæ, ubi aliæ VII. *Orationes* habentur, quas Cavius ordine exhibuit. *Homilias VII. in Pſalmos 5. 6. 7.* vide apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ.* Gr. T. II. p. 1. Quid inſuper de *Laudatione S. Stephani* diſquiratur, vide, ſi placet apud Cavium. P. I. p. 201. qui de aliis quoque ex Photio & Combefiſio adductis fragmentis ſufficienter agit. Evolve & Oudinum, *Supplem. de Script.* p. 58. ſeq. qui itidem de Aſterio, docte diſſeruit, & Hendreich *loco* ſæpius *citato.* Du Pin. T. III. *Bibl. Nouv.* pag. 77. qui contenta Scriptorum Aſterii ſiſtit.

ASTERIVS.

Cappadox, Gentilis Sophiſta, Chriſtianam Religionem amplexus, quam ſub perſecutione Maximiniani abnegavit, poſtea verò de novo profeſſus eſt. Claruit hic homo Arianis addictus, anno 330. quo *Syntagma* compoſuit, in quo Chriſti divinitatem in dubium omninò vocavit. Allegant quædam ex eo Athanaſius *Epiſt. de Concil. Arimin.* & *Seleuc.* p. 684. Marcellus apud Euſebium, l. I. *contra Marcell.* c. 4. & alii, quos ex ima antiquitate in Scenam produxit Cave P. I. p. 108. Scripſit, ut Hieronymus *de Script.* c 94. teſtatur, *Comment. in Pſalmos, Evangelia, & Epiſtolas ad Romanos*; Et contra *Marcellum* Librum, qui tamen interierunt. Agunt de eo Cave l. c. Labbeus T. I. p. 110. atque Socrati & Sozomeno, aliisque Eccl. H. Scriptoribus notus eſt, item Du Pin T. II. *Bibl. Nouv.* pag. 64.

ASTERIVS VRBANVS, vide VRBANVS.

ASTESANVS.

Sive Aſtenſis, ab Aſta Subalpinorum urbe ſic dictus, Ord. minor. Vir utriusque non tantùm Juris, ſed Theologiæ & Philoſophiæ quoque ſcientia clarus, ingenio profundus, conſilio cautus, ſententia certus, ſermone compoſitus, juxta elogium H. Willoti, *Athen. Franciſc.* p. 52. Sub Ludovico IV. anno 1330. claruiſſe tradunt Trithemius, Bellarminus, Labbeus, aliique. Anno verò 1317. eum ſcripſiſſe *Summam de Caſibus Conſcientiæ*, *Aſteſanam* vulgò dictam, hortatu Joh Cajetani Vrſini, Cardinalis S. Theodori. Prodiit illa, curâ Bellatii & Geometii, Norimb. 1482. f Barthol. de Bellatis Feltrenſis & Geometii Vlyſipponenſis, Minoritarum, Venet. 1519. fol. Ex hac *Canones pœnitentiales* excerpſit, atque cum animadverſionibus vulgavit, ſimul cum aliis, Antonius Auguſtinus, Venet. 1584. 4. Conf. H. Wharthon, *in app. Cav.* p. 14. Alias ſuppeditat editiones Hendreich in *Pandectis Brandeburgicis*, utpote illas, quæ Coloniæ, 1479. Venet. 1480. Norimb. 1528. excuſæ ſunt.

ATHANASIVS.

Patriâ Alexandrinus, ejusdemque Eccleſiæ Diaconus, & poſt Alexandri, quocum familiariter vivebat, obitum, Epiſcopus anno 326. conſtitutus. Epiſcopali ſorti præluſiſſe dicitur, puer adhuc Athanaſius, ludens in littore maris, Epiſcopum ſe fingendo & more Epiſcopi alios pueros ludentes, in nomine SS. Trinitatis tingens. Verùm, fabulam eſſe a Ruffino, credulo nimis Scriptore, ex ſolo auditu relatam, ſuadere mavult doctiſſimus Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 101. Nomine reque ὁ Ἀθανάσιος, Orbis oculus, Antiſtes Sacerdotum, Confeſſorum Dux & Magiſter, vox ſublimis, fidei columen, ſecunda Chriſti lucerna, elogiis Gregorii Nazianzeni *Oratione funebri* in ejus laudem ſcripta. Verè hic magnus, imò μέγιστος πύργος τῆς ἀληθείας, Theodoreto, l. I. c. 25. Variis fatis per omne vitæ tempus jactatus, variis ubique fluctibus calumniarum, agonum, pro fidei integritate & perſecutionum, mox ejectus & ablegatus, mox receptus & redonatus, tot triumphis adverſus Arianos clarior factus, tandem terrenis valedicens, ad meliorem vitam verè immortalis, anno 371. juxta Socratem l. IV. c. 20. tranſiit, tempore Valentis, Imper., anno Pontificatûs ſui 46. abſoluto. Scripta divini Patris in maximo ſemper fuere pretio. Extat de iisdem judicium cujusdam Cosmæ Lauræi, Abbatis Hieroſolymitani, apud

Sophronium, Patrem Hieroſolymit. *in prato Spirit.* c. 40. ita ſonans: *Cum inveneris aliquid ex Opuſculis S. Athanaſii, nec habueris chartas ad ſcribendum, in veſtimentis tuis ſcribe illud?* Vid. Nic. Serarium, *Tract. de Symbol. Athanaſ.* p. 9. Voſſ. *Diſſ.* 2. *de tribus Symb.* n. 14. Spizelium *in Vet. Academ. Jeſu.* p 64. ubi plura quoque de Athanaſio memorabilia offendere licet. Vita Athanaſii gr. & lat. à variis deſcripta, extat in editione Operum ejus anni 1627. Gallicè verò prodiit anno 1671. 4. Inter ſæpius vulgatas ejus Scriptorum ſive Operum editiones, Labb. T. I. p. 113. & Cave l. c. Paris. gr. lat. 1627. cæteris ampliorem & gr. lat. Commelinianam, Petro Nannio interprete, anni 1601. feliciter expreſſam, inque duos Tomos diſtributam, commendant. Copioſior tamen eſt, quæ nuper Coloniæ, 1686. excuſa eſt, & recenſetur in *Actis Eruditorum*, anno 1686. pag. 270. ſeq. & noviſſima editio, quæ Pariſiis, 1698. T. III. fol. prodiit. Reliquas Athanaſii editiones vide apud Hendreich. *Pandect. Brandeb.* & Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 54. ſeq. Ittigium, *in præf. Catenæ Patrum*, p. 48. ſeq. & ſunt Romana, 1477. Vincent. 1482. Paris. 1520. Tubing. 1515. Francof. 1522. Baſil. 1527. 1522. 1556. 1564. 1570. Paris. 1572. 1581. 1608. 1612. 1627. Lipſienſis, 1627. Scripta genuina à ſpuriis dijudicant, Oudinus, *loco citato*, à p. 31. ad. 40. Cave, Du Pin, Hendreich, Blount, *Cenſura celebr. autorum*, qui poſtremus, varia de Athanaſio judicia annectit. Baſnage de variis Athanaſio ſuppoſititiis Operibus, juxta cum aliis excuſis, Trajecti ad Rhenum, 1687. 8. Doctrinam Athanaſii in locorum areolas digeſſit poſt Scultetum, Danhaverus, *Epitom. H. E. Act. II. Chriſt.* & Arnold *Hæres.* P. I. L. IV. c. 4. §. 7. ſeq. Si Manuſcr. Athanaſii variis hinc inde illuſtribus in Bibliothecis deliteſcentia lipſana noſſe volupe eſt, B. Spizelii *Arcana Bibl. retecta*, paſſim evolve. & Caveum P. II. *Hiſtor. Litter.* p. 43. Stylus Athanaſii, judice Photio, cod. 32. 139. ſeq. in Epiſtolis *elegans, ſplendidus, clareque compoſitus, perſuadendi inſuper vi ac venuſtate floridus*, &c.

ATHANASIVS ALEXANDRINVS.

Eccleſiæ patriæ Presbyter, a Dioſcuro opibus & dignitate privatus, atque Ægypto tota expulſus, ad annum uſque 451. adverſa cum fortuna conflictatus eſt, uſque dum ad Concilii Chalcedonenſis patres appellaret. Hic *Liber adverſus Dioſcurum in eodem Concilio oblatus*, extat *Concil.* T. IV. p. 405.

ATHANASIVS.

Patriarcha Conſtantinop. ad Sec. XIII. a Coccio relatus, quartum

tum jam annum eo ſacerdotio fungens, cum in carcerem ab Andronico Conſtantinus Porphyrogennetus, Imperator detruſus eſſet. *Ejus VIII. Epiſt. de neceſſaria Epiſcoporum reſidentia*, extant *Bibl. PP. Paris. edit. 2.* T. III. f. 623. & *Magn. Colon.* T. XIII. vide ibi ex Nicephori Gregoræ *Hiſt. Rom.* l. VI. c. 11. ſeq. à Margar. Bignæo præfata, qui quidem Bignæus eas græcè ſcriptas eſſe non dubitat, interpretem autem illarum ſe ignorare fatetur.

ATHENAGORAS.

Patriâ Athenienſis, primum Philoſophus Gentilis, dein Chriſtianus è lectione Scripturæ S. quam ut Chriſtianos confutaret, meditatus, factus, primusque Scholæ Catheche ſeos Alexandrinæ Rector, anno 177. claruit, homo cumprimis pius, ſingulari ingenio præditus, in divinis juxta ac humanis litteris egregie verſatus. Ejus doctrinam accuratè ſiſtunt Dannhav. *Act. I. Chriſt.* p. 309 ſeq. & 931 Bebelius *Hiſt Eccl. Sec. II.* p. 190. Scultetus *Medulla Patrum*, l. II. c. 3. qui labes in Athenagora ſimul notarunt. Scripſit Athenagoras *Apologiam ad Imperatorem Marcum Aurelium Antoninum, & Commodum filium*, quæ ſeorſim, Gallicè, ex interpretatione Guy Gausſart, Paris. 1574. 8v. cum notis Suffridi, Colon. 1576. 8v. græc. lat. Paris 1577. 8. interprete Conrado Gesnero, Tiguri, & Paris. 1615. & cura notisque Clar. Rechenbergii gr. lat. cum verſione Suffridi, Lipſ. 1684. 8. prodiit. *Lib. de Reſurrectione*, excuſus quoque ſeorſim, græc. lat. Lugd. 1581. 1589. 8v. gr. lat Lugduni Batav. 1541. 8v. Baſil. 1561. Venet. 1498. Oxon. 1682. 12. Lipſiæ, 1685. 8. curante eodem Clar. Rechenbergio. In Italicum tranſtulit Hieronymus Valeta, Venet. 1556. Vterque reperitur *inter Orthodoxogr.* græc. lat. Baſil. 1551. 1555. græc. lat. Paris. 1557. græc. Lugduni Batav. 1558. Colon. 1567. græc. lat. Paris. 1615. 1636. f. *Auct. Bibl. Patrum Ducæano*, Paris. 1624. Plures editiones vide apud Du Pin T. I. p. 65. Stylus Athenagoræ & character dicendi, judice Suffrido Petri, grandis eſt, & quantum ſobrietas Attica maximum capere potuit. Supponuntur à quibusdam Athenagoræ, *Amatoria ſeu de vero & perfecto amore*, gallicè, anno 1612. cura Bernhardi de San-Jorry excuſa, rejecta & exploſa Caveo P. I. *Hiſt. Litt.* p. 36. Memorabile dignum eſt fatum genuinorum Athenagoræ Scriptorum, quorum ſchedas ad involutionem piſcium ſalitorum adhibitas in tabernis Conſtantinop. ſe reperiſſe conqueritur autor anonymus, *Tract. de Martyrio SS.* 4to. ſine die & Conſule editi.

Conſ.

Conf. de Athenagora, Bayle *Dictionaire Hiſtorique & Critique*, & alii.

ATHENOGENES MARTYR.

Clementi Alexandr. Coætaneus, igne martyrium obiit, circa annum 196. Scripſit *Hymnum matutinum & veſpertinum*, cujus prima verba ſiſtit Cave, P. I. p. 44. Horum meminit Baſilius de *Spiritu S.* c. 29. Extant ad calcem *Sophronii Tract. de Symbolis*, & apud Th. Smith. *Miſcell. cum notis*, Londini 1686. 8v. Conf. Du Pin T. I. p. 192.

ATTICVS.

Sebaſteæ in Armenia natus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Presbyter, & poſt *Arſacium* Epiſcopus. Cum Chryſoſtomo vivo atq; mortuo pugnavit atque ob id communione excluſus. Obiit poſtquam receptus eſſet anno 427. Vir alioquin eruditione, pietate atque prudentia, inſignis, moribus blandus atq; placidus, pauperumque Patronus. Scripſit *Epiſtolam bene longam ad Cyrillum Alexandrinum, de Chriſoſtomi* nomine, Diphtychis a ſe inſerto. Hæc extat apud Niceph. *Hiſt. Eccl.* l 14. c. 26. *Breviorem ad Calliopum, Eccleſiæ Nicenæ Presbyterum*, cum argentum pauperibus dandum tranſmitteret, apud Socratem, l. VII. c. 25. Homil. *in natalem Chriſti*, cujus fragmenta vel tertia vice *Concil.* T. III. p. 119. 517. 849. *Epiſt. ad Eupſychium*; cujus particula apud Theodoretum, *Dial.* II. p. 110. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. IV. pag ſeq.

ATTO.

Secundus Vercellenſis Epiſcopus, Aldegarii filius, anno 945. floruit. Obiit poſt annum 960. Scripſit *Capitulare* in centum Capita diſtinctum: *De Preſſuris Eccleſiæ* librum, in tres partes diviſum. *Epiſt. varias*, quæ opuſcula ex mendoſo Codice Vaticano vulgavit Dacherius, *Spicil.* T. VIII. *Sermones* Attonis XVII. & ejus *Polypticus*, quem *perpendiculum* vocat, ex Codice iſto tranſcribi non potuerunt, quod tineis corraſus fuit atque abſumptus. Meliorem quidem atque integriorem, Vercellenſem nimirum, commendat Oudinus p. 306. quem tamen Canonici denegarunt. Conf. Cave P. I. p. 405. Ferdin. Ughellus in *Italia S.* Opera Attonis enarrat, atque Summam tranſcripſit Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 25.

AUDOENUS.

Cognomento *Dado*, apud Sancianum in Sueſſionibus natus, ex A-

ex Apocriſiario, ſeu Referendario Dagoberti I. (juxta alios Auriculario, qui obſignandis regiis edictis annulum imprimebat) Archi-Epiſcopus, anno 646. electus; cujus poſt Aimoinum l. IV. c. 4. Baronius, *Annal.* & *Martyrol.* die 25. Auguſt. meminit. Obiit anno 689. juxta *Oudinum*, febri correptus. *Vitam S. Eligii, Noviomenſis Antiſtitis*, ejus ſodalis, *Remigii*, ſcripſiſſe eum refert *Gallia Chriſt.* Sanmarth. T. I. f. 562. *Vitam Eligii*, tribus libris diſtinctam, edidit quidem Surius, ad d. 1. Decembr. ſed duos ſaltem ejus libros priores. Cum tertio autem, qui ſummam priorum recapitulat, extant apud Dacherium, *in Spicileg.* T. V. *Ejus ad Deſiderium Cadurcenum Epiſtolam*, vide apud Caniſium, T. V. *antiqu. lect.* p. 542. Confer cum hoc Audœno *Audœnum* Sueſſionenſem, *Dadonum* dictum, Rotomagenſem Epiſcopum, anno 690. defunctum, libri *de anima Dagoberti* autorem, quem *Claſſ.* 7. *Acad. J. C.* p. 124. refert ex *Centur. Magdeb. VII.* c. 10. 274. Joh. Schopffius. Nobis quidem arbitris, ille ipſe eſt, quem nunc deſcripſimus, non obſtante, quod Chronotaxiæ ratio, aliquatenus diſcrepet. Agit de eo Cave, P. I. p. 321. Sigebertus, *de Script. Eccleſ.* c. 58. Oudin. *Suppl.* p. 184. Hendreich. l. c. & alii plures.

AMALRICVS AVGERII.

Biterrenſis, non verô Bononienſis, ut Voſſius conjicit, Ord. Auguſt. Monachus, atque Cœnobii B. Mariæ de Aſpirano, diœceſis Helenenſis, Prior, anno 1362. clarus, ſcripſit *Chronicon Pontificale* ex 209. Scriptoribus, ordine alphabetico digeſtum, cujus partem edidit Baluz. *Vit. Pap. Aven.* T. I. col. 95. 185. Totum verò Manuſc. apud P. Scriverium aſſervatum olim fuiſſe, Voſſius teſtatur, L. III. c. 1. p. 531. Meminit Sandius *not. ad Voſſium* p. 202 *Hiſtor. Belli contra Albingenſes*, ut Cave ex utroque obſervat, P. II p. 284.

AVGVSTINVS ANCONITANVS.

Sive *de Ancona* patria ſic dictus, Eremitarum Ord. S. Auguſt. idem qui *Auguſtinus triumphus* vocatur, Roberto, Regi Neapolitano, cariſſimus, ad annum 1328, ſuperſtes. Ejus ita nuncupata *Summa ad Joh. XXII. P. R. de Poteſtate Eccleſiæ*, impreſſa eſt, Auguſt. Vindel. 1473. Rom. 1479. & 1582. Extat ille liber Magdeburgi in Bibl. Metropol. in fronte quidem iſthac priſci cujuſdam & pii Zelotæ inſcriptione notatus: *Blaſphemæ adulationes ad Papam Auguſtini de Ancona. Comment. in Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Magnificat* &c. ab Angelo Rocca editi Romæ, 1590. & 1592. Alia quæ exaraverit, poſt

Trithemium, Sixtus Senenſis, L. IV. f. 218. ſuppeditabit. Inceptum ab eo Volumen, *Milleloquium Auguſtinianum*, dictum, ex S. *Auguſt. Operibus* collectum, at morte interceptum, per *Bartholomæum Vrbinatem*, poſtea conſummatum, prodiit, Lugduni, 1555. ut ex eodem Trithemio refert Labbeus, T. I. p. 169. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XI. p. 63.

AVGVSTINVS.

Romanus, Monachus, Gregorii M. auditor, a Gregorio P. R. cum aliis Evangelii prædicandi cauſa in Angliam miſſus eſt. Poſt Anglicæ gentis Archi-Epiſcopus, ab Aetherio, Epiſcopo Arelatenſi, conſecratus, Saxonum converſionem meditatus, reliquos Angliæ Epiſcopos convocavit, qui tamen ejus morum ſuperbia offenſi, eidem obſtiterunt. De minis ob id Epiſcopis prædictis, iisque expletis, vide Cave P. I. p. 307. qui eundem ſtatura procera & erecta, animo elatiori, moribus aſperis, religioſum potius, quam doctum & ſuperſtitionis magis, quam veræ pietatis ſtudioſum fuiſſe ſcribit. Florere cœpit anno 598. Scripſit *ad Gregor. P. R. Interrogationes* X. quæ cum *Reſponſis Gregorii* ad calcem *Epiſt. Gregorii* & cum verſione Saxonica apud Bedam, *Hiſt. Eccleſ.* L. I. c. 27. extant. Alium quidem, de *Conſervatione Novitiorum*, librum, eidem tribuit Whartonus, ſed male, ut in eo notat Cave P. II. p. 114 Reliqua obſervata vide apud Cavium, P. I. p. 307.

AVGVSTINVS de ROMA.

De Favaronibus cognominatus, Italus Romanus, Ordinis Eremitarum S. Auguſt. Prior, anno 1419. dein Epiſcopus Cæſenas, anno 1431. ac demum Nazarenus in Regno Neapolitano Archi-Epiſcopus, obiit anno 1443. Scripta ejus ex Trithemio, Sixto Senenſi & Bellarmino repetit H. Wharton in *App. Cav.* p. 66. ut ſunt: *Liber de Sacramento Vnitatis Chriſti & Eccleſiæ: Liber de Chriſto capite: Liber de infinito Chriſti amore;* quos impreſſos eſſe idem Wharton judicat, eò quod in indice expurgatorio prohibeantur. Plura vide apud Poſſevinum, & Joſephum Pamphilum, *Chron. Ord. Eremit.* p. 79. & autores citatos, Du Pin *Bibl. Nouv.* T. XII. p. 91. Errores verò Auguſtino adſcripti, ibidem p. 152. ſeq.

AVGVSTINVS DATHVS, vide DATHVS.

AVRELIVS AVGVSTINVS.

Hipponenſis, Patricio patre, Monicâ matre, Tagaſtæ in Numidia

midia, anno 355. natus. Romam ex Africa venit, anno 383. Dein Mediolanum 384. ubi, cum Ambroſii verba captaret, res invenit, ut ipſe ait *Lib. V. Confeſſ.* c. 13. baptizatus ibidem, ætat. anno 33 Feſto Paſchatos, anno 388. cum filio quadrienni, Adeodato, & Alipio, amico. Poſt S. matris obitum, ad oſtia Tiberina die 4. Maji. 389. in Africam reverſus, a Valerio, grandævo Hipponenſi Epiſcopo, advocatus & creatus anno 391. Presbyter, tandem ex Coëpiſcopo ſucceſſor factus & conſecratus, anno 396. Eccleſia diu & feliciter gubernata, in obſeſſa per Vandalos civitate, inter lacrymas & preces, Pſalmosque pœnitentiales contra parietem ad jugem adſpectum poſitos 76. annorum Senex ad meliorem vitam, anno 430. evocatus. Hæc vitæ ſumma, cujus omnes ſcenas ipſemet optimus panegyriſtes aperuit, Libro *Confeſſionum*, ſuppletis a Poſſidonio, Calamenſi Epiſcopo, reliquis, ut taceamus, quæ Lud. Vives præfatione *Operum ejus*, B. Chemnitius, Cave, & Benedictini Monachi nuper ex inſtituto congeſſerunt. Iconibus depicta & a Wilibaldo Majero explicata *Vita S. Auguſtini* prodiit, Ingolſtadii, 1631. fol. Fuit utique, quoad vixit, eruditione, virtute & vigilantia, lumen Eccleſiæ vix comparabile, Hæreticorum quoque, Arianorum, Manichæorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, aliorumque, malleus, Ethniciſmi depopulator acerrimus. Genium ejus accurate depingit Cave *loco citato*, & Arnoldus in *Hæres.* P. I. L. V. c. 3 §. 4. p. 221. Varia autem de illo judicia collegit ex Eraſmo, Ludovico Vives, Sixto Senenſi, Scaligerianis, Caſaubono, Du Pinio, Richardo Simonio, aliisque, Blount, *Cenſur. celebr. autor.* p. 271. ſeq. Errores obſervat Dallæus de *vero uſu Patr.* p. 280. ſeq. Opera, quæ pro indefatigabili diligentia ſcripſit, quamplurima, ſæpius impreſſa extant, de quibus Labbeus, Cave, Du Pin, Hendreich, Moreri, Bayle, Ittigius, *in præf. Caten. Patr.* fuſius diſſeruerunt. Prodierunt autem Auguſtini Opera, Baſil. 1506. 1528. 1529. 1541. 1542. 1543. 1552. 1556. 1566. 1569. Venet. 1571. 1584. Antwerp. 1577. 1579. Colon 1616. Lugduni 1571. 1664. Paris. 1515. 1531. 1541. 1571. 1576. 1586. 1609. 1614. 1626. 1635. 1654. Stetini, 1615. Norimb. 1615. Nec ſpuria a genuinis diſcernere amplius locus eſt, cum id egregiè præſtiterint Cl. editores recentiſſimæ Operum Auguſtini editionis, quam doctiſſimi collectores *Act. erud. Lipſ.* anno 1683. & poſt illos Cave P. II *loco citato* p. 53. exhibuerunt. Hæc ex mille Manuſcr. comparatis, Mabillonio directore, à LX. Monachis Benedictinis ſuſcepta eſt, ut teſtatur

Journal des Savans, T. II. Prodiit 1679. & ſequentibus annis in XI. Tomos fol. diviſa. Acceſſit anno 1700. *vita Auguſtini* ex ejus Scriptis imprimis concinnata & in VIII. libros diviſa, una cum Indicibus generalibus in Opera Auguſtini, & indice alphabetico Operum Auguſtini, & aliis, quod novum Volumen, undecimum Tomum, conſtituit. Præmiſſa eſt præfatio, quâ Bendictini Janſeniſmi ſuſpicionem, à ſe declinant, id quod etiam Romæ aliquot ab hinc annis factum, iidemque adverſus anonymos cenſores, ſunt vendicati. Commendanda hæc editio a chartæ puritate, ſummaque typorum elegantia, Manuſcriptorum collatione induſtria, maxima Scriptorum genuinorum a ſuppoſititiis diſcretione, juſta diſpoſitione & aliis. Recuſa hæc editio Amſtelodami cum acceſſionibus quibusdam & appendice, in qua ſunt S. Proſperi *Carmen de Ingratis*, cum notis Lovanienſis Theologi, Joannis Garnerii, S. J. P. *Diſſertationes*, pertinentes ad Hiſtoriam Pelagianiſmi, Pelagii, Britanni *Commentarii in Epiſtolas S. Pauli*, ac denique Deſiderii Eraſmi, Joh. Ludovici Vivis, Jacobi Sirmondi, Henrici Noriſii, Joh. Phereponi, & aliorum *Præfationes, Cenſuræ, Notæ & Animadverſiones* in omnia *S. Auguſtini Opera*, Tomus XII. qui huic editioni peculiaris, undecim prioribus ex ſola editione Pariſienſi ſine mutatione, expreſſis. Amſtelodami, apud Petr. Mortier, 1703. fol. Recenſet illam Clerc. *Bibl. Choiſie*, T. I. p. 399. ſequ. Cæterum obſerves, has in Auguſtinum notas in examen nuper eſſe revocatas, a Theologo quodam Cantabrigienſi. Nova nunc juxta Pariſienſe exemplar, Venetiis, editio, ſub prelo deſudat, ut fidem facit Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 735. Nec illa volumus prætermiſſa, ex *Diſſertatione latina* Allixii, *de Epiſtola Auguſtini ad Conſentium*, excerpta, quorum meminit Moliere, *Eſſais de Litterature pour la connoiſſance des Lettres*, Tom. I. pag. 243. Stylus Auguſtini judice Eraſmo, *argutus, & periodis in longum productis multa convolvens, quod Lectorem & familiarem, & acutum, & attentum, & bene memorem requirit, denique tædii, laborisque patientem*; & alibi, Scriptorem & *obſcuræ ſubtilitatis* & *parum amœnæ prolixitatis* ipſum vocat.

AVGVSTINVS de LEONISSA.

Ord. Eremit. S. Aug. edidit *Sermones ſuper Orationem Dominicam, & ſalutationem Angelicam*, excuſos, Coloniæ, 1502. 8v.

AVGVSTINVS.

Nebienſis patria, Juſtinianus Proſapia, Ord. Præd. Monachus, tan-

tandem Genuenſis Epiſcopus, edidit *Pſalterium Octaplum*, linguarum fere omnium peritiſſimus, teſte Sixto Senenſi l. IV. *Bibl.* f. 219. Iſtius præfatione promiſit ſimile *per totum V. & N. T.* confectum Opus, quod expectabat Michaël Neander, *Erotem. Ling. Hebr. præf.* p. 8. qui p. 541. ait, ex ejus recognitione *Porcheti Victoriam*, anno 1520. prodiiſſe. Obiit maritima abſumtus tempeſtate, aut a pœnis prædonibus interceptus, anno 1530. vid. omnino Mich. Neandri *Orb. Terr.* P. I. p. 298. ſeq. Paulus Jovius *Elog. doct. Viror.* n. 130. ubi Auguſtini Epitaphium videre eſt.

AVGVSTINVS.

Patricius, dictus, ſub Innocentio VIII. Ceremoniar. magiſter, poſt 1483. Epiſcopus Poientinus. Scripſit ad Bartholomæum Paganuccium *Vitam Fabiani Bencii*, Politianenſis, S. Canon. Prof. item *Deſcriptionem adventus Frider. III. Imper. ad Paulum II. P. R.* quæ opuſcula primus edidit Mabillon, *Muſæo Ital.* P. II. T. I. p. 251. Tract. *de Ritibus Eccleſiæ Rom.* quem edendum promiſit idem Mabillonius, prout teſtatur H. Wharton, *App. Cav.* p. 115.

AVGVSTINVS.

Patricius alter, Italus, Senens. Canonicus, Franciſci Piccolominæi Secretarius, anno 1480. clarus, ſcripſit *Hiſtoriam Conciliorum Baſileenſis & Florentini*, quam vide *Concil.* T. XIII. p. 1488. ad 1616. *Hiſtoriam Conventus Ratiſponenſis*, inter *Script. Germ.* a Frehero editos, Francofurti, 1602. T. II. p. 143.

AVGVSTINVS STEVCHVS.

Patriâ Eugubinus, Chiſami Epiſcopus, Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, omni ſapientiæ genere inſignis, cujus habentur *Annotationes in Pentateuchum Moſis*, editæ una cum ejuſdem *Libris X. de perenni Philoſophia*, teſte Michaële Neandro, *loco citato* p. 9. Præterea quoque Sixtus Senenſis meminit ejus *Commentarii ſeu eloquentiſſimæ*, ut ait, in capita duo priora Geneſeos *explanationis*, *Coſmopœia*, inſcriptæ, & *Pſalmorum enarrationis*, ejusque ætatem ad Caroli V. Imperatoris tempora, circa annum 1540. reponit.

AVGVSTINVS.

Italus Ticinenſis, Canonicus Regularis Ticinenſis, Congregationis Lateranenſis, anno 1500. clarens, poſt annum 1520 obiit. Scripſit *Vitam B. Monicæ: Elucidarium Chriſtianarum Religionum: Regulam*

S. Auguſtini, *S. Guazini Vitam* continentem, quæ *Vita* ſeorſim extat apud Surium ad VI. Febr. Hæc tria Opuſcula prodierunt, Brixiæ, 1511. *Compendium Speculi Crucis: Expoſitio in Pſalmum: Deus in nomine tuo ſalvum me fac, & Tract. de docta ignorantia*, Mediolani, 1603. *Chronicon Magnum*, in membrana adhuc deliteſcit. Conf. H. Wharton, *loco citato* p. 127.

JOH. AVENTINVS.

Turmarius cognomento, Abuſinâ, Bojariæ oppido, vulgo Abenſperg dicto, natus, anno 1466. Ingolſtadii poſtquam literis incubuiſſet, Lutetiam appulit, ibidemque artium Magiſter creatus, anno 1512. ob inſignem Matheſeos, Philologiæ, atque Hiſtoriæ peritiam, floruit. Viennæ, Cracoviæ, aliisque locis prælegit, uſque dum in patriam reverſus, Ludovico atque Erneſto, Bavariæ Principibus, in Præceptorem daretur. Hoc defuncto officio animum ad libros ſcribendos adplicavit, & poſt exantlatos labores, Ratisponæ, 1534. occubuit. Scripſit *Annales Bojorum Lib. VII.* editos Ingolſt. 1554. fol Baſil. 1580. fol. & Germanicè, Francof. 1566. 1577. prior tamen editio optima jure habetur. *Rudimenta Grammatica*, Auguſtæ Vindelicorum, 1519. *Explicationem veterum conſuetudinis numerandi per digitos manusque*, Ratisponæ, 1532. *Annales Schirenſes*, Biponti, 1600. 4. *De origine Saracenorum, & bellis adverſus Chriſtianos geſtis.* T. I. *Chron. Turc.* a Philonicero vulgati, Francof. 1578. fol. *Ex Annalium Bojorum*, Baſil. 1615. Francof. 1627. fol. recuſorum Lib. I. *Danicarum antiquit.* Sermones XVI. ſelegit, notisque ſuis illuſtravit Joh. Lyſiander, Haffniæ, 1642. 4t. Conf. Voſſ. L. III. H. L. c. 10. p. 655. Boiſſard *Icon. Illuſtr.* P. II. p. 224. Melch. Adam. *Vit. Litterat.* p. 75. Zeiller. *Catal. Hiſt.* P. I. p. 12. ſeq. Simler. p. 339. Henr. Wharthon *in app. Cav.* p. 136. & ipſum Cavium, P. II. p. 319, Cl. Buddeum in Lexico & alios.

ALCIMVS ECDICIVS AVITVS.

Lugdunenſis Gallus, Iſicii Senatoris, ac poſtea Viennenſis Archi-Epiſcopi filius, Apollinaris, Valentiæ Epiſcopi, frater, Aviti, Imperatoris Rom. Nepos, & Parentis in Viennenſi Gallorum Epiſcope, anno 490. ſucceſſor. Gundobaldum atque Sigismundum, Burgundionum Reges, ab Arianiſmo ad Chriſtianiſmum convertit. Anno 517. Concilium Epaonenſe celebravit, eidemque præfuit. Alia præſtitit laudata Adoni, Ennodio, Gregorio Turonenſi, & Iſidoro Hiſpalenſi, quos citant Sanmarthani T. I. *Gall. Chriſt.* f. 794.

Labb.

Labb. T I. p. 170. Cave P. I. *Hiſt. Litt.* p. 164. Obiit anno 523. Epitaphium ejus exhibet Baronius ad annum 516. cujus aliquot verſus tranſcripſit Cave, *loco citato.* Adde Borrichii judicium de Avito, *Diſſ. II. de Poët. lat.* p. 79. latum: *Poëta erat elegantiſſimus, ut miremur ævo tam rudi venam adeò doctam & expeditam.* Conf. quoq; Barthius, *adverſ.* I. 10. c. 16. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 9. Scripſit *de mundi Origine: de Peccati Origine: de Sententia Dei: de Diluvio: deque Tranſitu maris rubri,* lib. V. verſu Hexametro. *De Laude Virginitatis librum,* Heroico Carmine. Hæc Poëmata ſeorſim excuſa Francof. 1507. Colon. & Paris. 1508. & 1509. Baſil. 1546. cum Menrari Moltheri Commentariis, & Lugd. 1536. 12 Habentur quoque in *Collect. Fabriciana* & *append. Bigneana,* Paris, 1624. *Epiſtolas ad diverſos,* n. 87. quorum contenta Du Pinius *loco citato* enarravit. *Homiliam de Rogationibus: Homiliarum* VII. fragmenta, quæ Opuſcula ad probatiſſimorum exemplarium & Codicis manuſcr. vetuſtiſſimi fidem correctius edidit, & notas addidit Joach. Zehnerus, Lipſ. 1604. & poſt illum Jac. Sirmondus, Paris. 1643. Ex illis, *Bibl. Patrum* inſerta ſunt. T. XI. p. 560. *Epiſt.* IV. & *fragmenta* quædam ſiſtit, Baluz. *Miſcell.* T. I. p. 355. *Collationem ejus aliorumque adverſus Arianos,* Dacherius, *Spicil.* T. V. Scripa Aviti deperdita enumerant Cave, Hendreich, Du Pin, T. V. p. 5. ſeq. ut ſunt: *Homiliarum Liber de mundi principio: Epiſtolæ per plures: Dialogus contra Hæreſin Arianam, ad Gundebaldum Regem: Lib. II. contra Neſtorii & Eutychis errores. Contra Fauſti errores de Gratia & libero arbitrio Liber.* Alius autem eſt hic Alcimus ab eo, de quo Sidonius l. 8. Epiſt. I. & ab Avito, Abbate Divi Maximini Miciacenſis, diœceſis Aurelianenſis, de quo vide Sanmarth. l. c. f. 795. Alieniſſimus quoque ab Alcimo Siculo, cujus *Italica* citat Athenæus, Lib. X. & XII. memorante Voſſio L. IV. de *Hiſt. Græc.* P. III. f. 301. Conf. Fabricii *Bibl. Lat.* p. 700. ſeq.

AVRELIANVS.

Arelatenſis Archi-Epiſcopus, anno 546. conſecratus, ortu Gallus Narbonnenſis, Concilio Aurelianenſi V. ſubſcripſit, anno 549. Alia memoratu non indigna memorat Oudin. *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 120. ſeq. Scripſit duplicem *Regulam. Alteram* Monachis, quæ extat apud Holſtenium, *in Collect. P. II.* p. 58. ſeq. *Alteram* Sanctimonialibus, ibidem P. III. p. 35. Conf. Du Pin T. V. p. 73.

AVRELIVS BRANDOLINVS.

Cognomento *Lippus*, Florentinus, Ord. Auguſt. Monachus, anno 1488. clarus, Theologus, Muſicus, Rhetor atque Poëta conſummatiſſimus, anno 1498. peſte correptus, Romæ obiit. Teſtibus, Voſſio l. 3. *Hiſt. lat.* f 611. & Hieronymo Ghilino, *Theatr. Litter.* H. Wharthono *App. Cav.* p. 118. Scripſit *Lib. II. Paradoxa Chriſtiana.* De *ratione ſcribendi Lib. II.* Colon. 1573. 8. De *humanæ vitæ conditione & toleranda corporis ægritudine Dialogum*, ad Corvinum, Hungariæ Regem, quæ junctim excuſa, Baſil. 1498. 1543. *Carmina de morte Platinæ*, quæ extant ad calcem *Operum Platinæ.* Scripſiſſe quoque fertur *Hiſtoriis V. T. Hiſtorias multorum Sanctorum, V. & N. T.* carminicè, *Comment. in Epiſtolas Pauli, & Orationes perplures*, ſingula tamen hactenus inedita.

AVRELIVS.

Socius & contubernalis S. Pontii, ejusdem *Martyrium*, quod anno 258. contigit, ſcripſit, extulit illud Baluzius in *Miſcell.* Paris. 1679. è Codice Colbertinæ Bibliothecæ, de quo Oudinus, *loco citato*, p. 20. Floruit Aurelius circa annum 260.

AVRELIVS.

Charthaginenſis Diaconus, poſt ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus, anno 390. factus, anno circiter 426. è vivis deceſſit. Zelum ejus pro Religione Catholica teſtatur ſtatuæ Cœleſtis Deæ, ab Aurelio, gentili Pontifice, erectæ, everſio, de qua poſt Baronium, pereru. dite diſſeruit Cave, P. II. p. 51. ſeq. Hic idem Aurelius ſtrenue adverſus Donatiſtas, diſputavit, variisque Conciliis in Africa celebratis, vel interfuit, vel ipſe præfuit. Habentur ejus *Oratiunculæ* ad Patres Africanos, *in Collect. Concil. African. Epiſtola verò Encyclica* de damnatione Pelagii & Cæleſtii, anno 419. ſcripta, extat apud Baronium, *ad annum* 419. p. 455. & *Concil. T. II.* col. 1609. *Epiſtola verò ad Damaſum* P. R. tanquam ſpuria, Aurelioque antiquior, rejicitur ab ipſo Baronio, ad annum 374. p. 365.

DECIVS MAGNVS AVSONIVS.

Patriâ Burdegalenſis, Gratiani Imperatoris Præceptor, & ab eo ad Conſularem dignitatem evectus, Vir græc. & lat. doctus Poëta feliciſſimus, omnivario eruditionis genere refertus, ab anno 379. ad 392. non verò 410. uti Trithemius ſuaſit, quem alia quo-

quoque falſa de eodem ſcripſiſſe notat Labbeus, T. I. p. 171. floruit. Legant, quibus placet, varia Eruditorum de Auſonio judicia, apud Blount, *Cenſur. Celebr. Autor.* p. 268. ſeq. Nos eam ſaltem attendimus controverſiam, an Auſonius Chriſtianus, an verò Gentilis, extiterit. Priorem amplectuntur Elias Vinetus, Crinitus, Gyraldus, Bellarminus, aliique. Poſteriorem verò J. G. Voſſius, Olaus Borrichius, Chriſtophorus Hendreich, & doctiſſimus Cave, laſcivâ dicendi venâ, arctâque cum Symmacho, Chriſtianorum hoſte infenſiſſimo, familiaritate, commoti, maluerunt arripere. Nos tamen prioribus adſtipulamur, freti conſenſu Clar. Virorum, Fabricii, Hambugenſis, atque Baylii, cujus argumenta omnem nobis dubitationem eximunt. Opera, quæ ſcripſit Auſonius, prolixè enarrat Hendreich, in *Pandectis Brandeburgicis*, qui ſingulas ferè editiones adduxit. Hæc proinde non tranſcribimus, ſed commendamus ſaltem recentiſſimam illorum editionem, quam cum notis variorum Jac. Tollius, Amſtelodami 1671. 8v. imprimi curavit. Vide pluribus citatum Hendreich, qui innumeros de Auſonio allegavit autores, p. 360. & Joh. Albert. Fabricium, *Bibl. lat.* p. 583. ſeq. docte de Auſonio differentem, Cl. Buddeum, Baylium *Dictionaire Hiſtor. & Critiqu.* & alios.

AMBROSIVS AVTHPERTVS.

Monachus Ord. Bened. ac dein Monaſterii S. Vincentii, ad fontes Vulturni, fluvii in Samnio ſiti, Abbas. Neutiquam floruit Sec. IX. prout Trithemius, Bellarminus, Poſſevinus, Sixtus Senenſis, & cum aliis plerisque *Colon. Magn. Bibl. Patr. Collectores*, annò 1622. putant, qui ad annum 890. eum referunt, ſed VIII. Sec. circa annum 760. quæ ejus ætas *Libr. X. Comment. Apocal.* ab eo clare indicatur, obſervante & corrigente Labbeo, T. I. p. 43. Obiit annò 878. *Comment. ejus in Apocalypſin* prodiit Lib. X. diviſus, Colon 1536. & in *Bibl. Patr.* T. XIII. p. 403. Reliqua falſò ipſi adſcribuntur, & ad juniorem quendam Authpertum ſpectant. Cave quoque, ne confundas noſtrum cum illo Abbate Caſinenſi, de quo verba fecerunt, Petr. Diaconus, *de Viris Illuſtr. Caſin.* p. 23. Sigebertus, c. 91. Conf. ſi placet Cave P. I. *loco citato*, p. 345. qui totum hoc negotium doctiſſimè diſcuſſit. Huic ſuperaddas Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 108.

AVXILIVS.

Anno circiter 894. clarus, ſcripſit teſte Sigeberto, lib. *de Script. Eccleſ:* c. 12. *Dialogum ſub Perſona infenſoris & defenſoris, divinis & canonicis exemplis munitum, contra inteſtinam diſcordiam Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet de Ordinationibus, Exordinationibus, Superordinationibus Romanorum Pontificum &c.* quem è tenebris protraxit, luceque publica donavit, Joh. Morinus, ad calcem *Voluminis ſuarum diſſert. de Ordinationibus Sanctorum*, P. II. p 348 extat quoque *in Bibl. Patr.* T. XVII. p. 1. *Libellum Auxilii de Negotio formoſi Papæ*, exhibet Mabillon, *Analect.* T. IV. p. 610. De eo Cave P. I. p. 399. Oudin *loco citato*, p. 295. Natalis Alexander, *H. E. Sec. IX. P. I. c. 3. art. 34. p. 290.* atque autores ſupra allegati. His adjungas Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 154. qui pro more ipſi ſolito, rem altius repetiit.

BERNARDVS AYGLERIVS,

Gallus, Abbas Caſinenſis, anno 1263. electus, itemque Cardinalis, de quo vide Joh. Bapt. Mari *notas ad Petri Diaconi Supplementum*, p. 77. ubi & ejus Scripta recenſentur, è quibus tamen præter *Speculum monaſticum*, Venetiis & Coloniæ, 1520. editum, vix aliquod prodiit,

AYMERICVS de PEYRACO.

Gallus, Ord. Bened. Monachus, Decretorum Doctor, ac tandem Abbas Moyſſiacenſis, anno 1401. clarus, compoſuit *de Geſtis Caroli M. Volumen*, & *Chronicon Vniverſale*, quod utrumque Opus Manuſcr. adhuc in Bibliothecis Pariſinis, Regia atque Colbertina, deliteſcit. *Vitam verò Vrbani P. R. V.* ab Aymerico ſcriptam, extulit Baluzius, *Vit. PP. Aven. T. I.* col. 415. De hac quid ſentiat Cave vid. P. II. *Hiſt. Litt.* p. 300.

BACHIA-

B.

BACHIARIVS.

M*Accæus* dictus, qui *Miræo* Hibernus, *Cavio* autem, *Baleo* atque *Pitſeo* Britannus, ad pedes S. Patricii ſedit, atque omnem juventutem ſuam in Mathematicis poſuit. Cæterùm S. Auguſtini Σύγχρονος, vel ſenex circa annum 460. adhuc floruit. *Vir Philoſophiæ Chriſtianæ nudus & expeditus, vacare Deo diſponens*, elogio Gennadii, *Catal. Script. Eccleſ.* p. 100. n. 24. Scripta ejus ad Januarium de recipiendis lapſis, pœnitentiam agentibus, *Epiſtola*, intempeſtivam & Novatianam quorundam ſeveritatem perſtringens, extat inter *Orthodox. Patr. Lat.* f. 485. & *Bibl. Patrum, Paris. edit. 2.* Tom. III. f. 559. imò inter *Opuſcula* Sixti III. P. R. a Plantino edita. Commendat illam ob varium eruditionis genus Du Pin T. III. *Bibl. Nouv.* p. 155. *Apologia ad Leonem P. R.* ut cum aliis *Pitſeus* divinatur, adverſus peregrinationis ſuæ obtrectatores, quam ſolâ Religionis causâ, eo potiſſimum tempore, quo *Angli, Saxones, Juttæ & Friſii* in Britanniam ex Germania tranſierant, Oudino, *loco citato* p. 81. & Cypriano *in Scholiis ad Gennad.* p. 132. conjectantibus, ſuſceperat. Hæc quidem Gennadio aliisque lecta, ſed in lucem nunquam emiſſa eſt. Reliqua Bachiarii Opuſcula Pitſeus, *loco citato*, p. 89. commemorat, ut ſunt, Lib. *de fide perſeverante*, *de prognoſticis nativitatum*; *Librum* verò *de fine Salomonis*, Yvo Carnot. *Epiſt.* 64. Conf. præter citatos autores Hendreich in *Pandectis Brandeburgicis.* Cave in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 242. Aub. Miræus, *in Auctario* cap. 77.

ROGERVS BACONVS.

Anglus Somerſetenſis, Ilceſtriæ ſplendida ſatis gente oriundus, Edmundi Richii, & Ricardi Fiſacrii diſcipulus, Ordinis Franciſcani, anno 1278. clarus, ob reconditos naturæ receſſus ab ipſo penetratos, *Doctor mirabilis*, dictus, imò ipſius Magiæ criminis iterata vice accuſatus, carcerique incluſus eſt. Conf. tamen Naudæi *Apologie des Grands Hommes.* p. 490. Obiit doctiſſimus ſui Vir ſeculi anno 1284. Scripſit varia, quæ tamen ad Philoſophica magis pertinent, nimirum *Epiſtolas*, Hamb. 1618. 8v. *Specula Mathematica & Perſpectiva*, Francof. 1614. 4. *De retardandis ſenectutis acciden-*

tibus & ſenſibus confirmandis, Oxoniæ, 1590. 8. *Speculum Alchimiæ*, Norimbergæ, 1581. 4. Baſileæ, 1561. Vrſell. 1602. 8. Lib. *De arte Chemiæ cum aliis*, Francof. 1603. 1620. 8. *De mirabili naturæ & artis poteſtate, & Magiæ nullitate*, Paris. 1542 4. Baſil. 1593. 8. Hamb. 1608. 1618. 8. & cum notis *in Volum. V. Theatr. Chemici*, Argent. 1622, 8. Gallicè, Paris. 1612. 8. Inedita quædam, poſt reliqua, adducit Cave, P. I. p. 513. *Libr. V. Compend. Theolog. Grammaticam: Geomantiam: De Speculis comburentibus: De Impedimentis Sapientiæ*, & alia. Ibidemq; pagina ſequenti perdocte de Rogero noſtro differit, eam ob cauſam maximopere commendandus. Agit de Manuſcr. Pitſeus, p. 367. qui eadem longo agmine produxit. Conf. Bayle *Dictionaire Hiſtorique & Critique, &* alii. Huc quoque faciunt ea, quæ de Bacono, & affecto ejus Scripturam perfectè capiendi invento, ediſſeruit Henricus Wharton, *Auctario*, Jacobi Uſſerii *Hiſtoriæ dogmaticæ controverſiæ, inter Orthodoxos & Pontificios, de Scripturis Sacris*, Londini, 1690. 4. editæ. Compendium ejus rei nobis exhibent, *Collectores Actorum Eruditorum Lipſ.*, anni 1691. p 297. Inter Scriptores 13 Seculi, qui à Wharthono, pro Scripturis & ſacris vernaculis adducuntur, comparet *Rogerus Bacon*, cujus epiſtolam de laudibus S. Scripturæ ad Clementem IV. Bibliotheca Lambethana tenet. Obſervat autem, Autorem illum portentoſa quædam & impoſſibilia in prolixa illa epiſtola comminiſci. Non enim tantum neceſſarium eſſe docet, ut omnes Chriſtiani ſacram Scripturam, tanquam fidei ſuæ fontem & regulam perfecte ſciant, ſed etiam fontes Hebraicos & Græcos ab omnibus conſulendos aſſerit. Et quamvis incredibile videatur, ut ſinguli Chriſtiani linguarum iſtarum notitiam ſibi comparare poſſint, id tamen Baconus factu perquam facile eſſe, perſuadere ſuis Lectoribus cupit, imprimis cum ſe Grammaticam quandam univerſalem inveniſſe glorietur, cujus ope intra pauciſſimos dies quilibet linguam Hebraicam, Græcam, Latinam & Arabicam addiſcere queat; & ut omnes, quod legunt, etiam intelligant, ſe opus quoddam manuductorium ſeu præliminare ad promovendam S. Scripturæ intelligentiam editurum ſpondet, enixe Pontificem orans, ut artificium ſuum ſummis omnium votis expetitum & frequentibus vaticiniis confirmatum, apoſtolica autoritate confirmet, & univerſæ Eccleſiæ commendet, unde innumera in eccleſiam beneficia redundatura minime dubitat.

BALDRI-

BALDRICVS DOLENSIS.

Patriâ Aurelianenſis, ex Monacho & Abbate Burgulienſi, Archi-Epiſcopus Dolenſis, claruit ad annum uſque 1131, quo obiit. Extat ejus *Hiſtoria Hieroſolymitana*, eleganter & veraciter ſcripta, inter *Geſta Dei per Francos*, T. I. p. 81. quæ Tomis II. Hanoviæ, 1611. curâ Bongarſii prodierunt, itemque inter *Hiſtor. Franc.* à Duchesnio emiſſos, T. IV. *Vita Hugonis Archi-Epiſcopi Rothomagenſis*, apud Arturum du Monſtieur, *in Neuſtria pia*, p. 282. cap. VIII. qui illam ut fabuloſam, variisque refertam mendis & erroribus chronologicis, explodit atque diſcutit, cap. 9. Idem Monſtieur, *loco citato*, pag. 217. *Baldrici relationem de Monaſterio Fiſcamnenſi* ſatis prolixam, inſeruit. *Vita S. Roberti de Arbriſellis*, extat apud *Surium & Bollandum*, ad diem 26. *Febr. Translatio & miracula capitis S. Valentini martyris*, apud Bollandum, die 14. *Febr. Vita S. Samſonis, Epiſcopi Dolenſis*, Baldrico quoque a Miræo *in Auct. de Script. Eccleſ.* cap. 358. pag. 246. & Sanmarth. T. II. Voſſio de *Hiſt. Lat.* L. III. c. VI. & Sandio tribuitur, æque ac libellus *de Viſitatione Infirmorum*, qui Manuſc. in Bibliotheca Lambethana viſitur. Conf. de Baldrico, Cave, *loco citato*, P. I. p. 448. Oudin, *Supplem.* 397. ſeq. Hendreich, *loco citato*, qui plures de eo autores adduxit.

BALDRICVS.

Primùm Gerardi I. Lietberti & Gerardi II. Cameracenſium Epiſcoporum, Secretarius, deinde Canonicus & Cantor Tarvanenſis, poſtea Archidiaconus & Epiſcopus Noviomenſis & Tarvanenſis factus, obiit anno 1112. in urbe Tarvanenſi. Extant *Ejus Hiſtoriæ Cameracenſis & Atrebatenſis*, Lib. III. quos cum notis Georgius Colvenerius, Duaci, 1615. titulô *Chronici Cameracenſis*, prodire fecit. *Chronicon* inſuper Baldrici hujus, quod *Eccleſiæ Tarvanenſis & Ambianenſis fata* exponit, in membrana aſſervatur in Monaſterio Benedictino apud Cenomanenſes, uti ex *Voſſio* refert Cave, *loco citato*, P. I. p. 440.

BALDVINVS.

Anglus, à patria *Devonius* dictus, ex Ludimagiſtro Archidiaconus, poſt Fordæ in Anglia Abbas, Ord. Ciſterc. & Epiſcopus Wigornienſis, Archi-Epiſcopus demum Cantuarienſis, anno 1185. creatus, non verò circa annum 1171. quod Cave in Oudino notat, variisque *Goodvvini*, *Gervaſii*, aliorumque teſtimoniis dilucidè

probat. Obiit *Balduinus*, anno 1191. Tractatus ab eo ſcripti XVI. extant, quos omnes atque ſingulos *Bertr. Tiſſier, Scriptor. Bibl. Ciſterc.* T. V. p. 1. ſeq. inſeruit. Principes eorum meminit Cave P. I. pag. 479. & Oudin, *loco citato*, p. 453. nimirum, *de dilectione Dei, de duplici reſurrectione, de requie, de efficacia divini eloquii, de ſalutatione angelica, de commendatione fidei, de Sacramento Cœnæ, de Vulnere charitatis, de beatitudinibus Evangelicis, de crucifixione veteris hominis, de Vita Cœnobitica, de pulchritudine Nazaræorum.* Plura ſubminiſtrabunt Carolus de Viſch, *in Bibl. Script. Ord. Ciſterc.* p. 31. Baleus & Pitſeus p. 260. Hendreich, *loco citato*, qui eum Tyri obiiſſe, atque humatum eſſe, ſcribit. Taxant præterea in Balduino alii, blandam ad vitium uſque lenitatem, de qua Vrbanus, Papa, in illum advertens ſcripſerit: *Monacho ferventiſſimo, Abbati calido, Epiſcopo tepido, Archiepiſcopo remiſſo.*

BALDVS.

Ex celebri Vbaldorum gente, Peruſiæ natus, Juris Vtriuſq; Doctor, *Bartholum* de Saxo ferrato, Præceptorem, ingenii ſubtilitate ſuperaſſe fertur, Paulo Jovio, *Elog. Doctorum* num. 8. p. 23. Claruit anno 1380. Nimium quantum evectus, quando *Omniſcius* Jaſoni dictus, teſte Kirchnero *2. legat. 1. n. 7.* quo titulo & SS. Triumviri, Hieronymus, Iſidorus, & Alcuinus mactati, vid. Pitſ. *Script. Angl.* fol. 157. Scriptoribus Eccleſiaſticis intuitu monumentorum, quæ poſt alia multa *ſuper Decretalium Libros*, Venet. 1595. edita, reliquit, annumeratus, vid. Joh. Fichardus, Luc. Waddingus, Henr. Willotus, Joh. Jacobus Boiſſardus, & alii. Obiit Ticini, non anno 1423. uti perperam ſcribit Trithemius, ſed 1400. poſtquam a ſua canicula, quam alebat, in labro leviter morſus, quarto deinceps menſe, rabiem concepit, prout refert Mathiolus *ad Dioſcor.* & Wolffius *Vol. 2. memor.* f. 418. Habitu Franciſci, qui *Jeſus typicus* dictus, non ſine ignominia veri & unici Jeſu noſtri, ejusque ſalutaris indumenti, miſer cum expiraret, indui & ſepeliri voluit. Quod etiam à Philippo III. Hiſpaniarum Rege, Alberto, Archiduce Auſtriæ, Marchione Mantuano, Chriſtophoro Longolio, Rodolpho Agricola, aliisque factitatum tradunt, Heidanus *ad annum 1539.* p. 197. Miræus *Elog. Belg.* p. 108. Boiſſard. *T. I. Icon.* f. 102. Suffrid. Petr. *Dec. VIII. Script. Friſ. c. 5, p. 51.* Willot. *Athen. Franc. p. 55.* De *Baldi* Scriptis verò videndi ſunt Boiſſardus, *loco citato*, & H. Wharton in *Appendice Caveana*, p. 44. Nec ſicco tranſimus pede Epitaphium Labbeo *in*

Theſ.

Theſ. Epitaph. p. 190. memoratum, quod de laudibus, quibus cumulatus fuit, ſat ſatis abunde teſtatur. Hoc autem ita ſe habet:

Nemo quod hunc latuit ſcivit, ſi jura *Monarcham*,
Ferre queunt, tanto hic nomine dignus erat.

Agunt de Baldo Pancirollus, *de claris Legum Interpretibus*, Lib. II. cap. 70. pag. 201. Baillet, *Enfans celebres*, p. 420. Bellarminus, *de Script. Eccleſ.* Moreri, Bayle, & Buddeus *in Lexicis*. Du Pin T. IX. p. 204.

BALTHASAR de LIPSIA.

Theol. Licent. & Proviſor Fratrum Collegii S. Bernhardi. Scripſit *Expoſitionem Myſteriorum Miſſæ, metricam & proſaicam*, quæ Lipſiæ, ann. 1497. 4. prodiit. Item, *Concluſiones contra Joh. Huſſum, pro communione ſub una*, ibidem, 1494. 4t. Claruit anno 1498. Ex hoc unico Balthaſare, duos facere videtur Hendreich, *in Pandectis Brandeburgicis*, p. 401. Alium enim a noſtro diſtinguit, quem Franc. Balthas. appellat, eidemque ſcripta modo adducta, attribuit. Plenius inſuper atque *Simlerus* de noſtro Balthaſare, aliisque ejusdem ſcriptis, idem Hendreich, *loco citato*, diſſeruit.

BALTHASAR DELRIO.

Hiſpanus Palentinus, Scholaſticus Mindonienſis, Archidiaconus Ceſenatenſis, Leonis X. Cubicularius, Protonotarius Apoſtolicus, & Cardinalis Alborenſis, Secretarius, circa annum 1513. clarus, quo in Concilio Lateranenſi, *Orationem in Matth. cap. XVII. verſ. 20. Nihil impoſſibile erit vobis*, de bello contra Turcas ineundo, habuit, quæ *Concil. T. XIV.* p. 165. extat, & ſeorſim excuſa eſt, Romæ, 1513. 4t.

BANDINVS.

Incertæ ætatis Theologus, *Sententiarum Theolog. Lib. IV.* autor vulgò habetur, quanquam multi ſint, qui ipſum plagii reum faciant atque ſua ex Lombardo decerpſiſſe, exiſtiment. Legat hujus rei cupidus, Jacobum Thomaſium *de plagio litterio*, §. 493. ſeq. Prodierunt verò Libri curâ Benedicti Chelidonii, Viennæ, 1519. Recuſi Lovanii, 1555. & 1557. 8v. Plura ſuppeditabunt Hendreich, *loco citato*, Kœnigius *in Bibl.* p. 83. Hallervord, *in Bibliotheca Curioſa*, pag. 29. & alii.

BAPTISTA.

Ferrarienſis, *Panætius* cognomento, Ord. Carmelit. Theolog. Prof.

Profeſſ. & à ſecretis Conſiliis Herculis I. Ferrariæ Ducis II. circa annum 1494. floruit. Extant ejus *Sermones varii* à Benedicto editi & Baptiſtæ Mantuano dicati, Bonon. 1506. Plura ipſi ſcripta attribuunt Simlerus, Trithemius, Hendreich, Lambecius, *in Prodromo*, de quorum in lucem publicatione ſatis non conſtat. Memorant autem citati autores, ejus *Chronicon*, quod *Floridam* inſcripſit, *Chronicon ſui ordinis*, Lib. I. *De ruina Romani Imperii*, Lib. I. *De Monte Sina*, Lib. I. *Vitam Mechtildis*, L. III. *Chronicon Ferrarienſe*: *Epigrammata varia*, &c. Multos quoque *Chryſoſtomi Sermones* ex Græco in Latinum tranſtulerit. Conf. Voſſ. L. II. *de Hiſt. Lat.*

BAPTISTA.

Mantuanus, à patria dictus, aliàs *Spagnolus* cognominatus, anno 1448. furtivo complexu natus, Ord. Bened. Vir de monte Carmelo Prior Generalis, claruit 1494. Circa annum Mantuani emortualem multis diſquirit *Daumius*, ad Reineſium *Epiſtolis*, editis à Boſio, p. 20. 64. 74. qui illum ad annum 1516. reponit. Marmor à *Friderico*, Mantuæ Principe, ipſi erectum, laureaque condecoratum, in arcu triumphali juxta Virgilii Maronis ſimulacrum, poſitum videas. De vena ejus poëtica duriuſcule ſentit Scaliger, *Poëtic. l. 6.* mitius verò Lilius Giraldus, *Dialog. de Poëtis ſui ſeculi.* Cæterùm pluſquam quinquagies quinquies millenos verſus ab ipſo ſcriptos eſſe, teſtantur alii. *Scripta* & *Poëmata* ejus in IV. T. diſtincta, explicabit pluribus Lud. Jacob a S. Carolo, Carmelita Cabilonenſis, *in Bibl. Carmelit.* quæ jam ante edita, Antwerp. 1576. 8v. accurante Laur. Cupero, Carmelita montis Geraldi, & ex parte Coloniæ, 1565. Paris. 1513. Inter illa eminent: *De beata Vita Dialogus*: *De calamitate ſuorum temporum*: *Conſolatio ſuper morte*: *De contemtu mortis*: *De patientia*, & reliqua, quæ vide apud H. Whartonum, in *appendice Caveana*, p. 130. ſeq. Simler. *Bibl.* p 84.

BAPTISTA de SALIS.

Italus, patriâ Ligur, Provinciæ Januenſis, Ordinis Franciſcani ſocius, anno 1494. adhuc floruit. Extat ejus *Summa Caſuum Conſcientiæ*, ab autore, *Baptiſtiniana*, dicta, quæ prodiit Spiræ, 1488. Paris. 1499. Conf. Simler. *loco citato*, p. 85. Willot, *Athen. Franc.* p. 56. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 106.

BAPTISTA de ROSELLIS.

Vel *Salis*, Italus, patriâ Genuenſis, Ordinis Fratrum Minorum Mona-

Monachus, anno 1498. clarus, ſcripſit *Summam caſuum conſcientiæ*, quæ ab autore *Summa Roſella*, communius *Baptiſtiniana* appellatur. Prodiit Romæ, 1479. Auguſt. 1484. Norimb. 1488. fol. Hæc de eo Cave *in Hiſt. Litt. P. II. p. 319.*

BAPTISTA TROVAMALA.

Aliis Novamala dictus, patriâ Ligur, Ordinis Minorum, litterarum copia laudatus, Willoto, Waddingoque *Trovamalius* dictus, Lovanii, 1483. floruit, Summamque caſuum conſcientiæ ſcripſit, quæ *Roſella* vocatur. Argent. 1516. fol. excuſam, curâ Ottomari, qui in Dedicatoria ad Johan. Reichshoferum & Sigriſt. ſcribit, hunc Trovamalum idem Opus, quod *Roſellam* vocavit, novellis quibusdam Doctorum deciſionibus paſſim reſperſum, condidiſſe. Prodiit & Venet. 1499. 4t. Paris. 1515. 8v. teſte H. Whartono, in *Appendice Caveana*, pag. 107. Conf. Simlerus, Kœnigius, Quenſtadius, aliique.

BARDESANES.

Edeſſæ in Meſopotamia oriundus, circa annum 172. clarus, Græcè & Syriacè, atque Chaldaicè eruditus, diſertus admodum Orator, atque Diſputator vehemens, arcta ipſi cum Abgaro, Edeſſenorum Principe, familiaritas, interceſſit. Valentini quidem errores ex parte hauſerat, ad meliorem tamen viam adactus, Euſebio teſte, eosdem reprobavit. Statuit autem Bardeſanes, Principium mali, nimirum Diabolum: Chriſtum humanam cœlitus detuliſſe naturam: Nec unquam futuram eſſe mortuorum reſuſcitationem. Scripſit præterea quamplurima, ex quibus tamen nihil amplius extat, præter *Fragmentum* ſatis amplum, *Dialogi de Fato*, quem Antonino inſcripſit. Vide illud apud Euſebium, *Præpar. Evangel.* l. 6. c. 10. & *Recognit. Clementin. Lib. IX.* Aliud ex Bardeſanis libro, *de Indorum Gymnoſophiſtis*, fragmentum, exhibet Porphyrius, *de Abſtinentia*, l. 4. c. 17. cujus quidem autorem, *Bardeſanem Babylonium*, vocat, quem tamen unum cum noſtro, eundemque fuiſſe exiſtimat Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 35. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 69.

BARLAAMVS.

Calaber, ex urbe Seminaria ortus, omni ſcientiarum genere refertus, Ordinis S. Baſilii Monachus, à Latinis, inter quos educatus, ad Græcos defecit, atque calamô adverſus Latinos ſtrictâ, Cœnobii S. Salvatoris Conſtantinop. Abbas conſtituitur. Anno

1337. Synodô Conſtantinop. convocatâ, cum Palama, de Viſione Dei in monte Thabor, abſque ſucceſſu, acriter diſputavit. A Græcis demum ad Latinos reverſus, atque Hieracenſis Epiſcopus ordinatus, eorum partes ſtrenuè tutatus eſt. Scripſit *Librum adverſus Primatum Papæ*, qui prodiit græc. lat. Oxoniæ, 1592. 4. & cum notis Pueri 14. annorum, Cl. Salmaſii, Hanov. 1608. 8. Has ſenex poſtea iterato ad calcem libri, *de Primatu Papæ* excudendas tradidit, Lugduni Batav. 1645. 4. *Arithmeticæ Algebraicæ*, Lib. VI. græc. lat. Argent. 1572. 8. Paris. 1600. 4. *Epiſtolas II.* ad amicos in Græcia, *de Primatu Papæ*, quæ extant apud Bzovium, ad annum 1331 §. 13. *Epiſtolam ad Alexium Calochetum*, ibidem, ad annum 1330. § 59. *Reſponſionem ad Demetrii Theſſalon. Epiſt. de Proceſſione Spiritus S.*, ibidem ad annum 1331. §. 5. *Probationem per Scripturas, quod Spiritus S. à Filio procedat*, ibidem ad annum 1333. §. 2. *Orationem pro unione Græcorum cum Latinis*, ad Benedictum XII. Avenione habitam, ibidem, ad annum 1330. §. 25. *Ethicæ ſecundùm Stoicos Lib. II.* apud Caniſium T. VI. p. 4. & *Bibl. Patr.* T. XXVI. ubi præcedentes Orationes & Epiſtolæ quoque extant. *Tract. XVIII. de Proceſſione Spiritûs Sancti adverſus Latinos, duos de Vnione Eccleſiarum, atque binos de Primatu Papæ*, a ſe lectos, citat Leo Allatius, *de Conſenſu*, Lib. II. c. 17. §. 1. Plura adhuc in Manuſcripto deliteſcentia, exhibet Cave P. II. *Hiſt. Litt.* p. 276. Errare videntur Henr. Whartono, in *Appendice Caveana*, p. 23. illi, qui ob rerum geſtarum ignorantiam, ex Barlaamo, binos Scriptores, alterum Monachum Græcum, alterum Epiſcopum Hieracenſem, eosque diverſos faciunt.

BARNABAS.

Joſephus antea vocatus, domo Cyprius, genere Levites S. Pauli, ut volunt, ſub Gamaliele commilito, & poſtea comes maxime fidus. Illorum mittimus ſententiam, qui Barnabam modo in Oriente, modo Romæ ac Mediolani, & Alexandriæ prædicaſſe, atque Mediolanenſem ſedem conſcendiſſe, autumant. Hoc ſaltem probabile videtur, illum in Inſula Cypro, martyrium ſubiiſſe. Sed quo anno id acciderit, altum apud Veteres ſilentium. Tribuitur ipſi Epiſtola, ſub Barnabæ nomine circumferri ſolita, quam quidem eidem vendicat Cl. Cave, P. I. *Hiſt. Litt.* p. 9. & P. II. p. 6. atque ea de cauſa Stephanum le Moynium, quovis refellere modo allaborat. Verùm, ipſe Cave notatur a Cl. Tentzelio, partim *Colloquiis menſtruis*, anni 1696. p. 73. ſeq. 1698. p. 428. & 969. ſeq. partim

in Flo-

in Florum ſparſionibus ad Hieronymi Catalogum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, cap. VI. pag. 17. ſeq. quæ nuper *Gennadio Maſſilienſi*, cura & notis Cypriani, anno 1703. Jenæ, in 4t. impreſſo, præfixæ ſunt. Ibidem à p. 17. ad 30. Cavei ſententiam rejicit, atque le Moynii opinionem amplectitur. Idem eruditiſſimus Tenzelius p. 39. alium quendam autorem ſubſtituere mavult, Judæum ſcilicet Alexandrinum. Hanc conjecturam laudat Celeberrimus Ittigius, *Diſſert. de Patribus Apoſtolicis*, num. 53. Plura perveſtigent illi, quibus hanc rem penitius ſcrutari, perplacet. Nos ſaltem varias, hujus Epiſtolæ editiones, recenſebimus. Primus eſt Vſſerius, qui illam Oxonii, anno 1643. prelo ſubjecerat, cujus tamen conatus, vel nondum producti, gravi incendio perierunt. Pariſiis tamen anno 1645. 4. curâ Hugonis Menardi gr. lat prodiit, & Helmſt. cum notis Joachimi Maderi, 1655. græc. & lat. Poſt per Is. Voſſium ad calcem *Epiſtol. Jgnatianarum*, Lugduni Batavorum, 1672. fol. Oxonii quoque, 1685. 12. & Lugd. Batav. 1685. 4. partim cum fuſiſſimis Stephani le Moynii Commentariis. Nuper quoq; excudi fecit Joh. Bapt. Cotelerius inter *Monumenta Sanctorum Patrum*, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt, Antwerpiæ, 1698. Novam hujus Epiſtolæ editionem, hactenus editis, longe accurationem Cl. Dodwelli annotationibus & Bernardi curis illuſtratam, preloque paratam, promittit, proximè imprimendam Guil. Cave, P. II. p. 7. Notari meretur Codex Manuſcr. Neſſelio, *Catal.* P. I. p 407. memoratus, atque in Vindob. Bibl. aſſervatus, in quo anonymi cujusdam interpretatio nominum hebraicorum in Epiſtola Barnabæ occurrentium, conſpicitur. Cæterum obſerves doctiſſimam Menagii animadverſionem, qui adverſus Bailletum probat, verſionem Barnabæ latinam, Hugoni Menardo vulgò tributam, ejus non eſſe, ſed multò antiquiſſimi alicujus autoris, prout ex Codice Manuſcr. appareat. Conf. *ejus Anti-Baillet, où Critique du Livre de Mr. Baillet, intitulé, Jugemens des Savans*, T. I. p. 217. Adde modò laudatum Ittigium, *in ſelectis Capitibus Hiſtor. Eccleſ. Sec. I.* paſſim, qui errores Barnabæ adſcriptos, & profert & diluit. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 6. qui tamen ab Ittigio, *loco citato*, p. 23. notatur, eò, quod illos imprudentiæ arguat, qui Barnabam, hujus Epiſtolæ autorem, cum Origene & Clemente Alexandrino, fuiſſe negent. Confer Ittigii *præf. Catenæ Patrum*, & Joh. Alb. Fabricii *Cod. N. T. Apocryphum*, Clerc. *Bibl. Vniv. T. III. p. 52.*

BARTHOLOMÆVS à S. CONCORDIA.

Italus Piſanus, Ordinis Prædicatorum Socius, anno 1331. floruit. Mortuus anno 1347. Scripſit *Summam Caſuum Conſcientiæ, Piſanellam ſive Magiſtrucciam* appellatam, & *Sermones Quadrageſimales*, Lugduni, junctim vulgata, 1519. 8. Hic Bartholomæus neutiquam cum Bartholomæo Albicio confundendus, de quo ſuprà diximus. De noſtro agit H. Wharton, *Appendice Caveana*, p. 20.

BARTHOLOMÆVS de COTTON.

Anglus, Monachus Norwicenſis, anno 1292. clarus, *Angliæ Hiſtoriam*, Lib. III. exaravit. Illa, quæ ad Norwicenſem Hiſtoriam attinent, è libro II. & III. evulgavit H. Wharton *Angl. S.* T. I. pag 355. Vide, quid de Bartholomæo judicet Cave, P. II. p. 256.

BARTHOLOMÆVS EDESSENVS.

Natione, Caveo divinante, Syrus, atque Monachus Edeſſenus, autor incertæ ætatis; compoſuit *Confutationem Hagareni*, quâ Alcorani ineptias elegantiſſime refellit. Extat hoc Opuſculum græc. lat. inter *Varia Sacra* Stephani le Moynii, quæ Lugd. Batav. anno 1685. prodierunt, p. 302. Huic *alius contra Muhammedem Tractatus*, ſubjunctus eſt, quem tamen ob diſcrepantiam Bartholomæo abjudicat, Cave, *Diſſ. I. de Script. incertæ ætatis* p. 6. Laudat noſtrum Bartholomæum, idem Cavius, Virum non inelegantis ingenii, non contemnendæ eruditionis, in Scriptis & Ritibus Chaldæorum, Arabum, Muhammedanorum, verſatiſſimum.

BARTHOLOMÆVS FACIVS vide FACIVS.

BARTHOLOMÆVS de FVSNIACO.

Epiſcopus Laudunenſis, anno 1140. clarus, anno 1142. ob illegitimum divortium, inter Radolphum, Verumanduorum Comitem & uxorem, ab eo roboratum, ab Ivone, Cardinale, à Sede ſua ſuſpenſus eſt. Tandem Epiſcopatu relicto, ad Ciſtercienſes Monachos tranſiit. Scripſit *Epiſtolam apologeticam ad Synodum Remenſem*, qua diſſipati Eccleſiaſtici patrimonii crimen deprecatur. Habetur illa *Concil. T. IX.* p. 1184. Conf. Cav. P. I. p. 464.

BARTHOLOMÆVS de GLANVILLA.

Anglus, ab oppido cognomine ita appellatus, ex illuſtri Comitum Sudovolgiorum genere ortum ducens, Ordinis Franciſcani, Vir in-

Vir ingenii magni, nec minoris ſedulitatis & induſtriæ, anno 1360. clarus extitit. Ejus extat Volumen ingens Lib. XIX. de *Proprietatibus Rerum*, quo magnam ad intelligendas difficiles & abſtruſas divinorum Oraculorum vel Prophetias, vel allegorias, vel quascunque figuras, lucem attulit, teſte Pitſeo, *Script. Angl.* f. 495. Excuſum illud Argentinæ, 1488. 1505. 4. Norimb. 1492. & titulo *Allegoriarum ac Tropologiarum in utrumque Teſtamentum*, Paris. 1574. His XIX. Libris acceſſit XX. *De rerum accidentibus, de numeris, menſuris, ponderibus & ſonis*, & in edit. Paris. 1574. Lib. *de proprietatibus Apum*, prodiit quoque Argentorati, 1491. *Libr. contra Laurentium Vallam; Poſtillas SS. citant Manuſc.* Pitſeus, *loco citato*, Waddingus, *loco citato*, p. 50. & ex illis H. Wharton *app. Cav.* p. 38. qui alia, notatu non indigna, annexuit. Conf. Willot, *Athen. Franc.* p. 57. Gesner. *Bibl.* p. 104. Voſſius *de H. L.* lib. 3. c. 2. f. 533.

BARTHOLOMÆVS LATOMVS vide LATOMVS.

BARTHOLOMÆVS VSINGHEM.

Aliàs Bartholomæus Arnoldi, Vſingenſis Flander, Ord. Eremit. Aug. Erfordiæ in vicinia noſtra, floruit, anno 1520. ſeq. teſte Valerio Andr. *Bibl. Belg.* p. 110. Conf. B. Lutherum *Epiſt.* atque *Colloq. menſal.* & quæ ex T. II. *Isleb.* f. 91. de eo notavimus, *Scrin. Antiqv.* p. 190. Scripſit *de merito bonorum Operum Tract.* Erfordiæ, 1575. excuſum, *de fide, Gratia, & Operibus ad verum Chriſtianiſmum neceſſariis*, Herbipoli, 1576. *de Purgatorio, Prædicatione Evangelii, Cœlibatu*, &c.

BASILIVS ACHRIDENVS.

Metropolita Theſſalonienſis, anno 1155. clarus, quo ad Hadrianum P. R Literas reſcripſit, iisdemque Eccleſiam Græcam nec Schismaticam, neque Latinam, Græcâ ſuperiorem eſſe, deduxit. Habetur illa *Epiſtola* ſimul cum Litteris Hadriani, Lat. apud Baronium, ad ann. 1155. græc. lat. *in Jur. Græc. Rom.* l. 5. p. 307. *Reſponſio ad interrogata de quibusdam nuptiis* græc. lat. ibidem p. 309. & 408. Evolve Cav. P. I. p. 470.

BASILIVS.

Ancyrenæ Epiſcopus, anno 787. clarens, quo in Synodo Nicena II. Iconomachiæ accuſatus, atque ob eam condemnatus, eò

quod Concilio Conſtantinop. anno 754. celebrato, ſubſcripſerat. Hinc *Libellum ſupplicem* offerens, quô cultum imaginibus debitum eſſe, pronunciavit. Habetur græc. lat. inter acta Conciliabuli Nicæni, *Concil.* T. VII. p. 56. Lege in hanc rem Cave, P. I. p. 351.

BASILIVS MACEDO.

Macedo à patria dictus, illuſtri Arſacidarum gente natus, puer adhuc à Bulgaris captus, libertati vendicatus, Theophili, Michaëlis, Imperatoris, conſanguinei Protoſtrator, poſt ipſius Imperatoris Strator, Protoſtrator, & Accubitor deſignatus, Patriciâque dignitate donatus. Poſtquam verò Bardam, Imperatorem, interfeciſſet, Officiorum Magiſter, filius adoptivus, ipſeque Cæſar, anno 867. conſtitutus. Obiit Baſilius anno 886. *Vitam* ejus exaravit Conſtant. Porphyrogenetus, eamque exhibet græc. lat. Leo Allatius, *Symmict. P. II. p. 1.* Scripſit *Capita exhortatoria LXVI. ad Leonem filium*, græc. lat. exhibita à Morellio, Pariſiis, 1584. 4. cum Ferrandi, Diaconi Eccleſiæ Carthaginenſis, ad Reginum Comitem *parænetico*, à Joh. a Fuchten, Helmſtad. 1616. Cum notis Barnabæ Damckii, Hamburg. 1633. *Orationes* aliquot, quæ cum *Actis Synodi VIII.* prodierunt. *Allocutiones III.* ad Synodum eandem lat. *Concil.* T. VIII. p. 1151. *Epiſtolas II.* ad Nicolaum, P. R. apud Baronium, ad annum 867. num. 103. ad annum 871. num. 7. Prior quoque habetur lat. *Concil.* Tom. VIII. p. 1007. & particula ejuſdem græc. lat. ibidem, p. 1293. *Librum de Jure*, cujus fragmenta IV. de Nuptiis, ſiſtit græc. lat Leunclavius, in *Jure Græc. Rom.* Lib. II. p. 86. *Vnicum* de Patriarchali lat. Baronius ad annum 886. n. 12, *Menologium Græcorum*, in Vaticana Bibliotheca adſervatum, Baſilioque noſtro adſcriptum, aut Juniori Baſilio, aut alii cuidam authori, tribuit Cave, P. I. p. 391. eò, quod cum Menologiis hinc inde impreſſis, parum diſconveniant.

BASILIVS MAGNVS.

Verè Magnus, Regium Eccleſiæ decus, Vir deſideriorum Spiritus, excelſus & ſupra ea, quæ oculis cernuntur, poſitus, orbis lumen, magna vox & tuba, doctrinæ Palatium, & tandem quid non elogiis, Leonis Imperatoris, Gregorii Nazianzeni, Hieronymi, Theodoreti, Auguſtini, Gaudentii, Photii, Philoſtorgii, Ruffini, Suidæ, totiusque antiquitatis chori. Natione erat Cappadox, vel ut Cave ſuſpicatur, ex Neocæſarea, Provinciæ Ponti oppido, oriun-

oriundus, Gregorii Nyſſeni & Petri Frater, Studiorum fundamenta Cæſareæ, Conſtantinopoli, & Athenis jecit, ibidemque Gregorii Nazianzeni condiſcipulus, poſteàque fidus in ſolitudine comes. Et cum in Patriam Athenis reverteretur, primùm Lector, poſt Diaconus, deinceps Presbyter ordinatus. Demum verò ex ſolitudine, quam per aliquot annos quæſiverat, revocatus, Cæſareæque in Cappadocia Archi-Epiſcopus anno 370. creatus, Arianis, ipſique Valenti, Imperatori, & ſæpiſſimè & generoſiſſimè murum ſe objecit, & poſt exantlatos labores pro fide arduos, ad Cœlitum Baſilicam ſancte evolavit, anno 378. cum effato horum verborum: *In manus tuas, Domine, commendo Spiritum meum*, prout Frater, Gregorius Nyſſenus, *in Vita S. Macrinæ*, utriusque Sororis, refert. Funus ejus tanto, Chriſtianorum, Judæorum & Gentilium concurſu fuit curatum, ut multi, vi nimiâ compreſſi, expirarent. Ad ejus Vitam adornandam plures quaſi certatim ſuas operas contulerunt, aſt inter illos Gregorius Nazianzenus eminet. Conf. congeſta apud Centuriatores, *Sec. IV.* Baronium *anno* 370. Schopffium, *Academ. Chriſti, Claſſe* 4. f. 60. Spizelium, *in Veteri Academia J. C. pag.* 73. Thom. Pope-Blount, *Cenſura Celebr. Aut.* p. 241. Mathæum Raderum, *Viridario Sanctorum*, p. 24. ſeq. qui quidem p. 31. citat *Orationem* Philothei, Patriarchæ Conſtantinopolitani, græc. & lat. per Jac. Pontanum editam, & Philippi Solitarii *Dioptræ* adjunctam, quâ tres heroas, ſanctitate illuſtres, Baſilium M. Gregorium Nazianzenum, & Joh. Chryſoſtomum, generatim omnes, dein ſigillatim ſingulos laudavit. Doctrinam Baſilii in ſyſtemate quaſi Theologico repræſentavit Scultetus, *Medulla Patrum*, p. 1065. Aſt illius paralogiſmos admiſſos obſervavit Dannhaverus, *Anti-Chriſtoſophia*, p. 592. Editiones operum quod attinet, variæ paſſim prelum fatigarunt. Prodierunt enim Græcè, Venetiis, 1535. Baſil. 1532. 1551. Latinè, Venetiis, 1520. 1540. Baſil. 1552. 1565. Antwerp, 1568 1616. Paris. 1566. 1571. 1603. Germanicè, Ingolſtad. 1591. græc. lat. cum notis Frontonis Ducæi & appendice, Paris 1618. fol. T. II. & 1638. T. III. fol. ibidem, curante Montacutio, auctiora quidem, ſed utinam caſtigatiora. Hic commendandus venit Fr. Combefiſii *Baſilius reſtitutus*, anno 1679. 8. T. II. Pariſiis expreſſus, quo editiones hactenus vulgatæ caſtigantur, augentur, illuſtrantur & verſiones recenſentur. Synopſin illius exhibet Guil. Cave, *in Hiſt. Litter.* p. 136. ſeq. Nec prætermittendus eſt, Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 42. ſeq.

ſeq. qui Opera Baſilii juſto ordine exhibuit, eosdemque in *Sermones, Tractatus, & Epiſtolas*, aptè diſtinxit. Seorſim quoque multa ejus prodierunt. Addamus tantum, quæ ad manus ſunt nobis, vel hinc inde obſervata. *Homilias in Hexaëmeron*, latinè dedit 1566. Lipſiæ, Victorinus Strigelius, græc. & lat. verò *Bibl. Magn. Patr.* Paris. T. I. f. 1467. *Orationes XXIV. morales*, â Simeone Magiſtro, ſacrique Palatii quondam Quæſtore, ex Baſilii ſcriptis congeſtas & græcè latinèque primùm editas, Stanislaus Ilovius, excuſas à Morellio, Pariſiis, 1558. & Francof. apud Nicolaum Baſſæum, 1598. *Anaphoram* porrò Baſilii ex Codice Syriaco exhibet, *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. VI. f. 32. *Liturgiam*, græc. & lat. T. XII. *Bibl. Magn. Paris.* f. 382. lat. tantum T. VI. f. 1 & *aliam*, ex Arabico, per Victorium Scialagh, Accurenſem, Maronitam, Mornæo, Riveto impugnatam, T. VI *loco citato*, f. 75 & Auguſt. Vindel. 1604. 4. *Libros IV. adverſus impium Eunomium*, Theod. Beza vertit, & cum aliis Athanaſii, Anaſtaſii, Cyrilli &c. quibusdam græc. lat. publici juris fecit, anno 1570. ex Henr. Stephani Officina. *Duas Homilias de Laudibus Jejunii*, Eraſmus, Friburgi, 1532. & Cotelerius, *Monum. Eccleſ. Græc. Tomo I. Homil.* in 40. milites, Stenius, Heidelbergæ, 1614. Adde *Homiliam in S. Chriſti Nativitatem*, Lovanii, gr. 1537. cum aliis editam, quamq; Northuſæ Rector, Michaël Proſſelius, 1632. græcè edidit, & Daumius cum conſimilibus, græcolatinam communicavit. Hanc tamen ob recentiores formulas ſpuriam cenſet Cave P. II. p. 45. Imò etiam, ſi placet, *Baſilii contra Arianos ſyllogiſticas rationes*, ejusdemque & Gregorii Nazianzeni *Expoſitionem fidei*, quam quoque Steph. le Moyne *inter Varia Sacra*, p. 147. exhibuit, & *de inviſibili Dei Eſſentia*, eorundem *Dialogum* evolve, T. V. Henr. Caniſii *Antiqu. Lect.* P. I. f. 166. & 177. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. IV. f. 1093. *Orationem Paræneticam de inſtituenda ſtudiorum ratione, ad Nepotes ſuos*, græc. & lat. cum notis Juſtini Gobleri, Baſileæ, per Henricum Petrum, 1537. 8v. excuſam. Conf. Du Pin *Bibl. Nouvelle* T. III. Buddeus *in Lexico*. Clerc. *Bibl. Univerſ.* T. VIII. p. 351. Hendreich, *in Pandectis Brandeburgicis*, aliique quamplurimi.

BASILIVS SELEVCIENSIS.

Seleuciæ in Iſauria Archi-Epiſcopus, anno 448 Synodo Conſtantinop. adverſus Eutychem, & anno 451. Concilio Generali Chalcedonenſi interfuit, in quo ob aſſertos Eutychis errores à ſede quidem remotus, poſtmodum verò eidem reſtitutus eſt. Obiit

poſt

poſt annum 458. Joh. Chryſoſtomi, juxta Photium, *cod.* 168. amicus & contubernalis creditur, cui tamen aſſerto temporis ratio aliquatenus repugnat. Ejus, quæ reliquit monumenta, ſive Opera omnia cum notis Claudii Dausquii, græcè atque latinè, cum *Operibus Gregorii* & aliis Pariſiis, 1622. f prodierunt. Videlicet *Orationes XLIII. in V. & N. T.* quæ ſeorſim excuſæ ſunt gr. Heidelbergæ, 1596. 8. lat. ibid. 1604. 8. *Orationes IV. una* de Verbi incarnatione, *tres* de exiuſcitatione Laz ri, extant T. II *Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* f 987. & alia *Oratio de Eliſæo & Sunamitide*, græc. lat. ex verſione Dethlevi Wolderi, Hamburgi, 1618. qui primum iſtam ſe tradidiſſe, præfatione adſerit. *Demonſtrationem contra Judæos* de adventu Chriſti lat ex interpretatione Turriani, Ingolſtad. 1616 4. græc. Heidelb. 1596. Hanc tamen *Demonſtrationem adverſus Judæos*, Baſilii non eſſe, ex diverſitate ſtyli judicat Cave, P. I p. 251. *De Vita & miraculis S. Theclæ Virginis & Martyris* Lib. II. græc. lat. ſeorſim extulit Petrus Pantinus, Antwerpiæ, 1608. 4. quos tamen pariter Baſilio abjudicat Cave, partim ob fabulas maximè ineptas, partim ob genus dicendi plane diverſum. *Laudationem S. Stephani, Protomartyris*, extulit Fr. Combefiſius, græc. lat. cum aliquot *Chryſoſtomi Homiliis*, Paris. 1656. 8. *Orationem in S. Deiparam*, græc. lat. editam, ſupplevit idem Combefiſius, *in Auctuario*, T. I. p. 569. anno 1648. edito. De ſtylo Baſilii hoc Photii eſt arbitrium: *Magnus eſt, ſi quis unquam alius fuit, figuratæ atque incitatæ Orationis, pariumque artifex. Perſpicuitatem nihilominus ac ſuavitatem retinet. Verum quia nimius in tropis & ſchematis incitatis ſatietatem parit ſive potius, quia tàm aſſiduus in his eſt, ac totus, nihil ut aliud ſine modo occurrat: Auditori faſtidium & calumniandi anſam præbet, atque ad Scriptoris ipſius vituperationem incitat, quaſi neque naturam arte moderari, neque regula, quod inordinatum erat, digerere poſſit. Conf.* Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 206.

BASILIVS THESSALONICENSIS.

Metropolita, ſcripſit *Reſponſionem*, ad Quæſtionem a Magno Dyrrachii ſacellario propoſitam, de Conjugio duorum fratrum cum amita conſobrini. Vide illam *Jur. Græc. Rom.* Lib. VI. p. 408. De hoc & aliis Baſiliis, agit Cave *Diſſ. I.* ad calcem P. II. *Hiſtor. Litter.* pag. 6.

BASSIANVS.

Ex Presbytero Epheſino, & Evazorum Epiſcopo, Epheſinæ

Eccle-

Eccleſiæ Antiſtes factus, circa annum 44... ſede tamen ſua expulſus a Flaviano., Conſtantinopolitano Epiſcopo, *Libellum ſupplicem ad Marcianum, Imperatorem*, dedit, qui habetur græc. lat. *Concil. T. IV.* p. 685. De eo Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 251. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

BAVDEMVNDVS.

Germanus, Monachus Elnonenſis, Amandi, Trajectenſis Epiſcopi, auditor, anno 680. clarus, ſcripſit *Vitam Amandi*, qui anno 679. obiit. Extat illa cum *Supplemento* Milonis, Monachi ac Sacerdotis Elnonenſis, & Gisleberti *appendice*, item *Amandi Teſtamento & Hiſtoria inventionis corporis ejus*, apud Surium, & Bollandum, die VI. *Febr.* T. I. Mabillon. *Sec. Bened.* II. p. 709. Conf. Cl. Cave P. II. *Hiſt. Litter.* p 133. Caſim. Oudin. *Supplement. de Script.* p. 185.

BEATVS RHENANVS vide BILDVS.

BEDA.

Ex Britannia, Anglo Saxonum genere, oriundus, in pago Girwico ſ. u. Jaru, quatuor ab Orrea milliaribus, non longe à Tinæ fluminis oſtiis, anno 672. natus eſt. Fuit, qui Bedam Saxonem natum tradidit, editumque in villa *Denke* juxta Aſſeborg, prope Brunſwicum, vide Maderum, *de Bibliothecis*, p, 34. in fine. Cæterum Benedictino Ordini Beda adſtrictus, ſemper inter ſuos aut diſcere, aut docere ſolitus, ad ſummam pervenit eruditionem, ut nihil in Philoſophia aut Theologia ipſi intactum remanſerit, teſte poſt alios Pitſeo, *Script. Angl.* p. 131. ſeq. Titulum *Venerabilis* reportavit, ex vitæ ſanctitate & morum gravitate, ut poſt Mabillonium, autor Epiſtolæ ad Cl. Gundlingium, quæ *Obſervat. Select.* T. I. p. 161. habetur, prolixius deduxit. Non enim hic attendimus, quæ refert de lapidum clamore, Durandus, Lib. VII. *ration. div. Offic.* c. 40. f. 280. *Cum præ nimia ſenectute oculi Bedæ caligarent, fecit ſe duci per villas & caſtra ubique Verbum Domini prædicando, cumque quadam vice per quandam vallem, magnis lapidibus plenam, tranſiret, & quidam ex ductoribus deriſorie diceret, quod ibi eſſet magnus populus congregatus, expectans ejus prædicationem avidè & ſilenter, & tunc incepit illi prædicare ferventer; & cum in fine concluſiſſet, per omnia ſecula ſeculorum, mox omnes lapides altâ voce clamaſſe dicuntur: Amen, Venerabilis Pater, Amen,* & ideò, addit Durandus, *Venerabilis Pater* appellatur. Tale quoque eſt illud, quod diſcipulus aliquis mortuo

Bedæ

Bedæ epitaphium facturus, incipiens, *Hâc ſunt in foſſâ*, nec leoninum verſum complere valens, poſtridie, in ſepulcro integrum angelicâ manu ſcriptum invenerit:

Hac ſunt in foſſa Bedæ Venerabilis Oſſa.

Vide Bernardinus Corio, *in Vitis Imperatorum*, quas ſubjunxit Hiſtoriæ ſuæ Mediolanenſi, Italicè editæ, Padoæ, 1646. p. 95. Obiit Beda Feſto Aſcenſionis Domini, *Gloria Patri & filio & Spiritui S.* devote cantans, anno 735. juxta Rogerum Hovedenum, Simeonem Dunelmenſem, Thomam Stubbium, & Cuthbertum, in Girwicenſi monaſterio ſepultus, deinde Dunelmum, nunquam verò Genuam, Liguriæ urbem, prout falsò idem Bernardinus Corio, *loco citato*, adſeruit, tranſportatus, referente eodem Pitſeo, p. 139. Doctiſſimus vir, ingenioſiſſimusque Poëta, incondita pigri ventris pinguisque Minervæ tulit epitaphia, quæ ſine tædio, *loco citato*, neque legere licet. Aliud non minus rude exhibet Conringius, *Antiqu. Academ.* p. 289. ſeq. Anno ætatis 30. Presbyter ordinatus, animum ſimul ad explanationem univerſæ S. Scripturæ conſcribendam appulit, Accæ, Epiſcopi Eboracenſis, hortatu, eamque in quatuor ordines diſtinxit, ſcilicet *Rhapſodias*, *Quæſtiones*, *Homilias*, & *Commentarios*, de quibus Sixtus Senenſis, Labbeus, Centuriatores Magdeburgici, Schopffius, Baronius, Voſſius, Meelfuhrer, Oudinus, Cave, Du Pinius, Colomeſius & omnes Hiſtoriæ Eccleſ. Scriptores. Opera ejus edita Pariſiis, 1545. T. III. Baſileæ, 1563. T. VIII. duobus autem Voluminibus, Coloniæ, 1612. *Opus de VI. mundi ætatibus*, ſeorſim Pariſiis, 1507. 4. & à Joh. Branchorſtio continuatum & illuſtratum, Colon. 1537. prodiit. *Fragmentum* illius, in editis libris non repertum, extat apud Munſterum, Lib. II. *Coſmographiæ*. *Hiſtoriæ Eccleſ. Anglicanæ*, Lib. V. Antwerp. 1550. 1565. 4. Heidelbergæ, 1587. Argentor. 1600, fol. Colon. 1601. 8. Cantabrigiæ, cum Abrahami Wheloci, 1644. f. & cum Chiffletii animadverſionibus, Pariſiis, 1681. 4. *Martyrologium*, Antwerpiæ, 1564. 12. *De Orthographia*, Lib. Hanoviæ, 1605. *De Tropis S. Scripturæ*, liber. Paris. 1599. 4. Venet. 1522. *De Computo & ratione Calculi* libri aliquot, Venet. 1525. 4. Paris. 1614. 8. *Hymni* aliquot inter *Opera Caſſandri*, Paris. 1616. *Acta S. Cuthberti*, carmine heroico, apud Henricum Caniſium, *Antiqu. Lect.* T. V. & longe perfectiora apud Mabillonium, *Sec. Bened.* *Epiſtola apologetica ad Plegvvinam*, Monachum: *Epiſtola ad Egbertum*, Eboracenſem Antiſtitem, de Chriſtiani Præſulis officio: *Vitæ V. Abbatum*

priorum Weremuthenſium & *Girvicenſium* Lib. II. quæ tria Opuſcula, primus è tenebris protraxit, notisque illuſtravit Jacobus Waræus, Dublin. 1664. 8. *Epiſtola ad Albinum*, apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 9. *Martyrologium* aliquod, carmine heroico, Bedæ attribuit Dacherius, *Spicileg.* T. X. *Expoſitionum in Geneſin Lib. III.* Item *in Canticum, Habacuc, Prophetæ*. & *Hiſtoriam Bedæ de Vitis Abbatum Wiremuthenſium & Girvvicenſium*, Epiſtol. II. & *Egberti Dialogus de Eccleſiaſtica Inſtitutione*, cum aliis prodierunt curâ H. Whartoni, Londini, 1693. 4. Comment. *in Epiſtolas Pauli*, Bedæ vulgò adſcripti, prodierunt, curante Gaufrido Bauſardo, 1499. fol. De Beda accuratiorem habemus neminem, Joh. Mabillonio *Sec. III. P. I. p. 539.* qui ortum ejus, tempus, Monaſticam Profeſſionem, exercitia, Scripturarum ſtudium, Præceptores, Ordinationem, doctrinam, reverentiam erga Patres, vocationem Romanam, diſcipulos, ſanctimoniam, modeſtiam, zelum, fidem & puritatem morum, obitum, ſepulchrum, reliquias, elogia, Venerabilis nomen & ſcripta, fuſius exponat & diligentius. Et quod Scripta attinet, Cave eum hactenus ſequutus, ipſa Mabillonii verba in Partem II. *Hiſt. Litter.* p. 143. tranſcripſit. Judicia de Beda collegit Blount, *loco citato*, p. 339.

BELISSARIVS.

Incertæ ætatis Poëta, cujus *ſcholaſtici verſus achroſtichi de Sedulio Poëta* habentur, T. VIII. *Bibl. Patrum* Paris. edit. 2. f. 537. & *Analect.* Mabillon. T. I. & *Bibl. Patr. Colon.* T. V. P. I.

BENEDICTVS.

Gente Gallus, in Septimania natus, anno 751. Comitem Magalonenſem Patrem nactus, Pincernæ in Aula Pipini munere functus. Anno 774. à Vita Seculari ad Monaſticam tranſiit, atque Cœnobii S. Sequani in Burgundia Cellarius, anno 777. conſtitutus. Abbas quidem deſignatus fuit, quod officium tamen in ſe recipere denegavit, atque in Septimaniam reverſus, cellam prope Fluvium Anianam extruxit. Felicis Vrgelitani hæreſin maſculè rejecit, circa annum 793. Demum anno 797. Monaſterium S. Salvatoris, prope Anianam, ædificavit, eidemque Abbatis vice præfuit. Anno 799. Legatus in Hiſpaniam miſſus eſt, ut Felicem Vrgelitanum ad ſaniorem mentem reduceret. Tandem Septuagenarius obiit, anno 821.

poſt-

poſtquam undecim Monaſteriis præfuerat. Scripſit *Codicem Regularum*, III. Partibus, quem exhibuit Lucas Holſtenius, Romæ, 1661. Pariſiis, 1638. *Concordiam Regularum*, quam edidit Hugo Menardus, Pariſiis, 1638. *Librum ex SS. Patrum ſermonibus paræneticis ad Monachos collectum*, edidit Holſtenius, ad calcem *Codicis Regularum*. *Modum diverſarum pœnitentiarum*, extulit Baluzius ad calcem *Capitularium Carolinorum* & Cointius, *Annal.* ad annum 82'. num. 36. *Epiſtolam* ad Georgium, Abbatem Ananienſem, & *alias* ad Nebridium, Archi-Epiſcopum Narbonenſem, videas apud Ardonem, *in Vita Benedicti.* Conf. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 356. Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. IV. p. 54. Joh. Mabillon, *Sec. Bened.* IV. T. I. p. 191. Caſimirus, Oudin, *Supplemento de Script. Eccleſ.* p. 220. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. pag. 170.

BENEDICTVS de ACCOLTIS.

Italus Florentinus, domo Aretinus, anno 1415. natus, anno autem 1450. floruit. Scripſit libros IV. de bello Chriſtianorum contra Barbaros, pro Chriſti Sepulchro & Judæa recuperandis, geſto, impreſſos Baſileæ, 1544. 8. Florentiæ, cum notis Dempſteri, 1623. 4. Alium Benedictum de Accoltis, Aretinum, à noſtro diverſum, eumq; juniorem, Archi-Epiſcopum Ravennatenſem, & Rom. Eccleſ. Cardinalem, inter præcipuos ſeculi ſui Poëtas numerat Lilius Gyraldus, *De Poëtis ſui temporis*, Dial. II. p. 413. Hujus *Lucubrationes poeticæ, Epigrammata, Elegiæ*, inter V. *Poëtarum Etruſcorum carmina*, prodierunt, Florentiæ, 1562. 8v. De noſtro, Cave, *loco citato*, Part. II. pag. 309.

BENEDICTVS.

Gente Anglus, Cœnobii S. Petri Gloceſtrienſis Monachus, Cl. Cavio circa annum 1130. floruiſſe videtur. Scripſit *Vitam S. Dubricii*, urbis Legionum Archi-Epiſcopi. Quædam ex illa decerpſit, luceque publica donavit, Henr. Wharton, *Angl. S.* T. II. p. 654. Integra verò aſſervatur in Bibl. Cottoniana, teſte eodem Cavio, P. II. pag. 224.

BENEDICTVS.

Anglus Petriburgenſis, ex Monacho Cantuarienſi, Cantuarienſis Cœnobiarcha, poſt Abbas Petriburgenſis factus, anno 1177. Scripſit *Vitam & miracula Thomæ Cantuarienſis*, quorum magnam partem

exhibet autor *Quadrilogi*, Libro II. & III. Conf. modò laudatus Cave, P. II. p. 229.

BENEDICTUS CASINENSIS.

Ex Nurſia oriundus, Euprepii & Abundantiæ filius, nobiliſſima Aniciorum gente natus, anno 480. Romæ ab initio ſtudiorum fundamenta jecit, poſt in Eremum Sublacenſem ſeceſſit, atque anno 494. ætatis 14. vitam aſceticam inivit. Poſtquam autem XII. Monaſteria condiderat, Caſinum ſe contulit, Lucoque Apollinis everſo, Cœnobium extruxit. Anno 531. a Bonifacio II. P. R. Romam evocatus, Synodo Romanæ interfuit. Obiit tandem inter Sacra, ſtans atque erectus, anno 542. vel ſequenti. Epitaphium ejus extat apud Sylveſtrum Marulum, *Hiſt. Ord. Relig. L. I. f. 83.*

Nurſia me genuit, ſpecus obtulit alta Caſini,
Me rapuit vertex aula beata tenet.

Aliter verò illud Labbeus exhibet, *Theſ. Epitaph.* p. 190. Miracula ejus ad nauſeam uſque enumerat Gregorius M. Lib II. *Dialogorum.* Elogia verò ſiſtit Antonius Scipio, Monachus Caſinenſis, *Elog. Abbat. Caſin.* p. 25. Ejus *Regula Monachorum*, prodiit, Colon. 1575. fol. Venet. 1593. Paris. 1663. & alibi, teſte Arnoldo Wiono. *Lign. Vitæ*, Lib. I. p. 7. vel centies, ſuo jam ævo, excuſa. Liber *de Ordine Monaſterii*, Venetiis, 1593. 16. quem tamen Joh. Baptiſta Marus, in *Notis* ad Petrum Diaconum, ſpurium, pronunciare maluit, p. 4. *Epiſtola* ad Remigium, Archi-Epiſcopum Rhemenſem, extat ad finem Chronici Caſinenſis, Venetiis, anno 1513. excuſi, p. 198. *Epiſtola* ad S. Maurum habetur *in S. Mauri Vita. Sermo in diſceſſu S. Mauri* reperitur in *Martyrologio Benedictino* die XIV. Jan. *Sermo in Paſſione S. Placidi & ſociorum*, ad calcem *Chronici Caſinenſis*, p. 199. *Sententiæ* ejus nonnullæ allegantur *in Libello* CXIV. *Sententiarum Patrum*, qui Coloniæ, 1531. 8. prodiit. Omnia verò Benedicti Opuſcula videas in *Bibl. Patr.* T. IX. p. 640. ſeq. Conf. de Benedicto Jo. Baptiſta Marus, in notis ad Petrum Diaconum, c. I. p. 3. ſeq. *De Viris Illuſtr. Caſinenſ.* Cave *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 285. Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 117. Hendreich, *in Pandectis Brandeburgicis*, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 65.

BENEDICTUS II. P. R.

Gente Romanus, Johannis filius, Canonicus Regularis, an. 685. Pontifex conſecratus, an. 686. Rom. deceſſit. Vitam ejus ſcripſit Anaſtaſ. Bibliothec., qua Benedictus a Conſtantino Imperatore, edictum de

non

non expectando Principis mandato ad confirmationem Pontificis electi, obtinuiſſe adſeritur. Verum reclamat ipſa experientia, prout ex *Libri diurni formulis* oppidò patet. Scripſit Benedictus *Epiſtolas II.* quæ quidem Concil. T. VI. p. 1277. habentur, ab ipſis tamen Pontificiis, Baronio, Binio, aliisque tanquam ſuppoſititiæ rejiciuntur. Conf. Platina, Poſſevinus, *in Apparatu S.* Cave, & Ludovicus Jacob a S. Carolo, in *Bibl. Pontif.* p. 20.

BENEDICTVS III. P. R.

Patriâ Romanus, ex Subdiacono, & Presbytero S. Calliſti, Papa conſecratus, anno 855. multa ab Anaſtaſio, Antipapa, tulit. Obiit anno 858. Scripſit *Epiſtolas IV.* quæ *Concil.* T. VIII. p 232. habentur, & alia. De eo conferas autores modò citatos, & Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 178.

BENEDICTVS IV. P. R.

Romanus, Pontifex anno 900. ordinatus, anno 904. è terra ſublatus eſt. Ejus ſunt *Epiſtolæ II.* De Argrino, Lingonenſi Epiſcopo, in Eccleſiæ ſuæ jura reſtituendo, quas *Concil.* T. IX. p. 511. exhibet, & *aliam*, de Epiſcopo Malaceno, Mabillon, *Analect.* T. III. p. 436. Conf. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I p. 399. Du Pin, *loco citato*, Tom. VIII. pag. 6. & 15.

BENEDICTVS VI. P. R.

Romanus, Hildebrandi filius, anno 972. Pontifex creatus, anno verò 974. a Bonifacio, Diacono, Caſtello S. Angeli incluſus, ibidemque ſuffocatus eſt. Ejus eſt *Epiſtola*, quâ Epiſcopis Salisburgenſibus vices Apoſtolicæ in Norica & Pannonia conceduntur, & extat *Concil.* T. IX. p. 711. De eo Cave, *loco citato*, P. I. p. 411.

BENEDICTVS VII. P. R.

Romanus, nobili Albericorum gente florens, Sutrinus Epiſcopus, poſt Papa anno 975. conſecratus, anno 984. expiravit, poſtquam anno 983. Synodum de Gieleri, Epiſcopi Magdeburgenſis, dignitate, malis artibus obtenta, convocaverat. Scripſit *Epiſtolam* ad Gallos & Romanos de Eccleſia Laureacenſi, ejusque ſede Metropolitana, quam vide *Concil.* T. IX. p 718. & apud Lambecium, *Comment.* Lib. II. c. VIII p. 645. qui & *diploma* hujus Benedicti de Monaſterii Gemblacenſis privilegiis, ibidem. p. 901. ſiſtit. Conf. Cave, P. I. p. 411. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 19.

BENE-

BENEDICTVS VIII. P. R.

Johannes alias dictus, patriâ Tuſculanus, Gregorium, Comitem Tuſculanum, Patrem habuit, dignitate Epiſcopus Portuenſis, quin imò Pontifex Romanus, ann 1012. ordinatus, poſt Sede depulſus, ad Henricum, Regem, in Saxoniam fugit, à quo Sedi reſtitutus, Coronam ipſi Imperialem, impoſuit. Anno 1019. Epiſcopatum Bambergenſem, juſſu Henrici, Imperatoris, confirmavit, atque poſt hæc anno 1024. obiit. Scripſit *Epiſtolam* adverſus invaſores bonorum Cluniacenſium, quam repræſentat, *Concil. T. IX.* p. 810. & Du Chesne, *Script. Francic. T. IV.* De eo Baronius, Binius, Lud. Jacob, Cave, Du Pin & alii.

BENEDICTVS XII. P. R.

Anteà *Jacobus Furnerius* dictus, natione Auxitanus, Patriâ Saverdunenſis, Diœceſis Tholoſanæ, Theologiæ Doctor, primò Ordinis Carmelitarum, poſt Ciſtercienſium, Monachus, Abbas Montis Frigidi, in Diœceſi Narbonnenſi, Epiſcopus Apamienſis & Mirapienſis, hinc Presbyter Cardinalis, titulo S. Priſcæ, & poſt Joh. XXII. P. R. mortem, Pontifex anno 1335. conſecratus eſt. Hic eodem anno LV. hæreſeos capita de paupertate Chriſti & perfectione ſtatus Monachi & Clerici, à Franciſcanis excogitata, rejecit. Animarum item beatarum purgatorium damnavit. Cum autem rebus civilibus ſe immiſceret, atque Italiæ Vice-Comitibus, ab Imperatore conſtitutis, jugum deponere ſuaderet, aliaque efficeret Imperatori moleſta, Francofurti conventum habuit Imperator, ubi diploma adverſus Papam omnium ſuffragio edidit, quô illum cum ſuis, Phariſæos, perditiſſimos Anti-Chriſtos, in Templo Dei, inſtar Dei ſedentes, vocavit. Obiit poſthæc Benedictus Avenione, anno 1342. Scripſit *Conſtitutiones III.* quæ Tomo XI. *Concil.* p. 1793. habentur. *Aliæ V.* apud Bzovium, ad annum 1336. *Aliæ XXIX.* apud Waddingum, *Annal. minor.* T. III. ad annum 1335. *Aliæ XLII.* ibidem in Regeſto Pontificio, p. 241. *Epiſtola de pravis moribus Clericorum Narbonenſium*, apud Baluz. *Miſcellan.* T. II. p. 263. *Extravagantium & Conſtitutionum Lib. II.* prodierunt, Pariſiis, 1517. 4. & ex iis aliquot *in Collatione Romana*, anno 1579. *Conſtitutio de Reformatione Benedictinorum*, Pariſiis, 1519. 8. *Epiſtola ad Abbatem Ciſtercienſem*, apud Viſchium, *Bibl. Ciſterc.* p. 37. *Vita* S. Johannis Gualberti, apud Surium, die XII. Jul. *De ſtatu animarum ante Generale Judicium : Quæſtiones XI. ejusdem argu-*

argumenti. Sermones per omnes anni feſtivitates: Comment. in Pſalmos: & alia quamplurima exhibet Lud. Jacob. à S Carolo, *in Bibl, Pontif.* p. 24. ſeq. & qui ipſum ſequitur, Henr. Wharton, *Append, Cave,* p. 21. Cæterum de Benedicto XII. differunt Geſnerus, Poſſevinus, Arnoldus Wion, aliique complures.

BENEDICTVS. XIII.

Aliàs *Petrus de Luna*, gente Hiſpanus, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedira & poſt Clementis mortem Pontifex Romanus, anno 1394. factus, poſt varias tamen tricas & aſtutias, à Carolo, Galliarum Rege, Avenione captus, carcerique incluſus eſt. E cuſtodia verò cum elapſus eſſet, atque in Catalauniam aufugiſſet, Conciliabulum anno 1408. Perpiniani convocavit, & ad extremum uſque in perfidia & dolo perſeveravit. Obiit Paniscolæ, Regni Valentini arce, anno 1423. Scripſit *Epiſtolas V.* quæ *Concil. Tom. XI.* p. 2086. 2113. 2157. 2268. habentur. *Bullam* adverſus Reges & Principes, T. XII. p. 1812. *Reſponſionem ad Sigismundum, Imperatorem,* Bzovius ad annum 1415. num. 19. exhibet. *Edictum contra Judæos*, ibidem, num. 35. Alias *Epiſtolas* plures, & Librum *de Poteſtate Summi Pontificis & Concilii,* Manuſcr. in Bibliotheca Vaticana adſervata, memorat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p 47. Liber *Conſolationum adverſus omnes caſus vitæ humanæ*, hiſpanicè prodiit.

BENIGNVS FLORENTINVS.

Vallis Umbroſanæ Monachus, poſt Abbas Generalis, anno 1220. claruit, anno autem 1236. obiit. Scripſit *Hiſtoriam ſuæ Religionis* Florentiæ excuſam, teſte Michaële Pocciantio, *Catal. Script. Florent* p. 29. & *Clauſtrum animæ*, quod idem Pocciantius, & ex eo Cave, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 247. adducit.

BENNO.

Gente Germanus, à Clemente III. Antipapa, deſignatus Archipresbyter & Cardinalis, anno 1085. clarus, maſcule adverſus Gregorium VII. pugnavit. *Vitam* ſcripſit *Hildebrandi, ſeu Gregorii VII.* Lib. II. quam Orthuinus Gratius *in faſciculo rerum expetendarum*, & Flacius *in Catalogo teſtium veritatis*, p. 220. exhibuerunt. Seorſim quoq; prodiit Francofurti ad Viadrum, 1581. & inter varias *Apologias pro Henrico IV,* Melchioris Goldaſti, Hannov. 1611. 4. p. 1. Is Sanmarthanis, quando eum Tom. I. *Gall. Chriſt.* f. 502. primum fabulæ, uti

cenſent, de Sylveſtro II. Papa, magicis ad hoc culmen artibus evecto, Architectum vocant, & quod omnes Gregorii VII. prædeceſſores maleficii accusârit, ægrè ferunt. Æquius de eo judicium tulit Reineccius, qui *Procemio Hiſtor. Vit.* ſcribit, Bennonis parrheſiam, ex veritatis ſtudio profluxiſſe. Convitiorum contrà & calumniarum plauſtra in eum devolvunt Pontificii, quorum ingentem cumulavit numerum Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 340. ſeq. Superfuit Benno adhuc anno 1092. Conf. Voſſius, Lib. II. *Hiſt. Lat.* c. 46. p. 381. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 106. Alius ab hoc *Bennone*, & ingenio plane diverſus, licet fere coævus eſt ille Benno, Miſnenſis quondam Eccleſiæ Epiſcopus, cujus *Vitam & miracula* Hieronymus Emſerus, anno 1512. conſcripſit, & ex officina Melchioris Lotteri, Lipſiæ, edidit. Cujus capite 31. Epiſcopum iſtum anno 1106. ætatis 96. obiiſſe, & à parte Hildebrandi ſive Gregorii VII. ſtetiſſe, clare dicitur. Conf. Georgii Fabricii *Orig. Saxon.* Lib. III. f. 346. & *Annal. Miſn.* anno 1088. ſeq. & Aſciani *de nerv. Pap.* p. 644. ſeqq. item de ejus in Bavariam translatione, p. 658. *Bennonem Redivivum,* ſeu *Vitam Bennonis,* ex probatæ fidei monumentis, & codicibus Manuſc. eruit, Martinus Heidenreich, atque cum Supplementis jucundis edidit, Dresdæ & Lipſiæ, 1694. 8. Placet denique judicium Polycarpi Lyſeri, quod in *Contin. Harmon.* cap. 92. fol. 997. a. tulit, huc tranſcribere: *Eſto quod Benno Miſnenſis, qui apud nos pro Mago habetur, jam Monachii miracula edat, nunquam tamen ex iis ipſius ſincera fides & ſanctitas probabitur. Diabolus ſub defunctorum titulo & nomine homines variè ludificare poteſt.* Plura de Bennone Miſnenſi, exhibent, Moreri, Bayle, & Buddeus in Lexicis.

PETRVS BERCHORIVS.

Gallus Pictavienſis, ex Ordinis Benedicti ſodali, Monaſterii S. Eligii Pariſienſis Prior, anno 1360 clarus, anno 1362. obiit. Scripſit Berchorius *Dictionarium Morale Biblicum*, per litteras Alpheti digeſtum, *Reductorium* item *Morale utriusque Teſtamenti* in XIV. Libros diviſum, in quo Scripturæ capita tropologice exponit, & *Inductorium Morale Lib. III.* quæ tria Opera junctim prodierunt, Baſil. 1515. Paris. 1521. fol. T. IV. Venet. 1583. 1589. f. T. III. Colon. 1620. f. T. III. Pulcherrimam tamen & caſtigatiſſimam editionem illam, quæ Pariſiis, 1521. fol. T. IV. excuſa eſt, deprædicat Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 633. Tranſtulit quoque Berchorius

Hiſto-

Hiſtoriam Titi Livii, in Linguam Gallicam, quam pulcherrimis ornatam figuris atque picturis, duobus comprehenſam magnæ molis Voluminibus, manuſcriptam, in Bibliotheca Sorbonica, aſſervari ſcribit idem Oudinus. Agit de Berchorio Henr. Wharton, in *Appendice Caveana*, p. 38.

BERENGARIVS de FREDOL. vide FREDOLIVS.

BERENGARIVS.

Natione Gallus, Turone oriundus, Archidiaconus Andegavenſis, anno 1035. innotuit. Cum enim Transſubſtantiationis figmentum illuderet, ex Scylla in Charybdim incidit, Panem & Vinum etiam poſt conſecrationem tantummodo Corporis & Sanguinis figuras eſſe contendens. Hunc proinde errorem ægre ferentes adverſarii, ad Palinodiam ipſum adducere laborarunt, variisque Conciliis illum adverſus celebratis, condemnarunt. Errorem quoq; eum abjuraſſe liquet, in Synodo Romana, anno 1059 & alia Romana, anno 1079. An autem ſerio revocaverit, multi adhuc litigant, quos tamen componit Mabillon, *Analect.* T. II. p. 457. qui Berengarium, ad ſaniorem mentem rediiſſe, multis contendit. Hoc certum eſt, obiiſſe Berengarium Turone, in inſula ſuburbana, anno, 1088. Epitaphium Berengario, ab Hildeberto, Epiſcopo Cenomanenſi, Berengarii diſcipulo, poſitum, exhibet Guilielmus Malmsburienſis, *de geſtis Reg.* Lib. III. fol. 63. & aliquam ejus partem ex eo tranſcripſit Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 420. & Labbeus, *Theſ. Epitaph.* p. 237. Scripſit Berengarius *Epiſtolam*, ad Aſcelinum, quam extulit Dacherius, cum Aſcelini litteris, inter *Lanfranci Opera.* Extat quoque *Concil.* T IX. p. 1056 *Epiſtolam* ad Richardum, apud Dacherium, *Spicileg.* T. II. *Tres Fidei Formulas de Euchariſtia*, apud Mabillonium, *Analect.* T. II. p. 486. *Diſſertationes cum Lanfranco de præſentia Chriſti in Cœna*; *Commentarius in Apocalypſin*, & alia, manuſcripta ipſi tribuuntur, de quibus modo laudatus Cave diſſeruit. Agunt de Berengario, autores ferme innumeri, tam antiquiores, Hermannus Contractus, Durandus Troarnenſis, Sigebertus Gemblacenſis, Boſtonus Burienſis, Lanfrancus, Albericus, Algerus, Gratianus &c. quam recentiores, Philippus Mornæus, *Lib. IV. de Euchariſtia*, c. VIII. Calixtus, *de Transſubſtantione*; Cave, *loco citato*, Uſſerius *de Succeſſionibus Eccleſ.* p. 239. Baronius, Bellarminus, Poſſe-

vinus, Dallæus, *de uſu Patrum*, Moreri, Buddeus, Du Pin, & ſinguli *Hiſtoriæ Sacramentariorum* Scriptores.

BERENGOSVS.

S. Maximini Ord. Bened. extra muros Trevirenſes Abbas, anno 1110. floruit. Collectores itaque *Bibliothecæ Patrum, Paris. & Colon.* una cum Bellarmino, eum ad VII. Seculum, incerti tamen, quando præciſe vixerit, minus rectè retulerunt. Ætatem autem quam indicavimus, ex antiquo diplomate aperuere Sanmarthani, T. IV. *Gall. Chriſt.* f. 633. Scripſit Libros III. *de Laude & Inventione crucis Dominicæ, Librum de Myſterio Ligni Dominici, & de luce viſibili & inviſibili, per quam antiqui Patres meruerunt illuſtrari. Sermones V. de Martyribus, Confeſſoribus, Dedicatione Eccleſiæ, & Veneratione Reliquiarum*, quæ ſingula Coloniæ, 1555. 8v. & in *Bibl. Patrum*, T. XII. p. 349. prodierunt. De eo Cave P. I. p. 447. Labbeus T. I. *Diſſert.* p. 185.

BERNARDINVS AQVILANVS.

Italus, Foſſâ, Aprutii oppido, natus, Concionator Apoſtolicus & Ordinis Minorum in Aula Pontificia, Procurator, S. Litterarum & Juris utriusque peritus, anno 1480. clarus, anno 1503. obiit. Scripſit *Funerale*, Venetiis, 1572. excuſum. *Tract. de nubere volentium doctrina*, inter *Tract. Juris*, Venet. 1584. T. IX. *Admonitiones ſpirituales*, Italicè, Venet. 1572. *Hiſtoriam brevem de Cœnobiis, & illuſtribus Viris provinciæ S. Bernardini. Quodlibetum Scholaſticum. Quadrageſimales. Centuriam in memoriam Paſſionis Chriſti. Peregrinum*, ſeu de Chriſto ſub Peregrini ſpecie diſcipulis Emauntem proficiſcentibus, apparente. *Sermonum Libros aliquot. Vitas S. Bernardini Senenſis & S. Philippi Aquitani*, Italicè, & alia recenſent Waddingus, *Bibl. Ord. minor.* p. 54. Henricus Willot, *Athen. Franciſc.* p. 59. Henr. Wharton, *Appendice Caveana*, p. 107. quæ typis mandari curavit, Antonius Amicius à Foſſa, Aquilanus, ejus conſanguineus, qui Bernardini quoque vitam conſcripſit.

BERNARDINVS de BVSTIS.

A patria cognomine, Ducatus Mediolanenſis, ita dictus, Philoſophiæ, Juris, Theologiæ, atque Oratoriæ, exacta inſtructus notitia, encomio Willoti, *Athen. Franciſc.* p. 61. Homo cæterum ſuperſtitioſiſſimus, ne dicamus, blaſphemus. Horreſcimus, legentes, quæ alicubi ſcripſit: Non fuiſſet Chriſtus bonus filius, imò

impius

impius erga genitricem, & contra præceptum legis de honore Parentum feciſſet, ſi matrem à culpa originali non præſervaſſet. *Bernhardini de Buſtis, Buſto digna argumentatio!* judice Dannhavero, *Part. VI. Lact. Catechet. p. 617. Roſarium Sermonum* ſcripſit, quod T. II. Hagenoæ, 1500. Lugduni, 1507. 1525. 4. & cum *Mariali*, Brixiæ, 1588. T. III. *Mariale*, ſeu *Sermones* de B. Maria, Mediolani, 1494. 4. Argentinæ, 1496. *Quadrageſimale*, Argentinæ, 1496. *Pro defenſione Montium Pietatis*, Tractatus II. Mediolani, 1503. Hagenoæ, 1588. f. T. II. *Officium conceptionis Deiparæ*, a Sixto IV. anno 1480. approbatum, & *Officium nominis Jeſu*, edita ſæpius, atque circa finem Seculi XVI. Venetiis excuſa. Conf. ſi placet, Henr. Whartonum, *loco citato*, p. 107.

BERNARDINVS de CARAVAIAL.

Hiſpanus Nobilis, ex urbe Cazeres in Extremaduræ Provincia natus, Aſturicenſis, Pacenſis, Carthaginenſis & Seguntinus Epiſcopus, Ferdinandi, Hiſp. Regis, ad Innocentium VIII. Orator, poſt Cardinalis ab Alexandro VI. creatus eſt. A Julio tamen P. R. ob Concilium Piſis celebratum, dignitatate Cardinalitia exutus; a Leone reſtitutus, Epiſcopuſque Tuſculanus factus, aliisque auctus titulis, Romæ, 1523. obiit. *Oratio ejus ad Cardinales, de eligendo Pontifice*, Romæ, 1492. dicta, ibidem quoque eodemque tempore prodiit. *Orationem ad Sixtum IV. & Cardinales: Homiliam in Exaltationem S. Crucis: Sermonem ad Cardinales in Commemoratione Victoriæ Bazencis: Epiſtolam conſolatoriam ad Ferdinandum Regem, in obitu Sereniſſimi Principis Johannis: Orationem nomine Catholicorum Regum ad Alexandrum VI.* memorat quidem excuſa, ſed abſque loci & temporis mentione, Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſpan.* T. I. p. 168. Conf. Henr. Wharton, *Appendice Caveana*, p. 120.

BERNARDINVS SENENSIS.

Patre Senenſi, in Maſſanenenſi Hetruriæ oppido, anno 1380. ex nobili Albizeſchorum familia natus, & à frequenti Senarum incolatu cognominatus, Onuphrii & Joh. Spoletani diſcipulus, poſt varias peregrinationes in Orientem, & alias regiones, Ordinis minorum Generalis Ciſmontanus Commiſſarius in Capitulo Audomarenſi creatus eſt. Alia, quæ fabuloſus quidam Scriptor & autor Vitæ ejus refert, de Græcæ Linguæ, quam antea non calluit, peritia, ad ejus preces miraculosè ei collata, de imbre, auditores ſub Dio aſſidentes, abigente, per crucis ſignum repreſſo &c. addere

ſuperſedemus. Aquilæ in Veſtinis, ann. 1444. Bernardinus deceſſit, & ann. 1450. per Nicolaũ V. P. R. canoniſatus eſt. Opera ejus per Petrum Rudolfium, Ordinis Minorum, & Seno-Galliæ Epiſcopum, recognita, & Apoſtillis, ut loquitur, illuſtrata, Venetiis, 1591. 4. Tom. IV. prodierunt, auctiora verò Pariſiis, 1636. fol. T. V. curâ Joh. de la Haye, Seraphici Ordinis, Concionatoris Regii. Sunt autem *Quadrageſimale de Religione Chriſtiana: Quadrageſimale de Evangelio æterno: Adventualia II. de Vita Chriſti, & de Inſpirationibus: Quadrageſimale duplex: Sermones de quatuor Noviſſimis & alii extraordinarii* XXV. *Tractatus de Confeſſione: De Speculo peccatorum: De Præceptis Regulæ Minorum: De Præceptis Religioſi: Epiſtola ad Fratres familiæ Ultramontanæ: De Aſpirationibus quotidianis ad Deum: Dialogus de Obedientia: Commentarii in Apocalypſin: Sermones de Chriſto, de Euchariſtia, de Deipara Virgine, de Tempore & Sanctis: Sermones de Feſtivitatibus S. Deiparæ per annum*, Norimbergæ, jam anno 1493. ſeorſim excudit Freder. Kreusnerus. Agunt de Benardino Senenſi, Labbeus, T. I. *Diſſert.* p. 186 Henr. Willot, *loco citato*, p. 62. H. Wharton, in *Appendice Caveana*, p. 70.

BERNARDINVS TOMITANVS.

Italus Feltrenſis, *Parvus* à brevi ſtatura vocatus, Ordinis Minorum, Sixto IV. & Innocentio VIII. P. R. percarus, anno 1480. floruit. Vir a rara morum caſtitate, & eximia dicendi facundia, laudandus, obiit Ticini, anno 1494. Extat ejus *Tractatulus de modo confitendi*, Brixiæ, 1542. 12. excuſus & *Conciones quædam Italicæ, de perfectione Vitæ Chriſtianæ*, Venetiis, 1532. 8. prodierunt. Conf. H. Wharton, *loco citato*, p. 107.

BERNARDVS.

Abbas Fontis calidi, Ordinis Præmonſtratenſis, Sec. XII. vixit, atque ſcripſit *adverſus Waldenſes & Arianos* Tractatum, qui *in Bibl. Patrum Lugdun.* T. XXIV. & *in Triade Scriptorum anti-Waldenſium*, à Gretſero, 1614. Ingolſtadii vulgata, habetur.

BERNARDVS.

Natione Gallus, Monachus, pòſt verò Abbas Lirinenſis, Carolo Regi admodum carus, cujus favore Abbas Caſſinenſis anno 1263. factus, pòſt Cardinalis, anno 1282. obiit. Errat proinde Oudinus, qui eum anno 1330. Poſſevinus, anno 1347. & Labbeus, anno 1340. floruiſſe tradunt. Scripſit Bernardus *Speculum Monachorum*,

chorum, Pariſiis, 1507. Venetiis 1520. 16. excuſum. Item *ſuper Regulam Benedicti* Lib. I. *Collationum beneficiorum & Officiorum Montis Casſini* Regeſtum unum. *Inquiſitionum Jurium & bonorum in Caſtris & villis Montis Caſſini* Regeſtum alterum, quæ omnia Manuſcripta extant in Bibl. Caſſin. & aliis. De eo poſt citatos autores, Guil. Cave, P. II. pag. 250.

BERNARDVS BASINVS.

Hiſpanus, Theologiæ Doctor Pariſienſis, Eccleſiæ Cæſaraugustanæ Canonicus, anno 1507. ſcripſit Librum *de artibus magicis & magorum maleficiis*, excuſum Pariſiis, 1506. 8. Francof. 1580. 8. Lugd. 1620. 8. De eo Henr. Wharton, *Appendice Caveana*, p. 135.

BERNARDVS à BREITENBACH.

Camerarius & Decanus Eccleſiæ Moguntinæ, circa annum 1499. teſte *Gallia Chriſtiana*, Fratrum Sanmarthanorum, T. I. f. 359. Scripſit *Paſſagium*, uti vocat, ſive *Itinerarium Terræ Sanctæ*, Bertholdo, Principi Henneberg. tum temporis, uſque ad annum 1504. Archi-Epiſcopo, dedicatum. Adeoque errat Poſſevinus, in *Appar. S.* hunc Scriptorem ſibi coævum aſſerens, qui tamen Seculo integro ſuperior eo fuit. Aggreſſus enim iter illud anno 1483. Aſt Poſſevinus anno demum 1611. obiit. Sed oſtendit erroris ortum Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* l. III. c 6. p. 571. ſcilicet, quod noſtrum Bernardum Breitenbachium, cum Tilmanno Bredenbachio, qui Poſſevini æqualis fuit, & anno 1584. *Collationum Sacrarum* libros conſarcinavit, confuderit, aitque ſe habere Itinerarii illius inſigne exemplar, lingua Germano Belgica, ſcripſit enim illud idiomate quoque latino, editum Moguntiæ, 1488. typis Erhardi Rewiick, Ultrajectini, quem Comitem in Palæſtinam adſumſerat, ejusque operam in urbibus ac portibus ſcitè depingendis adhibuerat.

BERNARDVS de COMPOSTELLA.

Presbyter Compoſtellanus, Innocentii IV. P. R. Capellanus, & Cardinalis Oſtienſis, eidemque percarus, anno 1250. claruit. Scripſit *Diplomata Summorum Pontificum & antiquorum Hiſpaniæ Regum*, Tom. IV. *Hiſpaniæ illuſtratæ* inſerta. *Caſus longos ſuper Libros V. Decretalium*, quod opus ſine die & Conſule, in folio excuſum, in Arnſtadienſi noſtra Bibliotheca adſervatur. Prodiit quoque Argentorati, 1498. Norimb. 1493. *Lectura in Lib. I. Decretalium*, cum *Apoſtillis Antonii de Crevant*,

Crevant, Pariſiis, 1516. 4. impreſſa eſt. Agunt de eo Poſſevinus in *Appar. S.* Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 517.

BERNARDVS CLARÆVALLENSIS.

Natus in Caſtro Fontanis, nobili loco, prope Divionem in Burgundia, anno 1091. patre Tecelino, milite. A teneris mirâ ingenii felicitate in Caſtellionenſi Canonicorum Collegio humaniores litteras profeſſus eſt, anno verò 1113. ad Ciſtertium abiit, unde anno 1115. egreſſus, Clarævallenſi ad fluvium Seniam, in Diœceſi Lingonenſi erecto Monaſterio Abbas ſuffectus, multa præclare geſſit. Tacemus, quod juxta Miræum, *Chron. Ciſterc.* p. 159. Centum & Sexaginta amplius Monaſteriorum Pater ac Fundator extiterit, hoc ſaltem attendentes, quod Concilio Trecenſi anno 1127. Concilio Stampenſi, anno 1130. interfuerit. Apud Victorem, Antipapam, tantum valuit Bernardus, ut ejus ſuaſu Sedem Papalem abdicaverit. Hinc *Pater Patriæ, & Reſtaurator Eccleſiæ*, a Romanis eſt dictus. Nimis foret prolixum ſingulos Bernardi labores, pro reſtauranda & amplianda Eccleſia ſuſceptos, enumerare. Illa ſaltim attingimus, quæ ad lites, tum temporis in Eccleſia ortas, faciunt illuſtrandas. Abelardum, ejusque dogmata, publicâ in Rhemenſi Concilio diſputatione, & Scriptis deinde convicit, acriterque adverſus illum pugnavit. Gillebertum, Epiſcopum Pictavienſem, divinitatem à Deo fruſtrà ſeparantem, aliaque heterodoxa circa Trinitatem, profitentem, ad mentem ſaniorem reduxit, ejusque errores, in Conciliis Antiſſiodorenſi, Pariſienſi, & Rhemenſi proſcribi curavit. Henricum de Tholoſa, Petri de Bruis, diſcipulum & Sectatorem, imò Petrobruſianorum ſuo tempore Anteſignanum, oppugnavit maſculè, multósque ab ipſo jam ſeductos in Eccleſiæ ſinum redegit. Cum Apoſtolicis quoque, rudi hominum genere, fortiter dimicavit, multosque ex illis ab erroribus retraxit. Lapſum Eccleſiæ toties deploravit, ejusque reformationem ſeriò ſuaſit. Adeò, ut teſte Chytræo, *Orat. de Philippo Melanchtone*, p. 509. *Bernardus admirabili religionis ſtudio, & Sacrarum Literarum peritia, quarum verba & ſententiæ dicenti ſe ſponte offerunt, in movendis etiam adfectibus piis, non ſegnis, nec efficax, ſimul tamen feſtivus & jucundus ſit, ut Melliflui cognomen non immerito ipſi tributum videatur, cum plerique alii, σύγχρονοι, recentiores Scholaſticæ Theologiæ Scriptores, frigidi & ἀπαθεῖς in dicendo, unum hoc agant, ut Lectorem doceant.* Lutherus ipſe T. II.

Jen.

Jen. Germ. f. 476. Bernardum omnibus ferè & antiquioribus & recentioribus Doctoribus anteponendum eſſe, non dubitavit. Superſedemus hac vice, Sixti Senenſis, Danielis Heinſii, Eraſmi, Lipſii, Voſſii, Thuani, Bellarmini, aliorumque elogiis, quæ collegit Thom. Pope-Blount, *Cenſura Celebr. Autor.* p. 372. Obiit Bernardus, anno 1153 ætatis 63. Inſigne hoc ejus Epitaphium, per Philippum, Bonæ ſpei Abbatem, Ord. Præmonſtr. ipſi erectum, exhibet Labbeus, *Theſ. Epitaph.* p. 86.

Claræ ſunt *Valles*, ſed claris Vallibus *Abbas*
Clarior, his clarum nomen in Orbe dedit,
Clarus avis, Clarus meritis & Clarus honore,
Claruit ingenio, Religione magis.
Mors eſt Clara, cinis Clarus, Clarumque ſepulcrum,
Clarior exultat Spiritus ante Deum.

Vita ejus extat apud Surium ad diem XX. Aug. Opera verò multoties excuſa ſunt. Prodierunt enim Venetiis, 1515. 1549. II. Vol. in 4. 1568. 1575. 1583. Baſileæ, 1552. 1566. Antwerpiæ, 1576. 1616. 1620. Lugduni, 1500. fol. 1514 1520. fol. 1544. 1550. Coloniæ, 1596. 1641. Pariſiis, 1508. 1517. fol. 1527. 1547. 1561. 1566. 1586. 1602. 1609. 1614. 1632. 1641. 1645. T. VI. fol 1658. 1666. & 1667. T. II. in fol. & T. VIII. in 8. quæ Joh. Mabillonium, ſociosque ejus Benedictinos, autores habet, atque editio omnium accuratiſſima deprædicatur, T. I. p. 517 *Journal des Sçavans*, atque poſt alia ab operum ſuppoſititiorum à genuinis diſcretione, laudatur. Editionem verò illam, quam Pariſiis, anno 1645. extulit Jacobus Merlonus Horſtius, repræſentant Labbeus, Cave, & alii. Noviſſimam autem, eamque ſplendidiſſimam Operum Bernardi editionem, ſiſtunt *Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſium*, Supplem. T. I. p. 556. ſeq. Produxit illam modò laudatus Mabillonius, eamque priori multò accuratiorem, T. VI. fol. Pariſiis, anno 1690. imprimi curavit. Tomus I. continet *Epiſtolas 444.* Tom. II. Tractatus quosdam ſeu *Opuſcula.* Tom. III. *Sermones de Tempore, de Sanctis, & de diverſis.* Tom. IV. *Sermones 86. in Canticum Canticorum.* Tom. V. *Gilberti de Hoilandia Continuationem Sermonum in Canticum Salomonis, cum variis Operibus Bernardo perperam adſcriptis.* Tom. VI. *Guerrici, Abbatis Igniacenſis, Sermones, Guigonis Cartuſiani Epiſtolas, & varios autores, qui de Vita Bernardi ſcripſerunt.* Ordinem & contenta horum Bernardi Scriptorum omnium, prolixè ſiſtit Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. à p. 50. ad 92. Seorſim prodierunt

runt *Libri V. ad Eugenium, P. R. de Conſideratione*, Coloniæ, 1605. 8. *Hymni IV. de Contemptu mundi*, apud Carolum de Viſch, *in Biblioth. Ord. Ciſterc.* p. 45. *Epiſtolæ* aliquot, apud Dacherium, *Spicileg.* T. III. *Tractatus brevis de Corpore Chriſti, Epiſtola de amore divino, Liber metricus de Laudibus Virginis & alia* habentur apud Jac. Homey, *in Supplem. Patrum*, anno 1684. Pariſiis excuſo. *Theſaurum* ex Bernardi Operibus edidit Nicolaus Pithœus, Genevæ, 1589. 8v. *Biblia* vero S. Bernardi, ſeu *Collectionem & explicationem omnium locorum Scripturæ S.* quæ in Operibus Bernardi ſparſim reperiuntur, David l'Enfant, Doctor Pariſinus, Ord. Præd. Paris. 1655 4. *Oratorium S. Bernardi*, ex ejus Operibus collegit, atque græc. lat. edidit Samuel Cuno, Halæ, 1609. 8. Vide quoque Caroli de Viſch *Bibliothecam Ciſtercienſem*, ſecundis curis elaboratam, quæ præter omnia Opuſcula Bernardo in Manuſcr. Codicibus adſcripta, ex Dunenſi Bibliotheca *Rhytmos* aliquot ejus pios, plurimaque Bernardi Opuſcula, nondum vulgata, ſiſtit. Aſſervat quoque inter Cimelia ſua Bartholomæus Chriſtianus Richardus, Bibliothecæ Jenenſis Præfectus, Fautor noſter æſtumatiſſimus, Codicem manuſcriptum membranaceum elegantiſſimum, Bernardi Abbatis de Claravalle *Expoſitionem ſuper Cantica Canticorum* complectentem, in quo ſingularis *Epilogus, de tribus Statibus animæ Chriſtianæ* reperitur, qui ex Cl. Poſſeſſoris ſententia, in editionibus typis impreſſis, etiam noviſſimis, non ſubjungitur. Agunt de Bernardo Philotheus Monachus, *in Elegiis*, Petrus Venerabilis Otto Friſingenſis, Guerricus Abbas, Jacobus de Vitriaco, Henricus Gandavenſis, c. 9. Joh Trithemius, Bellarminus, Baronius, Poſſevinus, Carolus du Viſch, Sanmarthani, Arndius, Labbeus, Cave, Bayle, Buddeus, & alii. Adde Spizelium *in Acad. Veter. J. C.* p. 213. & *in Selectis Doctorum Veterum de vera converſione ad Deum*, ubi p. 283. *Epiſtola* Bernardi ad Thomam de S. Audomaro, de maturanda converſione, & p. 290. Ejusdem *Sermo geminus de* converſione S. Pauli exhibetur.

BERNARDVS.

Cognomento *Dapifer* dictus, Molicenſis in Auſtria Monachus, anno 1362. clarus, compoſuit *Hiſtoriam de B. Gothalmo, S. Colomanni Cellario*, quam primus in lucem protraxit Lambecius, *Comment. de Bibl. Vindob.* T. II. p. 618. Conf. de Bernardo Henr. Wharton, *in Appendice Caveana*, p. 40.

BERNARDVS GVIDONIS.

Ortu Gallus, patriâ Lemovicenſis, ex vico Roëria prope Rupem-Apis oriundus, anno 1261. Ordinis Prædicatorum Sodalis factus, anno 1280. deinde Lector, & Cœnobii Albienſis, Carcaſſonæ Caſtrenſis & Lemovicenſis Prior, Inquiſitor contra Albingenſes, Ordinis ſui Procurator in Curia Romana, poſt Tudenſis, tandemque Lodovenſis Epiſcopus conſtitutus, obiit anno 1331. Scripſit autem *Hiſtoriam brevem de fundatione Ordinum Grandimontenſis & Artigiæ, & Monaſterii S. Auguſtini Lemovicenſis*, ad annum 1313. quam exhibet Labbeus, *Bibl. Manuſcr.* T. II p. 275. *Geſta Comitum Tholoſanorum* Catellus edidit, Tholoſæ, 1623. f. *Vitam S. Fulchranni, Epiſcopi Lodovenſis*, Bollandus ad diem XIII Febr. *Vitam* S. Glodeſindis Virginis; probabiliter noſtro adſcribit Cave. Habetur illa apud Surium die XXV. Julii. *Speculum Sanctorale ad Joh. XXII.* Manuſcr. extat in Bibl. Prædicatorum Avenionenſium. *Epiſtolam ejus nuncupatoriam & Præfationem*, exhibet Labbeus, *loco citato*, p. 513. & alia excerpta paſſim. *Speculum Hiſtoricum Romanorum Pontificum atque Imperatorum & Regum Galliæ* ad annum 1321. Manuſcr. adſervatur in Bibliotheca Colbertina, & penes Prædicatores Avenionenſes. *Chronicon Pontificiorum* duplex memorat Cave, P. II. *Hiſt. Litt.* p. 274. *brevius* alterum, in Bibliotheca Carmelitarum excalceatorum Claromont. deliteſcens; & *fuſius* alterum, quod in Bibliotheca Colbertina extiterit. Utriuſque ſpecimen exhibet Stephanus Baluz. *Vit. Pap. Aven.* T. I. *Acta omnium generalium Capitulorum Dominicani Ordinis*, Manuſcr. apud Dominicanos Toloſanos. *Practica Inquiſitionis*, Manuſcr. ibidem. *Tract. brevis de temporibus & annis generalium & particularium Conciliorum*; *de Officio Miſſæ*; & *de Caſibus, qui contingere poſſunt in celebrando*, Tract. *de Præceptis Decalogi, de Apoſtolis & LXXII. diſcipulis, de Epiſcopis Toloſanis*, *Dicta SS. Patrum de Peccato originali*, *de Articulis fidei & Sacramentis Eccleſiæ*; *Deſcriptio Galliarum*, & alia extant in Bibliotheca Colbertina. Conf. Henr. Wharton in *Appendice Caveana*, p. 16. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 595. *Additiones* ad Librum Stephani de Salagnaco, *de exordiis Ord. Præd.* ipſi tribuit Baluzius, *not. ad Vit. Pap. Aven.* T. I. col. 579.

BENARDVS JVSTINIANVS.

Patricius Venetus, profeſſione Monachus Ord. Carthus. urbis ſuæ nomine ad Sixtum IV. P. R. anno 1471. legatus, obiit anno

1495. Scripſit *Vitam Laurentii Juſtiniani*, primi Venetiarum Patriarchæ, quam exhibet Surius die VIII. Januarii, quamque vide *Operibus Laurentii*, Baſil. 1560. Lugd. 1568. præmiſſam. *De Origine Venetiarum, rebusque à Venetis geſtis*, & *Vitam S. Marci* Evangeliſtæ, Venetiis, 1534. fol. *Orationes varias*, Venet. 1495. fol. 1659. 4. Hanov. 1613. 8. *Hiſtoriam* item *Gothicam*, ipſi tribuunt, Voſſius *de Hiſt. Lat.* Jac Bergomas, *in Supplem. Chron.* Trithemius & alii. Conf. de eo Paulus Jovius, *elog. Viror. Illuſtr.* n. 115. p. 257. Cave *Hiſt. Litter.* P. II. p. 315.

BERNARDVS de LVXEMBVRGO.

Ordinis Prædicatorum Conventus Colonienſis, Magiſter Provinciæ Teutonicæ, & S. Theologiæ Licentiatus. Scripſit compilationem in Vitam S. Joſephi, nutricii Domini J. C. editam Coloniæ, 1510. apud Martinum de Wordena, item *Expoſitionem in Symbolum Athanaſii*, ibidem. 1510. *Catalogum hæreticorum*, cui adjectus eſt *Tractatus de Purgatorio*, Coloniæ, 1527. 8. *Sermones novos de Roſario B. Virginis Mariæ*, 4to. memorat Becmannus *in Catal. Bibl. Francof.* Conf. Simlerus *in Epitome* f. 99. a.

BERNARDVS MORLANENSIS.

Sive Morlacenſis, natione Anglus, Ord. Bened Monachus Cluniacenſis, ingenio, pietate, & eruditione celebris, teſte Pitſeo, *Script. Angl.* f. 205. Omne ſtudium eò referens, ut mundi contemptum; divinarumque rerum amorem pectori ſuo altius insereret, aliisque imprimeret; Inde ſcripſit Libros III. *de contemptu mundi*, carmine rythmico, dactylico, artificioſe & ingenioſe ſatis, ultra ter mille verſûs continentes, ad Petrum Cluniacenſem Abbatem ſuum, anno 1140. qui incipiunt:

Hora noviſſima, tempora peſſima ſunt, vigilemus,
Ecce minaciter imminet arbiter ille ſupremus, &c.

Illos ex veteribus membranis deſcriptos anno 1597. Bremæ edidit Nathan Chytræus, ſed non primùm, uti falsò putavit, ſicut ſcribit Daumius *not.* ad Bernardi Geyſtenſis *Palponiſtam*, ex Tho. Reineſii Bibliotheca editam, p. 42. ubi ait, à Flacio illos primùm editos eſſe. Porrò prodierunt Rintelii, 1626. curante Petro Lucio, & Luneburgi 1640. 12. Eidem Pitſeus tribuit alia, Lib. *de mundo*, & *Colloquium Gabrielis atque Deiparæ de Incarnatione Verbi*, quæ videre non contigit. Conf. tamen Simlerus, *loco citato*, p. 99. & Poſſevinus, Cave. P. I. p. 463.

BER-

BERNARDVS PARENTINVS.

Ordinis Prædicatorum, Toloſanus Theologus, atque Philoſophus, anno 1340. clarus, ſcripſit Lectiones eruditas ſuper totum officium Miſſæ, *Lilium Miſſæ* inſcriptas, non verò *Librum Miſſæ*, quod in Poſſevino notat Cave P. II. p. 277. Prodiit illud Opus curâ Ludovici Vaſſorii, Pariſiis, 1517. 1531. 8v. Manuſcr. verò adſervatur in Bibliotheca Bodlejana. *Sermones* ejus & alia memorant Simlerus & Poccianțius, *de Script. Florent.* qui tamen vel in eo aberravit, quod Bernardum inter Florentinos Scriptores poſuit.

BERNERVS.

Ex Ord. Bened. Monacho S. Remigii apud Remenſes, Cœnobii Humolarienſis apud Veromanduos Abbas, anno 964. claruit. Scripſit *Vitam S. Hunegundis*, Humolarienſis Abbatiſſæ, quam habes ſtylo politiori ornatam, apud Surium, genuinam verò atque juxta Codices Manuſcr. expreſſam, apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 1018. *Hiſtoriam* ttanslationis corporis ejusdem Hunegundis, *Sec. V.* p. 215. De eo Cave, P. II. 186. Caſimir. Oudin. *Supplem.* p. 303. Mabillon, *in Præludiis ad opuſcula Berneri.* Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 45.

BERNO AVGIENSIS.

Monachus primo fuit Prumienſis, dein Abbas, Augiæ divitis ſive majoris, prope Conſtantiam ad Rhenum, è Brigantino lacu erumpentem, anno 1014. floruit, quo Coronationi Henrici II. Imperatoris, interfuit. Obiit 1045. vel juxta Sanmarthanos, anno 1048. T. IV. *Gall. Chriſt.* f. 107. Cæterum Labbeus errantem Voſſium corrigit, quod Hincmari, Rhemenſis Archi-Epiſcopi, diſcipulum eum adſeruerit, qui tamen jam anno 882. obierit. Vir omnino doctus varia ſcripſit, quæ recenſet Labbeus, & ante iſtum, ex parte Voſſius, Lib. II. *Hiſt. Lat.* c. 44. p. 367. Simlerus, *Bibliotheca*, p. 100. Scripſit autem Librum *de Officio Miſſæ*, qui ſeorſim prodiit, Venetiis, 1572. 8. inter Scriptores alios, Coloniæ, 1568. Paris. 1610. f. & *in Bibl. Patrum*, T. XIIX. p. 6. *Vitam S. Vdalrici, Auguſtani Epiſcopi*, apud Surium, die IV. Julii. *Vitam S. Meginradi Epiſcopi & Martyris*, apud Mabillon, *Sec. Bened. IV. P. II. p. 63.* Præter iſta Sanmarthani, ejus Tractatum *de Adventu Domini*, ad Aribonem, Archi-Epiſcopum Moguntinum, & Libros III. de Muſica, ad Piligrinum Colonienſem ſcriptos, celebrant,

 quip-

quippe quid in cantu Eccleſiæ præſtiterit, Eckehardus in *Vita Notkeri*, quam Caniſius T. VI. *Antiq. Lect.* p. 933. exhibet, c. IX. & X. edocebit. De ſuppoſito vero Bernoni huic & Guidoni Aretino, egregiis temporum ſuorum Muſicis, Libro *de Officio Miſſæ, & Eccleſiaſticis obſervationibus*, qui *Micrologus* inſcribitur, vide Labbeus T. I. *Diſſert.* p. 201. Conf. præter citatos autores, Sigebertus Gemblacenſis, *de Viris Illuſtr.* c. 156. Joh Trithemius, Geſnerus, Simlerus, Miræus, Poſſevinus, Bellarminus, Voſſius *de Hiſt. Lat.* l. 2. c. 44. Caſpar Bruſchius, *Chronol. Monaſter. Germ.* p. 40. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 104. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 419.

BERTHARIVS.

Gente Gallus, regia ſtirpe oriundus, Caſinenſis Abbas, anno 856. electus, Vir raræ ſanctitatis, & inculpatæ vitæ laudibus conſpicuus, à Saracenis Caſinum expugnantibus, ad altare miſſam faciens obtruncatus eſt, anno 884. Libros II. *ἀντικειμένων ſeu contrariorum V. & N. T.* ſcripſit, impreſſos Baſileæ, 1530. Coloniæ, 1533. 8. incerto & incognito tum temporis autore, quos tamen Berthario vendicarunt Joh. Bapt. Marus, *notis* ad Petrum Diaconum, *de Viris Illuſtr. Caſin.* c. 12. p. 23. & Leo Oſtienſis, *Chron. Caſin.* L. I. c. 35. *Verſus de Vita, obitu ac miraculis S. Benedicti*, aliisque *ad Angelbergam Auguſtam*, inter Proſp. Martinengi *Poëmata*, Romæ, 1590. & apud Arnoldum Wion, *ad Martyrol. Benedict.* die XXI. Martii. *Sermo de S. Luca, Evangeliſta*, in *Breviario Ordinis S. Benedicti* habetur. *Sermonum & Homiliarum* Lib. I. Manuſc. extat in Bibliotheca Caſinenſi. Plura alia memorat Petrus Diaconus, & Joh. Baptiſta Marus, *loco citato*, quos evolve. Adde Cavium, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 385. Etiam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 107.

BERTOLDVS CONSTANTIENSIS.

Qui rectius *Bernoldus* dicitur, juxta Mallinckrot. *de Archi-Cancell. & Cancell. S. R. I.* p. 35. qui illud ex Gretiero dilucide probat. Fuit autem Bernoldus in Suevia natus & educatus, uti refert Henr. Pantaleon, P. II. *Viror. Illuſtr. Germ.* f. 142. Presbyter inde factus Conſtantiæ ad Rhenum, & Pœnitentiarius Apoſtolicus, Trithemio eximie quidem celebratus. Floruit Bernoldus, anno 1066. Aſt, non prætereundum, quod pro Papa, Gregorio VII. contra Henricum IV. Imperatorem, calamum & gladium ſtrinxerit, & ann. 1100. obierit. Scripſit *Hiſtoriam ſui temporis*, ab anno 1053. ad annum

1100.

1100. & *Appendicem* XI. annorum, ab anno 1055. ad 1166. ad Hermanni Contracti *Chronicon*. Extat utrumque apud Chriſt. Urſtiſium, inter *Scriptores Rerum Germanicarum*, p. 341. 336. Ejus Opuſcula pro Gregorio VII. ediderunt Jac. Gretſerus, Ingolſtadii, 1609. f. & Jacobus Tengnagelius, Bibliothecarius Cæſareus, ibidem 1612. 4. Conf. Voſſium de *Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 47. p. 390. Trithemium, Bellarminum, *de Scriptoribus*. Honorium Auguſtodunenſem, *de Luminar. Eccleſ.* L. IV, c. 13. Labbeum T. I. *Diſſert.* p 102. Cavium, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 419. & alios.

BERTOLDVS.

Micianenſis, in Provincia Lugdunenſi quarta, Monachus, Vir pro Seculi ratione admodum doctus, anno 821. floruit. Conſignavit *Vitam S. Maximini*, Abbatis Micianenſis, eundemque carmine præfixo, Jonæ, Aurelianenſi Epiſcopo, dicavit. Extulit illam ex membranis, atque *Sec. I. Bened.* p. 591. inſeruit Mabillonius. Conf. de Bertoldo, Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 159.

BERTRANDVS, vide RATRAMNVS.

PETRVS BERTRANDVS.

Matthæi filius Bertrandi, Annæenſis oppidi in tractu Vivarienſi civis, ex Decano Eccleſiæ Anicienſis, Juriumque in Academiis, Avenionenſi, Montiſpeſſulana, Aurelianenſi & Pariſienſi, Profeſſore, Epiſcopus Nivernenſis, tum anno 1325. Æduenſis ſive Auguſtodunenſis, ac tandem anno 1331. Cardinalis, titulo S. Clementis, Collegii Auguſtodunenſis fundator, anno 1349. Avenione obiit, juxta ea, quæ narrant Sanmarthani, T. I. *Galliæ Chriſtianæ*, fol. 50. Labbeus T. I. p. 185. Henr. Wharton, *Appendice Caveana*, p. 17. Senior dicitur, ad diſcrimen ſui ex ſorore Nepotis, Petri Bertrandi, de Columbario cognominati, Epiſcopi Oſtienſis, & Cardinalis, cui iſtius Opera male adſcripſit Philippus Locrius, de quo Sanmarthani, *loco citato*. *Acta Diſputationis Bertrandi, de Jurisdictione & libertate Eccleſiæ Prælatorum*, adverſus Petrum de Cuneriis, coram Rege Philippo VI. Valeſio celebratæ, pro Eccleſiæ Gallicanæ Libertate, prodierunt, Pariſiis, 1495. 4. & apud Goldaſtum *Monarch.* T. II. p. 1361. Tractatus verò *de Origine & uſu Jurisdictionum*, ſive *de ſpirituali & temporali Jurisdictione*, inter alios *Tractatus Juris* excuſus Venetiis, 1584. T. XII. p. 408. Utrumque Opus habetur in *Bibl. Patrum Paris. edit.* 2. T. I f.

1179. 1225. & *edit. noviſſ.* T. XXVI. Satis indiſcretam Petri Bertrandi locutionem, de parum diſcreto Chriſto, ſi Papæam non inſtituiſſet Succeſſionem, ex Bonifacii VIII. *extravag. de Majoritate*, notavit Joh. Henricus Otto, Tigurinus, *epitom. Tract. de Autoritate Eccleſiæ Romanæ, præfatione.* De Bertrando poſt alios differunt, Frizon, *Gallia purpurata*, & Auberus, *Hiſtoire des Cardinaux.* Poſſevinus, *in Apparatu S.*

BERTRANDVS.

Monachus, forſan Caſæ Dei in montibus Arvernorum, anno 1160. claruit. Scripſit *Librum tripartitum, de Vita, converſatione & miraculis S. Roberti, Abbatis, primique Fundatoris Caſæ Dei*, qui extat apud Labbeum, *in Bibliotheca nova Manuſcr.* T. II. p. 637. Conf. Cave, *P. I. p.* 471. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 197.

BERTRANDVS de CVRA.

Autor *Sermonum hyemalium & æſtivalium*, qui Argentorati, 1501. 4. prodierunt.

BERTRANDVS de TVRRE.

Aquitanus, Camboli in Cadurcenſi Diœceſi oriundus, *Doctor famoſus* nuncupatus, Ordinis Franc. Monachus, & Provinciæ Aquitaniæ miniſter, anno 1319. Archi-Epiſcopus Salernitanus conſecratus, poſt Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, atque demum anno 1328. totius Ordinis Franciſcani Adminiſtrator conſtitutus, anno 1334. obiit. Scripſit *Sermones Epiſtolares*, ſeu Epiſtolas inter Miſſam habendam legi ſolitas, excuſos Argentinæ, 1501. *Sermones de Tempore. ab Adventu uſque ad Paſcha: Sermones de Sanctis, Dominicales, Quadrageſimales & Feriales: Commentaria in IV. Libros Sententiarum: In Evangelia & Epiſtolas totius anni:* quæ Manuſcr. Bibliotheca Vaticana exhibet. Adde Tract. *de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, & Collationes Theologicas*, memorata Whartono, *Appendice Caveana*, p. 14. Conf. de Bertrando Lucas Waddingus, *de Scriptoribus Ordinis Minorum*, p. 60.

BESSARION.

Natione Græcus, patria Trapezuntinus, ex Monacho S. Baſilii, Archi-Epiſcopus Nicenus conſtitutus, Conciliis Ferrarienſi & Florentino interfuit, in quibus ab initio adverſus Latinos de Proceſſione SS. mirâ dexteritate diſputavit. Abſoluto autem Concilio Florentino ad Latinos defecit, atque ab Eugenio IV. P. R. Cardinalis, anno 1439. ac tandem poſt captam Conſtantinopolim, Patri-

Patriarcha Conſtantinop. deſignatus, Ravennæ 1472. obiit. Romæ Sepulchrum nactus, cujus Epitaphium Boiſſardus repræſentat, quod vivens ipſemet ſibi erigi curavit, & paulò aliud, Jovius, *elog. doct. Viror.* c. 24. p. 54. Inſignem Venetiis Bibliothecam fundavit ditatam codibus græcis & latinis, multo ſumptu acquiſitis, cui Marcum Antonium Sabellicum, Româ magno ſtipendio accerſitum, præfecit, eandemque tandem Senatui Veneto donavit. Extat *Epiſtola inſignis*, quam hac de cauſa ad Principem, Senatumque Venetum, anno 1469. exaravit. Vide illam, ſi libet, ex recenſione Melch. Goldaſti, ſub finem *Centuriæ Epiſtol. Philolog.* Francof. 1610. edit. p. 500 ſeq & Philip. Camerar. *Centur. III. horar. ſubciſiv.* c. 72. p. 265. & adde Ludov. Jacob. à S. Carolo, Carmelitæ, Tract. *de Bibliothecis publicis & particularibus*, P I. c. 39. p. 133. Ex eadem multos græcanicos libros, ut librarium theſaurum, quem parabat, augeret, ſibi deſcribi operoſe curavit, Didacus Hurtadus Mendozius, Caſtellanus, memorante Andrea Schotto, T. III. *Bibl. Hiſpan.* f. 543. Ipſe quoque Beſſarion plurima doctiſſimaque Volumina ſcripſit, quorum Catalogum integrum nemo hactenus exhibuit. Præcipua tamen ſiſtit Henr. Wharton, *in Append. Cav.* p 77. nimirum, *Librum de Euchariſtiæ Sacramento & quibus verbis Chriſti conficiatur.* Extat ille lat. in *Bibl. Patrum*, T. XVI. & gr. lat. inter SS. Patrum Liturgias, Pariſiis, 1560. *Oratio dogmatica in Synodo Florentina habita de cauſis Schiſmatis*, gr. lat. Concil. T. XIII. p. 391. Alia *Oratio de unione ineunda*, in Concilio Ferrarienſi proclamata, gr. lat ibidem, p. 36. *Epiſtola prolixiſſima ad Alexium Laſcarim Philanthropenum, Antidotus* dicta, de ſucceſſu Synodi Florentinæ & Proceſſione SS. gr. lat. Concil. T. XIII. p. 1228. *Epiſtola ad eundem de Proceſſione SS. Apologia pro Vecco, ſeu Confutatio Confutationum Palamæ. Epiſtola generalis ad omnes, qui Sedi Patriarchali ſubſunt. Reſponſio ad quatuor argumenta Maximi Planudis de Proceſſione SS. ex ſolo Patre.* Hæc quatuor opuſcula vulgavit in aurea ſua *Opuſculorum Theologicorum Collectione*, Petrus Arcudius, Romæ, 1630 4. *Epiſtola ad Pædagogum filiorum Thomæ Palæologi*, græcè edita â Jac. Pontano, in *notis ſuis* ad Gr. Phranzæ *Hiſtoriam*, Ingolſtadii, 1604. 4. gr. lat. Joh. Meurſius, Lugd. Batav. 1613. 8. *Conſilium de bello movendo contra Turcas*, Islebii, 1603. *Monodia in obitum Manuelis Palæologi, Imperatoris*, lat. apud Bzovium ad annum 1471. § 56. *In calumniatorem Platonis Lib. IV. Correctio Librorum Platonis in legibus: De natura & arte contra Trapezuntium; Translatio XIV. Librorum Metaphyſicorum Ariſtotelis,*

& unius Metaphyſicorum Theophraſti, prodierunt ſimul Venetiis, 1503. 1516. His ſuperaddit Cl. Cave P. II. *Hiſt. Litter.* p 303. ſequentia: *Epiſtolam ad Georg. Gemiſti Plethonis filios, de obitu & laudibus Patris*, quam græc. & lat. extulit Leo Allatius, *de Conſenſu*, Lib. III. c. 3. §. 6. & *de Georgiis*, p. 392. *Epigramma in proprium Sepulchrum*, apud Antonium Sanderum, *Elog. Card.* Lovan. 1526. *In Theodoram, Conſtantini Imperatoris Conjugem, Iambi ſepulchrales*, habentur græc. lat apud L. Allatium *de Conſenſu*, L. III. c. 4. §. 4. *Refutatio capitum Marci Epheſii contra Latinos*, a Gennadio quidem incepta, ſed à Beſſarione, Gregorii, Patriarchæ Conſtantinop. rogatu, abſoluta, cujus meminit idem Allatius, *loco citato*, c. 3. §. 1. *Profeſſio fidei Chriſtianæ in Synodo Florentina prolata*, & XXI. articulis abſoluta: *Epiſtola ad Georg. Gemiſtum Plethonem de quatuor quæſtionibus Philoſophiæ Platonicæ: Epiſtola ad Theodorum Gazam de Georg. Trapezuntii libro pro Ariſtotele contra Platonem*, & aliæ *Epiſtolæ: Tractatus de Primatu Papæ: De S. Joh. Evangeliſtæ obitu*, & alia. Adde *Sanctorum Patrum, tùm Orientalium, tùm Occidentalium ſententias, quæ de Proceſſione SS. etiam ex filio agunt*, quas in unum redegit faſciculum & ad Alexium Laſcarim cum *Epiſtola* quadam transmiſit. Hanc Latine vertit atque vulgavit Abrahamus Cretenſis *cum Concilio Florentino*, Romæ, 1526. fol. Conf. de Beſſarione Paulus Jovius, *elog. doct. Viror.* c 14. Trithemius, Bellarminus, Poſſevinus, Miræus, Buddeus, Hendreich, & alii.

BILDVS RHENANVS.

Sive *Beatus Rhenanus*, Antonii Bildi, qui Rhenaco Seleſtadium comigrans, a patria Rhenanus dici cœpit, Seleſtadii natus filius, anno 1485. Eraſmo, Baſileæ, familiaris, in patria cœlebs inculpate vixit, tandem Argentinæ, ex balneis rediens, anno 1547. obiit, teſte Beza, *Icon. Doctor.* f. 36. & Voſſ. *Hiſt. Lat.* Lib. III. f. 653. qui poſtremus ejus a Joh Sturmio vitam, fuſe & eleganter ſcriptam, citat. Cæterum de Bildo hoc diſtichon compoſuit Stephanus Paſchaſius:

Qui docuit quicquid Rheni concluditur orbe,
Annon Rhenanum, dicere jure potes?

Vir fuit, judice Teiſſierio, elog. Vir. doct. *eruditione, modeſtia & probitate pariter inſignis. Accuſatus tamen nimii terreſtrium bonorum amoris, quodque illa uſui proprio unicè adſervaret. Quapropter de illo dici conſuetum erat:* BEATUS EST, BEATUS ATTAMEN SIBI. Abſque teſtamento deceſſit, licet opes 8000. aureorum, obſcuris hæredibus reliquerit.

Bi-

Bibliothecam ſuam vivus Senatui Argentoratenſi, ex famuli, Rudolphi Berzii, teſtimonio conceſſit. *Tertullianum* hic Rhenanus illuſtravit, & duas *Gregorii Nazianz. Epiſtolas* vertit & alia. *Vitas* quoque *Eraſmi & Joh. Geileri*, conſcripſit, *Hiſtoricos* item plures partim edidit, partim emendavit, & de *Rebus Germanicis* magna fide & diligentia ſcribens, plurimum lucis primus illis intulit, teſte Joach. Vadiano, *Farrag. antiq. Aleman.* præf. & Pontano, *Orig. Franc.* L. II. p. 143. adeoque diligentiſſimi vetuſtatis indagatoris titulum meruit, juxta *Scaligeriana.* De *Euſebio* ejus æquiter judicat Baillet, *Jugemens des Sçavans.* Reliquæ ejus in Plinium, Livium, Tacitum, Vellejum Paterculum, &c. *Annotationes*, huc non faciunt. Conf. ſi vacat, Rhenani effigiem vultus atque ingenii, expreſſam ab ingenioſiſſimo, Joh. Jac. Boiſſardo, *P. I. Illuſtr. Icon.* p. 249. & Melchior. Adam. *in Vita Rhenani*, Blount, *Cenſura Celebr. Autor.* p. 594. ſeq. & alii.

BOBOLENVS.

Gente Germanus, Presbyter & Monachus, anno 690. clarus, conſignavit *Vitam S. Germani*, Grandivallenſis in Diœceſi Baſileenſi Abbatis, Deicolo Leudimundo & Ingreſido dicatam, quam exhibent Bollandus, die XXI. *Febr.* T. III. p. 263. & Mabillon, Sec. Bened. II. p. 511. De eo Cave, P. II. p. 134.

BOETHIVS.

Anicius Manlius Torquatus Severinus Boethius ſive *Boetius*, natione Romanus, ex illuſtriſſima gente oriundus fuit. Athenis prima ſtudiorum fundamenta jecit, omnesque diſciplinas penitus exhauſit. Hinc Romam reverſus, Patricius, pòſt Conſul vel terna vice factus eſt. Vxores in matrimonio habuit binas, alteram Helpidem, alteram Ruſticanam. Is eſt, qui inter ruinas Imperii Romani ita excelluit, ut omnium latinorum, quorum reliqui ſunt libri, eruditiſſimum fuiſſe conſtet. S. Theologiæ imprimis fuit addictus, ac tunc eò impenſius, quod videret orthodoxam de SS. Trinitate ſententiam vehementer ab Oſtrogothis Arianis, ipſorumque Rege Theodorico, oppugnari. Poſthæc verò per calumniam delatus, atque ſuſcepti de vindicanda in libertatem Italia conſilii falsò accuſatus, Ticini, ejus juſſu, cum Symmacho Socero, in carcerem conjectus, reſecta cervice occiſus, obiit ann. non 526. ut P. Bertius & Miræus, neque 521, ut Bellarminus, ſed 524. ùt in *Chro-*

nico Marius, Aventicenſis Epiſcopus, diſertè edocuit. Epitaphium Boethii iſthoc refert Silv. Marulus, *Hiſt. Omn. Ord.* l. 4. f. 272.

Mœonia & Latia lingua clariſſimus & qui
Conſul eram, hic perii, miſſus in exilium.
Et quid mors rapuit, Probitas me vexit ad auras,
Et nunc fama viget maxima, vivit opus.

In carcere iſto Ticinenſi ſcripſit *Librum de SS. Trinitate, & Libros V. de Conſolatione Philoſophiæ*, quos tamen non abſolviſſe, & poſtrema parte, *de Via unica, quæ hominem in cœlum ducat*, agere voluiſſe, evincit Bertius, qui iſtos *de Conſolatione Philoſophiæ*, cum Libro *de diſciplina Scholarium*, quem Thomæ Cantipratenſi vendicat Thomaſius, notante Daumio, *ad Cat. Diſt.* p. 185. Lugd. Batav. 1633. edidit. Ante vulgati ſunt iſti Lugduni, 1502. 4. 1514. 4. Baſil. 1536. 8. Antwerpiæ, 1607. 8. Poſtea verò cum notis Renati Vallini, Lugd. Batav. 1656. 8. *de unitate & uno* Liber prodiit, Lovanii, 1633. 8. *Fidei Confeſſio*, cum Libris *de Conſolatione*, Lugd. Batav. 1656. 8. Opera in unum congeſta Volumen omnia, Venetiis, 1491. & cura Henrici Glareani, Baſileæ, anno, 1546. & ibidem 1570. excuſa, recenſet Labbeus, T. I. p. 205. ſeq. & Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 275. *Vitam ejus* è recentioribus ſcripſerunt, Julius Martianus Rota & Nicolaus Cauſſinus. Notabilia varia e. g. de miris horologiis à Boethio, juſſu Theodorici Regis, cujus ad Boethium extat Epiſtola, hac de cauſa ſcripta, pro Condibaldo, Burgundiorum Domino, artificio ſingulari confectis, vid. Bernardi Sacci, *Hiſtor. Ticinenſ. Lib. VII.* c. 17. quæ Grævii *Theſaur. Ital.* T. III. P. I. inſerta eſt. Conf. de Boëthio Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 38.

BONACVRSVS.

Patriâ Mediolanenſis, Catharorum Magiſter, anno 1163. claruit. Scripſit *Vitam Catharorum Hæreticorum*, quam exhibet Dacherius Spicileg. T. XIII.

BONAVENTVRA BROCARDVS.

Monachus Ordinis Prædicatorum, Germanus, Saxo-Weſtphalus, uti perhibet Reinerus Reineccius, citatus Chriſtophoro Heidmanno, ſub finem *Palæſtinæ ſuæ*. Scripſit is Brocardus quoque *Palæſtinam*, eamque ſecundum XII. cœli ventorum, & juxta hos imaginarias ſibi conſtitutas lineas delineavit. Prodiit hic liber jam olim Pariſiis, ſicut Geſnerus & Simlerus referunt, ut & Antwerpiæ,

apud

apud Joh. Steelſium, 1536. excuſus. Magdeburgi, 1593. 4. Ingolſtadii, 1604. 4. Coloniæ, 1624. 8. Floruit autem & terram S. vidit, anno 1283. ut ex cap. 7. hujusce libri p. 24. colligitur. Conf. Voſſium *Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 60. p. 490. & Cavium, P. II. p. 254. qui Argentoratenſem hunc Brocardum facit, quo vero autore, non refert. Circa ejus Chronotaxin nobiſcum conſentit. Aſt differt, quando eum, licet mutilè ab Henr. Caniſio, T. VI. *Antiq. Lect.* in lucem editum, tradit. Caniſianus enim Burcardus, qui ibid. p. 296. extat, *de monte Sion* ſemet appellat, & alii cuidam Burcardo, Lectori Ord. Præd in Maydenburch Librum ſuum *de Terra S.* præfatione ſingulari addita, inſcripſit Alia tacemus, noſtro non conſentanea. Aliud Brocardi noſtri Opus, *de Legatione in Ægyptum*, manuſcriptum exhibet Bibliotheca Baſileenſis.

BONAVENTVRA.

Qui & *Eutychius* & *Euſtachius* græcis, in Baptiſmo verò *Joh.* ſive *Petrus Fidanza*, dictus, Balneoregii, Bagnarea urbe Etruriæ, ann. 1221. natus, Alexandri ab Ales diſcipulus, Thomæ Aquinatis in promotione Doctorali, competitor, Ordinis Minorum ſodalis, deinceps Generalis, ann. 1256, Albanenſis tandem Epiſcopus atque Cardinalis, anno 1274. de quo ſatis impie, Scholaſticorum Anteſignanus, Alexander ab Ales, ejùs Præceptor, dixit: Videri ſibi Adamum in fratre Bonaventura non peccaſſe, ſicuti referunt Trithemius & Willotus, qui congeſtis Antonii Florentini, Joh. Gerſonis, & aliorum teſtimoniis, ejus laudes fuſius proſequitur, *Athen. Franc.* p. 67. ſeq. Hic primus Confraternitatum in Chriſtiano orbe autor extitit, ipſeque Confraternitatem *Confalonis*, anno 1270. Romæ inſtituit. Cedit in ejus laudem, quod ipſe ſolus inter Cardinales, circa Pontificem eligendum, diſſentientes, arbiter ſit conſtitutus, Gregoriumque X. deſignaverit. Obiit Bonaventura, Lugduni, 1274. Qui plura deſiderat, ejus ab Octaviano Martiniano Sueſſano conſcriptam vitam evolvat. Operum ejus, Romæ, 1588. f. VIII. Tomis excuſorum, poſt Bellarminum & Willotum, maxime hic prolixam ſeriem refert Cave P. I. p. 505. Opuſcula ejus T. IV. prodierunt, Venetiis, 1584. Seorſim verò impreſſi ſunt *Sermones, de Tempore & de Sanctis*, Swollæ, 1479. f & alibi, 1481. fol. per Joh. Zainer, & Hagenoæ, 1496. *Diæta ſalutis & Opuſculum de Reſurrectione ad gratiam*, Paris. 1523. *Speculum diſciplinæ*, Antwerpiæ, 1591. & 1600. 8. quod aliqui Davidi, Auguſtano

Minoritæ tribuunt. *Commentar. in IV. Libros ſententiarum*, Norimbergæ, 1491. f. T. II. Novam & locupletiorem editionem Lucam Waddingum fuiſſe molitum, inſinuat Labbeus, T. I. p. 208. aſt *Appendice*, p. 749. illum morte præventum, ait. De Bonaventura agit poſt alios multos Waddingus, *Annal. Minor.* ad annum 1221. ſeq.

BONAVENTVRA BADVARIVS à PERAGA.

Italus Patavinus, illuſtri gente natus, Doctor Theologus Pariſienſis, Ordinis Auguſt. Eremita, Ordinisque ſui Generalis, Presbyter Cardinalis, titulo S. Cæciliæ, inſidiis Franciſci Carrarienſis, Patavinorum Reguli, Romæ occiſus, anno 1386. vel 1389. juxta alios 1396. aut 1399. Floruit certè anno 1377. Scripſit *Speculum B. Mariæ*, Auguſtæ, 1476. *Tomos IV. in Libros IV. Sententiarum*, & *Meditationes in Vitam Chriſti*, alicubi excuſos. *Commentaria in Canonicas SS. Jacobi & Joh. Epiſtolas*, *Sermones de Tempore*, *de Sanctis*, & *ad Clerum*, memorat Joſ. Pamphilus, *Chron. Ord. Erem.* p. 67. Conf. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 43. Aub. Miræus, *Auct.* c. 442. Curtius, *in elog. Auguſt. illuſtr.* & alii.

ANTONIVS BONFINIVS.

Civis Aſculanus, ex Apuliæ Dauniæ urbe & Recinetenſis, Vir græcè & latinè eruditus, fama valens circa annum 1495. Scripſit hortante Corvino, Hungariæ Rege, *Rerum Hungaricarum Hiſtoriam*. Lib. XLV. & IV. Decadibus diviſam, eamque ad annum 1495. perduxit. Tres priores Decades edidit Martinus Brennerus, Baſil. 1543. integra verò Hiſtoria cum Sambuci additionibus, Baſil. 1568. f. Francof. 1581. f. Hanov. 1606. f. *Sympoſium Beatricis*, ſive III. Dialogi de Virginitate & fide conjugali, Baſil. 1572. 8. recuſi 1621. 8. Alia græcorum monumenta, a Bonfinio Latine verſa, exhibet Simlerus, *Bibl. Tigur.* p. 48. E quibus Hermogenis de Rhetorica libri & Aphtonii Sophiſtæ Progymnaſmata prodierunt, Lugd. 1538. Conf. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 125. Labbeus, T. I. p. 93. Voſſius, de *Hiſt. Lat.* L. III. c. 11. p. 658. Bayle & Buddeus, *in Lexicis.*

BONIFACIVS de CEVA.

Natione Italus, patriâ Ligur, Marchionis de Ceva filius, J.V.D. relicto foro, Ordinis Franciſc. Monachus, in Conventu Rubei Montis Provinciæ S. Bonaventuræ cucullum induit. Vir erat admodum prudens, atque circa annum 1501, floruit, Provinciæ Franciæ Mini-

Miniſter & Commiſſarius, & Provinciarum Turonenſis, ac S. Bonaventuræ, & magni Conventus Pariſienſis Reformator, Lutetiæ, 1512. obiit. Scripſit *Viaticas excurſiones, de variis hominum vitiis*, ad Joh. Epiſcopum Taurinenſem, Paris. 1518. editas. *Tract. de Perfectione Chriſtiana*, Paris. 1517. *Quadrageſimale & Sermones Paſchales*, ibidem. *Tract. de Scientia & arte benè moriendi & Reſponſionem ad quandam Apologiam contra ſe factam: Conſtitutiones* &c. de quibus poſt Waddingum, *de Script. Ord. Min.* pag. 85. Henr. Wharton, *Appendice Caveana*, pag. 131.

BONIFACIVS I. P.R.

Patriâ Romanus, Secundi, Presbyteri filius, Papa anno 418. Romæ conſecratus, anno 423. obiit, poſtquam multæ cum Eulalio, Antipapa, lites, ipſi interceſſerant. Scripſit *Epiſtolas III.* quas vide *Concil.* T. II. p. 1582. & *alias V. Concil.* T. IV. p. 1702. quas ex Codice Bibliothecæ Barberinæ, Lucas Holſtenius primus vulgavit. Agunt de Bonifacio, Cave, P. I. p. 217. Ludov. Jacob. a S. Carolo, *Pontif. Bibl.* p. 25. qui eidem *decreta varia* adſcribit, & ejus Epitaphia exhibet. Petrus de Natalibus, Geſnerus, Du Pin, *Bibl. Nouv.* Tom. III. pag. 260.

BONIFACIVS II. P.R.

Patriâ Romanus, Papa anno 530. factus, Dioſcurum, Antipapam habuit. Vigilium quidem in Romana Synodo ſucceſſorem ſibi conſtituerat, mox tamen, Athalarico urgente, mentem mutare fuit coactus. Obiit ann. 532. Scripſit *Epiſtolas II.* quæ Concil T. IV. p. 1684. habentur. *Alteram* ad Eulalium, Epiſcopum Alexandrinum, *alteram* ad Cæſarium Arelatenſem. Utraque tamen multas ob cauſas ſuſpecta apparet. De eo Caranza, Platina, Lud. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 27. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 284. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 43.

BONIFACIVS IV. P.R.

Natione Marſicanus, patriâ Valerianus, Eccleſiæ Romanæ Presbyter, pòſt verò Pontifex, ann 607. creatus, obiit anno 614. *Ejus Epiſtola ad Ethelbertum, Anglorum Regem, & Decretum in Synodo Romana latum, de Monachis, Officium Sacerdotale miniſtrantibus*, habentur *Concil. T. V. p. 1618.* Vitam Bonifacii Petrus de Natalibus & Anaſtaſius Bibliothecarius conſignarunt. Conf. quoque Poſſevinus *in Appar. S.* Cave, in *Hiſt. Litter.* p. 314. Ludov. Jacob a S. Carolo, *loco citato*, p. 28. Du Pin, *loco citato*, T. VI. p. 12.

BONI-

BONIFACIVS V. P. R.

Neapolitanus, Archipreſbyter titulo S. Xyſti, deinde Papa ann 617. vel juxta Catalogum Anaſtaſianum añ.620. ordinatus, ann. 626. obiit. Scripſit *Epiſtolas III. Vnam*, ad Juſtum, Cantuarienſem Archi-Epiſcopum: *Aliam*, ad Edwinum, Northumbrorum Regem, ad fidem exhortatoriam: *Tertiam*, ad Edilburgam, Edwini conjugem. Extant illæ apud Baronium, ad annum 618. 625. & Concil. T. V. p. 1658. & alibi. Conf. autores modò citatos.

BONIFACIVS VIII. P. R.

Aliàs *Benedictus Cajetanus*, gente Campanus, ortu Anagninus, ex SS. Sylveſtri & Martini in Montibus Preſbytero Cardinali, propria electione Pontifex factus, annoque 1295. conſecratus, anno 1303. obiit. Hic primus Jubileum Chriſtianum inſtituit, immanique arrogantia celebravit. Immodicam ejus ambitionem, faſtum, fraudes & tyrannidem exprimit proverbium de eo natum: *Intravit ut Vulpes, regnavit ut Leo, mortuus eſt ut Canis.* Scripſit Epiſtolas II. *Concil.* T. XI. P. II. p. 1398. *Epiſtol. & Conſtitutiones* XXIV. apud Bzovium, ad annum 1294. & ſeq. Waddingum ad ann. 1296. ſeq XLVII. ibid. in *Regeſto Pontif.* XXII. apud eundem T. III. p. 1. *Reſcriptum de Indulgentiis anni Jubilæi*, cum Julii Roſæ Scholiis. Conſtitutionem de Privilegiis doctorum & ſtudentium Almæ urbis Collect. Conſtitut. Apoſt. Romæ, 1579. p 2. *Juris Pontificii Codicem*, Pariſiis 1503 1541. Venet. 1591. 8 Lugduni, 1581. fol. Francof. 1586. 8. & in pluribus Juris Canonici editionibus, excuſum. Plura ejus Manuſcr. exhibet Ludov. Jacob. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 32.

BONIFACIVS IX.

Petrus Thomacellus antea dictus, Neapolitanus, Acolythus & Protonotarius Apoſtolicus, poſt Diaconus Cardinalis S. Georgii in Velabro, & Cardinalis Preſbyter titulo S Anaſtaſiæ ordinatus, Pontifex demum Romanus, 1389. conſecratus eſt Hic, cum nummorum cupidine flagraret, Annatarum onus in Eccleſiam primus introduxit, quo primi beneficiorum eccleſiaſticorum fructus ærario Apoſtolico ſolvuntur. Jubilæum quoque celebravit, atque paulò poſt, anno 1404 obdormivit. Habentur ejus *Epiſtolæ & Conſtitutiones* IV apud Bzovium, ad annum 1391. 1392. 1403. *Aliæ* VI. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. IV. ad annum 1392. 1394. 1399.

Aliæ

Aliæ XLII. ibid. *in Regeſto Pontif.* p. 177. *Aliæ* plures apud eundem Tom. IV.

BONIFACIVS WINEFRIDVS, vide WINEFRIDVS.

BONIFACIVS SIMONETA.

Italus Mediolanenſis, nobili gente natus, Ordinis Ciſtercienſis Monachus, poſt Abbas Monaſterii Cornu, in Placentino tractu oppidi, Johannis Simonetæ, qui Sfortiæ geſta edidit, Patruus, anno circiter 1490. floruit, quod ex epiſtola ejus prima, ad Carolum VIII. Galliæ Regem data, pateſcit. *De Chriſtianæ fidei & Romanorum Pontificum perſecutionibus*, VI. Epiſtolarum Libros conſcripſit, editos Mediolani, 1492. & accurante Hieronymo Emſero, qui pene divinum & inæſtimabile Opus vocat, Baſileæ, 1509. Et fatemur, ubi primò, caſu grato illud acceptum conſpeximus, lepidum ejus hiſtoriam Eccleſiaſticam tradendi inventum, haud leviter nos fuiſſe admiratos. Sunt enim Epiſtolæ numero 279. quarum unaquæque, *principio* hiſtoriam aliquam remotiorem, vel ſacram vel profanam continet, *dein* membrum aliquod humani corporis à vertice uſque ad pedis plantam, ejusque morbos & remedia, perpetuo & facili nexu involvit; *Tertio*, locorum, quorum meminit, deſcriptionem Geographicam, ut & ſecreta ex magia naturali. *Quarto*, addit, atque *ſexto* maxime libro, plurima Aſtronomica, Phyſiognomica & Mathematica alia, jungit. Adeò, licet Poëta non fuerit, & prodeſſe & delectare voluiſſe nobis videtur. De Simoneta agunt Voſſius, de *Hiſt. Lat.* L. III. c. 8. p. 626. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 120.

ANTONIVS BONITVS.

Italus Cuccharanus, Ordinis Minorum Monachus, & Provinciæ Terræ Laboris Præfectus, ſingulari erga pauperes benevolentia, anno 1501. conſpicuus, ut *Pater Pauperum* vulgò ſalutaretur. Obiit anno 1510. Scripſit *Elucidarium de Conceptione immaculata Virginis glorioſæ*, Neapoli, anno 1500. impreſſum. *Manuale* autem, *omnium ferè definitionum, & diſcrepationum caſuum conſcientiæ*, nondum prelo ſubjectum eſſe, arbitratur Whartonus, *loco citato*, p. 132.

ARNOLDVS BOSTIVS.

Sive *Boſchius*, Germanus, Ordinis Carmelitani ſocius in Mona-

ſterio Gandavenſi, Trithemio, Hermolao Barbaro, Gaguino & aliis, familiariter uſus, anno 1489. floruit, anno autem 1499. è vita migravit. Scripſit Libros II. *de Viris Illuſtribus Ordinis ſui*, excuſos Colon. 1609. 8. Reliqua ejus Opera memorat Trithemius, *de Script. Eccleſ.* pag. 204. & in his *Librum tertium, de Viris Illuſtr. Ord. Carmelit.* qui Mechliniæ Manuſcr. adſervatur. Conf. Miræus, *Auct.* cap. 494. & penes Baleum, juxta cum alio ejusdem Autoris, *de Patronatu Mariæ*, teſte Cl. Whartono, *loco citato*, p. 118.

CAROLVS BOVILLVS.

Gente Gallus, patriâ Veromandicus, domo Samarobrinus, Eccleſiæ Noviomenſis Canonicus, Vir Grammatices, Oratoriæ, Philoſophiæ, Matheſeos, Theologiæ, & aliarum artium peritiâ anno 1500. clarus, ſcripſit *Quæſtionum Theologicarum, de Creatione Angelorum, de Voluptate Paradiſi, de diluviis*, aliisque ex V. & N. T. deſumtis, Libros VII. Pariſiis, 1504. 1513. Baſileæ 1515 fol. Commentarium *in Primordiale Evangelium D. Joh.* Pariſiis, 1511. & cum *Epiſtolis*, imò *Raymundi Lullii Vita*, ibidem, 1514. 4. Tractatum *de Laude Hieroſolymorum*, in Pſalmum CXLVIII. *de Laude Gentium*, in Pſalmum CXVII. *de Concertatione & area peccati*, ſimul excuſi, Lugduni, 1531. 8. Tribuuntur ipſi *Commentationes* quoque *in Pſalmos* LXXI. CXVIII. & in *Orationem Dominicam*. Dialogi IV. *De Animæ immortalitate I. De Reſurrectione II. De mundi excidio I.* impreſſi, Paris. 1551. 4. *De raptu Pauli: de Prophetica viſione: de Voto: de libero Arbitrio: de differentia orationis*, Paris. 1589. 8. *Proverbia* ejus & alia *Opera Critica* atque *Mathematica*, non tranſcribimus, de quibus Cave P. II. pag. 303. & Hendreich, *in Pandectis Brandeburgicis.*

BOVO.

Gallo-Belga, Monaſterii Sithivenſis in Morinis Abbas, anno 1043. ordinatus, circa annum 1065. obiit. Habetur ejus *Relatio de inventione & elevatione S. Bertini, Abbatis*, anno 1052. facta, ad Widonem, Rhemorum Archi-Epiſcopum, apud Mabillonium, *Sec. Ben.* III. P. I. p. 153. Vid. Cave, P. II. *Hiſtor. Litter.* p. 198.

BRANDOLINVS vide AVRELIVS.

BRAVLIO.

Cæſarauguſtanus Epiſcopus, Ioh. Germani Fratris in Sede ſuc-

ſucceſſor, anno 627. clarus, Conciliis IV. V. & VI. Toletanis, interfuit. Tranſiit ad plures anno 646. Scripſit *Vitam S. Æmiliani, Monachi*, quam exhibet Mabillon, *Sec. Bened. I.* p. 205. *Epiſtolas II.* ad Iſidorum Hiſpalenſem, quæras inter *Iſidori Opera. Elogium Iſidori* breve apud Surium, die 3. April. Conf. Mariana, Schottus, Nicol. Antonius, & alii *Rerum Hiſpan.* Scriptores. Adde Miræum, *in Scholio ad Ildefonſum.* Poſſevinum, *in Appar. S.* Cav. in *Hiſt. Litt.* P. I. p. 318. Caſim. Oudin. *Supplem. de Script. Eccleſ.* pag. 169. Du Pin, *Bibl. Nouv.* Tom. VI. p. 5.

BRIGITTA.

Natione Sueca, regio ſtemmate nata, Birgeri & Sigridis filia, Wulfoni, Nericiæ Principi, matrimonio iuncta, nunquam verò Sueciæ Regina extitit, prout falsò adſeruit Joh. Chriſtoph. Rumetſchius, *in Schediaſmate de Hiſtoria Vniverſali Theol. Evangel. p. 64.* Hæc poſtquam aliquot liberos ab illo acceperat, continentiam devovit, atque in Monaſterium ſe contulit, novum ordinem *S. Salvatoris* inſtituens. Sanctitatis laude inſigniter pollebat, magnisque pariter in Italiam & Orientem itineribus. Viſiones ipſi vulgò adſcribuntur a Pontificiis Claruit Brigitta ab ann. 1363. ad ann. 1373. quo animam exhalavit. Tantâ apud ſuos ſanctitate colitur, ut eam in Sanctorum Album retulerit Bonifacius IX. ejusdemque canonizationem Concilium Conſtantienſe, anno 1415. confirmaverit. Scripſit doctiſſima fœmina *Revelationum Libros VIII. Regulam S. Salvatoris datam divinitus ab ore Jeſu Chriſti devotæ Sponſæ ſuæ Brigittæ, Sermonem Angelicum de excellentia B. Mariæ Virginis, Orationes IV.* divinitus revelatas, *Revelationes extravagantes*, quæ ſingula Lubecæ, 1497. Norimbergæ 1521. Romæ, 1557. f. Antwerpiæ, 1611. f. Romæ & Coloniæ 1628. T. II. f. Monachii, 1680. f. prodierunt. Germanicè, Norimb. 1500. 1521. f. Dillingæ, 1569. 8. Seorſim verò excuſæ ſunt *Orationes XV. de Paſſione Domini*, 1530. 8. Conf. de Brigitta Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 40. Joh. Schefferus, *in Suecia litterata*, p. 9. & Joh. Mollerus *in Hypomnematibus*, p. 351. ſeq. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 108. & 643. Tentzelius, *in Dialog. Menſtr.* anni 1690. p. 158. ſeq. Chriſtianus Junckerus, *in Centuria fœminarum eruditarum* p. 24. ſeq. *Vita* ejus habetur apud Surium, die XXIII. Jul.

BRVNO ASTENSIS.

Ex illuſtri Aſtenſium gente oriundus, patriâ Longobardus,

 adver-

adverſus Berengarium, anno 1079. in Concilio Romano diſputavit. Hinc vel invitus Epiſcopus Segnienſis factus, à Sede ſua Caſinum aufugit. Poſtquam autem ad eandem juſſu P. R. redierat, Concilio Turonenſi interfuit. Caſinum iterata vice reverſus, ejusdem Abbas Monaſterii electus, ad Segnienſes tamen redire à Pontifice juſſus, anno 1125. placide obdormivit. Ejus Opera omnia, quæ Brunoni Carthuſiano ex parte, & aliis, hactenus falsò attributa, vindicavit, ſuoque autori aſſeruit, eorum integris II. Tomis, Venetiis, anno 1651. f. excuſorum editor, Maurus Marcheſius, Panormitanus, Congregationis Caſinenſis Monachus. Sunt autem Tomo I. *Commentarius in Pentateuchum*, editus antea Duaci, 1648. item *Comment. in Jobum, Pſalmos, Canticum Canticorum & Apocalypſin.* Tomo verò II. *Homiliæ* ſeu *Sermones* 145. in Evangelia totius anni, quæ anno 1578. ſub nomine Euſebii Emiſſeni, & T. V. *Bibl. Magn.* Coloniæ, anno 1622. P. I. f. 544. ex recognitione Andr. Schotti, ſub Euſebii Gallicani cujusdam nomine extant. Tract. *in Canticum Zachariæ & de Incarnatione Domini, de Laudibus Eccleſiæ*, Libri VI. *Sententiarum*, & ſimilia plura. Ejus aliquam *Homiliam*, in die. Natalis Domini, in nocte, habitam, cum aliis ejusdem argumenti communicavit & edidit Daumius, p. 197. Opuſculum *de Conſecratione Eccleſiæ*, integrius extat apud Lucam Dacherium, *Spicileg.* T. XII. p. 79. Singula verò habentur *in Bibl. Patrum*, Tom. XX. p. 294. De eo Ferdinandus Ughellus, T. I. *Ital. S.* Joh. Bapt. Marus *not.* ad Petrum Diaconum, *de Vir. Illuſtr. Caſin.* c. 34. p. 61. Labbeus, T. I. p. 213. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 436. Caſimir. Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 389. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 159. Marius Anton. Scipio *in elog. Abbat. Caſin.* & Philippus Malabayla, in diſquiſitione *de ortu & receſſu S. Brunonis à Caſinenſibus.*

BRVNO.

Carthuſianorum Patriarcha, patriâ Colonienſis, dignitate Canonicus Remenſis, & Scholarum Magiſter, cum aliquot ſociis ad Hugonem, Gratianopolitanum Epiſcopum, veniſſe, frigidosque Carthuſiæ montes incolere eum cœpiſſe, anno 1086. refert, poſt alios, Labbeus T. I. p. 209. Cauſam ejus in eremum ſeceſſus, ſatis fabuloſam, videlicet mortui alicuius Pariſienſis Doctoris, jam in feretro jacentis, inopinatam reſuſcitationem, atque damnationis ſuæ propriam confeſſionem, vulgò mentiuntur Pontificii, quos ideò

ex inſtituto refellit Launoyus, in peculiari *Diſſertatione, de vera cauſa ſeceſſus Brunonis in eremum.* Ab Vrbano II. cujus olim Præceptor fuerat, anno 1092. Romam evocatus, morum aulicorum pertæſus, & Archi-Epiſcopatu Rhegienſi relicto, in Calabriæ eremum, qui Turris dictus, profectus, ibidem, anno 1101. expiravit. Opera ejus ex editione Pariſienſi, 1524. Jodoci Badii Aſcenſi, Bellarminus recenſuit, recentiorem verò Coloniæ, 1611. f. T. III. ſtudio Theodori Petreji, vulgatam, Labbeus & Cave, P. I. pag. 436. ſiſtunt. Eminent *Expoſitio in Pſalmos*, & *Commentarius in Epiſtolas Pauli* qui ſeorſim, Paris. 1509. prodiit. Adde Epiſtolas II. ex eremo Calabriæ ſcriptas, item *Confeſſionem fidei*, quam Mabillon *Analect.* T. IV. p. 400. exhibuit. Reliqua a Cavio adducta, ad præcedentem Brunonem Aſtenſem ſpectant. Plura dabunt Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 157. Aub. Miræus, *de Origine religioſ.* Lib. II. c. 35. Petrejus, *Bibl. Carthuſ.* Arnoldus Boſtius, *de laudibus Carthuſianorum*, &c.

BRVNO.

Carinthiæ Dux, Conradi II. Imperatoris patruelis, Herbipolitanus Epiſcopus, anno 1033. conſtitutus, anno 1045. Poſſonii, cum aliis, de alta domo cadens, obiiſſe dicitur Bruſchio, T. I. *de Epiſcop. Germ.* p. 159. Scripſit *Commentarium in Pſalmos & Cantica omnia V. & N. T. Orationem* item *Dominicam, Symbolum Apoſtolicum, & Athanaſii*, quæ ex recognitione Joh. Cochlæi, extant, T. XI. *Bibl. Magn. Colon.* f. 59. & *editionis noviſſimæ*, T. XIIX. pag. 65. Impreſſa olim Coloniæ, anno 1494. per Antonium Koburg, teſte Simlero, *Epitom. Bibl. Geſner.* f. 104. qui tamen fallitur, quando *Comment. in Epiſtolas Pauli*, qui præcedentis Brunonis ſunt, huic adſcribit. Agunt de noſtro Brunone, Cave, P. I. p. 420. Trithemius, Miræus & Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſimir. Oudin, *Supplem.* p. 328. Du Pin, T. VIII. p. 104. Bruſchius, *de Epiſcopis Germaniæ*, Hendreich, *Pandectis Brandeburgicis*, juxta cum aliis.

BRVNO.

Magnus cognomento, Henrici I. Imperatoris filius, Ottonis I. & Haduidis Saxonicæ, Capeti, Francorum Regis, Matris, Frater, ab eodem Ottone Archidux Lotharingiæ creatus, Colonienſis Archi-Epiſcopus, anno 953. ordinatus, uti prolixè tradunt Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T I. f. 260. latinam & græcam linguas optimè callens, ex ipſa Græcia advocatos magiſtros benignè fovit, & tandem anno 956.

extremum diem clauſit. Ejus non tantum *in Pentateuchum*, uti quidem Voſſius refert, Lib. II. *Hiſt. Lat.* c. 40. p. 344. ſed & *in IV. Evangelia Commentarios* citat Sixtus Senenſis, Lib. IV. *Bibl. S.* f. 234. *Vitam Brunonis*, Rotgerus conſcripſit. De eo quoque Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 55. Cratepolius, *in Catal. elect. Eccleſ.*

PETRVS BRVTVS.

Patriâ Venetus, dignitate Epiſcopus Catharenſis, anno 1485. clarus, Vir hebraicè doctus, adverſus Judæos pro fide Chriſtiana ſcripſit, illudque opus, *Victoria pro Chriſtianis*, inſignivit, Vincentiæ, 1489. fol. excuſum. Conf. Cave, P. II. p. 316.

BVRCARDVS.

Patriâ Haſſus, Wormatienſis ad Rhenum Epiſcopus ex Lobienſi Monacho factus, anno 1026. defunctus, teſte Labbeo, T. I. p. 215. poſtquam anno 1022. Concilio Seligenſtadienſi interfuerat. Conradi Salici Cancellarius, olimque Inſtitutor, & hinc eidem imprimis carus fuiſſe perhibetur Sanmarthanis, quos vide T. III. *Gall. Chriſt.* f. 1189. qui tamen paulo aliter ejus obitum ad annum 1025. referunt. Libros XX. *Canonum*, collaborante Alberto, Abbate ſuo, Viro doctiſſimo, ex Conciliis, Pontificibus & Patribus concinnavit, excuſos, Coloniæ, 1548. fol. apud Melchiorem Noveſianum & Pariſiis deinceps, 1549. 8. apud Jo. Petit. & Fucherium, & alibi recuſos. Huic & aliis decretorum compilatoribus, Seculo jam olim VI. Dionyſius exiguus, & Iſidorus Hiſpal. præluſerunt. Conf. Zieglerus, *Jur. Canon. prælim. Diſſert.* p. 22. & Gerhardus von Maſtricht, *Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici & Pontificii*, p. 250. ſeq. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I p. 415. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 117. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 104.

PETRVS BVRRVS.

Belga Brugenſis, Canonicus Ambianus, Poeta non invenuſtus, ann. 1431. natus, ann. 1507. obiit. Extant ejus *Pæanes V. Feſtorum B. Virginis*, Pariſiis, 1499. 4. excuſi. *Hymni de omnibus ſanctis*, cum notis Jod. Badii Aſcenſii, ibidem, 1528. 4. Plures ejus Odas atque elegias, memorant, Franc. Sweertius, *Athen. Belg.* & alii. Conf. quoque Cave P. II. pag. 319.

CÆLESTI-

C.

CÆLESTINVS. I.

PAtriâ Campanus, anno circiter 423. Solium Papale conſcendit. Neſtorio primum favit, quem tamen melius à Cyrillo informatus, odio perſecutus eſt maximo, erroneasque ejusdem doctrinas, Patribus epheſinis explodendas, conceſſit. Obiit anno 432. Scripſit *Epiſtolas XIV.* quas vide *Concil. Tom. II. p. 1611.* earundemq; *quintam* græcè ſcriptam, inter *Acta Concilii Epheſini. Commonitorium breve*, Epiſcopis, ad Concilium Epheſinum euntibus, exhibitum, in lucem emiſit Chriſt. Lupus, ad Calcem *Epiſtol. Epheſin.* p. 470. & ex alia Membrana Baluzius, *in Collect. nov. Concil.* Pariſiis, 1683. fol. edit. Spuria ſunt, *Epiſtolæ* ad *Cyrillum*, *Joh. Antiochenum*, & *Rufum Theſſalonicenſem*, nec non *Liber de Secretis*, quæ quidem Opuſcula Cæleſtino huic adſcribit Nicephorus l. 14. c. 39. Ipſo autem recentiora rejicit Cave, in *Hiſt. Lit.* P. I. p. 227. qui & Cæleſtino noſtro *autoritates Sedis Apoſtolicæ, de gratia & libero arbitrio*, quas Leoni I. conjecturis ſaltem, vendicaverat Queſnellus, veterum ſuffragiis innixus reſtituit. Confer & ea, quæ p. 245. perdocte aſſeruit. & adde Aub. Miræum, ad Gennadium *in Schol.* p. 130. ſeq. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 39. ſeq. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 33.

CÆLESTINVS. II.

Antea *Guido de Caſtello*, appellatus, gente Tuſcus, Eccleſiæ Romanæ Presbyter Cardinalis, titulo S. Marci, *Arnoldo de Brixia*, Hæretico, anno 1140. ab Innocentio II. in Galliam miſſus, favit, quod Bernhardus in eo notavit. Pontifex demum anno 1143. electus, brevi poſt, anno 1144. e vivis exceſſit. *Tres* ſaltem *Epiſtolæ*, ab ipſo ſcriptæ, *Concil. Tom. X.* extant. p. 1031. & alibi. Conf. de eo Platina, Panvinius, Ludovicus Jacob a S. Carolo, *loco citato*, p. 40. Guilielmus Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 405. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 44. ſeq.

CÆLESTINVS. III.

Hyacinthus Bobo, a'iàs dictus, natione Romanus, anno 1126. Cardinalis & Diaconus, anno 1158. ab Hadriano III. ad Fridericum, Imperatorem, miſſus, in itinere captus, carcerique incluſus, pri-

ſtinæ

ſtinæ tamen libertati reſtitutus eſt. Anno 1171. Fridericum, juſſu P. R. Alex III. anathemate abſolvit, atque Henricum, Germanorum Regem, coronavit. Anno 1191. Romanus Pontifex ordinatus eſt, annoque 1198. ad plures tranſiit. Scripſit *Epiſtolas* XVII. quæ extant *Concil.* T. X. p. 1768. *Vnica* vero ejus *Epiſtola* habetur apud Baluzium, *Miſcell.* T. II. p. 241. de eo Cave, P. I. *loco citato*, p. 479. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 129. & autores modo citati.

CÆLESTINVS. V.

Anteà *Petrus Moroneus* vel *de Murrhone* dictus, gente Italus, Patriâ Iſernenſis, Ordinis Cæleſtinorum Patriarcha, ſummus Pontifex conſecratus, anno, 1294. quam tamen ſummam in Eccleſia dignitatem, ſingulari devotione & humilitate, poſt quinque menſes & ſeptem dies, depoſuit. Obiit in arce Fumonis incarceratus, anno 1296. Scripſit varia opuſcula, quæ in unum corpus redacta ſunt, & prodierunt, curâ Cæleſtini Teleræ, Sipontini, Neapoli, anno 1640, poſtea translata *in Bibliothecam Patrum, Lugdunenſem*, Tom. XXV. Sunt autem Opuſculum *de Virtutibus: de Vitiis: de hominis Vanitate: de Exemplis ac ſimilibus moralibus: de ſententiis Patrum Eremitarum: de miraculis B. Mariæ: Summa Cæleſtina: de Cenſuris: de Sacramentis Eccleſiæ: de decem Præceptis Decalogi: de Præceptis Eccleſiæ: de Legibus: Epiſtolæ VII. ad varios: Formularium Litterarum demiſſorialium ad ordines ſuſcipiendos: Orationes devotiſſimæ XX. Relatio vitæ ſuæ*, &c. Alia ejus Manuſcripta memorat Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 43. ut ſunt: *de Perfectione Religioſorum Lib. I. & quædam Conſtitutiones Eccleſiaſticæ.*

CÆLESTIVS.

Quem alii *Cæleſtinum*, ſed male, ſcribunt, è nobili gente profatus, naturæ vitio, à primo nativitatis momento, eunuchus extitit. Alii de patria adhuc diſceptent, atque illum Scotum fuiſſe, cum Vſſerio propugnent. Certius edocti ſumus, iſtum anno circiter 407. inclaruiſſe. Pelagio uſus eſt Præceptore, quem quoque per Siciliam atque Africam ſecutus eſt. Amabatur à permultis Clericis, quorum animos externa vitæ intregritate captabat. Cum autem ambitione ductus Presbyteriatum ambiret, hæreſeos accuſatus, anno 412. Eccleſia excluſus eſt. Illis tandem, quos petierat, adeptis in Græcia honoribus, totam Aſiam, Rhodum, aliasque Inſulas vicinas, labe pelagiana infecit, ut ab eo hinc inde non immerito

nomen

nomen ſortitus ſit *Cæleſtianorum* propago. Et licet ab Attico, Patriarcha, ab officio removeretur, juſſu tamen Zoſimi, P. R. cujus gratiam ſibi conciliaverat, eidem admotus eſt. Cum autem rei veritatem Zoſimum edocerent Afri, è regione & Eccleſia expulſus Cæleſtius, apud Theodorum Mopſveſtenum, atque Neſtorium delituit, uſque dum anathemate percuſſus, neſcio, quorſum ſe ſubduxerit. Scripta ejus maximam habentur partem apud Auguſtinum, & ſunt *Confeſſio fidei*, Zoſimo, Papæ, oblata. *Epiſtola ad Clericos Romanos ſuæ partis: Ad Parentes; Ad Zoſimum P. R.* Lib. *Definitionum Liber: Libellus in* Carthaginenſi Concilio oblatus: *Liber contra Peccatum Originis. Epiſtola ad Sectarios ſuos*, aliaque. Quibus ſuperaddunt Lovanienſes *duas Epiſtolas*, inter Hieronymi Opera repertas, unam *de Scientia divinæ Legis*, alteram *de duobus filiis frugi & luxurioſo*, quæ cum Pelagii ad Demetriadem *Epiſtola* Cæleſtio, teſte Cavio, falsò adſcribuntur. Conf. ejus *Hiſt. Litter.* P. I. p. 210. Adde Gennad. Maſſil. cap. 44. & Miræum *in Schol.* ad eundem. Etiam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 154.

CÆSARIVS ARELATENSIS.

Archi-Epiſcopus, quem alii Cabilonenſem dicunt, & de cujus ætate etiam doctiſſimi hujus & ſuperioris ævi Scriptores multa falsò adſeruerunt, juxta Labb. T. I. p. 214. Illuſtres *S. Galliæ* Scriptores, Sanmarthani, T. I. fol. 39. eundem patriâ Cabilonenſem, genere clarum, celeberrimi Lirinenſis Cœnobii Monachum, poſtea Abbatem, indeque invitum ad Epiſcopatum Arelatenſem, in locum Æonii, propinqui, anno 502. tractum, vicibusque binis ob falſam proditionis accuſationem exilio innocenter mulctatum, aſſerunt. Suſpectus quoque circa doctrinam quibusdam viſus, Synodum Valentiæ convocari curavit, in qua per Legatos, homines abſque præveniente gratia ſalutem non conſequi poſſe, validiſſime demonſtravit. Cyprianus aliquis, qui diſcipulus ei fuerat, ejus *Vitam* ſcripſit, quæ apud Surium extat, vid. Voſſ. *Hiſt. Lat. Lib. II. c. 20.* Supplevit iſtam, integriores nactus codices, Vincentius Barralius de Salerno, *Chronol. Lirinens.* p. 245. Obiit Cæſarius, anno 543. die 27. Aug. Arelate, ibidemq; ſepultus eſt. Plura de eo qui deſiderat, teſtimonia Gennadii, Honorii Auguſt. Sigeberti Gembl. Trithemii, Baronii, &c. videat, apud Vinc. Barral. *loco citato*, p. 259. ſeq. & Lud. Jacob. à S. Carolo, *de Script. Cabilon.* L. I. Varia elucubravit,

 quo-

quorum plurima exciderunt, quæ verò reſtant Labbeus T. I. p. 216. & Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 273. ſiſtunt. Sunt autem *Homiliæ* varii argumenti XLVI. ex quibus tamen quædam ſuppoſitæ ſunt. *Exhortatio ad cuſtodiendam charitatem: Epiſtola ad quosdam Germanos: Tractatus de X. Virginibus: Regulæ Sanctimonialium: Regula Monachorum: Teſtamentum: Lib. de Gratia & Libero Arbitrio adverſus Fauſtum: Homiliæ XL.* editæ a Gilberto, cognato, Baſil. 1558. 4t. & *in Orthodox.* fol. 1561. *Homilias* autem XIV. primus è membrana protraxit, atque notis auxit Steph. Baluz. Pariſiis, 1669. 8. Omnia verò Cæſarii Opuſcula inſerta ſunt, *Bibl. Patrum*, T. VIII. p. 819. 860. Tom. XXVII. p. 324. Conf. ſi placet, Miræi *Scholia ad Gennadium*, p. 163. ſeq. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 150.

CÆSARIVS.

Gregorii Nazianzeni frater natu minor, quem ipſe defunctum oratione funebri honoravit, quæ inter editas decima extat, cujusque meminit Photius, *Myriobiblo, cod. 210.* & alii, quos producit Labbeus, T. I. p. 217 Medicus atque Theologus inſignis extitit. Obiit anno 368. Ejus Pietatem plane ſingularem teſtatur conditum ab ipſo Teſtamentum: *Quæ mea ſunt, omnia pauperibus dari volo.* Ejus nomine editæ habentur ab Elia Ehingero, Auguſtanæ Bibl. Præfecto, anno 1626. 4. *Quæſtiones Theologicæ & Philoſophicæ* græc. lat. num. 78. cum Verſione Joh. Leunclavii, quam antea anno 1571. Baſileæ excuſam, idem emendavit & ſupplevit. Ejusdem *quæſtiones* num. 195. in Dialog IV. transformatæ, Græco-lat. ex auctario *Frontonis Ducæi*, T. XI. *Magnæ Bibl. Patr. Paris.* fol. 545. comparent. Vide tamen quæ circa has moneant Labbeus & Oudinus, qui Gregorio potius Nazianzeno, nomen fratris hac ratione æternitati mandare conanti, iſtas tribuendas ſuadere conantur. Verum doctiſſimus Cave, dictos modò autores modeſte notat, dum aliis contrarium rationibus ſuadet, nec eas Cæſario, nec Gregorio attribui poſſe, ſed aliquibus forſitan autoribus, ortum debere, propugnat. Conf. idem Cavius, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 141. Cæterum varia Cæſario opuſcula adſcribit Suidas, quæ contra gentes exaraverit. Quo autem fundamento nitatur, hucusque ignoratur. Conf. de Cæſario Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 232.

CÆSARIVS.

Germanus, Heiſterbacenſis Ord. Ciſt. in valle S. Petri Monachus,

nachus, deinde Novitiorum Magiſter, & aliquamdiu Villarienſis in Brabantia Prior, anno 1233. clarens, cujus extant *Dialogorum de miraculis & Viſionibus ævi ſui Lib. XII.* anno 1222, quo duæ Cypri civitates terræ motu corruerunt, conſcripti, uti aperit Lib. X. cap. 48. Ab ipſis Pontificiis fabuloſos inter Scriptores numeratur, è quibus Oudinum, *loco citato*, p. 499. commendamus, quanquam Chryſoſtomus Henriquez, *in Menolog. Ciſterc.* eum ceu ſanctum & divinitus illuminatum defendere auſus fuerit, ſicut refert Dorſcheus *Antikirch.* p. 27. Prodierunt autem Coloniæ, 1591. 8. & recuſi ſunt *in Bibl. Veter. Script. Ord. Ciſterc.* Bertrandi Tiſſierii. Lib. *III. de Vita S. Engelberti, Archi-Epiſcopi Colonienſis*, ann. 1225. defuncti, quos ſeorſim edidit Ægidius Gelenius, 1633, quosque vide apud Surium ad VII. Novembris. *Homiliæ morales* ſuper *Dominicos*, & *feſtivales dies* in IV. partes diſtributæ, quas ſub titulo *faſciculi moralitatis* emiſit Andreas Coppenſteinius, Colon 1615. 4t. Opera, quæ Cæſarius compoſuit, Coppenſteinius refert, *Epiſtolâ*, faſciculo moralitatis præmiſsâ, quæ exinde depromſit Carolus de Viſch. *Bibl. Ciſterc.* p. 57. Verum dubio procul eadem in membranis adhuc latitant. Conf. de Cæſario Heiſterbacenſi, Labb. T. I. p. 218. Oudin, p. 498. Cave, *loco citato*, p. 494. Aubertus Miræus, *in Auctar*, c. 388. p. 257. Antonius Poſſevinus, in *appar. S.* Daumius *Homil, Nativ. J. C.* anno 1670. edit. qui ultimus Diſtinctiones ſeu libros, ex editione Colonienſi, 1481. citat.

CAIVS.

Vel *Gajus*, Romanæ Eccleſiæ Presbyter & Gentium Epiſcopus conſtitutus, anno 210. clarens, contra Proclum, Cataphrygarum Aſſeclam, acriter ſatis pugnavit, quam poſtea diſputationem in formam dialogi redegit, ex qua quædam verbatim refert Euſebius, *Lib, II. c.* 25. l. 6. c. 20. Extat ejus quoque contra *Artemonis hæreſin Libri* fragmentum, qui aliàs *Labyrinthus* inſcribitur, quemque Photius præter neceſſitatem ab invicem diſtinguere videtur, apud Euſeb. L. V. c. 28. Cæterum, noſtrum cum illo Cajo, qui in calce Actorum B. Polycarpi, editionis Vſſerianæ, Irenæi familiaris, memoratur, & Smyrnenſium Epiſtolam ex ipſius Irenæi exemplaribus depromſit, conjungere non dubitat Cave, *loco citato*, P. I. p. 48. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 110.

CALLISTVS.

Montis Atho Monachus, Cœnobii Iberorum ſodalis, anno 1350. floruit.

floruit, quo litem inter Palæologum & Cantacuzenum componere fruſtra tentavit. Anno jam 1354. Patriarchatum Conſtantinop. à Cantacuzeno obtinuit, non verò anno demum 1360. uti male arbitratur Freherus, *in Chronolog.* quem Henricus Wharton idcircò redarguit. Anno 1355. Mathæum, Cantacuzeni filium, coronare denegans, ſede expulſus, a Palæologo tandem reſtitutus eſt. Extat *Homilia*, græc. lat. in exaltationem vivificæ Crucis, apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1347. Idem Freherus alium memorat Calliſtum, Patriarcham Conſtantinop. anno 1406. clarum. Cujacis autem dicta ſit *Homilia* alii operoſius disquirant, uti & *Oratio in dormitionem Deiparæ atque alia in decollationem* Joh. Baptiſtæ, quas memorat Lambecius, *Comment.* l. 4. pag. 6. quæque in Vindob. Bibl. aſſervantur. Juniori Calliſto *Opus de Vita Monaſtica* tribuit Henr. Wharton, *in app.* P. I. *loco citato*, p. 32 quod græc. Manuſcr. in Bibl. Barberina latet, Leone Allatio teſte, *in Conſenſu* l. 2. c. 18. §. 13.

CALLISTVS II.

Guido antea appellatus, domo Burgundus, Archi-Epiſcopus Viennenſis & Sedis Apoſtolicæ Legatus, inveſtituram Epiſcorum, quam Laici jure ſibi vendicaverant, hæreſin eſſe propugnans, ipſum Imperatorem proſcripſit. Gelaſio anno 1119. in dignitate Papali ſucceſſit, atque *Burdinum*, Anti-Papam, perpetuo carceri incluſit. Poſtquam demum Imperatorem anathemate abſolverat, eidemque inveſtituram Epiſcoporum in Conventu Wormatienſi abrenunciaverat, anno 1124. obiit. Extant ejus *Epiſtolæ* XXXV. *Concil.* T. X. p. 817. *aliæ Epiſtolæ* V. apud Baluz. *Miſcell.* T. II. p. 192. *Sermones IV.* in S. Jacobum Apoſtolum, *Bibl. Patr.* T. XX. pag. 1278. *Vitam* ejus a Pandulfo Aletrino conſcriptam, mutilam atque mancam habet Baronius, *in Annal.* integram Papebroch. *in Conat. par. 2.* p. 14. Confer Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 453. & Ludov. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 37. Adde Trithemium, Poſſevinum, Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 36. 37. 41. 42.

CALLISTVS III.

Alphonſus Borgia aliàs dictus, Hiſpanus Catalaunus, J. V. D. Alphonſo, Arragoniæ Regi, a Secretis & Epiſtolis, anno 1429. Epiſcopus Valentinus, poſt Cardinalis & tandem vel ſenio confectus 1455. P. R. ordinatus eſt. Turcis bellum indixit, eorundemque

oras

oras hoſtiliter vaſtavit, & vel moriens 150000. nummos aureos ad iſtos coërcendos, legavit. Obiit anno 1458. Extant *Epiſtolæ II. Concil.* T. XIII. p. 1391. *aliæ IX.* inter Æneæ Sylvii *Epiſtolas* & *Officium transfigurationis*, inter *alia Eccleſiæ Romanæ officia*. Vide Henr. Wharton, *in Append.* Cav. p. 94. & modo citatum Ludov. Jacob. à S. Carolo, *loco dicto*, p. 38.

CANDIDVS

Secta *Arianus*, circa annum 364. floruit. Ejus Liber ad Marium Victorinum, *de Generatione divina*, extat unacum Victorini confutatione, Zeigleri *Commentariis in Geneſin* annexus, Baſil. 1548. fol. *Epiſtolæ ad Victorinum* fragmentum, cum ejusdem *Reſponſione*, habetur apud Mabillon, *Analect.* T. IV. p. 155. Hæc Cave P. I. p. 128.

CANDIDVS

Fuldenſis Ord. Bened. Monachus, anno 826. clarus, *Vitam S. Eigilis, Abbatis Fuldenſis*, ſcripſit, quam primus Chriſtoph Browerus, 1616. Moguntiæ, *Syderibus Germaniæ*, inſeruit. Extat quoque apud Mabillon, *Sec. IV. Ord. Bened.* T. I. p 226. ſeq. Scripſit etiam *Vitam Baugolfi, Abbatis Fuldenſis*, ut ipſe num. 11. nos edocet, quam tamen typis mandatam eſſe nondum didicimus. Leg. omnino Oudin, *loco citato*, p. 224. Cave, P. II p. 159.

CANDIDVS.

A patria Iſaurus, qui Voſſio teſte, anno 496. claruit, *Hiſtoriarum* Libros III. ſcripſit, quorum fragmenta apud Photium, *Cod.* 79. & Labb. *de Legationibus*, Paris. 1684. fol. Chriſtiani & Orthodoxi Laude ipſum mactat Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p 266. eò, quod pro Chalcedonenſis Concilii Veritate maſcule pugnavit. Stylum taxat Photius, *loco citato*, tanquam poëticum atque hiſtoriæ vix ſatis accommodatum. Conf. Voſſ. L. II. *de Hiſt. Lat.* c. 21.

CAPREOLVS.

Afer, uti Cave ſuſpicatur, Carthaginenſis Epiſcopus, anno 431. clarus, *Epiſtolam de una Chriſti veri Dei & hominis Perſona contra Neſtorii hæreſin* ſcripſit, quam mutilam quidem Baronius exhibet, *in Annal.* ad annum 431. perfectam, Jacob Sirmondus, inter *Opuſcula Veterum*, Paris 1630. 8v. & *Bibl. Patr.* T. VII. p. 5?? *Epiſtolam Capreoli* aliam memorat Vincentius Lerinenſis quam ad SynodumEpheſinam transmiſit, quæque in *Actione I.* ejusdem Synodi extat. Loquuntur

 de

de Capreolo Miræus & Oudinus, *Supplem.* p. 76. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 235. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 73.

CAROLSTADIVS.

Quo nomine ſolo ſæpius dictus, & paſſim notus, aliâs *Andreas Bodenſtein* vocatus, Carolſtadio, è tractu Herbipolitano, oriundus, artium & Theologiæ Doctor, Archidiaconus priùs & Canonicus Eccleſiæ collegiatæ & exemptæ omnium Sanctorum, Wittebergæ, fidusque ſatis B. Lutheri in impugnandis indulgentiis Papæis paraſtata, aſt poſt excitatos anno 1521. D. Luthero abſente, tumultus, de quibus Andr. Sennertus, *Athen. Witteb.* pag. 13. & 119. aliique pluribus, ad vitam ruſticam, indeque ad Eccleſiam Tigurinam, cujus dogma alebat, anno 1525. tranſiit, Baſileæ tandem commoratus, fatis conceſſit admodum ſenex, die 24. Decemb. 1541. aut juxta alios 1543. Genium ejus à Philippo depictum, vide in epiſtola ad Myconium ſcripta: *Carolſtadius*, inquit, *homo ferus, ſine ingenio, ſine doctrina, ſine ſenſu communi, quem nullum unquam humanitatis officium, aut intelligere aut facere animadvertimus, tantùm abeſt, ut in eo ſignificatio aliqua SS. animadverſa ſit, imò extant manifeſta ſigna impietatis.* Ejusdem verò Scripta enarrat Anonymus illi coævus, num. 84. cujus centuriam ex manuſcripto Codice anno 1660. Helmſtadii publicavit Maderus & *in Bibl. Tigurina*, Hottingerus p. 90. ſunt illa: *de Formalitatibus Thomiſtarum: de Cœlibatu, Monachatu & Viduitate: Inſtitutio de aqua benedicta & ſale: de Anti-Chriſtiano abuſu panis & calicis Domini: de uſu Sacramenti, de ſtatu animæ: de Purgatorio: de Indulgentiis, &c.* Adde quæ circa eum pluribus notavimus, *Scrin. antiq.* p. 181. ſeq. & ibid. communicatam ejus ad Georg. Spalatinum ſcriptarum & nunquam anteà editarum *Epiſtolarum Semicenturiam*, ſi lubet, evolve. Conf. Buddeum *in Lexico* poſt alios, ubi plura de Caroloſtadio reperies.

CAROLVS FERNANDVS.

Sive *Phernandus*, uti Simlero ſcribitur, Brugis Flandorum natus, à primis ætatis ſuæ annis cœcus, & ob id elementorum penitus ignarus, tantum ſui miraculum præbuit, ut Trithemius ſcribit, tantosque in ſtudiis progreſſus fecit, ut Orator, Philoſophus & Theologus, eâ tempeſtate inſignis, evaſerit. Tandem Benedicti Regulam in Vincentiano apud Cenomanos Cœnobio, quod Caſalinum vulgo vocatur, amplexus eſt, & anno 1496. in eodem mortuus.

tuus. Scripſit *de animi tranquillitate, de immaculata B. Virginis Conceptione* L. II. adverſus Vincent. de Caſtro Novo, Ord. Præd. *Collationum Monaſt. L. IV.* qui junctim typis Badianis, Paris. excuſi ſunt, ann. 1512. *Speculum diſciplinæ Monaſticæ*, ibidem anno 1515. *de obſervatione Regulæ Benedictinæ* 1516. Paris. alia ex parte ἀνέκδοτα, de quibus vide poſt Trithemium & Simlerum, Aub. Miræum *elog. Belg.* p. 118. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 121. Henr. Wharton, *in Append. Cav.* p. 116. qui varia ejus Mſcr. commemorat. Miræus equidem *loco citato*, quatuor Belgii Didymos ſeu cœcos numerat, *Carolum* nimirum, de quo diximus, dein *Barſevaldum Bellingenium*, Brugis pariter cœcum natum, Gymnaſiaſtam Gervaſianum, anno 1530. clarum. *Nicaſium* porrò *Vordanum*, Machliniâ oriundum, indultu Pontificis factum Sacerdotem, Doctorem poſtea Juris Colonienſem, ubi & obiit 1492. & *Guilielmum Aſſonlevillium*, Bouchautii Dominum, circa annum 1590. celebrem, cujus *Atheomaſtix* & *contra Religionis hoſtes diſſertatio* ex Plantiniana Officina prodierunt. Conf. de Franc. Salinate Burgenſi *Bibl. Hiſpan.* Schotti, T. III f. 568. & de Sanctis aliquot cœcis Matth. Raderum, *Virid. SS.* P. III. c. 3. p. 71. quem tamen *Didymi Alexandrini*, de quo infra ſuo loco, oblitum fuiſſe miror, item Andr. Wilckii *Homer. Cœc.* p. 19. Joh. Biſſelium, Dec. III. *illuſtr. ruin.* p. 655. Brunn. *Lib. Theol. Synopt.* p. 3. Sed iſta obiter.

CAROLVS. M.

Pipini Regis filius, Ingelhemi anno 747. natus, à Petro Piſano & Alcuino, Præceptoribus, litteris imbutus, omni politioris litteraturæ genere eruditus, evaſit. Romanorum Imperator, Rex Francorum, nomine reque magnus, cujus Vitam Eginhardus, & alii ſcripſere, atque, qui ejus cum ineptiſſimis præcipue Epiſcopis notabiles actiones conſignavit, Sangallenſis apud Henr. Caniſium, *antiq Lect.* T. I. p. 359. ſeq. Alios pro Eccleſia & Politia labores alii Chronographi, Regino Abbas, Sigebertus, Herm. Contractus &c. & ex recentioribus Marcus Wagnerus, Freymarienſis, anno 1579. edito Magdeburgi *Chronico Caroli* M. & auctiori Erpoldus Lindenbrogius, itemque autor *Librorum V. Annalium* de geſtis Caroli, incertus, ſed Saxo, Hiſtoricus, Poëta, Arnulfo Imperatori æqualis, judice Reinero Reineccio, quem ex Guelferbytana Bibliotheca primus edidit, Helmſtad. ann 1594. item Joh. Leznerus, Herdeſianus, Hildeſiæ 1603. polixè perſecuti ſunt. Plurima ex his poſt

Aven-

Aventinum L. IV. *Annal. Bojic:* Centuriat. Magd. *Cent.* IX. Baron. *Annal. T. IX.* Cave, *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 345. collegerunt. Seculo enim IX. optimus Imperator floruit, & anno 814. ſancto fine quievit. Omnibus Virtutibus clarus, nec non Sanctitate inſignis fuit, quare inter Sanctos relatus colitur, in urbe Aquisgranenſi, & ipſius feſtum a Romana Eccleſia celebratur die 24. Jan. quo obiit. Optime de Eccleſia meruit, & lingua non ſolum patria, verum etiam aliis eruditus, multa pietatis argumenta reliquit, propter quæ in hunc Scriptorum Eccleſiaſticorum cenſum utique referendus. Extant ſub ejus nomine *Epiſtolæ plures & Capitula de re Eccleſiaſtica*, T. VI. & VII. *Conciliorum.* Libellus ad Alcuinum, *de Sacrificio Miſſæ*, à Wolffg. Lazio, cum aliis hujus argumenti opuſculis, vulgatus, Antwerp. 1560. 8v. *Epiſtola Eccleſiaſtica de Baptiſmo ad Odilbertum*, apud Mabillon. *Anal.* T. I. p. 21. *Epiſt. de gratia ſeptiformis Spiritus*, apud eundem T. IV. p. 312. *Præfatio in Homiliarium*, a Paulo Diacono, ejus juſſu collectum, *Anal.* T. I. p. 25. *Codex Epiſtolaris Carolinus*, quem Gretſerus ex Bibliotheca Cæſareana edidit, Ingolſtadii, 1613. 4t. de cujus nimia in corrigendo licentia conqueritur Lambecius, *Comment. l. 2.* p. 322. *Capitularia* etiam à Carolo M. edita quamplurima, quibus erroribus ſuccurritur, ab Anſegiſo, Abbate, collecta & in IV. Libros diſtincta, edidit Petrus Pithœus, Paris. 1588. recuſa Moguntiæ, 1602. 4 *Tres alios Libros* adjecit Benedictus Levita, ex Moguntina aliisque Bibliothecis, qui cum reliquis IV. Libris impreſſi, Venet. 1537. 8v. *cum Gloſſario Caroli Calvi*, Paris. 1603. 8v. auctiores ibidem 1640. 8v. & a Baluzio, inter ejus *Capitularia* repoſita, Paris, 1677. T. II. fol. *Libri Carolini de adorandis Imaginibus*, anno 791. in Concilo Francoford. editi. Eo quidem inſaniæ progreſſi ſunt Pontificii, ut vel Carolſtadio vel alii recentiori Scriptori hunc librum adjudicent, quos tamen erudite perſtrinxit Dorscheus, *Collatione ad Concil. Francof.* p. 67. ſeq. qui autoritates graviſſimorum Scriptorum ſat numeroſas pro genuina veritate Capitularis Carolini pugnantes, ſiſtit, & quidem Hadrian. P. R. Synodi Pariſienſis, Hincmari Rhemenſis Strabi Fuldenſis, Regin. Prum, Herm. Contract., Conradi Urſpergenſis Aventini, Auguſt. Steuchi, Bernhard. Lutzenburgi, Joh. Eccii &c. & Binio, Bellarmino, aliisque contradicentibus, reſpondet, Sectione ſubſequenti. Cave in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 347. Carolum Cointium atque Poſſevinum notat, eosque Natalis Alexandri, & Maimburgi ſuffragiis refellit. Multis hanc rem expoſuerunt

Joh.

Joh. Dallæus *de Imagin.* l. IV. c. 3. Spanhem. *Hiſt. Imag. Sect. VII.* Maximum ſententiæ noſtræ robur addit, quod Joh. Tilius, ipſe Pontificius, ſub alio quanquam *Eliphyli Chriſtiani* nomine, Paris. 1549. 8v. eosdem edidit. Recuſi ſunt Coloniæ, 1555. & à Goldaſto 1608. 8v. Commendamus Oudinum, qui in Supplem. *de Scriptor. Eccleſ.* p. 218. varia notatu non indigna adducit. Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 114. qui Scripta Caroli M. prolixe enumerat. Conf. Hiſtoriæ civilis Scriptores, de quibus poſt Cl. Jo. Franciſcum Buddeum, *in Lexico,* Burcardus Gotthelff Struvius, *in Bibl. Hiſtor.* fuſius dixit.

ALEXANDER CARPENTARIVS

Anglus, anno 1429. clarus, *Destructorium Vitiorum,* Venetiis 1582. 4t. Norimb. 1496. &c. impreſſum, condidit, uti ex Vſſerii *Bibl. Manuſcript.* dilucide probat Henr. Warton in *app. Cav.* p. 71.

JOH. CASSIANVS.

Cognomento *Collator,* natione Scytha, ex Theodoſia Tauricæ Cherſoneſi urbe oriundus, patriâ verô Athenienſis, in Bethlehemetico monaſterio a teneris educatus, teſte Labbeo. T. I. p. 520. Ægypto cum Germano peragrata, Conſtantinopolin venit, ubi & Diaconus à S. Chryſoſtomo creatus, poſt anno circiter 410. Maſſiliam tendens, duo ibidem monaſteria condidit; Præcipuum ex his fuit, quod a S. Victore Martyre poſtea nomen tulit. Obiit autem Maſſiliæ dicti monaſterii a ſe fundati abbas, ann. 449. juxta Sanmarthanos T. IV. *Gall. Chriſt.* f. 930. Pelagianos quidem odio habuit, qui tamen ipſe Semipelagianus extitit. Dogmata ejus ſiſtit Cave in *Hiſt. Litter* P. I. p. 226. eademque ex nimio diſputandi fervore derivat. Caſſiodori attendamus monitum, quo Caſſianum caute legendum eſſe, cohortatur. Vid. ejus *Divin. Lect.* c. 29 Scripſit Caſſianus varia, *De Inſtitutis Coenobiorum* Lib. IV. *De VIII. capitalibus Vitiis. Collationes Patrum XXIV. De Chriſti incarnatione* adverſus Neſtorium Lib. VII. quæ opuſcula junctim prodierunt, Baſil. 1575. Antw. 1578. cum notis Henrici Cucquii. Romæ, Petri Ciacconii operâ 1580. 1611. 8v. cum notis Alardi Gazæi. Duaci, 1616. T. II, 8v. Atrebat. 1628. fol. auctiora. In *Bibl.* quoque *Patrum* Colon. T. V. & Paris. T. VII. p. 17. 69. 102. Aſcetica Caſſiani. Petrum Ciacconium, Toletanum, illuſtraſſe, ſcribit, Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. f. 559. Conf. du Pin, *Bibl: Nouv.* T. IV. p. 14.

MAGNVS AVRELIVS CASSIODORVS.

Senator, Vir Clarus & illuſtris, exquæſtor Palatii, ex Conſul ordinarius, Officiorumque ex Magiſter, Præf Præt. Præpoſitus atque Patricius Romanus. Conſulatum quidem anno 514. ſolus geſſit, Theodorico Oſtrogothorum Regi cariſſimus, eique à ſecretis & Epiſtolis anno 570. adhuc vixit nonagenario major. Anno vero 575. obiit, ſicut refert Joh. Henr. Vrſinus Lib. IV. *De Statu animarum* p. 544. Qvaſi ſidus qvoddam inter Gothici ſeculi barbariem eluxit, tandem monachus factus & Ravenniatenſis Coenobii Abbas, teſtibus Paulo Diacono, Trithemio, Cauſino, Voſſio, *De hiſt. Lat.* l. 2. c. 19. Labbeo, Oudino, Caveo & aliis. Opera ejus refert Labbeus, plenius autem Cave P. 1. *Hiſtor. Litter.* p. 277. ex quibus ſingula tranſcribere, non placet. Commendamus ſaltem optimam Caſſiodori editionem, quam *Joh. Garretus*, Ord. Bened. Monachus Rothomagi, 1679. T. II. fol. cum *Vita* ejus præmiſſa & *Diſſertatione de Caſſiodori Monachiſmo*, recudi curavit. Alias ejusdem editiones ſiſtit Cave l. c. utpote Fornerii, Paris. 1588. ibid. 1600. T. II. 8v. Broſſei, Genev. 1601. 4t. 1609. 8v. 1650. 4t. Habentur quoque plurima *Bibl. Patr.* T. XI. p. 1094. Caeterum, de ſuppoſitis & deperditis Caſſiodori Scriptis idem Cave prolixe diſſerit. Elogia vero de Caſſiodoro quam plurima collegit, Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr. autor.* p. 318. ſeqq. Adde Eliam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 63.

CATHARINA BONONIENSIS.

Itala, in Ord. S. Claræ adſcripta, Coenobio Bononiæ recens extructo præfuit. Floruit anno 1438. Obiit. 1463. Divinas ſibi imaginata revelationes, ſingularem pietatis ſpeciem præ ſe tulit. Hinc inter illas relata, quas Pontificii cultu proſequi religioſo ſolent. Scripſit Lib. *De revelationibus ſibi factis* Bonon. 1511. 1536. Venet. 1583. *Roſarium metricum de Paſſione Chriſti & Vita B. Virginis* citat Waddingus, *de Scrip. Ord. Min.* p. 88. item *de VII. armis ſpiritualibus* Lib. italicè conſcriptum, quæ tamen opuſcula adhuc inedita eſſe cum H. Warton. *app. Cav.* p. 79. non immerito adſerimus. Conf. Oudin. l. c. p. 650.

CATHARINA SENENSIS.

Itala, anno 1347. nata Ord. Dom. Soror, vita & miraculis clara

ra ab anno 1374. annum ad 1380. quo objit, & inter SS. relata eſt. Miracula illius plane rejiciunt prudentiores, atque Enthuſiaſmum in hac Catharina redarguunt. Aut enim Brigitta aut Catharina, mentita eſt, quarum unam aculatam, altera immaculatam B. Virginis conceptionem, ipſis revelatam teſtantur: Scripſit cæteroquin latine, vel ſub ejus nomine Raymundus de Vineis, Capuanus, *Divinam Doctrinam datam per Perſonam æterni Patris intellectui loquentis*, quæ prodiit Colon. 1553. fol. cum *Vita Catharinæ* prolixiſſime à Raymundo, Capuano, ſcripta, quam etiam Bollandiſtæ ad *diem 29. April.* habent. *Dialogi de Providentia Dei*, VI. Tract. Ingolſtad. 1583. Colon. 1601. Venet. 1611. 8v. *Epiſtolæ 364.* ad Pontifices, Cardinales, Reges, Principes, quæ Venetiis, italice, 1506. fol. Gallice, Paris. 1644. 4t. prodierunt. *Oratio in annunciationem Deiparæ* a Raymundo, Capuano, ex italico in latinum translata, Ingolſtadii, 1583. Evolv. Henr. Warton. l. c. p. 41. Oudin. p. 649. Aub. Miræus, *in auct.* c. 466. p. 268. Anton. Poſſevin. *in app. S. p. 343.* Chriſtianus Junckerus *loco citato* & alii plures.

AMBROSIVS CATHARINVS.

Politus dictus, qui & *Lancelottus Politus* vocatur Pancirollo *de claris Legum interpret.* p. 343. patria Senenſis, ex Juris Cæſarei & Pontificii Profeſſore, Dominicanus primum, tùm Minorenſis, ac deinde, Compſanus in regno Neapolitano Epiſcopus, Concilii Tridentini Adſeſſor, Petro Svavi paſſim memoratus p. 191. 214. 226. 229. 234. & Sfortiæ Pallavicino, *in Hiſt. Concil. Trid.* Senio confectus obiit, Neapoli, 1532. De eo pluribus Hieronymus Ghilinus, *Theatro litter.* Venet. 1647. edito & Franc. Ughellus, T. VII. *Ital. S.* f. 432. poſt Sixtum Senenſum, Bellarminum, Labbeum & alios. Ejus opera omnia Venetiis extare dicuntur. Scripſit autem *in V. priora Capita Geneſeos: in Epiſtolas S. Pauli: in Epiſtolas Canonicas: adverſus Lutherum opus*, ann. 1521. impreſſum. De quibus loquitur Bellarminus, p. 313. Ghilinus l. c. eum exaraſſe ſcribit, *de Providentia & Præſcientia Dei*, Lib. I. *de Prædeſtinatione* Lib. III. *de Angelorum Gloria & lapſu, de immaculata Deiparæ conceptione: De Cultu Imaginum: De Miſſa & Purgatorio.* Labbeus T. II. p. 447. vocat acerrimum Thomæ de Vio Cajetani cenſorem, contra quem VI. Libros invectivarum annotationum ediderit. In quibusdam vero ipſe Catharinus à Pontificiis refellitur, ut *in verbis de S. Cœna, de Certitudine gratiæ, de prædeſtinatione* & reliquis. Adhuc ingenue faſſus eſt

Catharinus, in Concilio Tridentino non fuiſſe liberum diſputare. Qva propter non leviter ei ſuccenſebat Dominicus a Soto, ſicut refert Petrus Svavis, l. VII. *Hiſt. Concil. Trident.* p. 789. Imo hic Catharinus, *de Clavibus,* p. 137. commemorat, ſuo tempore fuiſſe quendam, qui ausus eſt divinare, quod anno DN. 1530. futura eſſet illa magna Eccleſiæ renovatio, quam multi boni prædixerunt.

CEOLFRIDVS.

Anglus, patria Bernicius, Weremuthenſis & Gervicenſis Abbas, Venerabilis Bedæ Præceptor, circa ann. 680. clarus, in itinere in Gallia denatus, juxta Poſſevini calculum, anno 724. *Epiſtolam* inſignem ad Naitanum, Pictorum Regem, de Paſchate & Tonſura ſcripſit, quæ habetur apud Bedam, in *Hiſtor. Angl.* & *Concil.* T. VI. p. 1423. Alia ejus Scripta vid. apud Baleum, & Pitſeum. l. c. p. 123. ſeq. Conf. omnino de Ceolfrido, Abbate, Beda, in *Hiſt. Angl.* L. VI. c. 28. Sigebertus, *in Catal. Scriptorum,* C. VI. Baronius, anno 669. n. 5. 6. & anno 701. n. 1. Poſſev. in *app.* S. Cave in *Hiſt. Litt. P. I.* p. 328. Oudin. l. c. p. 185. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 44.

CEREALIS.

Natione Afer, Caſtulenſis Eccleſiæ in Africa Epiſcopus, qui juxta Trithemium, anno 460. floruit, aſt ex Gennadio Maſſilienſi & Honorio Auguſtodunenſi, ad ann. 490. referendus deprehenditur, vid. Labb. T. I. p. 421. Ejus Liber *de fide SS. Trinitatis adverſus Maximianum,* Epiſcopum Arianum, contra quem Carthagine feliciter pugnavit, extat T. IV. *Bibl. Patr. edit.* 2. f. 533. excuſus jam olim per Henr. Petr. 1556. *in Baſileenſi Hæreſiologia,* prout aſſerunt Simlerus & Cave P. I. p. 263. Singulare quid de Cereali memorat Gennadius, *in Catal. Script.* n. 96. p. 12.

CHARISIVS.

Presbyter & Oeconomus Philadelphicæ Eccleſiæ, circa annum 431. clarus, cum Anaſtaſio & Photio, Neſtorianis, animoſe dimicavit. Cum autem ab inimicis hæreſeos accuſaretur, maſcule ſe defendit, Epheſi, *peculiari fidei Confeſſione,* quæ extat græco-lat. *Concil.* T. III. p. 673. Conf. Cave *in Hiſt. Litt.* P. I. p. 233.

CHELIDONIVS.

Frater, Collector *Paſſionis Domini noſtri J. C.* ex Hieronymo Paduano, Dominico Mancino, Sedulio, & Baptiſta Mantuano, quæ de-

denuò cum figuris Alberti Dureri, Pictoris Norici, Norib. 1511. fol. prodiit.

CHERVBINVS DE SPOLETO.

Ordin. Minor. edidit *Sermones Quadrageſimales*, eosque Hieronymo Torniello, ejusdem Ordinis Min. & totius Obſervantiæ Cismontanæ Vicario Generali, dedicavit, Venet. 1492. 8v.

CHRISTOPHORVS.

Patriarcha Alexandrinus, circa ann. 836. floruit. Extat ejus *Paræneſis aſcetica & parabolica de Vita humana*, in Bibl. Vindobonenſi, inter *Hiſtor. Eccles. Cod. LXIII.* num. 18. fol. 121. apud Neſſel. *Catalog.* P. V. p. 129. Cave *in Hiſt. Litt.* P. II. p. 159. ex Cotelerii *notis ad Monument.* T. II. p. 669. probat, hunc Chriſtophori codicem unum eundemque eſſe cum illo Sermone, qui græc. lat., ſub Theophyli Alexandrini nomine, Paris. 1608. in lucem emiſſus eſt.

CHRODEGANDVS.

Germanus, in pago Hasbanienſi natus, Caroli Tuditis, in cujus aula educatus, Referendarius factus eſt. Ex Clerico deinde Metenſis Epiſcopus creatus, Paulo Diacono teſte, *de Epiſc. Metenſibus*, Vir undecunque Clariſſimus, doctiſſimus, Servorum Dei nutritor, Orphanorum & viduarum altor atque tutor clementiſſimus, anno 766. obiit. Scripſit *Regulam* in *Clericorum Metenſium uſum*, quæ admodum interpolata extat apud Luc. Dacherium, *Spicil.* T. I. ab interpolatis autem purgata apud Labbeum, *Concil.* T. VII. p. 1414. Varias ad illam notas atque lectiones adjecit Cointius, *Annal. Eccleſ. Franc.* T. V. ad ann. 777. Aliam inſuper apud Labbeum ex Chrodegando collectam *regulam* adducit Cave, P. I. p. 344. Adde Oudinum l. c. p. 100. qui plures de eo autores adducit, & Eliam Du Pinium, *loco citato*, T. VI. p. 164.

CHROMATIVS.

Aquilejenſis Epiſcopus, quem Romanicianum alii, aut Romatianum ſeu Romanum vocant, quod Aquileja ob nobilitatem ſecunda Roma, vel Romana aut Romatiana civitas, olim dicta ſit quæ eſt Baronii, *not. ad martyrolog.* conjectura, relata à Labbeo T. I. p. 213. Seculo IV. exeunte & V. ineunte, famâ floruit, ſummopere celebratus Ambroſio, Chryſoſtomo & Hieronymo, qui quidem eum Epiſcopum Aquilegiæ, nonnunquam & Papam vocat, quod

nomen tum temporis Epiſcopis conveniens fuiſſe, vel inde patet, quia duo hæc nomina invicem commutat. vid. *Epiſt. ad Ruffin.* & Meelführer. *Centur. Patr.* p. 126. De aliis, quæ ipſi cum Ruffino & Hieronymo fuerunt, commerciis, diſtincte diſſerit Cave l. c. P. I p. 205. Nos ſaltem Ejus de VIII. *beatitudinibus homilias*, attendimus, quæ extant inter *Orthodox. Vet. Patr.* lat. f. 1192. & *Bibl. Patr.* edit. Paris. T. II. f. 760. ut & *Homiliam in cap. V. Matth.* & in *partem VI.* quæ etiam ſeorſim cura Joh. Sichardi, Baſil. 1528. 8v. & in *Micropresbyter.* apud Henr. Petri 1551. ibidem editæ habentur. Recuſæ verò cum *Symmachi apologetico*, Lovanii 1646. Ejus *expoſitionem Orationis Dominicæ* ſiſtit Henichius, P. II. *Hiſt. Eccleſ.* p. 378. *De Epiſtolis* verò ad Hieronymum diu jam reprobatis, vide Cocum, Labbeum, & quos citat p. 224. & 447. Cave l. c. *Epiſtolæ ad Arcadium* Imperatorem, de cauſa Chryſoſtomi, ex Palladio c. 3. p. 30. meminit. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III, p. 84, qui ſtylum Chromatii a ſelectis phraſibus, ſenſu litterali & obſervationibus utilibus, laudat.

CHRYSIPPVS.

Presbyter Hieroſolymitanus circa ann. 455. clarus, de quo prolixe dixit Cyrillus Scythopolitanus in Vita Euthymii, quæ apud Surium d. Jan. XX. extat. Scripſit multa, ſtylo quidem florido atque Sophiſtarum more, conciſo, ex quibus vide *unicam de S. Deipara Homiliam*, quæ T. II. *auctuar. Duceani* p. 424. græc. lat. habetur *Encomium Theodori martyris*, cujus fragmenta ſiſtit Euſtratius Conſtantinop. libro *de ſtatu vitâ functorum* c. 21. *Encomium* autem *S. Joh. Baptiſtæ* Manuſcript. extat apud *Galeum*, de quo vid. Leo Allatius, *Diatr. de Simeon.* p. 95. *Oratio in S. Archiſtrategum Michaelem*, apud eundem Leonem Allatium, ibidem p. 100. Conf. Guilielmus Cave P. I. p. 253. & P. II. p. 87. Elias Du Pin, *loco citato* T. V. p. 91.

CLAVDIVS.

Scotus natione perperam traditus, cum Hiſpanus fuerit, ut ex Jonæ Aurel. ad Carolum Calvum *epiſtola* conſtat, *Clemens* cognomento, Foelicis Vrgelitani diſcipulus, Taurinenſis in ſub-alpinis Epiſcopus, quem falſò hactenus plerique Antisſiodorenſem & Bened. Ord. Monachum atque Alcuini in fundanda, quæ nulla tunc fuit, nec niſi aliquot ſeculis poſt emerſit, Academia Pariſienſi collegam, commenti ſunt, arguente Labbeo, T. I. p. 227. & *append.* p.

755.

755. ſeq. Floruit autem circa annum 824. Obiit anno 839. Cultum imaginibus exhibitum, rejecit, atque ex Eccleſia ſua proſcripſit. Quam ob cauſam Theodemirum, Ord. Bened. Abbatem, hoſtem, vocibus atque ſcripto, expertus eſt, cui tamen apologiam oppoſuit, quam Goldaſtus ad calcem *collectionis ſuæ de Imaginum Cultu* p. 764. exhibet. Multa in Scripturæ Sacræ Libros ſcripſit, quæ poſt Trithemium enarrat Labbeus & Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 366. aſt ex iis nil præter *Commentarium in Epiſtolam ad Galatas* habere ſe potuiſſe ajunt Collectores Bibl. Magn. Colon. Vid. iſtum T. IX. f. 64. & ſeorſim Paris. 1542. 8v. editum. Mabillonius vero *Commentarii in Leviticum* meminit atque præfationem, finemque ejus, *analect.* T. I. p. 30. inſeruit. *Præf. epiſtolæ ad Epheſios.* Ibidem p. 4. Plures Manuſcriptos codices alios memorat modo laudatus Cave l. c. & Oudinus *de Script. Eccleſ.* p. 224. ſeq. Du Pinius, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 3. & 10.

CLAVDIVS SEISSELIVS, vide SEISSELIVS.

CLEMENS, ALEXANDRINVS.

Cognomento *Titus Flavius*, patria Athenienſis, Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter & Catecheſeωn Magiſter, homo apprime eruditus & Sanctus, magnorum, Theophili, Patriarchæ Antiocheni, Theodoti, & Pantæni, auditor, ejusdemque in ſede ſucceſſor, floruit ab anno 191. & ad annum 210. ſupervixit. De eruditione ejus multijuge teſtantur Scripta ab ipſo exarata. Scripſit autem ad Gentes, pro amplectendo Chriſtianismo, *Protrepticon*, interprete Gentiano Herveto, cujus verſionem Daniel Heinſius, in editione Pommeliana, anno 1616. recenſuit, quam Pariſienſes poſteà expreſſerunt, nonnullis, operâ Frontonis Ducæi, emendatis. Item *Pædagogi* Libros III. quibus hominis converſi mores informat, & VIII. Libros *Stromatum* in quibus orationes ϛρωματεῖς, id eſt, centones, ſtragula, varie contexta, unde ϛρωματεὺς cognominatus. *Hymnum in laudem Domini noſtri Jeſu Chriſti* & librum, *quis dives Salutem conſequi poſſit?* quem integrum exhibuit Fr. Combefiſius in *Auct. Bibl. Patr.* gr. lat. Pariſiis, 1672. excuſo, & Oxonii 1683. 12. cum aliis hactenus ineditis Clementis Alex. Opuſculis & Lipſiæ, 1700. editum videas. Diverſas iſtorum, quæ reliquit, Scriptorum editiones, recenſet Cave P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 41. Prodierunt autem Gr. Florent. 1550. Lat. ibidem. 1551. Baſil. 1556. Paris. 1592. Gr. Heidelberg. 1592. f. Gr. Lat. Paris. 1612. f. Lugd. Batav. 1616. f. Paris. 1629. 1641.

Coſ-

Coloniæ anno 1688. f. Reliqua, quæ ſcripſit, deperierunt, utpote, *Hypotypoſeωn* Libri VIII. quorum aliqua ſaltem fragmenta habentur apud Euſebium. *Fragmenta Theodotiana: Canon Eccleſiaſticus: Liber de Paſchate: de Obtrectatione: Diſputationes de Iejunio: Exhortatio ad Pœnitentiam: Liber de vera turpitudine; De Continentia; De Nuptiis* & alia, quorum meminit Guilielmus Cave, *loco citato*, & P. II. p. 24. *Dictio Clementis*, ex teſtimonio Photii, *cod.* 110. *floridior, ad attemperatam quandam gravitatem non ſine jucunditate aſſurgit, cui & varia illa, quæ in iis eſt, rerum cognitio, apprime convenit.* Plura non addimus hâc vice, ferias enim hic non ſaltem faciunt, ſed imperant, qui ejus Doctrinæ radios, nævosque, cum aliis, quæ ad eum ſpectant, prolixe de ſcripſerunt, quorum nucleum ſiſtent Duumviri Argentoratenſes maximè conſpicui, Danhauerus, *Chriſteid. act. I.* p. 331. ſeq. 449. & 913. Bebelius, *Hiſt. Sec. III.* p. 469. ſeq. quibus Labbeum, Arndium, Meelfuhrerum, & Blondellum *de Sybillis* Lib. I. c. VI. non inutiliter junges, & ſi prolixiora deſideras, *Centur. Magdeb.* II. c. X. atque Baronium, ad ann. 196. itemque de Diſcrimine inter Prædagogum & Stromata Clementis, quæ habet Jacob. Thomaſius, *Sched. Hiſtor.* p. 45. De Clemente Alex. Hieronymus, *de Scriptor.* c. 38. Thomas Ittigius. *præf.* eruditiſſima *Catenæ Patrum* præmiſſa, p. 22. ſeqq. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 79.

CLEMENS I. P. R.

Gente Romanus vulgò appellatus, S. Pauli comes & συνεργός, & juxta Origenem, S. Petri diſcipulus, Lini & Anacleti, circa annum 64. vel ſequentem, ſucceſſor, Sedem ad annum usque 83. obtinuit, prout doctiſſimus Cave, Dodwelli ſententiam amplexus, ſcribit, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 13. Idem diſerte probat, neque Clementem Martyrio fuiſſe coronatum, ſed temere illum cum Flavio Clemente, Conſule, confudiſſe aliquos. Opera Clementis genuina, ſunt *Epiſtola ad Corinthios & fragmentum Epiſtolæ ſecundæ*, quæ prodierunt, Oxonii, 1633. 4. Helmſtadii, 1654. 4. Oxonii, 1669. & 1677. Londini, 1687. Anglice a Guilielmo Burtono factæ, Londini 1647. 4. Spuria ſunt, *Canones Apoſtolorum* LXXXV. qui *in Codice Canonum Eccleſiæ Primitivæ vindicato*, atque Londini anno 1678. a Beveregio publici juris facto, habentur, & gr. Lat. *Concil.* T. I. p. 25. *Conſtitutionum Apoſtolicarum* Lib. VIII. primus edidit græce, cum Scholiis, Fr. Turrianus, Venetiis, 1563. 4. & Carolus Bovius, Pariſiis, 1564. 8v.

cum

cum verſione Lat. Fr. Turriani, Antwerp. 1578. Gr. Lat. Fronto Ducæus, ad calcem *Commentar. Zonaræ*, Paris. 1618. fol. & Labbeus, *Concil.* T. I. *Recognitionum Libr. X.* extant Baſil. 1526. f. Lat. ex Ruffini verſione, Paris. 1541. 1544. 1578. 8. Colon. 1570. 8v. Gallicè transtulit, Ægidius Cailleau, Pariſiis excuſos, 1574. Germanicè, Berolini, 1702. & 1708. cum præfatione Godofredi Arnoldi. *De rebus Geſtis S. Petri, Apoſtoli, Epitomen*, Gr. Lat. produxit Joach. Perionius, Paris. 1555. 4. *Epiſtola ad Jacobum, fratrem Domini*, cum Opuſculis modo enumeratis plurimis, prodiit, Pariſiis, anno 1568. Omnia vero excuſa habentur apud Jo Bapt. Cotelerium, *in Patr. Apoſtol.* Paris. 1672. fol. Reliqua Clementi ſuppoſita Scripta, *Liturgiam* & *Epiſtolas Decretates*, exhibet Ludov. Jacob. a S. Carolo. *Bibl. Pontif.* p. 44. ſeq. Evolv. poſt alios plures, Celeberrimus Ittigius, *de Scriptor. Sec. I.* p. 46. ſeqv. & alibi, Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I, p. 30. Caſim. Oudin *Supplem.* p. 2. Natal. Alex. *Sec. I. Diſſ.* 17. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I p. 13. ſeq. Labbeus, *de Script. Eccleſ.* T. I. p. 231.

CLEMENS II. P. R.

Anteà *Suidgerus* ſeu *Sindigerus*, gente Germanus, ex Bambergenſi Sede ad Romanam, anno 1046. ab Henrico, Germanorum Rege, provectus, anno 1047. Concilium Romanum adverſus Simoniacos convocavit, eodemque anno diem obiit ſupremum. Habetur ejus *Reſcriptum* apud Ferd. Ughellum, *Italiæ* S. T. II. & *Epiſtola decretalis, ad Joh. Archi Epiſcopum Salernitanum*, *Concil.* T. IX. p. 945. & apud Baronium T. II. *Annal.* De eo Ludov. Jacob, à S. Carolo, *loco citato*, p. 47. Guil. Cave, P. I. p. 422. Du Pin, T. VIII p. 24.

CLEMENS III. P. R.

Anteà *Paulinus*, cognomento *Scholaris*, Romanus, ex Cardinali & Epiſcopo Præneſtino, Pontifex anno 1187. factus, anno 1191. e vita deceſſit. Scripſit *Epiſtolas VII.* quas vide *Concil.* T. X. p. 1753. Confer autores modo citatos & adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 129. 133.

CLEMENS IV. P. R.

Aliàs *Guido Groſſus*, ſive *Guido Fulcodius* dictus, natione Gallus, literis Operam dedit, ita exacte, ut Durandus eum Lumen Juris appellârit, quem Platina quoque & Onuphrius maximè commendarunt. Dignitate erat Advocatus, Regisque Franciæ Conſilia-

liarius, Uxore mortuâ, e qua binas ſuſceperat filias, ſacris initiatus. Inde Podienſis Epiſcopus & Archi Epiſcopus Narbonenſis, verbi Dominici prædicationi facunde atque aſſidue incumbens, id quod in eo digne laudant Sanmarthani, T. I. f. 385. & T. III. f. 694. Præterea Sabinenſis Epiſcopus ac Cardinalis & Romanus tandem, anno 1265. factus Pontifex, Clementis IV. nomen ſibi aſſumens, ſedit usque 1268. Ejus *Vitam* Claudius Clemens, S. J. ſcripſit, editam Lugduni, 1624. In Bibliothecis pluribus Manuſcript. ejusdem *epiſtolæ* viſuntur, ex quibus III. *Concil.* T. XI. p. 830. *Aliæ* VII. apud Bzovium. *Annal.* ad ann. 1266. 1267. 1338. Aliæ XIII. apud Waddingum, *Annal. Min.* ad ann. 1265. *Aliæ* XXXIV. ibidem T. II. *Aliæ*, apud Albertinum, *de Eucharistia*, p. 973. & Jollium, inter *Oiſelli Opuſcula* p. 690. ſeq. extant. Plura adhuc inedita videas apud Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 49. *Commentaria* vero *in Jus Canonicum & civile*, ei hactenus à Bellarmino, Miræo, aliisque ſuppoſita, non ſunt hujus Guidonis Groſſi, Clementis IV. demum nomine dicti, ſed alterius, eximii JCti, qui *Guido Papa*, nomine proprio vocatus fuit, atque floruit ab anno 1427. ad 1483. prout obſervat Labbeus T. I. p. 232. qui non tantummodo miratur, eruditos viros in adeo gravi hallucinatione tamdiu hæſiſſe, quam vel ſolæ deciſiones Parlamenti Delphinalis, longe poſt Clementis IV. Papæ mortem erecti, tollere potuiſſent, ſed & producit Codicem Pariſinæ Bibliothecæ vetuſtum, Characteribus Gothicis, anno 1517. Lugduni excuſum, hoc titulo: *Lectura ſingularis & aurea Dn. Guidonis Papæ, Conſulis Delphinalis, ſuper Decretales &c.* Sic bene ſatis iſta ſe habent. Sed ideo lenius quoque & æquius tolerare, nec labio tam acri proſcindere Jo. Andream Quenſtadium debuiſſet, Labbeus, T. I. p. 402. eo, quod *Dialog. de Patriis Illuſtr. Viror.* p. 59. Bellarminum forte & alios antiquitatis Scrutatores ſequutus, Guidonem Groſſum, poſteà Clementem IV. vocatum, cum Guidone Papa, nominetenus dicto, commutârit, & quæ hujus ſparta in Parlamento Delphin. fuerit, illi tribuerit. Adde autoribus hactenus citatis, Guil. Cavium, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 508.

CLEMENS V.

Bertrandus Gotto anteà dictus, gente Vaſco in vico Villendraut, in Dioeceſi Burdegalenſi, natus, Juvenis militiæ addictus, poſt Clericus, dein Epiſcopus Convenarum & ArchiEpiſcopus Burdegalen-

galenſis, anno 1299. factus, demum, anno 1305. Pontifex creatus, anno 1311. Generale Concilium Viennæ coëgit, atque in eodem Franciſcanorum ordinem confirmavit. Plura ejus geſta refert Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 8. Obiit Clemens Roccæ-Mauri ſuper Rhodanum, anno 1314. Scripſit *Epiſtolas & Decreta XVIII.* quæ extant *Concil.* T. XI. p. 1499. *Alia* XVI. apud Bzovium, *Annal.* ad ann. 1307. *Alia* XI. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. III, ad an. 1306. *Alia* XLVI. habentur *in Regeſto Pontif.* p. 28. *Decretalium Librum* VII. ſive *Conſtitutiones Clementinas*, juſſu Clementis collectas, poſt mortem ejus vulgavit Joh. XXII. anno 1317. Excuſæ ſunt poſtea, Pariſiis, 1517. 12. Ibidem, 1541. Rothomagi, 1519. 12. Venet. 1591. 8. Lugduni, 1584. f. Francof. 1586. 8. Confer, ſi placet, Trithemium, Poſſevinum, Paige, *in Bibl. Pramonſtrat.* Lib. III. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 54.

CLEMENS VI. P. R.

Aliàs *Petrus Rogerius*, Aquitanus, patriâ Mali-montis, dioeceſis Lemovicenſis, ex Monacho Abbas Coenobii Caſæ Dei in Arvernis Ordinis Benedictini, factus eſt. Et cum Lutetiam Studii Theologici cauſa adpuliſſet, a Joh. XXII. P. R. Prior S. Baſilii Nemauſenſis, Abbas Fiſcanenſis in Normannia, Epiſcopus Atrebatenſis, Archi Epiſcopus Senonenſis ac Rothomagenſis, imò Presbyter Cardinalis, titulo S. S. Nerei & Achillei, demum anno 1342. Pontifex Romanus creatus eſt. Hic Jubilæum ab anno Centenario ad quinquageſimum deduxit. Ludovicum, Imperatorem, quomodo tractaverit, non ignorant hiſtoriæ civilis cultores. Obiit Clemens, Avenione, quam a Johanna, Neapolis & Siciliæ Regina emerat, anno 1352. Scripſit *Epiſtolam Encylicam, adverſus Hæreticos flagellantes*, quam vide *Concil.* T. XI. p. 1876. *Aliam de Epiſcopatu Oſtienſi*, apud Baluz. *Miſcellan.* T. IV. p. 508. *Alias X.* apud Bzovium ad an. 1342. *Alias* XXX. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. III. ad annum eundem. *Alia CCXII.* ibidem *in Regeſto Pontif.* p. 1. *Oratio in Canonizationem S. Ivonis*, extat apud Surium, T. III. d. 19. Maj & apud Bolland. T. IV. *Reſponſio* ad argumenta Petri de Cuneriis, contra Jurisdictionem Eccleſiaſticam, habetur inter *Acta iſtius Diſputationis*, Pariſiis, anno 1495. 4. & alibi excuſa. *Epiſtolas* XLV. extulit Baluzius, *in Collectione Actorum veterum Vit. Pontif. Aven.* T. II. *Concionis funebris* in obitum Cardinalis Neapoleonis, *fragmenta* adducit idem

Baluz. T. I. *col.* 600. ſeq. *Orationis* coram Joh. XXII. P. R. de expeditione Philippi, Francorum Regis, in terram S. aliquas lacinias exhibet quoque Baluzius, ibidem *Col.* 787. Plura ejus Manuſcript. repræſentat Ludov. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 55. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 26. Guil. Cave P. II. p. 278.

COGITOSVS.

Natione Hibernus, Monachus, vel juxta alios, Abbas, Scriptor *Vitæ S. Brigittæ*, Scotæ Virginis, quæ ſub Juſtino Seniore, Imperatore, anno 521. obiiſſe fertur. Ætatem ſuam non obſcure innuit, quando miracula ejus, quæ ſcilicet feciſſe illa putatur, oculis ſuis viſa ſcribit. Meminit iſtius *Vitæ* a Cogitoſo conſignatæ, Baronius, *Martyrol. Rom.* d. 1. Febr. aſt ex membranis Aichſtadianis edidit, Henr. Caniſius, T. V. *antiqv. Lect.* P. II. p. 625. & poſt hunc Surius & Bollandus d. 1. *Febr.* Agunt de Cogitoſo, Poſſevinus, *in Appar. S.* Miræus, *in Auctar. cap.* 127. p. 205. Caſimirus Oudin, *Supplem de Scriptor.* p. 108. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 285.

COLVMBANVS.

Gente Hibernus, patria Langenienſis, Congalli auditor, anno 589. in Burgundiam profectus, ibidemque Coenobium Luxovienſe extruxit, eidemque præfuit. Cum autem Theodoricum, Auſtraſiorum Regem, ob concubinatum coargueret, monaſterio pulſus, in Italiam ſe contulit, atque Monaſterium Bobienſe, prope Neapolim, poſuit. Obiit poſthæc anno 615. ſicut teſtatur, qui ejus *Vitam* ſcripſit, Jonas, Abbas Luxovienſis, Columbani æqualis. Multa Columbanus ſcripſit, Sigeberto notante, ad canendum digna, vel ad docendum utilia. Ejus enim eſt *Regula Monachalis*, quam Henr. Caniſius *antiqu. Lect.* T. I. Melchior Goldaſtus, anno 1604. 4 & Thomas Meſſinghamus, *in Florileg. Sanctorum Hibern.* Paris 1624 f. p. 403. extulerunt. *Regula Coenobialis* prodiit cum opuſculo modo dicto, *in Collect. Regularum Holſtenii,* Paris. 1663. P. II. p. 88. 98. *Poemata & Epiſtolæ,* apud Caniſium, T. I. & V. Sirmondum, *Var. Opuſc.* Paris. 1619. Meſſinghamum, *loco citato,* & Uſſerium, *Sylloga. Epiſtol. Hibern.* p. 7. habentur. *Sermones Spirituales XVII.* quæ ſingula collegit Patricius Flemingus, Hibernus, Minorita, atque edidit, Lovanii, 1667. Extant quoque in *Bibl. Patr.* T. XII. p. 1. *Librum Pſalmorum* elimato ſermone ſcriptum, *Comment. in Pſalterium,* & alia

lia memorat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 303. Conf. Sigebertus *de Scriptoribus Eccleſ.* cap. 60. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. IV. Waræus, *de Scriptor. Hibern.* Lib. I. p. 18. Miræus, *Chron. Bened.* p. 48. Oliverius Vredius, *Flandria Chriſt.* p. 84. Caſimirus Oudin, *loco citato* p. 158. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 5.

COMMODIANVS.

Ortu Romanus, prout ſtrenue defendit Nicolaus Rigaltius, & qui illum ſequutus eſt, Henricus Leonhardus Schurtzfleiſchius, neutiquam vero ex Africa oriundus, quemadmodum Cl. Dodwellus ex duro ſcribendi genere atque formulis apud Afros receptis, colligere maluit. Profeſſionem ejus quod attinet, Paganus quidem a primo nativitatis momento fuit, poſt Chriſtianorum Sacris adſcriptus. Hoc ipſe teſtatur, *Præfat. Inſtruct. vers. V.*

Ipſe diu gentilis, erravit tempore multo;
Gens & ego fui, perverſa mente moratus;

Gazæus alias vocatus, ſecundum quosdam ab urbe Gaza, aut rectius forſan, quod ex Gaza ſtipem accepit, quam ob rem, Chriſti mendicum ſemet ipſe appellavit. Ætatem ejus ad Silveſtri P. R. tempora referunt Rigaltius, Petrus Lambecius, Natalis Alexander, Caveus, Du Pinius & alii, a quibus tamen ſe disjunxit Cl. Dodwellus, qui argumentis haud ſpernendis eundem ad Cypriani ætatis ſpatium collocavit. *Inſtructiones Commodiani adverſus gentium Deos pro Chriſtiana diſciplina*, extulit primum Nicolaus Rigaltius, Tulli Leucorum, 1650. 4t. & ad calcem *Cypriani*, Lutet. Paris 1666. exinde in *Bibl. Patr.* translatas T. XXVII. p. 12. Primum vero in Germania prodierunt cura Henrici Leonhardi Schurtzfleiſchii, Vitembergæ, 1705. 4. cum ejusdem *Præfatione* & Henrici Dodwelli *Diſſertatione de ætate Commodiani.* Scriptionis genus, quo utitur Commodianus, eſt Metro-proſaicum & totus libellus LXXX. Inſtructionibus abſolvitur. Ceterum ſtylus admodum barbarus atque durus eſt. Errores, quos a Papia, Tertulliano & aliis hauſerat, ante nos obſervarunt alii, utpote, quod *Inſtruct. 3.* gigantes, Genes VI. 2. memoratos, ex Angelorum, coelo delapſorum, & fœminarum complexibus ortos. *Inſtruct.* 19. 43. ſeqq. aureum Seculum futurum eſſe, & alia plura, Scripturæ adverſa, docuit, qua propter dubio procul hunc Commodiani libellum inter Apocryphos olim retulit Gelaſius Papa. Plura ſubminiſtrabunt, Gennadius, *in Catalogo*, c. 15.

Conradus Geſnerus & Antonius Poſſevinus, *in Bibliothecis.* Natalis Alexander, Elias Du Pinius, Caveus, *P. I. Hiſt. Litter.* p. 105. & P. II. p. 32. Henr. Leonhardus Schurtzfleiſchius, in *Præfat.* & Henr. Dodwellus, *in Diſſert. de ætate Commodiani,* poſt alios.

CONRADVS.

Everbakenſis Cœnobii, Ordinis Ciſtercienſis, Abbas, anno 1230. floruit, atque ſcripſit *Exordium Ordinis Ciſtercienſis* Libr. VI. quos extulit Bertrandus Tiſſier, *Bibl. Veterum hujus Ordinis Scriptorum,* T. I. Conf. Caſim. Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 497.

CONRADVS LAVTERBERGIVS vide LAVTER BERGIVS.

CONRADVS de MARBVRCH.

A patria dictus, Theologiæ Magiſter, & ordinis Fratrum Prædicatorum, vixit circa annum 1230. atque ſcripſit *Vitam Eliſabethæ, Thuringiæ Landgraviæ,* cui à ſacris confeſſionibus fuit, quam Leo Allatius exhibuit, *in Symmictis*, P. II. p. 269. De eo Cave P. I. p. 496. & Caſim. Oudin, *loco citato,* p. 499.

CONRADVS MOGVNTINVS.

Notus antea ſub nomine *Conradi* Epiſcopi, nunquam Archi Epiſcopus Moguntinus extitit. Floruit circa annum 1240. atque ſcripſit *Chronicon rerum Moguntinarum,* ab anno 1140. ad 1250. quod Hervagius primùm extulit, anno 1535. Recuſum poſtea Baſileæ, 1569. & inter *Hiſtoricos Germaniæ Urſtiſii,* Francof. 1585. *Chronicon Vetus* prodiit, Francof. 1584. Conf. Caſim Oudin, *Supplem.* p. 517. qui Aubertum Miræum, vel in eo aberrantem, quod Conradum anno 1105. denatum fuiſſe, adſeruit, refellit.

CONRADVS.

Gente Germanus, Monachus Dominicanus, ſuique Ordinis Provincialis, circa annum 1290. floruit atque ſcripſit *de Roſario B. Virginis,* quod Colon. 1603. 12. prodiit, *Legendam de vita, obitu & Miraculis S. Dominici* ipſi adſcribit Ambroſius Altamura, *Bibl. Ord. Præd.* p. 65. Adde, quæ ex eodem adduxit Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 520.

CONRADVS.

Monachus Ordinis Benedicti, Germanus, in Monaſterio S. Nicolai Bruvillarenſis, in Archi Epiſcopatu Colonienſi, circa annum

1070.

1070. claruit, ſcripſit *Vitam S. Wolphelmi, Abbatis Bruvillarenſis*, quam ediderunt Surius & Bollandus, *ad diem* XXII. *Aprilis*, & Mabillon. *Sec. VI.* Conf. Poſſevinus, *in Appar.* S. T. I. p. 380. Caſim. Oudin, *loco citato*, p. 349. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110.

CONRADVS.

Henrici IV. Imperatoris, Præceptor, ejusque interceſſione Epiſcopus Ultrajectinus conſtitutus, anno 1075. ſcripſiſſe fertur *Apologiam de unitate Eccleſiæ conſervanda & Schismate inter Henricum IV. Imperatorem, ac Gregorium VII.* P. R. quam *Hiſtor. Germ. Scriptor.* Francof. 1600. 1602. & 1611. editis, Marquardus Freherus inſeruit. Conf. Joh. de Beka, *in Chron. de Epiſcopis Ultraject.* Joh. à Leidis, Sanmarth. *in Gall. Chriſt.* T. I. p. 828. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 338. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 106.

CONRADVS à LICHTENAV.

Nobilis Germanus, ex aulico Presbyter anno 1207. factus, poſt Monachus Ordinis Præmonſtratenſis, & Abbas Urſpergenſis, in diœceſi Auguſtana ad Mindulam, ab anno 1215. ad 1240. quo obiit. Extat ejus *Chronicon*, cura Conradi Peutingeri, JCti, año. 1515. ſed admodum depravatum, Argentorati verò apud Crat. Mylium, 1537. 1568. cum Philippi Melanchtonis ad Philippum Palat. Comit. *præfatione*, & anno 1609. f. excuſum, continens hiſtoriam à Belo, ad annum Chriſti, 1229, Frid. II. Imper. Rom. nonum, ex variis diverſarum ætatum & locorum chronologis, Centonis in modum conſarcinatum, pro more & genio illius ævi, ſicut de hoc & aliis ejusmodi, aſſerit Labbeus, T. I. p. 234. quanquam Philippus dictâ *præfatione* mitius judicet, quando Abbatis hujus induſtriam in temporibus annotandis, qua diligentiorem cæteris ſe exhibuerit, admodum probat, & nullum in hoc genere ſcriptum hominis Germani locupletius atque utilius eſſe reliquum, aperte ſcribit. Plagiarium quoque nonnulli ex eo faciunt, quibus tamen ſufficienter reſponſum fuit, *in Obſervationibus Halens.* T. I. *obſervatione XX.* §. IV. p. 308. ubi deciditur, plagiarium eum non fuiſſe, ſed alius Chronici Continuatorem. Servat Bibliotheca noſtra binos Conradi Codices membranaceos, eleganter conſcriptos. Agunt de Conrado a Lichtenau Caſpar Bruſchius, *Chronol. Monaſter.* p. 602. & Martino Cruſius, *Annal. Svev. P. II. Lib. IX.* p. 337.

CONSTANTINVS AFER.

Carthaginenſis Medicus atque Philoſophus, circa ann. 1072. clarus, per 40. annos Orientem peragravit. Senio confectus ad Caſinen-

ſinenſe Cœnobium tranſiit, atque cucullum induit. Extant ejus Libr. VII. *de morborum cognitione & curatione.* *De Melancholia* L. II. *de anima & Spiritus diſcrimine* L. I. & alia, quæ impreſſa Baſil. 1536. fol. & adhuc alia 1539. fol. quibus, cum ad inſtitutum noſtrum non faciant, facile ſuperſedemus. Agunt de eo Petr. Diaconus *de Viris illuſtr. Caſin.* c. 23. Simler. p. 146. Van der Linden, *de Scriptoribus Medic.* L. I. p. 140. quibus annectimus Cav. P. I. *Hiſt. Litt.* p. 432.

CONSTANTINVS.

Diaconus Conſtantinopol. & Cartophylax, cujus Cave in Diſſert. *de incertæ ætatis Scriptoribus* P. II. *Hiſt. Litter.* annexa p. 7. meminit, ſcripſit *Orationem in omnes SS. martyres*, de qua Leo Allat. de *Simeon.* p. 81. & cujus fragmenta, *Patr. Concil. Nic. II. Act. V. p.* 373. ex hibent.

CONSTANTINVS HARMENOPVLVS.

Nomine dignitatis ab Alexio Comnemo, Imperatore, excogitato dictus Sebaſtus, Nomophylax & Judex Theſſalonicenſis. Ejus *Catalogum de opinionibus hæreticorum*, qui ſingulis temporibus extiterunt, & *de fide orthodoxa profeſſionem*, græce & lat. ex Joh. Sambuci Bibliotheca, Baſil. apud P. Pernam, ann. 1578. 8v. edidit Joh. Leunclavius circa finem legationis Manuelis Comnemi ad Armenios p. 557. & 577. Poſtea Bibl. Patrum inſerta hæc monumenta & quidem T. IV. edit. 2. Paris. f. 1265. ſeq. T. XV. Bibl. Colon. & recuſa quoque cum Honorii Auguſtodun. *de hæreſi libro*, cura Joh. à Fuchten, Helmſtadii, anno 1612. 4t. ſed latine ſaltem. *Epitome Canonum* legitur græce & lat. T. I. *Collect. Juris Græco - Romani* à Leunclavio edit. p. 1. *Prochiron ſeu Promptuarium Jur. Civil.* prodiit Græc. Paris. 1540. 4t. Lat. Lugd. 1556. 4t. Græc. lat. cum notis Jo. Meſceri & Dion. Gothofredi. Genev. 1587. 4t. Manuſcripta Harmenopuli Opera in variis, Vaticana, Vindobonenſi, aliisque Bibliothecis, reperiuntur. Cæteroquin ætatem hujus Scriptoris exin quoque petere licet, quod non multo ante ſuam ætatem Bogomiliorum hæreſin exortam, circa finem libelli de *hæreſ.* c. 19. ſcribit. Adeoque a collectore Indicis Chronologici Bibliothecæ Pariſienſis ad Seculi XI. Scriptores refertur. Ad medium Seculi XII. illum reponit Oudinus, *de Scriptor Eccleſ.* p. 415. quem etiam Caveus, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 467. amplectitur, qui poſterior *Seldenum*, eundem ad

Phi-

Philothei tempora revocantem, redarguit. Confer Cave, P. II. p. 125. Du Pin, *loco citato*, T. IX. p. 200.

CONSTANTINVS LICHVDES.

Sive *Licudex*, Protoveſtiarius, anno 1058. Patriarcha Conſtantinopol. ordinatus, anno 1066. mortuus eſt. Scripſit *Decreta II. Synodalia*, de ſervo criminali & de Sacerdote cædis reo atque depoſito, quæ vide *in Jure græco Rom. L.* 4. p. 264. ubi græc. Lat. extant. Evolvantur in hanc rem Elias Du Pinius, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 113. & Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 429.

CONSTANTINVS M.

Imperator, Conſtantii Chlori & Helenæ filius, juxta Caveum *Britannus*, anno 272. natus, Sceptra Imperii ab anno 306. per 30. annos laudabiliter ut plurimum geſſit, ut *Magnus* vulgo, imò *Maximus* apud Julium Firmicum Nazarium, & alios, jure meritoque dictus fuerit. Is eſt, ſub quo Eccleſia poſt X. perſecutiones reſpirare & halcyonia gerere cœpit, primus inter Imperatores, Chriſtianus, uti Sulpitius Severus l. 2. Lactantius, & Wetſtenius ad Origenis Scripta a ſe edita, *præf. ad Lector.* p. 8. ſeqq. clare innuunt. De occaſione, qua ductus ad Chriſtianiſmum Conſtantinus fuit, de Signo Crucis in nubibus viſo, diſſeruerunt Jo. Albertus Fabricius, Hamburgenſis, & Wolffius, qui poſterior rei ejusdem veritatem adverſus Arnoldum fuſiſſime teſtatur. De Laudibus ejus, vide Euſebium, *in vita Conſtantini*. Cæterum quid de Baptiſmo, de prolapſu in Arianismum & de Conſtantini relatione inter SS. habendum ſit, exponit Dorſcheus, *Diatyp. ad Concil. Nic.* Imò Kunadus in *Conſtant. M. Evangelico*, Keddii, *Jeſuitæ, Romano-Catholico*, oppoſito, Wittebergæ, 1660. 4t. & Balthaſar Gualtherus, Libro *de Conſtantini M. Baptiſmo, donatione &c.* contra Baronium & Biſciolam, Jen. 1618. cui auctarii loco adjecit, Donationis, quæ putatur, Conſtantini exemplar, e græco in latinum a Barthol. Pincernate, ſeu Pincerno de monte arduo, translatum. Vlrici porrò Hutteni Orationem & B. Lutheri de iſta donatione & ejus oppugnatore maſculo, Laurentio Valla, epicriſin. Ejusdem Vallæ Orationem, ut & ejus filiorum & Propinquorum S. P. Q. Romani juxta & Sylveſtri Papæ, ad Conſtant. M. Orationes, cura Laurentii Vallæ elegantiſſime delineatas, tandemque Hieronymi Cattallani, Alexandri Papæ cubicularii & Nicolai de Cuſa, Cardinalis, de iſta donatione judicium. Omnia & ſingula iſthæc uni-

unicus Gualtheri ſiſtit libellus. Labbeus quoque T. I. p. 237. iſtud Conſtantini donationis edictum in dubium meritò revocatum eſſe, fatetur. Eandem rejecit Dantes Florent. inferni Cant. 19. cujus verba exſcripſit Dominicus Nanus Mirabellius *Polyanth.* f. 240. b. n. 2. ſeq. Scripſit Conſtantinus M. *Orationes & Epiſtolas varias* ab Euſebio, Gelaſio, Auguſt. & Collectoribus Conciliorum exhibitas, quas ex iisdem repetit Cave, P. I. l. c. p. ſeq. Denatus juxta Calculum Baronii, anno 337. ipſo Pentecoſtes feſto, cum 75. ætatis annum ingreſſus eſſet, teſtibus Euſebio & Socrate. De ejus Nævis vid. Henich. *Hiſt. Eccleſ. Sec. IV.* p. 173. 389. ſeq. & Godofredum Arnoldum, *in hæreſiol.* P. I. *Lib. IV. c. II.* qui tamen caute legendus eſt. Conf. quæ de Conſtantino habet, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 14. & poſt reliquos Hiſtoriæ civilis compilatores, Jo. Fr. Buddeus, *in Lexico.*

CONSTANTINVS MANASSES.

Græcus, vixit circa ann. 1159. Manuelis Comnemi temporibus, uti ipſemet indicat, quando Manuelis hujus fratriæ, Irenæ, Andronico nuptæ, nuncupavit *Chronicon ſuum, ſeu annales,* quos ſcripſit, iisque craſſiore Minerva & ſuccincta brevitate ſeriem rerum, paſſim geſtarum, ab initio mundi usque ad Alexium Comnenum, hoc eſt, ad annum 1081. contexuit, Vid. Voſſ. L. II. *hiſt. græc.* c. 27. p. 304 & prolixius Joh. Leunclavium, qui primus illos in lucem protulit ex Jo. Sambuci Bibliotheca & de græcis lat. factos, Baſil. 1573. 8v. ex epiſcopiana officina vulgavit. Græce autem primus edidit Jo. Meurſius cum verſione lat. & notis Lugd. Batav. 1661. 4t. cum Leunclavii, Meurſii, Allatii & Fabroti notis & animadverſionibus, Græc. Lat. Paris. inter *Hiſt. Byzant. Scriptores,* 1655. fol. Loquuntur, de eo Cave P. I. p. 467. Oudin p. 414. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 199.

CONSTANTINVS MELITENIOTA.

Jo. Becci, Patriarchæ, Archidiaconus, Metochitæ ſocius, anno 1276. clarus, exul in Bithynia defunctus eſt. Extant ejus Tractatꝰ duo, unus *de Eccleſ. unione latinorum & græcorum.* alter, *de Proceſſione SS. græc. & lat. in Græcia Orthodoxa,* T. II. p. 642. & 765. quam Leo Allatius edidit. Vid. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 511.

CONSTANTINVS. P. R.

Anno 708. creatus, gente Syrus, a Juſtiniano, ad litem de

no-

Canonibus componendam, Conſtantinopolin invitatus, absque ſucceſſu Romam reverſus, anno demum 715. è vitâ migravit. Scripſit unicam ad Brictwaldum, Archiepiſcopum Cantuarienſem, *epiſtolam*, quam vide *Concil.* T. VI. p. 1397. Conf. Cav. P. I. p. 336.

CONSTANTINVS.

Prophyrogenneta, a naſcendi ſorte, quaſi in purpura natus, appellatus, Leonis Sapientis ex Zoë filius, domo Byzantinus, vel puer ſeptennis, Imperator conſecratus, à Romano, filio, veneno extinctus eſt, anno 959. Virtutes & vitia ejus depingit Zonaras, *Annal.* T. III. p. 155. Artes liberales æque ac mechanicas, comprimis pictoriam, ſcienter calluit. Confer Caroli Du Freſne, *Famil. Byzant.* p. 142. Scripſit *Narrationem de Imagine Chriſti*, ab ipſo Servatore ad Abgarum, Edeſſæ Regem, miſſa & ab Edeſſa Conſtantinopolin deportata, anno 944. quæ græc. lat. a Combefiſio edita, *Orig. Conſtant.* p. 75. & apud Surium, T. IV. ad XVI. Aug. Eam Conſtantino noſtro vendicat Martinus Hanckius, *de rerum Byzant. Scriptor.* P. I. p. 475. atque Lipomanno & Baronio reſpondet. *Vitam* Baſilii Macedonis, Imperatoris, avi ſui, quam gr. lat. edidit Allatius, *Symmict.* P. II. p. 1 ann 1653. Colon. in 8v. Hanc quidem anonymo tribuit Labbeus, ſed illum refellit idem Hanckius, p. 472. *loco citato.* *De adminiſtrando Imperio* & alios Tractatus Politicos, quos edidit Meurſius, Lugd. Bat. 1617. 8v. *Pandectas Hiſtoricæ & Politicæ*, quarum fragmenta edidit, græce, David Hœſchelius, Auguſtæ Vindel. 1603. 4t. lat. Carolus Cantaclarus, cum animadverſionibus, Pariſiis 1609. 8v. & Henr. Valeſius, Paris. 1634. 4t. Conf. ſi placet, jam cit. *Caveum*, & Mart. Hanckium, L. I. c. 15. per totum.

CONSTANTINVS.

Tii, Paphlagoniæ urbis maritimæ, Epiſcopus, ſcripſit *Sermonem de inventione Reliquiarum S. Euphemiæ*, quam edidit lat. Surius, d. XI. Julii. Extat ille teſte Caveo, in *Diſp. de Scriptoribus incertæ ætat.* p. 7. manuſcriptus in Bibl. Bodlejana, *Cod.* 3383. n. 22.

CONSTANTIVS.

Gallus, Lugdunenſis Presbyter, non vero Epiſcopus, ut Iſidorus, *Catal. Script.* c. 4. ſcripſit, a Sidonio Apollinari ſæpe laudatus, anno 480. adhuc vixit. Scripſit *de Vita S. Germani, Antiſſiodorenſis Epiſcopi, Librum, ad Patientem, Lugdunenſem, & Cenſorium, Antiſſio-*

dorenſem, Epiſcopos, quem habes apud Surium, ad d. 31. Jul. De eo Sanmarthani, Aubertus Miræus, Cave, Oudin, Du Pin, T. IV. p. 212. & alii.

AMBROSIVS CORIOLANVS

Romanus, Ord. Fratr. Erem. S. Aug. Prior generalis, non vero Dominicanus, uti Voſſius vacillat, anno 1475. floruit. Scripſit multa, quibus de Patria & Ordine ſuo optime meruit, quæ maximam partem Romæ 1481. fol. prodierunt. Siſtit illa atque ordinatim recenſet Poſſevinus, *app.* S. T. I. p. 64. & ex eo Cave, *P. II. p. 315.*

CORNELIVS P. R.

Gente Romanus, anno 251. ſedens, Epiſcopatu dignus & legitime vocatus, encomio Cypriani, quod afferunt *Centuriat. Magdeb. cent. III.* c. 16. juſſu Imperatoris Galli Centum-cellas, Tuſciæ urbem, relegatus, atque ibidem anno 252. martyr. obiit. Ejus *Epiſtolæ duæ* inter decretales a Gratiano evectæ & *Bibl. Patr.* edit. 2. T. III. f. 72. inſertæ, at omnino ſuſpectæ & ceu pleræque aliæ aliorum ejus prædeceſſorum fictitiæ. vide Cocum, p. 68. Blondellum, p. 310. Genuina ejus Scripta refert Hieronymus, *Catal. Script. Eccleſ.* & genuinas etiam *duas Epiſtolas* Cyprianus atque Euſebius. Vide has allatas ab Oſiandro, *epitom. Hiſt. Eccleſ. Cent.* III. l. 3. c. 8. Extant quoque inter Cyprianicas, edit. Rigalt. 45. 47. Oxon. 49. 50. Vnicæ e quatuor illis ad Fabium epiſtolis, meminit Cave, P. I. p. 65. cujus fragmentum apud Euſebium L. VI. c. 43. extare, fidem facit. Conſulatur Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 58.

COSMAS.

Veſtiarius, cui III. attribuuntur *Orationes*. Prima, *in SS. Joachimum & Annam*, Deiparæ Parentes, quam Manuſcript. aſſeruat *Bibl. Auguſt.* Partem ejus habet græc. lat. Cotelerius, *not. in Conſtit. apoſt.* p, 203. Secunda, *in Prophetam Zachariam*, Manuſcript. in Bibl. Bodlej. Tertia *in translationem reliquiarum* S. Joh. Chryſoſtomi, quam penes ſe quidem habuit Savilius, ſed indignam omnino, quæ ederetur, judicavit. Conf. Cave Diſſ. I. *de Incert. ætat. Scriptor.* p. 7. quæ P. II. *Hiſt. Litter.* annexa eſt.

COSMAS.

Monachus, Ἰνδικοπλεύστης dictus, eo quod Indiam verbi prædi-

dicandi cauſa appulerat, circa annum 576. clarus, expoſuit *Pſalmos hiſtorice & anagogice*, cujus fragmenta exhibet Corderius, *Catena Græc. in Pſalm XVI. v. 14.* *Topographia Chriſtiana*, cujus partem edidit Nicol. Thevonotius Paris. 1663. prodiit. *Diſſertatio* inedita, qua cœli rotunditatem atque Antipodas in dubium vocat. *In Evangelium Lucæ præfatio*, ex qua colligit Cave, P. II. p. 112. Cosmam in ipſum ſcripſiſſe Lucam. Qui idem Leonem Allatium notat, Cosmam Chronici Alexandrini autorem, conſtituentem, quippe qui circa annum 630. vixit.

COSMAS HIEROSOLYMITANVS.

Gente italus, à Patriarcha Hieroſolymitano ordinatus Epiſcopus Majumanus, Joh. Damaſceni olim in D. Sabæ Monaſterio, Sec. VIII. circa annum 740. ſodalis, teſte Svida, Simlero & aliis. Ejus *hymni* XIII. artificioſe compoſiti extant, *Bibl. Patrum* edit. 2. Paris. T. VIII. f. 697. & *Bibl. Magnæ Colon.* T. VII. & alibi. Eosdem cum Damaſceni & aliorum Hymnis, Venetiis olim apud Aldum vulgatos, alicubi memorat Labbeus, T. I. p. 348. Alios adhuc ex Svida, Cosmæ Hymnos laudat Cave, P. I. p. 339. atque *enarrationem ejus in Pſalmos metricam*, adhuc ineditam, & carmine Jambico elaboratam memorat, P. II. p. 146. De eo Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 37.

COSMAS.

Pragenſis Eccleſiæ Decanus, *Hiſtoriam Bohemorum* tribus Libris ad ann. 1126. quo claruit, complexus, quam Marquardus Freherus cum aliis *Bohemiæ Scriptoribus* edidit, Hannov. 1607. fol.

CRESCONIVS.

Epiſcopus Africanus anno 690. clarus, ſcripſit *Breviarum Canonum*, quod primus edidit Petrus Pithœus, Paris. 1588. non autem Nicolus Faber, ut ſentit Altaſerranus, qui idem recudi curavit, Auguſtoriti Pictonum, anno 1630. Divinione, cura Chiffletii 1649. & *in Bibl. Juris Canon. Juſtelliana*, T. I. p. 456. quæ ann. 1661. T. II. fol. Paris. impreſſa eſt. *Concordia*, quam primi emiſerunt Juſtellus & Voelius, ex Codice Bibl. Claromontanæ & Thuanææ, *in app.* p. 33. dicti operis. Bella cæteroquin Joh. & Patricii contra Sacacenos verſibus hexametris deſcripſiſſe dicitur Caveo, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 330. Conf. Oudin. p. 187. qui doctiſſime Scripta Creſconii, eorundemque hiſtoriam propoſuit, Labbeum, T. I. p. 318. Baronium,

in Annal. Eccleſ. ad ann. 527. & Editiones ejus operum. Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 45.

CRESCONIVS CORIPPVS.

Africanus Grammaticus, Poeta Chriſtianus, talis, ut ſua ætate regnum Poeticum ipſi conferendum exiſtimet Barthius, ad D. Rivinum, qui Lipſiæ anno 1653. ex Manuſcripto *Mich. Ruizii* Aſſagarii Celtiberi, edidit ejus Lib. IV. *de Laudibus Juſtini Auguſti minoris*, ab obitu Juſtiniani, Imperatoris, cum protreptico ad Anaſtaſium Quæſtorem & Magiſtrum. Floruit ergò poſt Seculi VI. medium.

CRISPINVS.

Nativitate Lampſacenus circa annum 337. clarens, Parthenii, Lampſaceni Epiſcopi, Præceptoris ſui, *Vitam* deſcripſit, quam vide Lat. apud Surium & Bollandum, ad diem Febr. VII. Græce verò extat in Bibl. Vindob. ſed adhuc manuſcripta, id quod teſtatur Cave, P. II. I. c. p. 43.

CVMMENEVS.

Albus appellatus, Hibernus, Abbas Hyenſis, anno 657. conſecratus, circa annum 660. floruit, Vitâ functus anno 669. Extat *Vita S. Columbæ*, primi Hyenſis Abbatis, in Britannia, ab ipſo ſcripta, apud Mabillonium, T. I. *Sec. Bened*, p. 361.

CVMMIANVS.

Cognomento *Fota* ſeu *Longus* & ut Cave monet, Occidentalis Mamoniæ Regis filius anno 592. natus, Abbas primùm, poſtea, Epiſcopus Hyberniæ, ordinatus eſt. Floruit anno 640. deceſſit, 661 *Scripſit Epiſtolam Paſchalem*, de Controverſia Paſchatis celebrandi, ad Segienum, Abbatem Hyenſem, quæ habetur *in Syntagmate Vſſeriano Epiſt. Hibernic.* p. 24. Liber *de Pœnitentiarum menſura* extat apud Flemmingum, *in Columbano, ſuo* p. 197. & *Bibl. Patr.* T. XII. p. 41. Pluribus hanc rem perſequitur *Oudinus*, p. 168. quem evolve. Conf. & Caveus, P. I. p. 321, Aub. Miræus, *in auct. de Script. Eccl.* c. 188. p 217. Jo. Colganus, *in Vitis SS. Hyberniæ.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv*, T. VI, p. 9.

CVTHBERTVS.

Anglus Dunelmenſis, Cirwicenſis Coenobii adſcriptus, anno 740. clarus, Bedâ ad mortem usque familiariter uſus eſt. Scripſit *Librum de Vita & obitu Bedæ*, qui T. VIII. *Operum* Bedæ exhibetur Vi-

Vide, quæ apud Caveum *de ejus Epiſtola*, de Obitu Bedæ, controvertuntur P.I.p 343. Aliarum, earumque *Cuthberti familiarium Epiſtolarum*, meminit Balæus, *de Script. Angl. Cent.* 2. c. 7. Hiſtoriæ Bedæ adjectam Coronidem memorat Joh. Priſeus, *Hiſt. Britann. defenſ.* c. 12. p. 112.

DEMETRIVS CYDONIVS.

Theſſalonicenſis, anno 1357. clarens, cum Cantacuzeno, Imperatore, cui a ſecretis Conſiliis fuerat, vitam amplexus eſt Monaſticam. Scripſit *de execrandis Dogmat. Palamæ* Librum; *De Proceſſione Spiritus S.*; qui uterque Romæ 1630. græc. lat. prodiit. *Orationem ad Græcos*, de non reddenda Callipoli, apud Combefis. gr. lat. *Auct. Nov.* T. II. p. 1221, *alia* de petendo a latinis ſubſidio, apud eundem p. 1183. *Orationem*, de morte contemnenda, quæ Baſil. 1552. 1559. cum notis Wolffii, 1577. 1586. Hæc noſtri Demetrii non immerito creditur, quod ex Manuſcript. Bibl. Auguſt. ſatis clare deducitur. *Epiſtolam ad Barlaamum, de Proceſſ. SS.* apud Canis. T. VI. p. 4. & *Bibl. Patr.* T. XXVI. Reliqua partim ab ipſo græce verſa, ut ſunt Ricoldi *Confutatio Alcorani*, Baſil. 1543. 1555 fol. edit. & alia, nec non ea, quæ adhuc inedita aſſervantur, doctiſſimus Henr. Warton laborioſe ex aliis collegit *in app. Cav.* p. 31. quibus multa annectit Cave P. II. p. 283. & quædam a feſtinante Wartoni calamo neglecta, eô, quo alias ſolet, more, modeſtè corrigit.

CYPARISSIOTA.

Joh. Sapiens appellatus, Theologus Græcus, ſcripſit *expoſitionem materiarum*, eorum, quæ de Deo a Theologis dicuntur, decem decadibus partitam, quam ex editione & Verſione *Fr. Turriani* Romæ Lat. prius excuſis 1581. 4t. cum ejusdem Scholiis & notis, Colonienſes *Magna ſua Bibl. Patr.* inſeruerunt & quidem T. XI. f. 497. Cardinalis Bona illam myſtica Theologia refertiſſimam cenſet, *Notit. Autor.* *Sermones II. Palamicarum transgreſſionum* gr. lat. extant apud Combefiſium, *Auctar. Noviſſ.* Pariſiis 1672. Vixiſſe fertur Sec. XI. ſicut index Labbei Chronolog. ex Turriani & Jodoci Coccii calculo tradit, ſed corrigit Labbeum Oudinus l. c. p. 636. atque eundem ad annum 1364. collocat. Huic aſſentit Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 38. Agunt de Cypariſſiota, Aubertus Miræus, *in auctario de Script. Eccleſ.* c. 333. p. 242. Hallervord. *in Bibl. Cur.* p. 173. b. Koenigius, *in Bibliotheca*, aliique.

CY-

CYPRIANVS BENETVS.

Seu *Benedictus*, Arragonenſis, Ord. Præd. & Theol. Doctor qui *de prima orbis ſede: De Concilio; De Eccleſiaſt. Poteſtate; & Dominio Papæ*, IV. Tractatus, Julio II. & Leoni X. dicatos, anno 1512. 4t. Romæ excuſos, ſcripſit. Item, *de Caroli, Regis Hiſpaniæ, Præeminentia & Clementia*, qui cum Dialogo præmiſſo, Romæ, 1518. 4t. prodiit. *Orationem hortatoriam ad Hadrianum P. R. ad accelerandum iter &c.* Eum ad annum 1490. refert *Bellarminus*, ad ann. 1511. Henr. Warton. l. c. p. 136. qui mortem ejus ad ann, 1522. reponit. An idem ſit cum *Cypriano Veneto*, libri, *de non mutando Paſchate*, autore, prout Simlerus, *Epit.* f. 152. hariolatur, dixerint, quibus conſtat.

CYPRIANVS,

Cordubejenſis Archipresbyter, anno 900. clarus, Epigrammata ſcripſit, quæ ex codice Toletano eruit & prelo paravit *Cardinalis d'Agvire.* Vix tamen illa lucem viderunt, præter quorundam Lemmata, quæ Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſp. Vet.* L. VI. c. 7. p. 444. exhibuit. Hic de aliis XXX. ibidem diſſerit, eosdemque Cypriano abjudicat. Addatur Cave, P. II. p. 168.

CYPRIANVS MARTYR.

Genere illuſtris, patria Carthaginenſis, dignitate Senator & Rhetor, inde Chriſtianus, Presbytero Cæcilio perſvadente, a quo ceu Parente in Chriſto, *Cæcilii* prænomen ſortitus. Anno 248. Donato ſuccedens, Epiſcopus Eccleſiæ Carthaginenſis conſecratus eſt. Martyrio vero coronatus, anno 258. d. 14. Sept. ſub Valeriano, ejusque filio Galieno, Imperatoribus Rom. Vitam & paſſionem Cypriani egregiè deſcripſit, exilii ejus individuus comes, *Pontius Diaconus.* Tertulliani fuit Sympatriota & diſcipulus, adeoque ſingularis ejus Scriptorum, quæ ſingulis diebus religioſe evolvebat, amator. Ob ſingularia dona, inter quæ etiam viſionum lumina referas, ex Lib. I. *epiſt.* 2. Lib. III. *epiſt.* 14. L. IV. ep. 4. omnium Chriſtianorum Papa & commune Oraculum habitus. Hinc Auguſt. Lib. VI. *de Baptism. contra Donatiſtas* c. 2 nullum alium Cypriano facile coæqvare voluit, atque, quod inter raros & paucos excellentiſſimæ gratiæ Viros illum numeret pia mater Eccleſia. Synodum Carthaginenſem in cauſa lapſorum convocavit atque hæreticorum baptismum invalidum eſſe pronunciavit. Scripta, quibus ſupervivit, prodierunt

Spiræ,

Spiræ, 1471. Paris. 1512. Colon. 1520. Baſil. 1520. 1525. 1558. Lugduni, 1528. 1537. 1544. 1550. Colon. 1544. 1549. Paris. 1551. 1564. Romæ, 1563. Antwerpiæ, 1568. 1589. Paris. 1574. 1603. 1607. 1616. 1644. Colon. 1617. Genevæ 1593. Paris. 1648. 1666. Oxonii, 1682. cum Joh. Felli annotationibus. Doctiſſima ſunt, quæ de editionum Hiſtoria refert Oudinus. l. c. p. 17. ſeqq. digniſſimus omnino, qui evolvatur. Suppoſita Cypriano Opuſcula, vide apud Caveum l. c. & Labbeum p. 239. De Corruptelis Cypriano illatis, vid. Caſp. Loeſcherus *de Latrociniis in Script.* p. 51. ſeqq. Seorſim prodierunt *Epiſt.* 83. curâ & induſtria Lud. Frid. Reinharti, Theologi Altorffini, Altorffi, 1681 4t. Liber vero *de Mortalitate* editus a communi noſtro Stipite, *D. Joh, Oleario,* Halæ, Lat. primum, 1585. poſt germanice, 1610. & prodiit Ienæ, cum notis Bartholomæi Franci, 1681. Tractatus, *de Idolorum vanitate,* cum Minutii Octavio, Joh. Wouweri operâ, Baſileæ, 1603. excuſus eſt. Ad manus nunc venit liber ab Anonymo quodam Theologo, Wittebergæ olim, anno 1636. 4t. publicatus, *& Theologiæ Specalativæ & Practicæ* ex Patribus collectæ titulo inſignitus, ibidemque 1664. novo *Aurifodinæ Patrum* Lemmate ornatus, qui tamen præter Tertulliani & Cypriani dogmata, certis per locos Theologicos poriſmatibus conſignata, vix alius alicujus Patris meminit. An fuerit Cyprianus ineunte ætate Magus, vid. Dannhauerus, *Chriſt. Act. I.* p. 378. ſeq. & Waldſchmid, *Pythoniſſ. Endor.* p. 371. & fabuloſæ aſſertionis ortum cognoſces. Pontificiorum paralogiſmos, Cyprianum ad ſuas partes rapientium, aperit idem Danhauerus, p. 596. Calvinianorum verò in articulo de Cœna præcipue, explodit ejusdem *Antichriſtoſophia,* p. 593. ſeq. & *Chriſtos,* p. 1011. Alium diverſum ab hoc memorat Cave l. c. p. 65. Præſulem Antiochenum, qui *Confeſſionem* ſcripſerit, quem tamen unquam extitiſſe, vix ſibi perſvadet. Quatuor enumerat Bebelius, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. III, quem conſulas. De noſtro Cypriano adeas Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 149. ſeq. Theoph. Spizelium, *Acad. Veter. Jeſu Chriſti* p. 55, B. Tho. Ittigium, Præfatione, *ad Catenam Patrum,* p. 35, ſeqv.

CYPRIANVS.

Gallus, Cæſarii Arelatenſis, Præceptoris ſui, *Vitam* Libro unico, rogatu Cæſariæ Sorore, deſcripſit, cui alterum adjecerunt *de*

miraculis, Virtutibus & Obitu Cæſarii, Librum, Meſſianus Presbyter & Stephanus Diaconus, ejusdem Caeſarii diſcipuli, qui cum Cypriano 546. floruerunt. Extat apud Surium manca atque mutila ad d. 27. Aug. integra apud Vincentium Barralem, *in Chronologia illuſtr. Lirin. Inſulæ Virorum.* Mabillonium, *Ord. Bened.* Sec. I. p. 659. De eo Oudin, p. 121. & Cave. P. I. p. 291.

CYRILLVS ALEXANDRINVS.

ὁ Κύριλλος dictus, de qua alluſiva appellatione vid. Petrus Caniſius, *Epiſtol. dedicat.* T. I. Theophilo Patruo in Patriarchatu Alexandrino ſucceſſit, eumque rexit ab anno 412. ad 444. Rejicienda eſt illorum opinio, qui cum Joh. Palæonydoro, Joh. Carthagena P. Waſtello, Trithemio, & aliis, qui Cyrillum noſtrum ſimul cum ſequenti, inter montis Carmeli Monachos gloriabundi reponunt. Vir fuit, inter arduas contentiones, cum Neſtorio maxime, Zeloſus, de quo & reciprocis anathematismis, vide poſt Gennadium & Caniſium l. c. Baronium, ad annum 415. & Oſiandr. *Cent. V.* p. 113. ſeqq. Ejus ſvaſu & directione Concilium Epheſinum celebratum eſt, anno 431. in quo Epiſcopi 270. aderant, qui Neſtorium ejusque dogmata oppugnarunt. Multos in Cyrillo nævos deprehendit quidem poſt alios, Godofredus Arnoldus, *in Hæreſeologia,* a quibus tamen ipſum eximunt alii. Hoc certe in confeſſo eſt, quod Angelis nimium tribuerit. Quicquid autem alii in eo deprehendunt, quod unicam tantummodo in Chriſto φύσιν ſive naturam adſeruerit, vix quadrat, cum Cyrillus, per φύσιν aliud nihil atque ὑπόστασιν intellexerit. Cætera quæ illi vitio vertuntur, mala fide retulit Damaſcius, Chriſtianorum hoſtis infenſiſſimus. Stylum ejus ſub cenſuram vocat Photius, *Cod.* 49. quod ſit *ſermo confictus, & ad propriam dicendi formam contortus, ac veluti ſolutum, numerosque negligens metrum.* Opera Cyrilli quæ ſcripſit, junctim prodierunt lat. cura Georgii Trapezuntii, Baſil. 1546. T. IV. ex editione Gentiani Herveti, Pariſiis, 1573. 1605. T. II. Græco-Latinè curante Johanne Auberto, Paris. 1638. T. VII. cujus poſtremæ editionis ſeriem referunt Labbeus & Caveus. Seorſim excuſa ſunt, *Glaphyra in Pentateuchum,* Pariſiis, 1605. & curâ Andr. Schotti, Antwerpiæ, 1618. *Commentarius in XII. Prophetas minores,* gr. lat. Ingolſtad. 1605. *Homiliæ Paſchales XXX.* Antwerpiæ, 1618. *Adverſus Neſtorium,* Lib. V. Romæ, 1608. *Homilias XIX. in Jeremiam* ſub Cyrilli nomine vulgavit

Bal-

Balthaſar Corderius, Antwerpiæ, 1648. 8. quæ tamen XIIX. priores ad Originem, ultima verò ad Clementem Alexandrinum ſpectat. Idem Corderius *Morales Apologos*, Cyrilli nomine præfixo inſignitos, Viennæ, anno, 1659. edidit, qui tamen, Miræo obſervante, a latino quodam ſcripti & jam olim Pariſiis, à Joh. Parvo, titulo *Speculi Sapientiæ*, excuſi ſunt. *Commonitorium de Neſtorio*, extat apud Steph. Baluzium, Gr. Lat. *in nova Collect. Concil.* p. 377. *Liturgia*, quam ex Arabico in latinum tranſtulit Victorius Scialagh, prodiit, Auguſtæ Vindelicorum, 1604. 4. Alia ejus opuſcula, jam quidem deperdita, memorant Liberatus, *Breviar*, c. X. & Gennadius, *de Scriptoribus*, cap. 57. Criticum obelum Cyrilli Scriptis admovit Rivetus, Lib. IV. c, 19. Agunt de Cyrillo præter adductos Autores Spizelius, *in Acad. Vet, J. C.* p. 179. ſeq. Elias du Pin, *Bibl. Nouv*. T. IV. p. 41. ſeqq.

CYRILLVS HIEROSOLYMITANVS.

Sub Macario, Epiſcopo Hieroſòlymitano, Diaconus, atque Presbyter a Maximo ordinatus, ex celebri Catecheta anno 350. Epiſcopus factus, Maximi, adſertoris fidei Nicenæ acerrimi, ſucceſſor, de ſede ſua ſæpe rejectus, ſæpe eidem reſtitutus, anno 386. obiit. Qui vir, quo animo fuerit, poſt Ruffinum, Theodoretum & Hieronymum, qui parum ſæpe illi æquus, Oſiander, *Centur. IV.* p. 333. exponit, Conf. Meelfuhreri, *Cent. Patr.* p. 81. ſeq. Guilielmi Cavei, *Hiſt. Litter*, P. I. p. 115. Maximas Cyrilli cum Acacio Cæſareenſi lites, de jure Metropolitano, non ignorant illi, quibus antiquitatem ſcrutari placuit. Exponit illam modò laudatus Caveus, ejusdemque acta ſecundum annorum ſeriem enumerat. Hic idem Vir doctiſſimus Rivetum exprobrat, eò, quod noſtrum Cyrillum doctrinæ Apoſtolicæ acerrimum propugnatorem, Arianis, *Crit. S.* L. III. c, 11. annumeravit. Quicquid enim iſte pro ſua adferat ſententia, ex Epiſtola Cyrilli ad Conſtantium, Imperatorem, id ex eodem fonte confutat atque rejicit. Trinitatem enim Sanctam & coeſſentialem ibidem pronunciavit Cyrillus. Scripta Cyrilli, nunc attingamus. Huc autem ſpectat *Epiſtola ad Conſtantium, Imperatorem : Catecheſes XVIII. ad Competentes : Catecheſes Myſtagogicæ V. ad recens baptizatos*, in quibus duorum Eccleſiæ Sacramentorum meminit. Has equidem Cyrillo abjudicat Rivetus, *loco citato*, tanquam eodem indignas & quod novis loquendi fomulis ſcateant. Sed facile is refellitur, tam autoritate Hieronymi, Theodoriti, Damaſceni, aliorum-

Aa 2 que,

que, quam, quod ipſe Cyrillus hunc laborem extemporaneum appellet, nec ultima Riveti ratio, de formulis recentioribus, locum inveniat. Vide, ſi placet, doctiſſimum Caveum, qui litem hanc pluribus diremit. *Catecheſes Cyrilli* græce prodierunt, Viennæ, 1560. Paris. 1564. 8. gr. lat. Colon. 1564. Paris. 1608. Opera vero omnia lat. Paris. 1589. græco-latine, cura Dionyſii Petavii, 1628. Paris. 1608. 4. 1622. fol. 1631. & 1640. Oxonii, 1703. cum notis Tho. Milleſii. Spuria ſunt, *Oratio de occurſu Domini*, quæ gr. lat. Colon. 1568. Paris. *Auct. Bibl. Patrum*, T. II. p. 849. anno 1624. & *Auct.* 1648. T. I. p. 621. excuſa eſt, & *Epiſtola ad Auguſtinum de Miraculis Hieronymi*, quæ lat. inter *Auguſtini & Hieronymi Opera* habetur. Conf. de Cyrillo Labbeus, T. I. p. 248. ſeq. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 134. & alii.

CYRILLVS SCYTHOPOLITANVS.

A Patria dictus, Monachus Lauræ Monaſterii, anno 557. floruit, quo Johannis, *Silentiarii vitam* exaravit. Extat illa gr. lat. apud Continuatores Bollandi, ad d. XIII. Maj. Lat. apud Surium, d. XIII. Maj. Scripſit quoq; Cyrillus *Vitam S. Sabæ*, quæ Latine extat apud Surium, d. V. Decembr. & Bollandum. d. XX. Januar. gr. lat. & integra, apud Coteleriun, *Monument. Eccleſ. Græc.* T. III. p. 220. *Vitam S. Euthymii, Abbatis*, quæ à Metaphraſte interpolata gr. lat. apud eundem Coteleriun habetur, *loco citato*, T. II. p. 220. lat. apud Surium, d. XX. Jan. Conf. de hoc Cyrillo Baronius, *in Annal.* anno 491. 497. & 498. Poſſevinus, *in App. S.* qui tamen in eo erravit quod Cyrillum ad annum 490. repoſuit. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 129. Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 294. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 75.

CYRVS.

Ex Lazorum Epiſcopo, Alexandrinus factus, anno, 630. anno vero 639. obiit, poſtquam anno 633. Synodum Alexandrinam habuerat, atque omnes, unicam in Chriſto Dei-virilem operationem non confitentes, anathemati ſubjecerat. Scripſit *Libellum Satisfactionis* in Synodo Alexandrina, capitulis IX. diſtinctum, quorum *ſeptimo* Monotheletarum errorem adprobavit. Extat ille *Concil.* T. VI. p. 954. *Epiſtolas III. ad Sergium*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, quæ *Concil.* T. VI. p. 207. 950. 952. exhibentur. Conf. Cave, *in Hiſt. Litt.* P. I. p. 316. Tho. Ittigius, in *præf. Caten. Patr.* p. 59.

CYRUS THEODORUS PRODROMUS.

Cotycæus, Phrygiæ Epiſcopus, circa annum Salutis 444. floruit, vir ſuo ſeculo primi ordinis, ſummos in Republica & Imperio, maximè Romano, teſte Svidâ, honores conſequutus, & Infula quoque ſacra ſplendens, in ipſa rerum, & negotiorum mole, ſacrorum Bibliorum ἁγιόγραφα quædam, ſingulis capitibus adaptatis, tetraſtichis explicavit, (quantitate licet ſyllabarum parum diligenter obſervatâ,) eâ re Eudociæ, Theodoſii Junioris, Imperatoris, Conjugi, verſuum amanti, mire gratificatus. Ejus *Epigrammata græca* excuſa ſunt, Baſileæ, anno 1536. apud Bebelium, & Genevæ, apud Criſpinum, ex translatione Joh. Ribitti. Nonnulla quoque, ut ſunt *ſuper amicitia peregre abeunte, in providentiam, in vita Imaginem*, ejusdem poemata, græce & latine cum argumentis & notis Hieremiæ Erhardi, Lipſiæ, anno 1598. prodierunt. Aliquos exinde verſus, quibus Amicitiæ ſanitatem & pulchritudinem tribuit, refert Tho. Bartholinus, *de Medicis Poetis*, p. 64. Alius forſitan Cyrus eſt ille, quem memorat Cave, P. II. *Hiſtor, Litter.* p. 221. Monachus, & græcorum adverſus latinos propugnator, anno 1010. clarus, cujus ſunt, Liber *de Proceſſione SS. Epiſtolæ aliquot* & alia quædam in Manuſcriptis adſervata, de quibus Leo Allatius, *de Conſenſu Orient. & Occident, Lib. II.* cap. 10. n. 11. col. 630. & Cave modò laudatus, diſſeruerunt.

D

DACIUS.

Mediolanenſis ArchiEpiſcopus, Seculo VI. circa annum 527. floruit, Imperante Juſtiniano, ut aſſerit Labbeus, T. I. *Diſſert.* p. 250. Bellarminum, Voſſium, aliosque arguens, quod eum ad Juſtinum Seniorem falſò retulerunt. Obiit, anno circiter, 555. *Chronicon* ſcripſiſſe dicitur, aſt, an unquam & ubi illud typis excuſum fuerit, nemo facile indicabit. Nec Dacio illud jure tribuitur, cum a geſtis Sec. VIII. incipiat & ad Sec. XI. progrediatur. Alios ejusdem codicis, Mediolani aſſervati, autores, Cave in *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 384. indicat, qvippe P. I. Landulphum Seniorem, P. II. Arnulphum, P. III. Landulphum Juniorem, Scriptores facit. Lege de hoc Chroni-

nico Obſervantiam Ioh. Mabillonii, T. I. *Annal.* p. 3. ex litteris Mediolano acceptis, & Conf. Oudinum, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 117.

DAMASVS P. R.

Natione Hiſpanus, ab anno 367. ad 384. ſedit. Epitaphium quod ſibi ipſe poſuit, vid. apud Labb. *in Theſ. Epithaph.* P. II. n. 31. p. 92. Plurimorum de eo Teſtimonia poſt Baronium, Georg Fabricium, Caſp. Barthium, Andr. Schottum, *Bibl. Hiſp.* f. 183. & 210. ſuppeditabunt, Labb. T. I. p. 251. & Andr. Rivinus, qui ejus Carmina S. hymnos, elogia & epigrammata (typis antea ut in titulo aſſerit, nuſpiam ſimul evulgata) Lipſiæ, 1652, emaculavit & notis additis edidit. Alias *Opera* quoque Damaſi, ejusque vitam ex Manuſcript. Codicibus, Romæ, cum notis Martii Mileſii Sarrazanii & ex ejus collectione, anno 1638. 4t. edidit Fred. Vbaldinus, Rivino quoad nos qvidem deprehendere potuimus, non citatus, & tunc forte ignoratus. Recuſa fuerunt Paris. 1672. 8. *Elogia Sanctorum* ab hoc Papa poëtice ſcripta, ſeparatim habentur, T. VIII. *Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* f. 986. Conf. quæ in eo notavit poſt Rivetum, *Crit.* L. 3. c. 13. Meelführerus, *Cent Patr.* p. 97. Trithemius autem & Platina aliique errant, tribuendo ei *opus de Vitis Pontificum*, quod Anaſtaſii Bibliothecarii, eſſe, Voſſius, *Hiſt. Lat.* L. 2. c. 8. p. 200. male quoq; autumat, nec minus fallit Papyrius Maſſonius, neſcio cui Damaſo, Portuenſi Epiſcopo, illud adſcribens. Reliqua Damaſi Scripta, eaque genuina, à falſis & ſuppoſititiis accurate diſcernit Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 129. ſeq. ubi alia ad Vitam Damaſi illuſtrandam non minus facientia, ſubnectuntur. Du Pin, *Nouv. Bibl.* T. II. p. 151. ſeqq. *Journal des Scavans* T. XXXI. p. 165. Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 59. ſeqq.

DAMIANVS.

Craſſus, natione Italus, ex Ripalo ortus, ex Ord. Dom. Monacho, Provincialis Lombardiæ, anno 1506. floruit, mortuus vero 1516. Extat ejus *Comment. in Jobum*, qui cum aliis *Damiani Opuſculis & Quæſtionibus de* S. Ioh. Evangeliſta, 1506. prodiit. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 134.

DANIEL.

Monachus Raythenus, *Vitam Joh. Climaci* ſcripſit. quæ T. V. *Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* f. 307. extat, præfixa quoque *Operibus Climaci,* edit.

edit. græc. & lat. a Matth. Radero, Paris. 1633. item apud Surium, lat. d. XXX. Martii. Cæterum, an Danielis, Abbatis, narratio de puero hebræo, per ludum a pueris Chriſtianis baptizato, ad noſtrum ſpectet, alii arbitrentur. Nos cum Caveo, P. II. l. c. app. p. 7. certi nihil definimus.

DANTES ALIGERIVS.

Italus, Florentinus, anno 1260. natus, 1321. Ravennæ denatus, maxima Vir laude, & autoritate eruditioneque omnibus cariſſimus, veritatem, magna ex parte agnoſcens, regni Papiſtici fraudes non ignoravit, teſtibus Matth. Berneggero, *contra Idolum Lauretan.* p. 116. 123. ſeq. Dominico Nano Mirabellio, *Polyanth.* f. 240. b. ſeq. 238. b. ſeq. Romam enim apocalypticam illam Babylonem eſſe aperte dixit, libro peculiari tripartito, hac de re confecto, cui *Monarchiæ* titulum fecerat, cujus meminit Bartolus in L. Divi §. præſides ff. de requirendis reis, & Raphael Volaterranus L. 21. f. 771. ubi additur, Dantem propter hunc ipſum librum, etiam poſt fata pro hæretico fuiſſe condemnatum. Hinc eſt, quod Arcimboldus, quando in Catalogo hæreticorum hujus libri meminit, eum quoque, ne ab ullo legatur, prohibeat. Editus autem tribus libris abſolutus, primùm inter alios, *de Imperiali Jurisdictione & Poteſtate Eccleſiaſtica* libros, opera Simonis Schardii, Baſileæ, 1566. Argent. 1609. fol. Seorſim verò cura Oporini, Baſileæ, 1559 8v. Offenbachi quoque prodiit anno 1610. cum Engelberti Libro, *de ortu & fine Imperii Romani*, aliisque hujus argumenti autoribus, ſtudio Joach. Cluteni. Scripſit etiam de *vulgari Eloquentia* Lib. II. quos Jac. Corbonellus, Paris. 1577. 8v. in lucem emiſit. An & cur hic Dantes, *Monarchiæ* Scriptor, à Comœdiarum & Poematum de Purgatorio, inferno, Paradiſo, confectorum, autore ſit diſtingvendus, uti quidem ſvadere conatus Oporinus *præfat.* l. c. nulla urget neceſſitas: Imo unius ejusdem iſta omnia eſſe, clare docet ejus ſepulchri, quod Ravennæ viſitur, marmor & epitaphium, quod cum aliis lectu circa eundem dignis exhibet, Jo. Jac. Boiſſardus, T. I. *Icon. illuſtr.* p. 76. Add. Volaterr. l. c. Pauli Jovii *elogia Doct.* c. IV. p. 17. & Koenig. *in Bibl.* p. 235. Dantis quoque non nihil Lipſiæ ad aram Templi Paulini reſiduum & conſpicuum eſſe, ſcribit Rivinus, *Æquilibr. Plat. & Ariſt.* p. 53. & Stepnerus, *inſcript. Lipſ.* p. 13. Leg. ſi placet, Caveus, P. II. p. 271. Singula ejus fata, Scripta, variasque eorundem

edi-

editiones adduxit Bayle, *Lex. Critiqu. & Hiſt.* p. 995. ſeqq. p. 87. ſeq. Epitaphia verò bina poſita exhibet Labbeus, *in Theſ. Epitaph.* P. II. n. 31. IV. n. 9. Conf. quoque *Patiniana*, p. 87.

DATHVS, vide AVGVSTINVS DATHVS.

DAVID de AVGVSTA.

Dictus, quia Auguſtæ Vindelicorum natus, Seculo forſan XIII. Ordinis Minorum, David Teutonicus vocatus, apud Henricum Willot. *Athen Franc.* p. 103. qui poſt Trithemium, Scripta ejus enumerat, quæ legiſſe tantæ utilitatis putavit Joh. Wimphelingius, *in Apol. pro Republ. Chriſt.* atque ſi D. Auguſtini aut aliorum meditationes aliquis legerit. Nonnulla ex iis, ut ſunt *formulæ Novitiorum* cap. 41. *Formula interioris hominis* cap. 62. Auguſtæ Vindelicorum 1593. primum vulgata, inſerta poſtmodum T. XIII. *Bibl. Magn. Colon.* f. 413. & T. XXIII. *Bibl. Patr. maximæ* fol. 867. ſeqq. Seorſim verò excuſa *formula interioris hominis*, Antwerp. 1591. & Colon. 1623, poſtmodum T. XXV. p. 567. autori genuino reſtituta eſt, quæ antea ſub Bonaventuræ nomine prodierat. Conf. & Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 500. Ant. Poſſev. *in app. S.* p. 417. Luc. Waddingus, *de Script. Ord. Min.* p. 99.

DAVID.

Monachus græcus, patria Theſſalonicenſis, qui Caveo, P. II. p. 280. circa annum 1348. claruiſſe videtur, *Compendiariam declarationem hæreſeos Barlaami & Acindyni* ſcripſit. Hujus Excerpta quædam extant apud Leonem Allatium, *de Conſenſu*, l. 2. c. 17. *Sect. 2. col. 838.* plura apud Gretſerum, *in annot. ad Cantacuzen.* p. 928. ſeq. Manuſcripta verò in Bibl. Vindob. & Auguſtana, viſitur. Eidem quoque Manuſcript. illud *de Blaſphemiis Barlaami* & *Acindyni* ad Nicolaum Cabaſilam, ſub Davidis cujusdam Dishypati nomine, in Regis Galliarum Bibl. ſplendidiſſima aſſervatum, attribuit citatus Cave, cui hæc omnia debemus.

DAVID.

Gente Syrus, Maronitarum in monte Libano Archi Epiſcopus, anno 1053. floruit, quo ipſo *Epiſtolam* ad Arſenium, Epiſcopum Hancurenſem, de Melchitis, Maronitis aliisque Sectis dederit. Ex ejus Tractatus c. I. *de Orientalibus Sectis & opinionibus* vide quædam arabicè verſa apud Abrah. Ecchellenſem *Epiſt. ad Morinum*, inter

Anti-

Antiquit. Orient Londin. 1682. edit. p. 459. *Conſtitutiones Eccleſiæ Maronit.* ex Syra in Arabicam Linguam tranſtulit; quod opus XVII. capitibus abſolvitur, de quo cit. Ecchellenſis teſtatur.

DEMETRIVS CHOMATENVS.

Bulgarorum Archi-Epiſcopus, claruit anno 1203. Extat Tractatus ejus græc. lat. *de gradibus cognationis, Jur. Græc. Rom.* L. V. p. 311. *Reſponſiones ad Conſtantini Cabaſilæ interrogata*, ibidem p. 316. item ad Stephanum, fratrem ſuum germanum, Tract. de quæſtione: *An qui mulierem aliquam vitiaverit, matrimonium cum ejus conſobrina contrahere poſſit?* ibidem, p. 410.

DEMETRIVS CHRYSOLORAS.

Natione græcus, patria Theſſalonicenſis, multa quidem ſcripſit quæ tamen in lucem nunquam emiſſa ſunt. Vnici Dialogi fragmentum extat apud Leon. Allatium *Libro, adverſus Hottinger.* p. 49. Omnia autem Manuſcripta in Bibl. Vaticana aſſervantur, quæ commemorare noſtri non eſt inſtituti. Legant illi, qui eadem ſitiunt, Caveum P. II. p. 388. & Henr. Wartonum, in *app.* P. I. p. 71. Claruit hic Demetrius, anno 1398.

DEMETRIVS.

Metropolita Cyzicenus, compoſuit *Hiſtoriam de Hæreſi Jacobitarum & Chatzchizariorum*, quam græce & lat. habet Combefiſius, *Auct. Nov.* T. II. p. 261. Extat quoque *Jur. Gr. Rom.* Libr. VI. p. 397. *ejusdem declamatio de nuptiis prohibitis &c.* Du Pin T. VI. *Bibl. Nouv.* p. 46. hunc autorem ad Sec. VII. aut VIII. reponit.

DEMETRIVS GEMISTVS.

Eccleſiæ Conſtantinop. Diaconus & Protonotarius, ſcripſit *Ordinem Liturgiæ Patriarchalis*, quem doctiſſimis notis illuſtratam dedit Js. Habertus, *in Pontificali Græcorum*, Pariſiis, 1643. fol.

DEMETRIVS TORNICIVS.

Gente græcus, circa ann. 1193. floruit, atque ſcripſit in Perſona Iſaaci, Imperatoris, ad Epiſcopum quendam, *de Proceſſione SS. Librum*, qui in Galliarum Regis Bibl. Manuſcript. aſſervatur. Principium ejusdem recitat Leo Allatius, *de conſenſu* l. 2. c. 13. §. 4. Conf. de eo Du Pin. T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 203.

DEODVINVS.

Epiſcopus Leodienſis, ſucceſſit Wazoni, ab anno 1048. ad 1075. quo mortuus eſt. Scripſit inſignem *Epiſtolam ad Henricum, Galliæ Regem, de Corpore & Sanguine Domini, adverſus Berengarium,* quam Baronius & Chapeaville perperam ſub nomine Durandi Leodienſis, eamque mutilam vulgarunt. Integram atque autori ſuo reſtitutam edidit Joh. Mabillon. T. IV. *Analect.* p. 396. Confer Cave, P. I. p. 422. & Oudin, p. 333. Du Pin, T. VIII. p. 7.

DESIDERIVS CADVRCENSIS.

Seu Caduriorum, non in Gallia Celtica, ut Miræus ſcripſit, ſed in Aquitania prima, Epiſcopus, juſſu regis Dagoberti, cujus Theſaurarius fuerat, anno 635. ordinatus, ut ex antiquis monumentis prolixe tradunt Sanmarthani, T. II. *Gall. Chriſt.* f. 460. & Labb, T. I. p. 254. Obiit, anno 652. Ejus *Epiſtolæ & aliæ* ad eum ſcriptæ, ab Henrico Caniſio primùm editæ, habentur, T. V. P. II. *antiqu. Lect.* p. 525. ſeqq. eædem recuſæ à Marqu. Frehero, Andrea Ducheſnio & Collectoribus *Magn. Bibl. Patr. Colon.* T. V. Qui quidem Collectores, ut & alii fœdiſſime errant, quando Deſiderium hunc Fauſti Rejenſis & Ruricii Lemovicenſis, æqualem fuiſſe ſcribunt, cum plus quam centum annis poſt eos floruerit, ſicut etiam notat Labbeus, recte eos arguens. Evolv. etiam Cave, P. I. p. 318.

DESIDERIVS.

Ex Abbate Caſſinenſi, Presbyter Cardinalis, titulo S. Cæciliæ, factus, claruit 1080. atq; Gregorio VIII. P. R. mortuo ſucceſſit, anno 1085. Dum adhuc Abbas eſſet, compoſuit *Dialogorum* III. Libros, *de miraculis S. Benedicti, ejusdemque diſcipulorum in Italia patratis,* quos vide apud Bollandum, ad diem 21. Martii, & Mabillon, *Sec. Bened.* IV. T. II. p. 425. Conf. Poſſev. *in app. S.* T. I. p. 419. Oudin p. 344. l. c. Du Pin, T. VIII. p. 109. 69. ſeq.

FLAVIVS LVCIVS DEXTER.

Hiſpanus, Orientalis Imperii Præfectus Prætorio, floruit anno circiter 388. Obiit 444. *Chronicon,* quod ejus nomine paſſim circumfertur, rationibus aliquot in dubium vocatur a Cornelio a Lapide, *comment. in acta* f. 12. Dorſcheo, *Diatypos. de Cœn.* p. 38. Bebel. *Antiquit. Argent.* p. 125. Labb. T. I. p. 352. &c. Caveo, P. I. p. 164. & Tentzelio, *in Colloqu. Menſtr.* ann. 94. qui verum hujus Chroni-

ci

ci autorem, *Hieron. de Higuera*, Hiſpanum, ex *Papebrochio* detegit, p.342. *Commentarium ad* illud ſcripſit Franc. Bivarius, Ciſtercienſis, atque primus evulgavit, Lugd. 1627, fol.

DIADOCHUS.

Photices in veteri Epiro ſeu Illyrico Epiſcopus, ad annum 460. referendus, Præceptor fuit Victoris Vitenſis, qui eum, *Præf. ad Libr. V. de Perſec. Afric.* in immenſum laudat. Ejus de *Perfectione Capita centum aſcetica*, Franc. Turriano interprete, tum ſeorſim, Plantini typis latin. excuſa, tum *Bibliotheca Patrum* inſerta, extant. vid. T. V. *edit. 2. Paris.* f 446. Græce verò, teſte Caſim. Oudino, *Supplem. de Scriptor.* p. 91. Florentiæ, 1578. 8v. Manuſcript. extant in Veneta, Monachiana, aliisque Bibliothecis. *Homiliam* verò *Diadochi de aſſumtione Chriſti*, penes Holſtenium græce delituiſſe, fidem facit Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 252. Labb. T. I. p. 255. Du Pin, qui de Diadochi opuſculis arbitratur, quod ſtylo ſimplici confecta ſint. Vid. *Bibl. Nouv.* T. III. p. 6.

DIDACUS DEZA.

Seu *Jacobus Deza*, Hiſpanis enim Didacus idem, ac Jacobus eſt, ut docet Andr. Schottus, *Bibl. Hiſp.* p. 304. ex Monacho Dominicano, Coenobii S, Ildefonſi in Tauris, Prof. Theologiæ Salmanticenſis, dein Joh. Regis, Ferdinandi filii, Præceptor, Zamorenſis item Epiſcopus, abhinc Salmanticenſis & Palentinus, rurſus Hiſpalenſis in Bætica Archi-Epiſcopus, & Regi Catholico à Confeſſionibus & Sacris primarius: Inde Thomæ Turrecremata in Quæſitoris munere Succeſſor, & Archi-Epiſcopus Toletanus, ſed hanc Infulam prenſaturus, anno 1515. in itinere extinctus, teſte Schotto, *loco citato* p. 231. Inter tot ſpartarum negotia plurima tamen ſcripſit, ex quibus eminent *Monoteſſaron in IV. Evang.: Homiliæ in totius anni feſtos ac Dominicos dies: in Orationem Dominicam; Doctrinæ Thomæ Aquinatis defenſionem contra Lyranum, Paulum Burgenſem & Mathiam Saxonem,* Hiſpali, anno, 1491. in IV. *Magiſtri Sententiarum Libros,* Tomos totidem & cetera.

DIDYMUS ALEXANDRINUS.

Scholæ Catheche ſeων Præfectus, circa annum 370. clarus, is eſt, qui Hieronymo teſte, *Catal. Eccleſ. Doctorum* c. 109. captus a parva ætate oculis, cum jam prima in litteris fundamenta poſuiſſet,

 tan-

tantum miraculum ſui omnibus præbuit, ut Dialecticam quoque & Geometriam, quæ vel maxime viſu indiget, perfecte didicerit & plurima nobiliaque opera reliquerit, quæ ibidem enumerat. Ex iis hodie extat *tripartitus liber de SS.* quem bipartitum tantum fuiſſe & a Librariis perperàm divulſum, aſſerit Caſp. Barthius, *ad Mamert. de anim.* p. 360. & *adverſar. Libr. 51.* c. II. quem que vertit Hieronymus, ſicut ipſe teſtatur *loco citato,* & *Epiſt. II. ad Damaſum* L. II. *apolog. ad Ruffinum &c.* Habetur ille Liber inter Opera Hieronymi, ſeorſim verò Paris. 1500. excuſus, & ſtudio Joh. a Fuchten, ex IV. exemplarium collatione repurgatus, atque recuſus, Helmæſtadii, 1614. inſertus verò una cum ejusdem brevi enarratione Epiſtolarum Canon. *Bibl. Patr.* & quidem *edit. 2. Paris.* T. IX. f. 473. 511. *Librum* Didymi *contra Manichæos*, Fr. Turriano interprete, vulgavit Henr. Caniſius, T. V. *antiqu. Lect.* part. I. p. 15. Græco-Lat. Combefiſius, *Auctar.* 1672. Labbeus T. I. p. 764. & T. II. p. 125. meminit prætерea alicujus fragmenti, ejusdem libri, contra Manichæos, quod ex veteri libro deſcriptum exhibuit Petrus Poſſinus, *in notis ad Nili, Abbatis, Epiſtolam 355.* Deperdita Didymi Scripta laborioſe collegit Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 144. & ſunt, Comment. *in Jobum, Pſalmos, Proverbia, Eſaiam, Hoſeam, Zachariam, Evangelium Matthæi, Johannis, Libri III. de Trinitate, de dogmatibus & contra Arianos Lib. II. Comment. in Libr. Origenis &c.* quem ipſum evolve. Huic adjunge Du Pin, T. II. p. 129. ſeqq. *Bibl. Nouv.* Vixit adhuc anno 392. octogenario major Didymus, ſicut refert ejus in Ægypto auditor & admirator Hieronymus, qui tamen, eò, quod in Origenis errores pro lapſus fuerit, eum reprehendit. De aliis cœcis, vide, quæ ſuperius paulò, circa Carolum Fernandum adducta ſunt, & adde, quæ de Franc. Salinate, oculorum quoque uſu carente, longe tamen eruditiſſimo, refert Thuanus, Libr. 99. *hiſt.* circa finem, & Schottus, *Bibl. Hiſp.* p. 568. De Didymo conferas, Clericum, *Bibl. Univers.* T. VIII. p. 347. *Journal des Svavans*, T. XXIIX. p. 183.

DIODORUS.

Presbyter Pagi Diodoridis in Caſcharorum paroecia ſiti, Archelai, Epiſcopi, familiaris. Manetem hæreſiarcham mitiſſime quidem primùm excepit, verſutiam tamen ejus cognoſcens, adverſus ipſum acerrime diſputavit. Extant hujus *diſputationis acta*, ad calcem *Epiſtolæ Archelai*, quam ad Diodorum ſcripſerat, a Valeſio editæ, uti nos docet Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 72.

DIODORVS.

Presbyter & Archimandrita Antiochenus, poſtea verò Episcopus Tarſenſis à Meletio conſtitutus, anno 381. Concilio Conſtantinopolitano interfuit. Arii malleus extitit, vir omni Pietatis & eruditionis genere inſignis. Varios tamen circa fidem errores fovit, qui Neſtorio, diſcipulo, errandi anſam dubio procul dederunt. Palmarium Diodori Scriptum eſt illud, *adverſus Apollinariſtas*, cujusquædam fragmenta Proclus, Marius Mercator, Leontius, aliique exhibent, de quibus æque ac de deperditis Scriptis reliquis perdoctè agunt Cave, T. I. p. 152, l. c. Du Pin, T. II. *Bibl. Nouv.* p. 238. qui poſterior de ſtylo itidem accurate ſatis judicat, illum purum atque perſpicuum pronuncians.

DIONYSIVS.

Viginti duos Dionyſios Sacros & poſteritati religioſe memorandos propoſuit, & per ſingulos fere menſes diſpoſuit Matyrologium Romanum. Vide illos excerptos apud Dorſcheum, *Syllog. Semeſtr.* p. 31. ſeqq. Nec pauciores, imo plures, communicabunt Gesnerus & Simlerus. Nos ex iis tantum illuſtriores, & monumentis Eccleſiæ bono exaratis atque excuſis celebriores, perſequemur.

DIONYSIVS ALEXANDRINVS.

A gentilibus parentibus ortum quidem accepit, Origenis tamen cura & induſtria ad Chriſtianismum converſus, ex Presbytero Alexandriæ Epiſcopus electus eſt. Acrius cum hæreticis ſui temporis, Novatiano, Sabellio atque Samoſateno pugnans, ipſe in contrarium errorem incidit. Quem tamen apologiâ a ſe removit. Varia, ſub Decio & Valeriano, Tyrannis, adverſa, expertus, placide tandem anno 265. obiit. Opera, præter pauciſſima fragmenta, Euſebio aliisque recenſita, non amplius extant, quæ Caveus, P. I. p. 69. in *Tractatus & Epiſtolas* diſpeſcuit. Illa autem tranſcribere parum utilitatis habebit. Doctisſimam potius ejusdem adverſus Lambecium, obſervationem, qui binas *Iſiodori Peluſiotæ Epiſtolas*, quarum una ad Theodoſium Monachum, altera verò ad Arſenuphium Lectorem, ſcripta, Dionyſio noſtro falſò adjudicabat, magno cum oblectamento attendimus. Habetur autem illa T. II. p. 30. Conf. Du Pin, T. I. p. 187. *Bibl. Nouv.* qui plurima Dionyſii A-

lex Scripta ex Euſebio, Hieron. & Athanaſio, eorundemque contenta proponit. Singularia ſunt, quæ de Dionyſio Alexandrino apud Clericum relata legimus, *Bibl. Vnivers. & Hiſtor.* T. III. p. 70. ſeq. ubi ejus errorem, partim circa Apocalypſin modeſte caſtigat, partim de Scriptis quibusdam breviter quidem, accuratè tamen judicat. Conf. *Memoires de L' Hiſtoire Eccleſ. Mr. D. T.* T. IV. Paris. 1694. publ. & *Journal des Scavans,* T. XXV. p. 40. Jo. Fr. Buddeum, *in Lexico* & alios.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

A nobili judicio, *Areopago,* cui Athenis aſſedit, nomen ſortitus, hinc Pauli diſcipulus & Athenienſium, ſi Euſebio fides, primus Epiſcopus, nunquam vero Gallorum Apoſtolus ſeu Pariſienſis Præſul, prout contra fabuloſas, Hilduini, Baronii, Milleti, Petri Halloix, Martini Delrio, Andreæ Sauſſay, Balthaſaris Corderii, Sanblacati, Menardi & Chiffletii, relationes, Jacobus Sirmondus, Petavius, Jo. Launoyus, Du Chesne, Jo. Morinus, Franciſcus Bocquetus, Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. f. 400. aliique ſolidè monſtrarunt. Multa ſcripſiſſe dicitur Dionyſius, quæ hodie non extant, quorſum ſpectant; *Theologia Symbolica, Tractatus de anima, Informationes Theologicæ, de Hymnis divinis, de juſto & divino judicio, de iis, quæ intelligentia & ſenſu percipiuntur,* quorum omnium ipſe meminit Dionyſius. Ea vero, quæ reſtant, atque eidem ſupponuntur, pro genuinis venditant Bellarminus, Baronius, Poſſevinus, Delrio, Petrus Halloix, Petrus Lanſſelius & Caſpar. Corderius, imò ex recentiſſimis, Natalis Alexander, *Sec. II. Hiſt. Eccleſ. Diſſert.* 21. Emanuel Schelſtratenus, Laurentius Cozza, & Peterſenius, quem ideò redarguit Tenzelius, *in Colloquiis menſtruis,* ann. 96. p. 80. & 109. à quibus tamen omnibus, Dionyſius Petavius, Joh. Morinus, Joh. Launoyus, Dallæus, *de Scriptis Dionyſii & Ignatii,* anno 1666. 4. Genevæ, & autor *Diſſertationis ſur S. Denis l' Areopagite,* à Paris, 1702. 8v. quam recenſet *Journal des Scavans,* T. XXX. p. 285. aliique prudentiores receſſerunt, firmiter adſtruentes, Scripta iſta autorem habere, qui Seculo IV. aut V. vixerit. Etiamſi enim ad Gregorii M. tempora Dionyſium referat Dodwellus, vetuſtiora tamen extant teſtimonia, quæ tempori repugnant, atque prohibent, quo minus ad Seculum VIII. collocetur. Alii genuinum autorem appellare malunt Apollinarium, Antiſtitem Laodicenum. Sed & his contra ivit Guilielmus Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 126. qui Apollinarium Patrem

trem, non filium, eundem non abſque rationibus, proclamat. Ceterum omnia, quæ Dionyſii nomen ſplendide mentiuntur, Scripta, variis in locis excuſa ſunt. Prodierunt enim lat. Colon. 1536. Græcè, Baſil. 1539. Venet. 1558. Paris. 1562. 8. Lat. ibidem 1566. 1569. 8. Gr. & lat. Pariſiis, 1615. fol. Antwerpiæ. 1634. f. T. II. Paris. 1644. f. T. II. & ſunt, *de Cœleſti Hierarchia : de divinis nominibus* Liber, qui ſeorſim, gr. & lat. Venetiis, 1538. excuſus eſt. Liber, *de Eccleſiaſtica Hierarchia*, Baſileæ 1539. impreſſus. *De Myſtica Theologia*, Auguſtæ Vindelicorum, 1519. *Epiſtolæ ad Cajum IV. ad Dorotheum I. ad Soſipatrum, I. ad Polycarpum, V. ad Demophilum, I. ad Titum, I. ad Johannem, Evangeliſtam, I. ad Apollophanem, I.* De erroribus Pſeudo-Dionyſii iſtius conferas poſt Scultetum, *Medulla Patrum*, B. Thomam Ittigium, *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sec. I.* Cap. III. Section. VI. & alibi. Plura quoque dabunt de Dionyſio, Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 5. ſeqq. Clericus, *Bibl. Univerſ.* T. III. p. 57. T. XVI. p. 503. *Journal des Scavans*, T. XXII. p. 160. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 34. Arnoldus *in Hæreſ.* P. I. L. I. c. 2. §. 9. *& in hiſtoria deſcriptionis Theologiæ myſticæ*, c. 10. p. 167. ſeq. Jo. Fr. Buddeus, *in Lexico* & alii.

DIONYSIVS CARTHVSIANVS.

Cognomento de Leewis, gente Belga, patria Rickelius, Carthuſianus Coenobii Ruremundenſis monachus *Doctor ecſtaticus*, ob indefeſſas preces appellatus, anno 1450. claruit, año verò 1471. è vivis migravit. Vir erat Trithemio teſte, *de Scriptor. Eccleſ.* p. 175. *in divinis Scripturis ſtudioſiſſimus, & continua exercitatione peritus : ſecularis quoque Philoſophiæ non ignarus, ingenio ſubtilis, ſermone ſcholaſticus, vita & converſatione ſingulariter devotus, adeò, ut etiam divinis revelationibus dignus haberetur. Tot atque tanta ſcripſit, ut numero Opuſculorum præter Auguſtinum apud Latinos parem habuerit neminem.* Ejus enim ſunt *Commentarii in totam SS.* Colon. 1533. f. T. VII. *in Evangelia*, Venetiis, 1569. Lugd. 1579. *Commentar. in Lib. IV. Sententiarum*, Venetiis, 1584. f. T. IV. Colon. 1535. *Comment. in Dionyſii Areopagitæ opera*, Colon. 1536. f. *Summa fidei orthodoxæ*, Antw. 1569. Venet. 1572. *Dialogion de fide Catholica*, Lib. VIII. Venet. 1568. *de Doctrina & regulis vitæ Chriſtianæ*, Lib. II. Colon. 1577. *Monopanton*, Lugd. 1547. 16. Paris. 1551. 1631. 8. *Liber de IV. Noviſſimis*, Delphis, 1487. 4. *Colloquium de particulari animarum judicio*, Colon. 1591. 1598. & alia quam plurima, memorata Henr. Whartono,

App.

App. Cav. p. 91. ſeq. Scriptorum verò omnium Catalogum, ipſe Dionyſius conſignavit, quem in compendio videas, apud Trithemium, *de Scriptoribus Eccleſ.* p. 176. Simlerum, *Bibl. Tigur.* p. 171. Poſſevinum, *Appar.* S. T I. p. 476. Fr. Sweertium, *Athen. Belg.* p. 215.

DIONYSIVS.

Corinthiorum Epiſcopus, floruit anno 170. atque obiit Martyr gladiô percuſſus, anno circiter 178. Ejus aliqvot *Epiſtolas*, ad diverſas Eccleſias paſſim ſcriptas, celebrant Euſebius atque Hieronymus, indeque Trithemius, Danhauerus, *Act. I. Chriſt.* p. 242. 274. 478. Schopfius, *Acad. Chriſti*, p. 39. Bebelius, l. c. p. 139. Cav. in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 33. Du Pin, *Bibl. Nouv*, T. I. p. 68. qui totum Euſebii teſtimonium transſcripſit.

DIONYSIVS EXIGVVS.

Cognominatus, Abbas urbis Romæ a Beda & Caſſiodoro celebratus, Scytha natione, Vir gr. & lat. doctus, floruit ab initio Sec. VI. usque ad annum 556. quo obiit. Scripſit anno 532. juxta Trithemium, *Cyclum Paſchalem*, in quo non per Olympiades vel Conſules aut indictiones, ſed ab incarnato Dn. noſtro Jeſu Chriſto annos numerare coepit. Erudiƫiſſima ſunt obſervata Mabillonii de hoc Cyclo, ejusdemque uſus computandi tempore, in Opere ſuo elegantiſſimo, *de re diplomatica*, p. 176. & Tentzelii, *in Colloqu. Menſtr.* anni 91. p. 183 ſeq. Ex omnibus autem ejus Operibus, quorum aliqua, Baſileæ, 1528. vulgata, ſequentia tantum inveſtigare ſe potuiſſe, ait Labbeus, T. I. p. 263. *Collectionem ſcilicet Canonum Eccleſ.* (de qua vid. Zieglerus, *prælim. ad Jus Canon.* p. 11. ſeq. a Chriſtophoro Juſtello Pariſiis, 1628. 8v. editam cum *Epiſtola Synodica Cyrilli & Concilii Alexandr. contra Neſtorium*, a Dionyſio latine translata: *Epiſt. S. Proterii* ad Leonem Papam, de celebrando Paſchate, Lat. ab eodem Dionyſio converſam, quæ extat in *Append.* Operis Dionyſii Petavii, *de Doctrina temporum*, cum ejusdem Exigui Epiſtolis duabus Paſchalibus. Eodem interprete latine dicuntur extare, *Vita Pachomii*, Abbatis. *Oratio Procli, de Laude Deiparæ & de fide ad Armenios* & Gregor Nyſſeni *de Opif. hominis Liber*, excuſus Colon. 1537. Alios nonnullos ejus Tractatus portendunt, ſed non denominant, *Journal des Scavans*, T. II. p. 126. & 135. atque Arndius, *Lex. antiqu.* p. 1031. Caveus, Oudinus, Du Pinius ſuper addunt *Hiſtoriam Inventionis Capitis*

pitus S. Joh. a Marcello ſcriptam, ab ipſo verò verſam, quam Tracta- tui ſuo de hac materia hiſtorico annexuit Carolus Du Fresne, p. 205. Conf. Cave, P. I. p. 187. Oudin. p. 115. ſeq. Du Pin T. V. p. 62.

DIONYSIVS P. R.

Ex Presbytero & Epiſcopo anno 259. Pontifex R. ordinatus, anno 269. obiit, *Epiſtolæ* ad Dionyſium Alexandrinum *fragmentum* extat apud Athanaſium, *de decretis Synodi Nicenæ*, p. 421. Reliquas vero Lud. Jac. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 62. memoratas, tanquam ſpurias planè rejicit Cave, P. II. p. 31. Conf. Du Pin. T. I. p. 192.

DITMARVS.

Sigefrido, Saxoniæ Comite, anno 976. prognatus, ex Monacho Magdeburgenſi, Præpoſitus Wallibicenſis atque tandem Martisburgenſis Epiſcopus, circa annum 1017. clarus, quo ipſo *Chronicon*, Libr. VII. adortus fuit, geſta V. Auguſtorum Henr. I. Ottonum III. & Henr. II. ſinceriſſime, juxta Poſſevinum, ediſſeruit. Vid. Voſſium, Geo. Fabricium & Maderum, qui poſt Reinerum Reineccium, iſte enim Francof. anno 1580. fol. edidit, recudi fecit, Helmſt. 1677. 4t. Obiit Ditmarus anno 1018. Conf. cit. Poſſevinus, *in App.* S. T. I. p. 480. & Rein. Reineccius, qui *Vitam* Chronico præmiſit. Oudinus l. c. p. 326. Cave. P. II. p. 197. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 107. ſeq. Brotuffius, *Chronico Martisburg.* & alii.

DODECHINVS.

Abbas S. Dyſibodi, in dioeceſi Trevirenſi, anno circiter 1200. quem Trithemius ad annum 1140. reponit. Is eſt, qui *Chronicon Mariani Scoti*, quod anno 1083. deſiit, appendice usque ad annum 1200. adornata, continuavit. Ipſi quoque *Peregrinationis in Palæſtinam Hiſtoria* tribuitur. Conf. Koenig. *in Bibl.* p. 254. Voſſ. de *Hiſt. Latin.* & alii.

DOMINICVS CARTHVSIANVS.

Hujus hymnum exhibet Thom. Saillius, S. J. *Theſ. Prec. Parthen.* Antw. edit. 1609 p. 460. ſeqq. Incipit is: *Homo Dei Creatura &c.* & conſtat. 42. Strophis. Eundem *libro Sacrarum Litaniarum* Andr. a Soto annexuit, p. 300. anno 1629. Antw. edit. Reliqua ejus Scripta adhuc inedita memorant, Poſſevinus, Petrejus, Dorlandus & alii.

DOMINICVS DE DOMINICIS.

Italus, patria Venetus, Epiſcopus primò Torcellanus, dein Brixienſis & Referendarius Apoſtolicus, anno 1465. clarus, Brixiæ tandem anno 1478. obiit. Scripſit Tract. *de Sangvine Chriſti, & de filiatione Joh. Evangeliſtæ ad B. Virginem*, Venet. 1557. 8. *De Cardinalium legitima creatione*, ad Calixtum III. P. R. & *de Reformatione Curiæ Rom.* Manuſcripta memorat Cave, *Hiſt. Litter.* p. 314.

DOMINICVS DE FLANDRIA.

Ord. Prædicatorum, SS. Litterarum Prof. qui tamen nihil ad SS. literas ſcribendo contulit, comentaria ſaltem *ad Ariſtotelem & Thomæ Aquinatis fallacias expoſuit*, edita, Venet. 1446. fol. Conf. Simlerus poſt alios.

DOMINICVS GRADENSIS.

Patria Venetus, Gradenſis & Aquilegenſis Patriarcha, circa annum 1040. clarus, *Epiſtolam ad Petrum, Patriarcham Antiochenum*, a Coteleriо, *Monument. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 108. editam, ſcripſit. De qua vid. Du Pin T. VIII. *Bibl. Nouv.* p. 81. *Act. Erudit.* Lipſ. ann. 1682. p. 137.

DOMINICVS JACOBATIVS.

Seu de Jacobatiis, patria Romanus, inde ex auditore Rotæ & Epiſcopo Lucerino, creatus a Leone X. anno 1517. Cardinalis, Obiit 1528. Scripſit varios Tractatus, quos poſt *Nomenclatorem Cardinalium*, dabit Labbeus, T. I. p. 265. Nos ſaltem obſervamus, *Librum ejus de Conciliis*, Romæ, prodiiſſe, 1538. fol.

DOMITIANVS ANCYRÆNVS.

Ancyræ, quæ Galatiæ primæ metropolis erat, Epiſcopus, anno 545. clarus, Secta fuit Acephalus & Origenis Patronus primarius. Extat *fragmentum ejus libri ad Vigilium, Papam*, apud Facundum Hermianenſem, L. 1. 2. & L. IV. c. *ult.* p. 62. reliqua verò deſiderantur. Conf. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 110.

DOMNIZO.

Italus Presbyter, anno 1120. claruit. Scripſit Libr. II. Carmine Heroico, *Vitam Mathildis, Comitiſſæ, & de rebus geſtis Ejusdem* libros II. quos Sebaſtianus Tengnagel. Ingolſtadii, cum aliis, anno 1612. edidit Conf. Du Pin T. IX. p. 196. & Jo. Fr. Buddeus, in Lexico, qui ejus vellicationum adverſus Henr. IV. Imperatorem, ex Voſſio atque Miræo, meminit.

DO-

DONATVS BOSSIVS.

Italus Mediolanenſis, floruit 1489. Extat ejus *Chronicon Civile & Chronicon Eccleſiaſticum, de Epiſcopis & Archi Epiſcopis Mediolanenſibus*, Mediolani, 1492. fol. excuſum.

DONATVS BIZANTINVS.

Archi Epiſcopus, *Regulam* ſcripſit ex SS. Aug. Cæſarii, Columbani & Benedicti regulis decerptam, quam edidit Lucas Holſtenius, *in Codice regularum*, P. III. p. 47. ſeqq. *Commonitorii* quoque autor *ſeu Regulæ SS. Pauli & Stephani*, quæ apud eundem Holſtenium, P. II. p. 4. ſeqq. Conf Sanmarth. *in Gall. Chriſt.* T. I. p. 120. Chiffletius, *in Veſontione*. Joh. Mabillon, S. II. *Ord. Ben.* p. 335. & Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 167. Du Pin T. VI. *Bibl. Nouv.* p. 28.

DONATVS.

Mediomatricenſis Eccleſiæ Diaconus, circa annum 790. clarus, rudi & ſimplici Stylo *Vitam S. Trudonis, Confeſſoris*, ſcripſit, quam è Codice Manuſcript. Duchesniano in lucem emiſit Joh. Mabillon. *Sec. Bened.* II. p. 1069. Hæc & alia pauca Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 206. & Cav. P. II. p. 149. exhibent.

PETRVS DORLANDVS.

Gente Germanus, Ordinis Carthuſiani monachus, & Coenobii Zelemenſis prope Dieſt in Brabantia Prior, anno 1495. clarus, anno 1507. obiit. Scripſit *Coronam de Viris illuſtribus Ordinis ſui*, quæ cum notis Theodori Petreji, Colon. 1608. 8 prodiit. *Explicationem myſticam habitus Carthuſienſis. De Vitio Proprietatis monachorum*, Lovanii, 1514. 8. *Vitam & res geſtas B. Annæ* Lib. V. Antw. 1617. *Violam animæ, & de Paſſione Chriſti dialogum*, quod utrumque impreſſum allegat Simlerus. Reliqua ejus inedita quidem Scripta prolixo agmine enumerat Fr. Swertius, *Athen. Belg.* p. 613. ſeqq. Conf. de eo Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 318.

DOROTHEVS.

Archimandrita Palæſtinus. Bellarminus eum ad anno 560. collocat. ut & Marg. de la Bigne, *Ind. Chronol.* quod tamen nulla ratione fieri poſſe ait, Labbeus, T. I. p. 266. Cave vero probabiliter colligit, illum circa Sec. VII. initium vixiſſe. P. I. p. 313. l. c. Oudin p. 179. ad ann. 660. eundem refert. Extant Dorothei *Doctrinæ*

XXIV. de vita pie inſtituenda, interprete Hilarione, Veronenſi, T. I. *Orthodox. Patr.* gr. lat. f. 198. ſeq. Eædem lat. factæ per Chryſoſtomum Calabrum, cum Chryſoſtomi *Homilia, de Educatione puerorum*, prodierunt, Cremonæ, 1595. 8v. Balth. Corderius easdem quoque in latinam Linguam tranſtulit atque notis illuſtravit. Manuſcriptæ aſſervantur in Bibl. Vaticana, Veneta, Monachienſi & regia gallica, & alibi. Vide autores ſupra allegatos.

DOROTHEVS.

Martianopolitanus Epiſcopus, ſecundæ Moeſiæ Metropolita anno 431. clarus, acerrimus Neſtorii propugnator, Sede ſua ejectus eſt. Extant ejus *Epiſtolæ* IV. inter *Epiſtolas Lupi Epheſinas* num. 46 78. 115. 137. Conf. Cave, P. I. p. 233.

DOROTHEVS TYRIVS.

Tyri in Phœnicia, non quidem, ut plerique volunt, Epiſcopus, ſed tantum Presbyter, per ea, quæ affert Labbeus, T. I. p. 266. qui *App.* p. 769 utiliter monet, tres aſſerendos Dorotheos, eodem tempore ſub initio IV. Seculi viventes. *Dorotheum* ſcilicet *Cubicularium*, Diocletiano familiarem, de quo Euſebius & Rivetus, *Crit.* p 304. *Presbyterum alterum*, apud eundem Euſebium. *Tertium* ab utroque diſtinctum & ſub Apoſtata Juliano trucidatum. Ibidemque monet *Synopſin Dorothei Tyrii* in indice Romano Joh. Mariæ Brasſichellani, Abbati cuidam Romano, Dorotheo dicto, quod & Baronio, Voſſioque placet, ſed ætate longe poſteriori, tribui. Extat coeteroquin fabuloſa illa *Synopſis de Vita ac morte Prophetarum & Apoſtolorum*, T. VII. *Bibl. Patr.* edit. 2. f. 135. & ad *calcem Salviani*, Rom. 1564. fol. Itemque cum Sulpitii Severi *Hiſtor. S.* Libr. II. ex editione Joh. Gymnici, Colon. 1573. 12. cum præf. Jac. Fabri, quâ ait, Dorotheum hunc, quem etiam Presbyterum vocat, poſt mortem Diocletiani & Licinii exilio liberatum, paroeciæque ſuæ reſtitutum, Eccleſiam Tyri ad Julianum usque, Tyrannum, rexiſſe: Tandem verò Juliano, occulte licet & per principes ejus in Odiſſea civitate, ad quam iterum pervenerat, poſtquam a ſceleratis multa perpeſſus eſſet, in grandæva Senectute, cum 107. annorum eſſet, neci datum. Verum lubrica & falſa hæc ſunt omnia ut doctiſſimus Cave ex Collatione Manuſcripti a Dodwello accepti, altius & à capite repetiit, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 88.

DRA-

DRACONTIVS.

Presbyter Hiſpanus, non ſane inter ætatis dubiæ Scriptores aut poſt Carolum M. collocandus, uti fecit Voſſius, Lib. *de Poet. lat.* c. 9. ſed, longe antiquior. Ex ejus enim, quam ad Theodoſium Juniorem Imper. ſcripſit *Elegia*, cum aliis ejusdem Carminibus Paris. 1619. 8v. per Jac. Sirmondum vulgata, clare conſtat, eum circa ann 435. floruiſſe Scripſit *Hexaemeron*, ab Eugenio II. Toletano emendatum & auctum. Habetur iſtud T. VIII. *Bibl. Patr. edit. 2. Paris.* f. 969. & peculiariter editum, cum notis J. Weitzii, Barbarum & inconditum dicendi genus in eo taxat, Du Pin T. IV. *Bibl, Nouv.* p. 210.

DROGO.

Primus Abbas S. Joh. Laudunenſis ab anno 1128. ad 1136. inde ab Innocentio II. Romam evocatus, Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis creatus eſt. De eo Hermannus Contractus, & Sanmarthani, T. IV. *Gall. Chriſt.* f. 537. Scripſit *Sermonem de Sacramento Paſſionis Dominicæ*, qui extat T. I. *Orthodox. Lat.* f. 1388 & T. II. *Bibl. Patr. edit. 2. Paris.* fol. 447 Obiit anno 1138. Conf. & Cave T. I. p. 459. & Oudin. p. 401. qui poſterior, Lucam Dacherium, de illo agentem, adducit. Cæterum ejus *de Creatione & redemtione primi hominis librum* Fr Spanhemius allegat, *de autore Epiſtolæ ad Ebræos*, p. 132. Evolv. Du Pin, T. IX. p. 181. l. c.

DROGO MORINENSIS.

Seu Teroanenſis anno 1031. Epiſcopus, quem refert & nonnulla eum ſcripſiſſe ait, Vincent. l. 29. c. 13. vid. Sanmarth. T. II. f. 430. Scripſit *Vitam S. Godolevæ* anno 1070. ſuffocatæ, quæ apud Surium d. Jul. VI. alio quanquam genere expreſſa, habetur. Extat quoque *Vita Osvvaldi* ab ipſo ſcripta, adhuc in membranis, in variis Belgii Bibliothecis. Expiravit Drogo, año 1079. Conf. Cave, P. II. p. 197.

DROGO BELGA.

Monachus Coenobii S. Winoci & Bergenſis Presbyter, circa annum 1038. clarus, *Vitam S. Winoci, deque ejus miraculis* ſcripſit, quæ apud Joh. Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. I. p. 315. extat. Vbi cap. 18. ſe Drogoni, Tarvennenſi Epiſcopo contradiſtingvit. Miramur proinde tot tantosque Viros, Poſſevinum, Wionum, Voſſium, Swertium, Miræum, Oudinum, in eo abberraſſe quod hunc cum

Morinenſi Drogone foediſſime confuderint. Extat *ejus Hiſtoria S. Levvinæ Martyris,* adhuc inedita. Conf. ſi placet, modo citatus Cave, P. II. p. 200. Fuere & alii hoc nomine clari, utpote *Drogo, Metenſis Archi-Epeſcopus,* Caroli M. ex Concubina, non re, ſed nomine Regina, filius naturalis, a fratre, Ludovico Pio, Rege, de Epiſcopatu proviſus, anno 823. Hincmaro, Anaſtaſio Bibl. Sirmondo, itemque Sanmarthanis, T. III. *Gall. Chr.* f. 712. atq: Labbeo memoratus. Nec non *Drogo,* Abbas S. Nicaſii Rhemenſis, litteratiſſimus celebratus & anno 1121. mortuus, notatus Sanmarth. T. IV. f. 685. Plures cognomines hac vice præterfugimus. Commendamus ſaltem Du Pinium, qui de Drogone Belga, T. VIII. p. 109. quædem habet.

CHRISTIANUS DRUTHMARUS.

Monachus & Presbyter Corbejenſis Ord. Bened. Caſſin. natione Aquitanicus. Ad annum 800. Simlerus, ad 840. Trithemius, ad 855. verò rectius eum refert Labb. T. I. *Diſſert. app.* p. 753. Extant ejus *Comment. ſeu Expoſitio in Evangelium Mathæi & Epitome in Lucam atque* Joh. Hagenoæ, à Menrado Mothero, & Joh. Secerio anno 1530. edit. Hic liber ineptum tranſubſtantiationis figmentum reſpuit, adeò, ut Pontificii, eundem ab hæretico, corruptum & interpolatum eſſe, clamitent. Verum, jam ante Lutherum 1514 idem liber Argentorati, cum privilegio Maximiliani Imperatoris Leonis X. inſignibus per Jacobum Wimphelingum prodiit, quam editionem Albertinus e tenebris produxit, quæque teſte Caveo, P. I. l. c. p. 371. in inſtructiſſima Thomæ Teniſonii, Theol. Angli, Bibliotheca aſſervatur. Hujus Brevitatem, perſpicuitatem & perpetuam cum ſenſu literali convenientiam laudat, du Pin, T. VII. p. 177. cumque illam ob cauſam, quod nativo verborum ſignificatui inhæſerit, Grammaticum eſſe dictum teſtatur. Evolv. Tentzel. *in Colloq. Menſtr.* ann. 93. p. 293. ubi ſingulare de eo judicium reperies.

DUCAS.

Byzantinus, ex Imperatoria Ducarum gente prognatus, circa annum 1453. clarus, Conſtantinopoli a Turcis capta, Lesbum appulit, anno circiter 1462. adhuc ſuperſtes. Extat ejus *Hiſtoria Byzantina,* ab anno Chriſti 1341. ad 1462. quæ cum notis & verſione Iſmaelis Bullialdi prodiit, Pariſiis, 1649. f. Conf. Henr. Warton. *app.*

Cav.

Cav. ſeq. Martinus Hanckius, *de Byzantin. rerum Scriptoribus*, cap. XXXIX. p. 640. ſeqq.

DUDO.

Natione gallus, Collegialis Eccleſiæ S. Quintini in Veromandia Canonicus & poſtea Decanus, anno 990. floruit. Compoſuit *Libr. III. de rebus geſtis Normannorum*, quos impreſſos vide apud Andream Du Chesne, *in Collect. Hiſtoricorum Normann.* anno 1619. Paris. fol. evulgata p. 45. Voſſii cæteroquin de Dudone judicium lege apud Caveum, T. II. p. 190. qui ipſum Poetica magis atque hiſtorica fide, ſcripſiſſe, autumavit. De hoc Dudone agunt Miræus, *in Auctar. de Script. Eccleſ.* Oudin p. 315. aliique complures.

DUNGALUS.

Monachus San-Dionyſianus Pariſienſis, ævo Caroli M. ejusque filii Ludovici, ab anno 811. claruit, usque ad annum circiter 830. *Liber Reſponſionum* pro Imaginum Cultu adverſus Claudii, Taurinenſis Epiſcopi, ſententias, ad Ludovicum Pium & filium Lotharium, a Dungalo exaratus, inſertus T. IX. *Bibl. Patr. Colon.* Part. II. f. 875. *Epiſtola* vero ad Carolum M. de Eclipſi Solari, apud Dacherium extat, *in Spicileg.* T. X. Conf. Cav. T. I. p. 366. Du Pin. T. VII. p. 4. & 10.

DUNSTANUS.

Natione Anglus Somerſetenſis, poſt varios fortunæ caſus Archi-Epiſcopatum Cantuarienſem tandem obtinuit. Floruit anno 955. & 988. mortuus eſt. Multa quidem Scripta Baleus ipſi tribuit, quorum tamen vel unicum prelo commiſſum, *Concordiam Regularum cap. XII.* novimus, quod *Diſceptationi ſuæ hiſtoricæ, de antiquitate Ord. Ben. in Anglia*, P. III. p. 77. affixit Clemens Reinerus, Duaci, 1626. fol. impreſſæ. Conf. ſi lubet, Pitſeum, *de Scriptor. Angl.* qui opera ejus ordine recenſet, p. 179. & Caveum P. I. p. 409. Du Pin. T. VIII. p. 60. ſeqq.

DURANDUS.

Monachus primum Fiſcamnenſis in Normannia, deinde Abbas Eccleſiæ Troarnenſis conſtitutus, Sec. XI. circa annum 1070. clarus, egregium Scientiæ ſuæ monumentum reliquit, *Tractatum de Corpore & Sangvine Domini adverſus Berengarium*, quem primus in lucem emiſit Lucas Dacherius, *in append. ad Lanfranci opera*, Paris. 1647.

1647. fol. Hunc autem Troarnenſem Abbatem genuinum autorem facit Oudin. p. 336. ſeq. Poſſevinum redarguens, Durandum a S. Porciano, cum Leodienſi & hos cum noſtro confundentem. Vid. Lucas Dacherius, qui dicto loco prolixe de hac materia diſſerit, Laudat inſuper noſtrum Durandum, Du Pin T. VIII. p. 18.

DVRANDVS a S. PORCIANO.

In Arvernorum Boiis proximo oppido, quod a S. Portiano dicitur, natus, Dominicanus Doctor, Jo Gerſonis elogio, reſolutiſſimus, ad Anicienſem prius, dein ad Meldenſem Cathedram aſſumtus, anno 1333. obdormivit. Scripſit ſuper IV. *Libros ſententiarum Commentaria* ſæpius edita & præcipue Venet. 1571. f. quibus Durandellus aliquis, quem Alfonſus Fernandez Durandi conſobrinum facit, volumen oppoſuit, *Correctorium Corruptorii D. Thomæ* inſcriptum, quod tamen alii aliis vendicant, prout annotat Labbeus, *app.* p. 770. Extat quoque ejus Liber, *de Origine Jurisdictionis Eccleſiaſticæ & Tractatus, de Legibus,* Paris 1506. Illa verò, quæ in membranis adhuc latitant, memorat Altamura, *Bibl. Ord. Præd.* p. 109. Cave inſuper, ne hunc Durandum cum aliis cognominibus confundas, & vid. quid Oudinus, *Supplem.* p. 620. de Durando Campano, ejusdemque Libris ſolide diſcutiat. Conf Henr. Warton, *in App. Cav.* p. 14. Labbeus, T. I. p. 269,

GVILIELMVS DVRANDVS.

Seu *Durantes,* natione Vaſco, ſeu Provincialis potius e Podio Miſſonis, juxta Labbeum p. 404. ex nuntio Pontificis in Vmbria & Decano Carnotenſi anno 1286. Epiſcopus Mimatenſis ſeu Gabalitanus in Aquitania prima. Cæterum, alii ex eo S. Aug. Eremitam, alii Dominicanum faciunt, quod utrumque vellicat Dominicus Antonius Gandolfus, *in diſſert. Hiſt. de ducentis celeberr. Aug. Scriptor.* Rom. 1704. Vivis exceſſit 1296. Romæque ſepultus, teſte Fr. Ughello, *Ital* S. T. 2. Ejus *Vitam* ſcripſit Simon Majolus, Epiſcopus Vulturarienſis, quæ cum Durandi *Commentario in Canones Concilii Lugdun.* prodiit, Fani, 1569. Ipſe verò confecit *Speculum Juris,* unde *Speculatoris* ei nomen, quod Baſil. 1574. Francof. 1592. *Repertorium Juris,* quod una cum prædicto, Lugduni, 1516. 1551. Francof. 1592. & Venetiis 1496. prodiit. *Libr. VII. Rationem divinorum officiorum,* de cujus in germ. lingv. translatione, vid. Tentzel. l. c. ad anno 90. p.

585

585. & *Breviarium gloſſarum Juris Canonici*, aliaque plura, quæ ſæpiſſime impreſſa ſunt & habentur apud Caveum, P. I. p. 517. qui idem Cave, P. II. p. 273. & cum eo Henr. Wart. *in app.* P. I. p. 10. hunc ab alio Durando, Epiſcopo Mimatenſi, diſtinguit, & Poſſevinum ſectatus, noſtri Durandi Nepotem atque in officio Succeſſorem facit, qui Concilio Viennenſi anno 1311. interfuerit, atque Tract. *de reformatione Eccleſiæ* ibidem conſcripſerit. Hic prodiit, Pariſiis, 1545. Lugd. 1635. 4t. & Pariſiis, cum aliis Clemangis & Petri de Alliaco, Tractatibus, 1671. 8v. Graviter errant Bzovius, aliique, qui Guil. Durandum, cum Durando de S. Portiano, confundunt, vid. Sanmarth. T. III. *Gall. Chriſt.* f. 7.31. atque illi qui hos noſtros non recte diſtingvunt. Conf. Oudinum, p. 580. ſeqq.

DYNAMIVS.

Patricius, Galliarum Rector patrimonii S.R.E. in Gallia, circa annum 593. clarus, ſcripſit *vitam S. Maximi Regienſis, quæ* apud Surium, d. 27. *Nov.* & *Vitam S. Martii, Abbatis Bobacenſis*, ſed a Monacho quodam abbreviata, apud Mabillon. *Sec. Bened. I.* p. 105. extant. Conf. Cave P. I. p. 305. Oudin, p. 141. Du Pin T. V. *Bibl. Nouv.* p. 147. ubi alius Dynamii meminit, qui ſub Childeberto II. vixit.

E

EADMERVS.

Edmerus, *Edinerus*, *Edmundus*, aliàs quoque ab aliis paſſim dictus, Anglus, Ordinis Benedictini Monachus, in Monaſterio Cantuarienſi, diſcipulus & ſocius Anſelmi Cantuarienſis, anno 1121. clarus, S. Andreæ tandem in Scotia Epiſcopus creatus eſt. Errant proinde Baleus, Pitſeus, aliique, qui ipſum Monaſterii S. Albani Abbatem fuiſſe, crediderunt, cum, teſte Caveo, hic poſterior anno 980. demum e vita migraverit. Noſter verò, epiſcopalis dignitatis ob varias moleſtias pertæſus, eàdem ſemet abdicavit atque in eum, in quo antea Cantuariæ vivebat, ſtatum, reverſus eſt. Scri-

pta, quibus nomen ſuum poſteritati reliquit, ſub Anſelmi nomine publicata atque ejus Operibus annexa ſunt. Genuino hæc tandem autori reſtituta, poſt Anſelmi Opera in lucem emiſit Gabriel Gerberon, Paris. 1675. fol. & ſunt, *Hiſtoria rerum ſui temporis*, ab anno 1066. ad ann. 1121. cujus præſtantiam, tum à Sermonis nitore, tum à Styli puritate commendat Seldenus, qui primus eandem Londini 1623. fol. vulgavit. Libr. II. *de Vita Anſelmi*; *De Excellentia B. Mariæ Virginis*; *De IV. Mariæ Virtutibus*: *De Beatitudine coeleſtis Patriæ*: *De Similitudinibus Anſelmi*. *Vita* verò *S. Wilfridi, Eboracenſis Epiſcopi*, extat apud Mabillon, *Sec. III. Bened.* T. I. p. 196. Alia Eadmeri Scripta hactenus inedita, exhibuit Henr. Wharton, *Angl. S. T. II.* p. 179. *Additamenta* ſcilicet *ad Vitam S. Anſelmi*: *Vitam Bregvvini, Archi-Epiſcopi Cantuarienſis*: *Vitam S. Osvvaldi, Archi-Epiſcopi Eboracenſis*: *S. Dunſtani Cantuarienſis, Osberno anteà adſcriptam*: *Epiſtolam ad Monachos Glaſtonienſes, de reliquiis Dunſtani*: ad *Monachos Wigornienſes, de electione Epiſcopi*. Reliqua, quæ in Manuſcriptis adhuc latent, commemorant Cave, *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 458. & Pitſeus l. c. p. 199. Conf. Poſſevinus, *in Appar. S.* Trithemius, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 48. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 104.

EARNVLPHVS.

Gallus, ex Monacho Bellovacenſi, Cantuarienſis, ejusdemque Cœnobii Prior, ab Anſelmo conſtitutus, poſtea Abbas Petriburgenſis & Epiſcopus denique Roffenſis factus eſt. Claruit anno 1114. & anno 1124. e vivis exceſſit, ætatis 84. Extat ejus *Epiſtola de inceſtis Conjugiis* atque *alia reſponſoria, ad Abbatis Bertiniani quæſtiones, comprimis de Corpore & Sangvine J. C.* apud Dacherium, *Spicileg. T. II.* p. 420. & 431. Libr. *de rebus Eccleſiæ Roffenſis*, ex quo multa exhibuit Henr. Wharton, *Angl.* S. T. I. p. 327. Cæterum magni habetur Earnulphus Guilielmo Malmesburienſi & Baleo, eò, quod in execrandos Clericorum abuſus acerrimè invectus eſt. Idem Baleus in eò forſitan errat, quod plura noſtro adſcribat opuſcula, quæ potius Arnulpho Lexovienſi, cum Caveo, in *Hiſt. Litter.* P. II. p. 221. tribuimus.

EBBO.

Vel *Ebo*, Germanus, Ludovici, Imperatoris, condiſcipulus, Regium fiſcum adminiſtravit. Clericus deinde ex Laico factus,

Lu-

Ludovici Sacellanus & Bibliothecarius, poſtea Abbas San-Remigianus atque Epiſcopus demum Remenſis evaſit. Vitam ejus haud leviter recenſuit Flodoardus, *Hiſt. Rem.* l. 2, c. 19. 20. ubi inter alia memorat, quod Danis, cum Halitgario Cameracenſi, verbum Domini prædicaverit, multaque illorum millia Sacro fonte immerſerit. Taxatur in Ebbone, quod a Ludovico Imperatore ad Lotharium, ejus filium, deficiens, læſæ Majeſtatis crimen commiſerit, ob quod ſede plus una vice depoſitus. Expiravit nihilo tamen minus placide, anno 851. in Cœnobio Hildesheimenſi, cui anno 844. præficiebatur. Vnicus Liber ab ipſo exaratus, isque *Apologeticus,* in Concilio Ingelheimenſi exhibitus, habetur, *Concil.* T. VII. p. 1763. Conf. ſi placet, Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 364.

EBERHARDVS ALTAHENSIS

Seu de inferiori Altach, Germanus, Eccleſiæ Ratisponenſis Archidiaconus, circa annum 1305. claruit. *Annales de Ducibus Auſtriæ, Bavariæ, & Sveviæ* ſcripſit, ab Imperatore, Rudolpho Habspurgico, ſeu ab anno 1273. usque ad 1305. quos ex Manuſcripto Auguſtano primus edidit Henr. Caniſius, T. I. *antiq Lect.* p. 305. & ante Voſſium obſervavit, Eberhardum ex Henrico Sterone multa transſcripſiſſe. De eo Geſnerus, *Bibl.* Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c, 62.

EBERHARDVS.

Seu Everardus, Bethunienſis in Arteſia, *Græciſta* vulgo appellatus, eò quod librum *Græcismi* titulo, compoſuit, *de figuris, deque VIII. partibus Orationis,* de quo hi verſus extant;

Anno milleno, centeno bis Duodeno
Condidit Ebrardus Græcismum Bethunienſis.

Hic liber, quanquam olim magno in pretio fuerit, parum tamen hodie utilitatis afferre creditur. Extat autem ille cum Alexandri de Villa Dei *Doctrinali puerorum*, 4t. Manuſcriptum ejus ſatis elegans aſſervatur inter alia, Lovanii, in Bibl. Martini. Ille autem *Liber*, ob quem eccleſiaſticis Scriptoribus accenſendus eſt, isque *adverſus Waldenſes* ſcriptus, prodiit cura Gretzeri, S. J. anno 1614. 4t, Ingolſtadii. & habetur, T. XXIV. *Bibl. Patr. max.* f. 1225. *Proverbia Senecæ in Poeſin* ab ipſo verſa teſtatur Manuſcriptum Bibl. Collegii

gii Caji Cantabrig. cod. 147 uti fidem facit, Oudinus, *in Supplem de Script. Eccleſ.* p. 490. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 178.

ECBERTVS.

Germanus, Abbas Schoenaugienſis, priùs verò Ord. Bened. Monachus & Presbyter Bonnenſis, juxta Trithemium, anno 1160. clarus, ſcripſit *Sermones XIII. contra Catharos ſeu Waldenſes*, item *Excerptum ex S. Auguſtino, de Manichæis*, quæ ex antiqua edit. Colon. extant, *Bibl. Patr. Colon. 2. edit.* T. XII. P. I. f. 897. *Vitam Eliſabethæ, Sororis, quæ opuſculis Eliſabethæ*, Colon. 1628. impreſſis, præfixa eſt. *Epiſtolas*, quarum excerpta vide in *Catalogo teſtium Veritatis*, p. 393. Lydius, *ad Clemang.* f. 25. a. *Epiſtolam* ab Ecberto ad Epiſcopum Colonienſem, anno 1160. ſcriptam, allegat. Alia, quorum Simlerus meminit, extant apud eundem, p. 177.

JOH. ECCIVS.

Sive *Eckius*, in Svevia, anno 1486. natus, Theologiæ Pontificiæ Profeſſor & Pro-Cancellarius Ingolſtatenſis, itidemque Inquiſitor, & Canonicus Eiſtatenſis, prout eum honoravit Andreas Carolſtadius, *Epiſtola reſponſoria*, anno 1518. ad eum miſſa, qvam cum Eccii Amoebea præmiſſa, ex autographo, cum aliis ejusmodi, dedimus, *Scrin. Antiqv.* p. 32. Primarius cæteroquin & peſſimus B. Lutheri antagoniſta fuit, de cujus ingenio judicandi anſam reperies, ſi evolveris, quæ ad memorabilem illam Eccii Epiſtolam notavimus, *Scrin.* p. 190. Colloquium ejus cum Luthero in arce Lipſienſi habitum, egregiè deſcribit, prolixa atque pulcerrima Petri Moſellani, Prof. Lipſ. *epiſtola*, ad Julium Pflugium, anno 1519. perſcripta, edita verò Jenæ, 1618. & calumniis Petri Roeſtii oppoſita, operâ Balthaſ. Gualtheri, Prof. Jen. Comitiis quoque Auguſtanis, anno 1530. atque Colloquio Wormatienſi, anno 1540. & aliis, interfuit. Obiit, poſtquam magnam nominis celebritatem apud ſuos, conſequutus eſſet, Ingolſtadii, 1543. Epitaphium, quod Philippus Melanchton ipſi poſuit, cum aliis epigrammatibus Philippi Melanchtonis, Mœno Francof. 1583. ſimul exhibuit Petrus Hagelundus, p. 72. ita ſonans:

Multa vorans & multa bibens, mala plurima dicens,
Eccius, hâc poſuit putre cadaver humo.

Scripta Eccius reliquit quam plurima, utpote, *Commentarium ſuper*

Hug-

Haggæum, Colon. 1538. *de Sacrificio Miſſæ, contra Lutheranos*, Lib. II anno 1526. impreſſi. *Enchiridion locorum communium adverſus Lutherum*, Ingolſtadii 1535. *De Prædeſtinatione, Centurias VI.* Aug. Vindel. 1514. *Poſtillas de tempore & de SS.* T. III. german. 1530. Ingolſtadii. *de Cardinalibus & Legatis, de immunitate Eccleſiæ, de Annatis, de præſentia reali corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia*, & alios, partim Theologicos, partim Philoſophicos Tractatus, Simlero, Bellarmino & aliis memoratos. Adde *verſionem SS. germanicam*, Ingolſtadii, 1537. fol. vulgatam, cujus tamen N. T. translatio ad Emſerum magis ſpectare videtur. Conf. de Eccio poſt Bellarminum, Simlerum, Aub. Miræum, Seckendorff, *in hiſt. Luther.* L. I. Sect. 13. & alibi. Arnoldus, in *Hæreſ.* L. 16. §. 2. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. XIV. p. aliique complures.

ECKERHARDVS.

Quintus & minimus S. Galli Monaſterii Decanus, *Vitam Notkeri Balbuli*, de quo infra, conſcripſit, quam edidit Henr. Caniſius, T. VI. *antiq. Lect.* p. 933. & Goldaſtus, T. I. *Rerum Alamannicarum*, p. 227. Ad Friderici II. tempora, collocandum eum eſſe conjicit Voſſius, *Hiſt. Lat.* L. II. c. 57.

STEPHANVS EDDIVS.

Anglus, Cantuarienſis Monachus, anno 720. claruit. *Vitam S. Wilfridi*, Eboracenſis Epiſcopi, conſignavit, quam primus ex Bibl. Cottonianæ codice edidit Mabillon, *Sec. IV. Ord. Bened.* P. I. p. 671. Pleniorem ex acceſſione quorundam capitum, quæ in Codice Sariſburienſi conſpiciebantur, nobis exhibuit idem Mabillon, P. II. p. 550. Pleniſſime autem eandem vulgavit Tho. Galeus, *Hiſt. Angl. Script.* T. I. Oxon. 1691. p. 40. qui Codicem Sariſburienſem cum Cottoniano contulit. Vid. Cave, P. II. p. 146.

EDMVNDVS RICH, vid. RICH.

EDMVNDVS DE HADENHAM.

Anglus, Roffenſis Monachus, anno 1307. clarus, *Annales* ab Orbe Condito ad annum Chriſti 1307. ſcripſit, quos autor anonymus ad annum 1377. continuavit. Hi Edmundi *Annales* cum *Mathæi Weſtmonaſterienſis Hiſtoria* plane conveniunt, atque alter alterum transſcripſiſſe, Caveo P. II. p. 272. non immerito videtur. *Additamenta Roffenſia*

ſenſia primus ex Codice Cottoniano in lucem protraxit Whartonus, *Angl. S. T. I.* p. 341.

EDVARDVS.

Cantuarienſis Anglus, ibidemque Ord. Bened. Monachus, S. Thomæ, Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, percarus, qui anno 1171. floruit, Libr. I. *de Vita & morte S. Thomæ* ſcripſit, quem in compendium redactum ſiſtit Surius, d. XXIX. Decembr. qui Eduardum anno 1174. obiiſſe, inſimul teſtatur. Loquuntur de eo Pitſeus, p. 230. Cave, P. II. p. 219.

EGBERTVS.

Gente Anglus, Egberti, Nordamhumbrorum Regis, frater germanus & Alcuini Præceptor, ex Ord. Bened. Monacho Archi-Epiſcopus demùm Eboracenſis, non verò Cantuarienſis, ut perperàm arbitratur Oudinus, factus eſt. Claruit anno 766. juxta Pitſeum, juxta Caveum, 730. & Oudinum, 747. Obiit verò anno 767. Vir ſumma laude & eruditione conſpicuus fuit, magnamque Eboraci Bibliothecam comparavit. Scripſit *Dialogum, de eccleſiaſtica inſtitutione*, quem primus e Bibl. Cottoniana protraxit atque cum *Bedæ Operibus* quibusdam emiſit Waræus, Dublin. 1664. 8v. poſtea verò translatus eſt in *Concil.* T. VI. p. 1604. *Excerpta 144. ex Canonibus Patrum*, quæ extant ab Henr. Spelmanno vulgata, *Concil. Britann. T. I.* Londin. 1639. & deinde *Concil. T. VI.* p. 1586. *Poenitentiale* IV. Libris comprehenſum, quod quidem in multis Angliæ Bibliothecis viſitur, nunquam tamen plenariè in lucem prodiit. Spelmannus *XXXV.* *Canones* ex Libro II. decerpſit atque *Concil.* T. VI. p. 1601. inſeruit. Plura extulit Morinus, *in appendice ad Libr. de Poenitentia* p. 11. *de Remediis Peccatorum* Canones, quos vid. *Concil. T. VI.* p. 1612. Et quanquam ambiguum aliis videatur, an Canones Bedæ ſint, an verò Egberti, nihilo tamen minus in editione Antonii Auguſtini *Poenitentiali Romano* ſubjuncta, Egberti nomen præ ſe ferre. Leg. citatus Pitſeus, p. 153. ſeq. ubi plura ejus Scripta, quanquam inedita, memorantur. Guil. Cave, P. I. p. 342. Oudin, p. 195. l. c. Richardus Smith, *Floribus Hiſt. Eccleſ. Angl.* p. 153. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 100.

EGINHARDVS.

Sive *Einardus*, ex orientali Francia oriundus, Secretarius Caroli

roli M. Imper. poſt Monachus Benedictinus, Abbatiæ quoque S. Wandregiſili Fontanallenſi, in dioeceſi Rotomagenſi, anno. 817. præfectus, inde in coenobium Mülenheim, quod poſtea Seligenſtadienſe dictum, ſeceſſit, ibidemque fato, anno 843. vel ſequente, functus & cum Rabani epitaphio ſepultus eſt. Generum Caroli cum veteres, tum recentiores, credidere, decepti frivola relatione *Chronici Laurishamenſis*, ut ad Cap. XIX. oſtendit Fridericus Beſſelius. Scripſit *Vitam Caroli M.* eleganti atque florido ſcribendi genere, quæ ſeorſim, Lipſ. 1616. 4. Argent. 1644. 4. & inter *Scriptores German. Reuberi*, Francof. 1584. fol. p. 1. *Francicos Quercetani*, T. II. & cum notis doctiſſimis Frider. Beſſelii, Helmſtadii 1667. 4. *De Translatione & Miraculis SS. Petri & Marcellini, Lib. IV.* quorum tres ſoluta, unicus, ligata oratione, exarati, apud Surium d. 11. Junii, extant. *Annales Pipini, Caroli M. & Ludovici pii*, quos Eginhardo Petrus de Marca, Andreas du Chesne, & Petrus Lambecius vendicant, prodierunt cum *Vita Caroli M.* 1521. 4t. Coloniæ. cura Reuberi, Francofurti, 1584. fol. cum aliis, p. 15. opera Pithoei, Francof. 1594. 8v. Du Cheſnii, *inter Franc. Script.* T. II. *Epiſtolæ* LXII. quas du Chesne edidit, in *app. ad T. II. Epiſtola ad Lupum, Abbatem Ferrarienſem. Libellus de adoranda Cruce*, qui interiit. *Chronicon Laurishamenſe*, quod Duchesnius Eginhardo falſò adſcripſit, uti probat Carolus Cointius, *ad ann.* 774. n. 127. ad *ann.* 792. n. 3. *Breviarium Chronologicum*, quod Lambecius *Comment.* Lib. II. c. 5. p. 395. edidit, ſed probabiliter ſaltem Eginhardo vendicat. Plura circa elegantiſſimi hujus Scriptoris *vitam* Sigebertus, Adamus Bremenſis, Duchesnius, Sanmarthani, T. IV. f. 909. Labbeus, T. I. p. 272 Frider. Beſſelius, *in Eginharto illuſtrato*, p. 5. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 194. Sagittarius, *introd. ad Hiſtor. Eccleſ.* c. 24. §. 28 p. 616. Jo. Fr. Buddeus & Bayle, *in Lexicis.* Cave, P. I. p. 364. aliique ſuppeditabunt.

ELEVTHERIVS.

Tornacenſium Epiſcopus, Sec. XV. claruit, cujus *Sermones & vita* ex Codice Manuſcripto, ab Andrea Schotto primùm edit. T. XV. *Bibl. Patr. edit. 2.* Colon. f. 167.

ELIAS DE COXIDA.

Flandriæ oppido oriundus, Monachus Ciſtercienſis & Dunenſis Monaſterii Abbas, anno 1190. clarus, anno 1203. obiit. Scripſit

pſit *Conciones II.* in illud: *Rectorem te conſtituerunt, noli extolli,* & in illud Joh. XIV. *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit,* quos vide apud Carolum de Viſch, *Bibl. Ciſterc.* p. 90. Conf. Cav. P. I. p. 479. Du Pin, *loco citato,* T. IX. p. 189. Henriqvez, *in elog. Ciſterc.* Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* & alii.

ELIAS CRETENSIS.

Metropolita anno 787. claruit, quo Synodo Nicen. II. interfuit. Scripſit *Commentaria* in Gregorii Naz. Orationes, quæ lat. extant ex Jac. Billii Verſione, ad calcem Operum Nazianzeni Paris. edit. *Reſponſa ad Dionyſii Monachi Interrogata VIII.* circa difficiles Conſcientiæ caſus, quæ græc. lat. *in Jure Gr. Rom.* l. 5. p. 335. habentur. Ingens *expoſitio in Joh. Climaci Scalam Paradiſi,* quæ in Vindobon. Bibl. manuſcripta adhuc adſervatur, ut Lambecius, *Comment.* L. 4. p. 194. & cum eo Cave, P. I. p. 351. teſtantur. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 127.

ELIAS,

Syrus, Niſibenſis in Meſopotamia Epiſcopus, Secta Neſtorianus, anno 1026. clarus, plura tam Arabice, quam Syriace ſcripſiſſe dicitur Abrahamo Ecchellenſi. Ex his *VII. Seſſiones ſeu diſputationes,* quibus varia Religionis capita erudite inquiſivit, & de iis cum Alvaziro Abulcaſemo, Arabum Principe, diſputavit. Meminit trium hujus opuſculi exemplarium Manuſcriptor. Guilielmus Cave, quæ in Vaticana, Barberina & Ecchellenſi Bibl. aſſervantur. Ecchellenſis quoq; ex Seſſione IV. quædam ſiſtit. *præf. ad Part. II. Eutychii Vindicati,* p. 21. Ex *Seſſione* II. Naironus Euopl. P. I. p. 6. Cæterum Eliæ hujus *Grammaticam* Ecchellenſis memorat, atq; ex ea quædam exhibet, *not. ad Catal. Hebedjeſu,* p. 58. Nec alium noſtrum fuiſſe putat Caveus, P. II. p. 198. ac illum, quem Hebedjeſu, *Eliam antiquum* appellat, cap. 191. cui *Deciſiones Judiciorum & Quæſtiones eccleſiaſticas, Inſtitutionesq; grammaticas,* tribuit.

ELIAS ECDICVS.

Seu defenſor Ecleſiæ, cujus inter alia munus erat, pauperum curam gerere, ne a potentioribus opprimerentur. In magna enim Eccleſia ex Decreto Heraclii, X. ex Presbyteris tales conſtituti ſunt. In Latina quoque Eccleſia hic mos ferè prævaluit, ut doctiſſimus Cave, ex Altaſerra, *Aſcet. L. II.* c. 17. p. 126. dilucide probat. Scripſit autem Elias noſter *Capita* CCXLIV. *aſcetica,* quorum CXXIII. Lat. prodierunt, cura Jac. Pontani & Operi Symeonis, junioris Theologi,

logi, adjuncta ſunt, poſtmodum autem *Bibl. Patr. T. XXII.* inſerta. Singula viſuntur, in Bibl. Cæſarea, *Cod.* Theol. CXCII. n. 3. f. 12. *Cod.* CCLXXIV. n. 1. fol. 1. Conf. Cave, *diſſ. I.* p. 7. P. II. annexa, ubi de alio inſimul *Elia*, dicitur.

ELIAS III.

Cognomento *Ibn-Haditbio*, Syrus, Patriarcha Antiochenus, anno 1180. clarus, *Homilias Feſtivales* arabicè ſcripſit, quæ in Bibl. Lugduno-Batava aſſervantur. Primus horum Sermonum, Feſti Nativitatis explicationem continens, partim arabicè, latine partim prodiit, usque dum Golius eundem arab. & lat. *Grammaticæ Erpenianæ* Lugd. Bat. 1656. p. 249. adjunxit. Hic de ſtylo judicat quod minus accuratus ſit, uti ex Hottingero quoque *Bibl. Orientali*, c. 2. *Claſſ.* I. p. 62. deducit Cave, P. II. p. 219.

ELIAS.

Presbyter Sec. XII. clarus, *Sententiarum florilegium* exaravit, quod extat, T. XXII. *Bibl. max.* f. 756.

ELIGIVS.

Lemovicenſis, artem aurifabrinam in Patria aliquamdiu exercuit. Vnde in ejus tutelæ cenſentur fabri ferrarii, juxta Dempſterum, *Hiſt. Eccleſ. Scot.* p. 246. De ejus Pictura, ut aurifabri, cum malleo, Molanus, *Imag. SS.* L. 3. c. 52. Ex Lotharii, Dagobertique I. amico, anno 646. Noviomenſis & poſtea Tornacenſis, uti addit Valer. Andr. Deſſelius, *Bibl. Belg.* p. 201. Epiſcopus, ob Sanctimoniam factus, annoque 666. Sigeberto defunctus traditur. Conf. *Vitam* ejus, quam ſcripſit Audoenus Dado & Sanmarthani, T. III. f. 811. Scripſit Eligius Tract. *de rectitudine Catholicæ converſationis*, Auguſtino vulgò tributum, inter cujus opera, T. IX. p. 1143. conſpicitur. Recte autem iſtum Eligio vendicarunt Oudinus & Caveus, cum aliis, eò quod ipſe Audoenus hujus Tractatus meminit. *Epiſtolam ad Deſiderium Cadurcenſem*, quam vide apud Caniſium, T. V. *Homilias XVI.* varii argumenti, quæ extant, *Bibl. Patr.* T. XII. p. 300. Has autem Eligii nomen ſplendide mentiri, jam dudum faſſi ſunt eruditi & ex iis præcipue Albertinus, L. III. *de Euchar.* p. 906. demonſtravit, qui quasdam eidem abjudicat, atque ad Seculi IX Scriptores refert. Imò ipſe Oudinus, quem modo allegavimus, ex ſcribendi formulis colligit, autorem *Homil. XI.* Ordinis Bened. ad-

ſcriptum fuiſſe. Conf. eundem, p. 172. ſeq. Huic adjunge Labb. T. I. p. 275. Caveum, P. I. p. 320. Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 29. Godeau, *elog. des evêqv.* n. 77. Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. II. Bellarminum, *de Scriptor. Eccleſ.* & alios plures.

ELISABETHA.

Natione germana, Virgo & abbatiſſa Schoenaugienſis Ord. Bened. in Dioeceſi Trevirenſi, (tria quippe Monaſteria Schoenaugiæ nomine clara, ex Auberto Miræo refert Oudinus, l. c. p. 434.) circa annum 1154. revelationibus inſignis, ætatis 36. anno 1165. defuncta eſt. Scripſit *Libr. III. Viſionum & revelationum*, item, Lib. I. *Epiſtolarum*, qui Coloniæ, 1628. prodierunt. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 186.

EMANVEL II. PALÆOLOGVS.

Joh. V. Palæologi, Imperatoris, filius, quem, rara erga illum pietate, è carcere liberavit, atque Imperium exinde meruit. Claruit anno, 1384. obiit 1425. Scripſit *Præcepta educationis Regiæ ad Joh. filium. Orationes VII. de Virtutibus ac Vitiis*, item *de Literarum ſtudio ad eundem*: *Orat. ad benevolos ſubditos propitii Principis*: *Preces ad Deum matutinas*; *Capita Confeſſionis ad Deum*, metricè: *Imaginem Veris in Aulæo textili Operis Phrygii*: *Orat. fictam Tamerlanis ad Bajazetem a ſe captum*; *Pſalmum Euchariſticum ad Deum, pro captivitate Bajazetis*. Quæ opuſcula omnia, cura Joh. Leunclavii, gr. lat. Baſil. prodierunt 1578. 8v. *Orationem funebrem* in fratrem, Theodorum Palæologum Deſpotam quæ gr. lat. extat apud Combefiſium, cum notis, *in Auct. Nov.* Pariſiis, 1648. T. II. p. 1045. Manuſcripta prolixe recenſet Cave, in *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 287. quem conſule.

HIERONYMVS EMSERVS.

Gente Svevus, Georgii, Ducis Saxoniæ, ab initio Secretarius, dein S. Canonum Licentiatus & famoſus Papiſtarum circa Lutheri tempora Scriptor, quem paſſim aggredi non dubitavit. Hinc *aſſertionem Miſſæ*, Colon. 1532. evulgari fecit: *Librum de cauſis prohibitæ laicis N. T. verſionis Lutheri*, Lipſiæ, 1523. 4t. germ. *Sermonem* in die Hieronymi habitum, ibidem &c. item *N. T. verſionem*, juſſu memorati Sax. Duc. Dreſdæ 1527. quâ tamen ineptiſſimus Scripturæ interpres comparuit. Adde, quæ alibi circa eum notavimus, *ad Scrinium antiqv.* p. 196. & de repentina, quam Dresdæ ſubiit, horrendaque

que ejusmorte Seckendorff, *in Luther. contra Maimburg.* L. I. Sect. 8. 62. &c. L. II. Sect. 34. Conf. Kortholt, *de variis SS. editionibus*, p. 330. Richard Simon, *hiſt. critiqv. des verſions du Nouveau Teſtam.* c. 43. Arnold. *Hæreſeol.* P. II. l. 16. c. 8. §. 2. Aub. Miræus, *de Scriptor. Seculi XVI.* Jo. Fr. Buddeus, *in Lexico.*

ENGELBERTVS.

Germanus, ex Ord. Bened. Monacho, Abbas Admontenſis, ſub Rudolpho Habſpurgico clarus, Philoſophus ac Theologiæ Doctor eximius, circa anno 1297. ingenioſum *de ortu & fine R. J. librum* confecit, quem Caſp. Bruſchius, Baſil. 1553. 8v. edidit, & cum aliquot aliis ejusdem fere argumenti priſcis autoribus, Offenbachii publicavit Joach. Cluten, Megapol. ejusdemque ſimul vitam & lucubrationes alias, in clauſtris tamen monaſticis adhuc deliteſcentes, enarravit. Eundem Engelberti librum ab Andr. Schotto recognitum, ſiſtit T. XV. *Bibl. Patr. Colon. edit.* 2. f. 688. *Carmen heroicum in coronationem Rudolphi Habſpurgenſis*, anno, 1273. ſcriptum, quod habes *in Collectionibus Hiſtoricorum Germaniæ*, à diverſis editis. Conf. ſi placet Poſſevinum, *in app. S.* cave tamen, ne cum eo Engelbertum ad annum 1320. rejicias. Caſim. Oudinum l. c. p. 552. Guil. Caveum, P. I. p. 523.

ENGELHARDVS.

Abbas in Lanckaim, monaſterio ab Ottone Bambergenſi fundato, uti conjicit Henr. Caniſius, *qui vitam S. Mechtildis*, Virginis Principis Berchtoldi, Comitis de Andechs, filiæ, Frider. I. Barbaroſſæ Imper. cognatæ, in Dieſſen & Oetilſteten Abbatiſſæ, ab Engelhardo conſcriptam, T. V. *antiqv. Lect.* P. II. p. 1. exhibet, quam antea Philippus Dobereiner ex latino germanica paraphraſi traduxit, atque luce publica donavit. Conf. Anton. Poſſev. *in appar. S.* verbo: *Engelhardus*, p. 504. & *Mechtildis*, p. 100.

ENGELMODVS.

Sueſſionenſis Epiſcopus, qui vixit ætate Paſchaſii Radberti, Sec. IX. Scripſit in ejus Laudem *Poema*, præfixum Paſchaſii operibus, T. XIV. *Bibl. Maxima*, f. 353. Vide de eo, *Gall. Chriſt.* T. II. in Epiſcopis Sueſſionenſibus.

MAGNVS FELIX ENNODIVS.

Italus, ſtirpe gallus domo Ligur, illuſtri gente anno 473. ſatus, ab Epiphanio, Ticinenſi Epiſcopo, in ordinem ſacrum receptus, Diaconi munus nactus eſt. In Poeſi atque Oratoria omnes facile antecelluit. Epiſcopus, Epiphanio mortuo, Ticinenſis creatus, anno nimirum 511. atque poſt varios fortunæ caſus, quos ipſi Anaſtaſius Imper. creaverat, anno 521. defunctus eſt. Opera, quæ Ennodius compoſuit, ex recenſione Andr. Schotti, Tornaci 1610. 8v. cum notis Sirmondi, Paris. 1611. 8v. in *Bibl Patr.* T. IX. p. 312. & pene omnia inter *Orthodoxographa*, Baſil. 1569 prodierunt, & ſunt: *Epiſtolarum ad diverſos Libr. IX. Panegyricus Theodorico Gothorum Regi dictus: Apologeticus pro IV. Synodo Rom. Vita Epiphanii Ticinenſis Epiſc. Antonii Monachi Lirinenſis: Euchariſticon de vita ſua ad Elpidium: Paræneſis didaſcalica ad Ambroſium & Beatum: Præceptum de Cellulanis Epiſcoporum: Petitorium, quo abſolutus eſt Gerontius: Benedictio Cerei Paſchalis I. & II. Dictiones S. VI. Scholaſticæ VII. Controverſiæ X. Dictiones Ethicæ V. Carminum Liber I. & II. &c.* Hæc ex ipſo Sirmondo recenſent Labbeus, T. I. p. 276. Caveus, P. I. l. c. p 276. Difficilis cæteroquin, ſententiis denſus, exactæq; mentis Scriptor, Barthio, dicitur, l. 19. *adverſ.* c. 6. unde *Innodium* potius, quam *Ennodium*, propter intricatam obſcuritatem illum vocandum cenſet Arnulphus Lexov. *Epiſt.* p. 54. ſeq. *Ænnodius* autem ſcribitur Bernhardo Sacco, *Hiſt. Ticin.* l. 8. c. 1. p. 77. a ſeq. ubi ejus Epitaphium leges.

EPHRÆM SYRVS.

Niſibi in Meſopotamia natus, Eccleſiæ vero Edeſſenæ in Syria Diaconus, cujus magnum olim in Eccleſia nomen, magnaque autoritas fuit, ut etiam Magiſter Orbis diceretur. Vid. poſt Encomiaſtas priſcos Oſiandr. *Cent. IV.* Baron. ad annum 378. Spizel. *Acad. Chriſti*, p. 94. Floruit anno 370. obiit 378. Opera, quæ extant, & quidem ex collectione Gerardi Voſſii, Præpoſiti Tungrenſis, è græco ab eodem in lat. verſa ſunt, & in III. T. digeſta, quorum T. I. Romæ 1589. T. II. 1593. T. III. 1597. prodiit. Omnes vero recuſi ſunt, Colon. 1603. Antw. 1619. fol. Paginæ anguſtia prohibet, illa ordine percenſere, quæ apud Labb. T. I. p. 277. ſeq. & Caveum, P. I. p. 133. viſuntur. Pleniorem, eamque græcam optant verſionem Cave, Tentzelius atque Coteleriùs, quæ propius ad Linguam authen-

thenticam, Syriacam nempe, accedat, atque ea, quæ hucusque deſunt, ex aliorum Manuſcriptis ſuppleat. Cujus enim fidei iſta ſunt, quæ habemus, poſt Hieronymum, Baronium, Rivetum, Lambecius *Bibl. Vindob. Comment.* T. I. f. 121. explicat, ubi inter alia Voſſium, Ambroſii Camaldulenſis ſimium, vocat, cujus verſionis mentionem magno quidem ſilentio de induſtria præterierit. Hic Lambecius inſimul Ephræmum lat. Coloniæ Agripp. 1547. Venetiis, Fr. Zino interprete, 1574. & german. Joh. Schwaigero translatore, Moguntiæ, 1565. prodiiſſe teſtatur. Seorſim Ephræmi Opuſcula *de Compunctione Cordis; de Judicio Dei. De Beatitudine animæ: De Poenitentia: De Luctamine Spirituali & de die Judicii*, cum Guil. Pariſienſis *Rhetorica divina*, Pariſiis in 8v. ſed ſine anni nota, excuſa ſunt. *Canticum de Maria & Magis* ab Ecchellenſi lat. verſum, Rom. 1645. Stylum Ephræmi maximopere commendat Photius, *Cod.* 196. quanquam multi ſint, qui inelegantiam atque inſcitiam in Ephræmo notent. Conf. de hac re Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 133. De facto quodam Ephræmi, quod Apollinaris, Laodiceni Epiſcopi, ejusque Libros hæreticos, attinet, ſat erudite diſſeruit Jac. Thomaſius, *in Præf. Diſp.* n. 54. p. 312. ſeqq. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 143.

EPHRÆMIUS ANTIOCHENUS.

Gente Syrus, à Juſtino Imper. Comes Orientis conſtitutus, poſt Epiſcopus & Patriarcha Antiochenus, anno 526. floruit, & anno 546. obiit. Scripſit *pro Eccleſiaſticis dogmatibus, & Synodo Chalcedonenſi*, Lib. III. E quorum prioribus duobus ampliſſima exhibet excerpta Photius, *Cod.* 228. 289. Singula ex Photio repetit Cave, quæ non transſcribimus. Conf. *Hiſt. Litter.* P. I. p. 281.

EPHRAIM.

Cherſoneſi Archi-Epiſcopus & martyr, cujus *Orationem* Leo Allatius, *de Script. Symeon.* p. 93. 96. adducit. Illam gr. lat. edidit Jo. Cotelerius & *Operibus S. Clementis* adjunxit. p. 837. Antea eam lat. edidit Surius, d. *Nov.* XXIII. Tractat. *de miraculis S. Clementis*, cujus mentionem facit idem Allatius, l. c. p. 90. Hunc tamen a Cotelerio reperiri non potuiſſe, teſtatur Cave, *Diſp.* I. P. II. annex. p. 7.

EPIPHANES.

Carpocratis, Gnoſticorum Autoris, filius, Platonicæ Philoſophiæ Sectator, Baſilidis & Valentini errores propagavit. Docuit

enim mundum ab angelis creatum, Chriſtum ex Maria & Joſepho communi ratione progenitum, mulieres communes eſſe debere, atque magicas artes, licitas propugnavit. Hos errores circa annum 120. ſparſit, multosque credulos ſeduxit. Expiravit 17. ætatis anno & Samæ, ubi ſepultus erat, divino honore ab aſſeclis cultus eſt. *Librum de Juſtitia* ſcripſit, quo communionem uxorum tanquam neceſſariam, defendere auſus eſt. Hujus exhibet fragmenta Clemens Alex. *Strom.* l. 3. p. 428. ſeq. De eo Cave, P. I. p. 24.

EPIPHANIVS CATANENSIS.

In Sicilia Diaconus, anno 787. clarus, quo Thomæ, Sardorum Archi-Epiſcopi, vicem gerens, Synodo Nicenæ II. interfuit. Extat ejus *Sermo laudatorius* ſatis prolixus, in eadem Synodo habitus, latine tantum, *Concil.* T. VII. p. 617. Conf. de eo Cave, P. I. p. 351.

EPIPHANIVS CONSTANTINOP.

Presbyter & Joh. Patriarchæ Syncellus, qui anno 519. cum Licinio & Hormisdæ P. R. legatis Theſſalonicam profectus, atque de Dorothei cauſa ſententiam tulit. Joh. Patriarchæ Conſtantinop. mortuo, ſucceſſit, atque Concilio Chalcedonenſi, ab ipſo confirmato, anno 535. defunctus eſt. Habentur ejus *Epiſtolæ V. ad Hormisdam P. R.* ſcriptæ, lat. *Concil.* T. IV. p. 1535. 1537. 1545. 1555. Evolv. Cave, P. I. p. 279.

EPIPHANIVS CONSTANTIENSIS.

Ignobili Palæſtinæ pago, Beſauducen dicto, Eleutheropoli vicino, oriundus, Conſtantiæ ſeu Salaminis in Cypro Inſula, Epiſcopus, ab anno 368. ad 402. floruit. Anjudaicæ prius religioni fuerit addictus, vide Hottingerum, *Theſ. Phil.* p. 14. & *Primit. Heidelbergenſ.*, p. 75. πεντάγλωττος ob quinque linguarum cognitionem dictus, apud Hieronym. vid. Neandr, *Erotem Lingv. S.* p. 8. Juvenis adhuc Gnoſticis adhæſit, eorundemque dogmata a mulierculis edoctus eſt. Harum tamen illecebras ſalvus evaſit, atque puriorem doctrinam amplexus eſt. Magna ipſi lis interceſſit cum Joh. Chryſoſtomo, Patriarcha Conſtantinop. Theophilo, Epiſcopo Alexandrino, quibus cum vel moriens adhuc pugnavit. Notari merentur utriusque partis vaticinia. Chryſoſtomo enim Epiphanius abituriens dixit: *Spero te non moriturum Epiſcopum*; Huic Chryſoſto-

ſoſtomus reſpondit. *Spero te non proventurum eſſe in patriam.* Vtriusque votum impletum eſt. Chryſoſtomus ſede expulſus in exilio, Epiphanius vero in itinere moritur & quidem anno 402. *Vitam* Ejus congeſſerunt Joh. & Polybius, quæ gr. lat. apud Epiphanium, T. II. *edit. Petav.* extat. Vir quidem S. antiquitatum peritiſſimus, ſed nimis credulus, in diſputationibus infirmus, ut teſtatur Photius, *Cod.* 122. qui ſtyli inelegantiam in ipſo notat, æque ac Hieronymus c. 114. ſcribens: *Scripta Epiphanii ab eruditis propter res, a ſimplicioribus propter verba lectitantur.* Poſt tot iteratas ejus operum editiones, quæ gr. Baſil. 1543. Lat. 1544. 1545. 1560. 1578. Paris. 1564. 1612. Colon. 1617. f. Dionyſius Petavius omnia, quæ ei tribuuntur, Scripta recenſuit, & Pariſiis, T. II. fol. 1622. excudi curavit. T. I. continet *Panarium*, adverſus 80. hæreſes, opus Photio teſte, exquiſitisſimum. T. II. *Ancoratum* ſeu *de fide Sermonem*, anchoris quaſi firmatum & 121. capitibus diſtinctum. *Anacephaleoſin* ſeu *Panarii Epitomen*. Lib. *de Menſuris Epiſt.* vero *ad Joh. Hieroſol.* ex Hieronymi Verſione & *Epiſtola ad Hieronym.* inter *Hieronymi opera* habentur. Sequuntur ſuppoſititia Scripta, quæ ſunt: *Phyſiologus*: *De Vita Prophetarum*: *De XII. gemmis in Veſte Aaronis*: *Orat. VIII.* & alia Manuſcripta quædam extant in Bibl. Vindob. de quibus Lambecius, *Comment.* L. III. p. 163. ſeq. 1696. Plura recitat Cave, P. II. p. 45. Tract. *autem de Lapidibus*: *S. Hilarionis Encomium*: *Epiſtola*: *Oratio de SS.* adhuc deſiderantur. His adjicimus, novam operum Epiphanii editionem, juxta Pariſinam, anno 1622. adornatam, Coloniæ 1682. fol. II. Vol. cui *vita* Dion. Petavii, ab Henrico Valeſio, oratione deſcripta & appendices geminæ, pro vindicandis animadverſionibus, altera adverſus Maturinum Simonium Claud. Salmaſium, ab ipſo Petavio, antehac in publicum emiſſæ, acceſſerunt. De Doctrinis Epiphanii conferas poſt Sculteturn, Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 299.

EPIPHANIVS CYPRIVS.

In eadem Inſula Epiſcopus, anno 870. claruit, quo Ignatio Patriarchatum Conſtantinop. per *Epiſtolam* gratulatus eſt, atque Synodum ab ipſo habitam approbavit. Extat illa gr. lat. in *Proleg. Syn. VIII. Gener. Concil.* T. VIII. p. 1276.

EPI-

EPIPHANIVS HAGIOPOLITA.

Seu Monachus Hieroſolymitanus, congeſſit ad modum deſcriptionis ſitus orbis *enarrationem Syriæ, Vrbis S. & ſacrorum ibi locorum.* Hanc deſcriptionem primus quidem, ſed minus poſpero ſucceſſu, edidit gr. & lat. Frider. Morellus. Feliciori multò conatu illam vulgavit ad Codicem Vaticanum correctam Leo Allatius, *Symmict.* P. I. p. 48. Vid. Cave, *Diſp. I.* P. II. annex. p. 8.

EPIPHANIVS, PRESBYTER

Et Monachus *Vitam S. Deiparæ* deſcripſit & ut ipſe gloriatur, accuratiori, ac anteceſſorum ſuorum opera. Hujus fragmenta exhibet idem Leo Allatius, gr. lat. *de Symeon.* p. 106. qui p. 90. *Vitam S. Andreæ,* ab Epiphanio ſcriptam, inſimul commemorat.

EPIPHANIVS SCHOLASTICVS.

Italus, quem M. Aurelio Caſſiodoro coævum facit Voſſius, *Hiſt. Lat.* L. II. c. 19. utpote, cujus rogatu, tres illos Hiſt. Eccleſ. Scriptores, Theodoretum, Socratem & Sozomenum latinè verterit, ex qua tranſlatione Caſſiodorus poſtea *Hiſtoriam tripartitam* contexuerit. vid. Caſſiodorum, Libro, *de Divin. Lect.* c. 17. In latinum quoque ſermonem *Didymi Comment. in Proverbia Salomonis & VII. Canon. Epiſt.*, & *S. Epiphanii Cyprii in Cantica*, prout divinatur Cave, P. I. p. 274. & alia, tranſtulit, quæ tamen ætas noſtra nondum vidit. *Syntagma Epiſtolarum Synodalium,* ad Leonem Imper. pro defenſione Concil. Chalced. ab ipſo, Caſſiodori juſſu, verſum, exhibet, *Concil.* T. IV. p. 891. & emendatius, Baluzius, *in nova Concil. collect.* Paris. 1683. Conf. Jo. Alberti Fabricii *Bibl. Lat.* p. 653.

DESIDERIVS ERASMVS,

Roterodamus cognominatus, eò, quod Gaudæ quidem natus, Roterodami verò educatus fuerit, quanquam opinio nunc conſtans foveatur, illic conceptum, hic vero in lucem eum editum & quidem ex furtivo complexu, 1467. Magni Viri laudes compilare, aut Scripta ejus Singula enarrare, neque animus, neque locus eſt impræſenti. Iſtas, quia verè ἐράσμιος, amabilis & ideò laudabilis extitit, ex inſtituto ſcripſerunt Paulus Jovius, *elog. Doct. viror.* p. 208. Aub. Miræus, *elog. Belg.* p. 122. Joh. Jac. Boiſſardus *Icon. illuſtr.* P. I. p. 221. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 174. Swertius, *in Athen.*

then Belg. Adami, *in Vitis Philoſ.* p. 86. ſeq. Vitam ipſemet ad Conradum Goclenium ſuum conſcripſit, & Beatus Rhenanus ad Carol. V. Imper. edit. Lugd. Batav. anno 1642. Ex recentiſſimis Adolphus Clarmundus, *in Vit. Clariſſ. Viror.* P. I. p. 1. ſeqq. Nævos Deſiderii qui deſiderat, propter quos rigidiorem ſæpius, quam par fuit, virgulam ſubire & ſentire coactus eſt, videat præter citatum Miræum & Valer. Andream, Herib. Rosweidum, S. J. *contra exercit. Baronian. Caſaubon.* tab. I. p. 5. & alios. Catalogum Scriptorum Pontificiorum, qui Erasmum libris diverſis oppugnarunt, exhibet Jo. Molanus, *Bibl. Mater.* p. 48. b. Infinita fere aſſervantur ejus Opera, quæ homo ſemper morboſus, calculo, podagrâ &c. laborans, ſcripſit, quod utique mireris cum Hieron. Cardano, *exempl. genitur.* f. 700. Prodierunt autem IX. Tomis potiſſimùm comprehenſa, Baſil. 1540. ex typographia Frobeniana. T. I. *Grammaticalia, Oratoria & ſimilia* continet. T. II. *Adag. Chiliades.* T. III. *Epiſtolas & præfationes in diverſos autores.* T. IV. *moralia & declamationes quasdam* T. V. *Opuſcula Theologica varia,* ut ſunt, *Enchiridion militis Chriſtiani, Methodus, compendio perveniendi ad veram Theologiam. Elucidatio* Pſ. 1. 2. 3. 4. 14. 22. 28. 33. 38. & 85. *Conciones de Miſericordia Dei, puero Jeſu, B. Virgine, Martyr. Inſtituto Matrimonii Chriſt. Vidua Chriſtiana, Eccleſiaſtes* Libb. 4. *Liber Precationum, de contemtu mundi, de pavore Chriſti morituri, præparatio ad mortem &c.* T. VI. *N. T. cum notis* T. VII. *paraphraſes* in idem exhibet. T. VIII. *SS. Patrum, Chryſoſtomi, Athanaſii, Origenis, Baſilii* &c. *monumenta,* quæ quidem ille vertit. Tomus tandem IX. *Polemica.* Minora Opuſcula emendationesque autorum græc. & lat. recenſere hic longum nimis foret, de quibus omnibus exacte Gesnerus, *in Bibliotheca* Scriverius, *in Vita Erasmi,* anno 1607. Lugd. 4t. & 1642. 12. varis Erasmi *Epiſtolas,* plus quam LXX. exhibet quæ inter vulgatas in magno volumine non comparent. Prodiit tamen nitidiſſima Operum Erasmi editio, quæ ſingula ejusdem Scripta complectitur. Illa vero X. Tomis abſolvitur, atque parum à Frobeniana, modo enumerata, differt, niſi in eo, quod locupletior multò, atque nonus ejusdem Tomus, ob novas acceſſiones, in duos Tomos diſtributus ſit. Imprimi illam curavit Petrus Vander Aa, Lugd. Batav. 1703. & ſequentibus annis, in folio. Laudant hanc editionem, *Acta Erudit. Lipſ.* anno 1704. menſe Aug. 1705. menſe Nov. 1707. menſe Junio. Obiit Erasmus Friburgo Brisgoiæ, ubi antea ſexennium vixerat, relicto, Baſileæ

hærens, Eccleſiaſten editurus, anno Salutis, 1536. æt. 70. memoria immortali tot editis lucubrationibus ſibi comparata, tantisper, dum orbis terrarum ſtabit, ſuperfuturus, ac eruditis ubique gentium colloquuturus, prout habet epitaphium, tholo ſummi templi, in quo ejus quieſcunt exuviæ, marmore ingenti exciſum. Alia ab Audoeno, Paſchaſio, Hadriano Mario, Joanne II. Jano Vitali, aliisque, Eraſmo conſcripta epitaphia exhibet Labbeus, *Theſ. Epitaph.* p. 192 ſeq. 253. ſeq. 383. ſeq. Statua quoque in honorem ejus in foro Rotterdamenſi erecta atque ex Orichalco confecta apparet, quæ Eraſmum Togatum atque librum manu tenentem repræſentat. Sunt, qui Eraſmum, Arianismi accuſare ſatagunt, quibus Martinus Lydius, peculiari pro Eraſmo Apologia ex aſſe reſpondit. Plura de Eraſmo, Patin, *in Vita Eraſmi*, præfixa encomio moriæ. Baillet, *Jugement des Sçavans*, Clerc. *Bibl. Choiſie*, anno 1703. & 1705. Bayle & Buddeus, *in Lexicis*. Du Pin, T. XIV. p. 12. ſeqq.

ECHINFRIDVS.

Natione Germanus, Melitenſis in Auſtria Abbas, circa annum 1012. clarus, cujus *Hiſtoria de Martyrio & Miraculis S. Colmanni, Scoti*, extat apud Lambecium, *Comment.* L. II. c. 8. n. 1. p. 611.

ERMANRICVS.

Monachus primum, deinde Elewangenſis Abbas Monaſterii, in dioeceſi Auguſtana, Rudolphi, Fuldenſis Monachi, diſcipulus, circa annum 840. cui *Vitam S. Soli, Angli*, quam ſcripſerat, dicavit. Extat illa apud Canis. T. IV. *antiqv. Lect.* P. II. p. 544. 732. Mabillon. *Sec. Bened.* III. P. II. p. 429. Hic etiam ornaſſe creditur, ſeu potius interpolaſſe, *Vitam S. Magni*, de qua idem Mabillon, *Sec. II.* ad annum 665. De eo Cave P. II. p. 160. Oudin. p. 238. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 197.

ERMENGARDVS.

Seu *Ermengandus*, Sec. XII. floruit, atque contra Waldenſes ſcripſit, quod Scriptum extat T. XXIV. *Bibl. Max.* f. 1602. ex editione Gretſeri.

ERMENRICVS.

Monachus Augienſis, anno 850. clarens, ſcripſit Libellum ad Grimoldum, Archicapellanum, *de illuſtribus Monaſterii Sangallenſis Viris*,

Viris, quem e membrana Sangallenſi extulit idem Mabillon, *Analect.* T. IV. p. 319. cujus animadverſionem Lector conſulat.

ERMENTARIVS.

Trenorchienſis Abbas, anno 863. *Translationem corporis S. Philiberti, Abbatis, ex Herienſi Monaſterio in varia loca*, teſtis oculatus ſcripſit, quam Petrus Fr. Chiffletius in ſua *Hiſt. Trenorchienſi*, primus evulgavit, & poſt illum Jo. Mabillon, *Sec. IV. Ord. Bened.* T. II. p. 537. ſeqq. De eo Cave, P. II. p. 164. Oudin, p. 255.

ERTWINVS ERDMANNVS.

Germanus Weſtphalus, Oſnabrugenſis Conſul & Frider. III. Imper. Orator, anno 1470. clarus, anno 1505. e vivis exceſſit. Juſſu Conradi, Comitis de Deipholt & Epiſcopi Oſnabrugenſis ſcripſit *Seriem Succeſſionalem Epiſcop. Osnaburg.* a prima ſub Carolo M. fundatione, ad annum 1453. Hoc Opus ex Avi Scriniis protraxit Henr. Meibomius, Junior, atque *Germ. Rer. Script. T. II.* Helmſt. 1668. fol. edit. inſeruit. Conf. Cave, P. II. p. 315.

ESAIAS.

Ut divinatur Cave, Alexandrinus, Sec. IV. circa annum 371. vixit, atq; in Ægypto Monaſterium extruxit. Alii operoſe diſquirant, an hic Eſaias *Homil. XXIX.* autor ſit, quæ *in Bibl. Patr. Colon. Lat.* T. II. & in recentiſſima, T. XII. p. 384. extant, & autori, qui Sec. VII. vixerit, attribuuntur. Labbeus incertæ ætatis Scriptorem eundem vocat, T. I. p. 290. Alius adhuc eſſe videtur *Eſaias*, quem Cave, *Diſſ. I.* p. 8. incerti Monaſterii Abbatem appellat, & cui *Capitula XIV.* de religioſa exercitatione & quiete, a Petro Poſſino, *Theſ. Aſcet.* p. 315. edita, adſcribit. Idem Cave teſtatur, eadem haberi *Capitula* manuſcripta, in Bibl. Vindob. Cod. Theol. 179. n. 23. f. 641.

ESAIAS CYPRIVS.

Circa annum forſitan 1430. claruit atque Nicolai Sclengiæ *de Proceſſione SS.* Librum oppugnavit, eidemque *Epiſtolam* ſatis orthodoxam oppoſuit. Habetur illa gr. lat. ab Leon. Allat. *de Conſens.* l. 2. c. 18. §. 16. & *Græc. Orthod.* T. I. p. 396. de eo Henr. Wharton, *in app.* p. 71.

ETHELWERDVS.

Seu Elswardus, Patricius Conſul Fabius Quæſtor Ethelwerdus,

dus, ut ſemet ipſum in fronte Epiſtolæ ad Mahtildem, conſobrinam, vocavit, natione Anglus, regio ſtirpe oriundus, Ethelredi Regis, Ethelwalphi filii, atnepos, anno 980. clarus, ad Mahtildem, conſobrinam, *Hiſtor. brevem* Libr. IV. dedit, ab anno mundi, ad ann. 974. quæ prodiit, cura Savilii, *inter Script. Anglicos*, Londini, 1596. fol. 472. Conf. Pitſeum, p. 190. qui eum male ad ann. 1090. retulit.

ETHELWOLFVS.

Monachus Anglus, patria Bernicius, Eadfridi diſcipulus, ann. 820. clarus, non vero 750. uti Baleus atque Pitſeus judicarunt. Scripſit *de Abbatibus & Viris piis Monaſterii S. Petri in inſula Lindisfarnenſi*, quod edidit e manuſcripto Cantabrig. Jo. Mabillon, *Sec. Ben. IV. T. II.* p. 301. Plura vide apud Pitſeum, p. 145. Poſſevinum, *in app. S.* Oudin. p. 215. Cav. P. II. p. 159.

ETHERIVS.

Vxamenſis in Hiſpania Epiſcopus, circa ann. 785. cum Beato Presbytero, *adverſus Elipandum, Archi-Epiſcopum Toletanum*, libros duos, edidit, quos Petrus Stevartius, Prof. Ingolſt. in *Auctar. Canis.* anno 1604. 4t. p. 17. exhibet & *Bibl. Patr. Colon. T. VIII.* f. 338. In *Stevartii Auctario* Libri fragmentum quoque habetur adverſus Folmarum ſcripti, quod vide, p. 243.

EVAGRIVS ANTIOCHENVS.

Presbyter atque deinde Epiſcopus, anno 388. claruit, atq; Hieronymo percarus fuit. Scripſit Tract. *diverſorum hypotheſewn atque Vitam Antonii*, ab Athanaſio ſcriptam, è græco in latinum transtulit. Hæc teſtatur Hieronymus, *in Catalogo*, c. 125. Extat *Vita Antonii* inter *Opera Athanaſii* T. II. p. 544. apud Surium, *d. Jan. XVII.* *Rosvveid. in Vit. Patr.* T. I. anno 1628. fol. edit. Antwerp. Valdè tamen dubitat Cave, P. I. p. 164. num illa genuina ſit. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 250.

EVAGRIVS PONTICVS.

Ex Iberorum urbe oriundus, atque exinde Hieronymo *Hyberborita* appellatus, Eccleſiæ Cæſarienſis lector, poſt Diaconus Conſtantinop. & Monachus, teſte Hieronymo, *Epiſt. ad Cteſiph.* Ejus fata recenſuit Cave, P. I. p. 158. Nos ſaltem attendimus, illum ab Origeniſtarum parte ſtetiſſe, eorundemque dogmata ſtrenue defen-

fen-

ſendiſſe. Hoc autem non obſtante, *Vir doctiſſimus, in diſtinguendis rebus ſagaciſſimus, moribusque moderatis condecoratus*, Sozomeno audit. L. VI. c. 30. Bignæus ad Sec. V. Caveus, verò ad ann. 380. illum reponit, quos tamen ſibi adverſos vix crediderim, cum admodum grandævus expiraverit. Multa ſcripſit Monachis proficua, prout Gennadius & Socrates tradunt. Ejus enim ſunt *Orationes* 100. *Gnoſtica Problemata* 150. *Epiſtola ad Melaniam, Liber de Impaſſibilitate, Liber centum Sententiarum in Anachoretarum uſum*, & alia, quæ exhibet Lat. *Bibl. Patrum*, T. XXVII. *Monachicum*, quod gr. lat cum notis extulit Cotelerius, *Monument. Ecclеſ. Gr.* T. III. p 70. *Gnoſticum*, ſeu *de iis, qui cognitionis munere donati ſunt*, cujus fragmentum ſiſtit Socrates, L. IV. c 23. *de Octo vitioſis cogitationibus*, Liber, quem Lat. exhibet *Bibl. Patr.* T. XXVII gr. & lat. autem, Emericus Bigotius, cum Palladio, *de Vita Chryſoſtomi*, Paris. 1680. 4. *Liber de rerum Monachalium rationibus, earumque juxta quietem appoſitione*, gr. lat. extat apud Cotelerium, *loco citato*, T. III. p. 103. & alia, quæ comminiſcitur Guil Cave, P. I. p. 159. Elias du Pin, T. III. p. 1.

EVAGRIVS SCHOLASTICVS.

Epiphaniâ, Syriæ urbe, oriundus, floruit Imperatoris Mauritii maxime temporibus, circa annum 595. *Scholaſtici* nomen ei obtigit, quod in foro Antiocheno cauſas dicere ſolebat. vid. Voſſ. de *Hiſt. Lat.* L. II. c. 22. Quadriennis adhuc doctrinis incubuit, & poſtea magni apud Antiochenos fuit. Quæſturæ dignitatem a Tiberio Aug. Præfecturæ verò a Mauricio impetravit. Scripſit *Hiſt. Eccleſ.* Libr. VII. ab ann. 431. ad 597. quos edidit Rob. Stephanus, græc. Paris. 1544. fol. græc. lat. Gen. 1612. & cum nova verſione & notis Valeſii, 1673. fol. Extant quoque T. VI. *Bibl. Patr. Colon.* P. II. f. 361. & alibi cum Euſebio. Reliqua ejus Scripta, ut ſunt *Epiſtolæ, Relationes, Decreta, Orationes Diſputationes*, Libr. II. comprehenſa, & *Oratio Panegyrica*, ad Maurit. Aug. ob natalem pueri nobiliſſimi, quorum omnium ipſe Evagrius meminit, jam dudum perierunt. Stylum, quod attinet, illum quidem gratum, atque vera continentem, de prædicat Photius, *Cod.* 291. Cave verò ipſum Evagrium credulum atque in fabulas proniorem fuiſſe, non immerito credit. Vid. ejus *Hiſt. Litt.* P. I, p. 305.

EVANTIVS.

Vel *Evanthus* Abbas, cujus *Epiſtola* contra eos, qui ſanguinem animalium immundum eſſe judicant, carnem vero mundam dicunt, extat apud Henr. Caniſ. T. V. *antiqu. lect.* P. II. p. 553. & T. VI. *Bibl. Magn. Colon.* P. II. f. 756. An ſit ille Evantius, de quo mentionem facit Fortunatus, L. 3. *Epiſt. ad Ephron.* qui & *Eventius* & *Aventius* nominatur, ambigit l. c. Henr. Caniſius. Chriſtoph. Browerus, *in notis*, Evantium Fortunati putat fuiſſe Archi-Epiſcopum Viennenſem, quem anno 586. obiiſſe Gregorius Turonenſis teſtatur & Sanctimoniâ decorum Ado æt. 6. celebrat. Conf. Sanmarth. T. I. f. 795. & quæ in Evantho Caniſiano emendavit J. F. Gronovius, *Obſerv. Eccleſ. Script.* c. 5. p. 58. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 160. p. 211. Poſſevinum, *in App. S.* Oudin. p. 138. Caveum, l c. P. I. p. 301. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 91.

EVBION.

Scripſit *expoſitionem in Prophetas*, cujus fragmentum græce manuſcriptum habetur, cap. 36. inter *Teſtimonia Veterum*, quorum collectio ſub nomine Damaſceni in Bibl. Claromontan. Jeſuitarum adſervatur, teſte Phil. Labb. *Conſp. Oper. Damaſc.* p. 50. Hæc Cave, *Diſp. I.* P. II. annex. p. 8.

EVBVLVS.

Lygrorum Epiſcopus, ann. 631. clarus, Athanaſii Syri, Severianorum Pſeudo-Epiſcopi, Jacobitarum Patriarchæ, *Libello*, quem Heraclio obtulerat, *alium* oppoſuit, cujus fragmentum gr. extat in *Collect. quadam Teſtimon.* c. 22. quæ ſub nomine Damaſceni manuſcripta reperitur in Cod. Claromont. ut teſtatur Labb. in Conſp. Oper. Damaſc. p. 50. Commendat ea Cave, P. II. p. 130. quæ Theophanes Chronogr. ad ann. Heraclii 20. p. 274. habet.

EVCHERIVS.

Natione Gallus, ortu illuſtris, ex Senatore, dein Monacho Inſulæ cujusdam prope Lirinum ſitæ, presbyteroque Lugdunenſi, Epiſcopus, circa annum 434. vinculis ad onus Epiſcopale pertractus. Anno 444 Concilio Arauſicano interfuit. Vxorem habuit, ex qua binos accepit filios, Solanium & Veranium, Epiſcopos. Circa ejus ætatem, geſtaque, plura à Sixto Senenſi, Baronio, Poſſevino,

vino, Bellarmino, aliisque peccata oſtenderunt, & ſaniora propoſuerunt Theophilus Raynaudus, *Indiculo SS. Lugdunens.* Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. I. f. 294. Labbeus, T. I. p. 291. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 238. Elias du Pinius, *Bibl Nouv.* T. IV. p. 137. Omninò itaque duo ſunt Eucherii, quorum prior ac *Senior*, de quo Gennadius, Sidonius, Claudianus Mamertus &c. usque ad annum 454. vixiſſe dicitur. *Junior* alter, itidem Lugdunenſis Epiſcopus, in *vita* Cæſarii Arelatenſis, *Martyrologio* Adonis, laudatus & ſubſcriptione Conciliorum, Arelatenſis IV. & Arauſicani II. annis 524. & 529. celebratis, clarus. Seniori Eucherio multa tribuuntur Opuſcula, partim genuina, partim notha, de quibus poſt Labbeum, Cave, *loco citato*, diſſerit. Prodierunt autem, Baſileæ, 1531. Romæ, 1564. & *in Bibl. Patr. T. VI.* & ſunt *Epiſtola Parænetica de contemptu mundi & ſecularis Philoſophiæ*, anno 432. ſcripta, ſeorſim cum Scholiis Eraſmi excuſa eſt, Baſileæ, 1520. 1531. cum notis Rosweydi, Antwerp. 1520. & Labbeus, *in Triade SS. Patrum epiſtolica.* anno 1646. eandem à J. Canagio gallicè & eleganter verſam ſcribit Jac. Gutherius, *de Offic. dom. Aug.* f. 247. *Epiſtola de laude Eremi*, ſeorſim vulgata a Genebrardo, Pariſiis, 1578. & cum priori, Antwerp. 1620. *De formula ſpiritualis intelligentiæ Liber, ad Veranum, filium. Inſtructionum ad Salonium, filium*, Lib. II. *Homiliæ aliquot* inter eas, quæ ſub Euſebii Emiſeni nomine, Antwerp. 1602. prodierunt. *Hiſtoria paſſionis S. Mauritii & Sociorum Martyrum Legionis Thebææ*, quæ rectius Eucherio juniori tribuitur, ſeorſim vero cum notis Petri Stevartii, Ingolſtadii, 1617. excuſa. *Commentarii in Geneſin & Libros Regum*, alius recentioris autoris ſunt, quippe in illis Gregorius M. & Caſſiodorus citantur. Ad hæc Caſſiani Opuſcula quædam in unum redegiſſe Eucherium, teſtatur Gennadius, *de Scriptor.* c. 63. hinc autor creditus quarti *de Vitis Patrum* Libri. *Epiſtolam ad Fauſtum, de ſitu Hieroſolymæ & Judææ*, poſt Sirmondum, extulit Labbeus, T. I. *Bibl. Novæ Manuſcript.* anno 1657. Plura ſuppeditabunt autores ſuprà allegati.

EVDOXIA.

Athenais aliàs dicta, Leontii Sophiſtæ & Philoſophi Athenienſis filia, admodum erudita, Theodoſium, Imperatorem, in maritum ductura, Chriſtianiſmum profeſſa, atque ab Attico, Conſtantinop. Epiſcopo, ſacris initiata fuit. In indignationem quidem Im-

Imperatoris, mariti ſui, ob Paulini adamati ſuſpicionem, incidit, ſed mox in ejus gratiam remiſſa, anno 459. obiit. Scripſit *Centones Homericos*, qui lat. *in Bibl. Patrum* habentur. Gr. & lat. *in Collectione Poetarum Chriſtianorum Bigneana*, Paris, 1624. p. 95. *Metaphraſin Octateuchi*, Lib. VIII carmine heroico. *Metaphraſin Prophetiarum Zachariæ & Danielis. Hiſtoriam B. Cypriani, Martyris, & Juſtinæ, Virginis* Lib. III. heroico carmine, cujus compendium exhibet Photius, *Cod.* 184. *Poema Heroicum in Victoriam à Theodoſio marito ex Perſis reportatam*, quam memorat Socrates, Lib. VII. c. 21. De ſtylo judicat Photius, *Cod.* 183. quod *illuſtris ſit hic labor, ut in heroico carmine, ſi quis unquam alius.* Agunt de Eudoxia Sixtus Senenſis, *Bibl. S.* Lib. IV. p. 227. Antonius Poſſevinus, *in appar. S.* Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 83. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 222.

EVERSHELMVS.

Monachus Altimontis, juxta Malbodium in Hannonia, poſt Abbas, anno 1048. factus, ſcripſit Librum *de Vita S. Popponis*, Abbatis Stabulenſis, cognati ſui, quem exhibent Surius & Bollandus, d. 25. Jan. Creatus denique Abbas S. Petri Gandavenſis, anno 1058. atque anno 1069. obiit. De eo Bollandus, *in præludiis ad Vitam S. Popponis.* Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. IV. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 332. ſeq. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

EVERVINVS.

Gente Germanus, Monachus & Abbas Monaſterii S. Mauritii Tolejenſis, in Archi-Epiſcopatu Trevirenſi, Congregationis Cluniacenſis, circa annum 1050. floruit, atque ſcripſit *Vitam S. Simeonis Syracuſani, Monachi Trevirenſis*, quam vide apud Surium, d. 1. Junii. Neutiquam verò hujus vitæ autor eſt Eberwinus, Abbas S Maximini Trevirenſis, quod ratio temporum reclamat, obſervantibus, Arnoldo Wiono, *in Ligno Vitæ.* Antonio Poſſevino, *in Appar. S.* & Caſimiro Oudino, *loco citato*, p. 332. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

EVGENIVS.

Natione Afer, Epiſcopus Carthaginenſis, anno 480. electus eſt. Anno 484. cum Arianis fortiter pugnavit, atque falſa eorum dogmata, peculiari fidei profeſſione, Hunnerico, Regi, oblata, confutavit. Poſtea tamen ab Hunnerico exilio mulctatus, in Tamallunen-

nenſem civitatem relegatus, imò ſi Gregorio Turonenſi credimus, Albigenſem Galliarum urbem transportatus eſt, ubi circa annum 495. obdormivit. Scripſit *Libellum fidei* ſeu *Confeſſionem*, Hunnerico, Regi, oblatam, quam exhibet *Concil. T. IV.* p. 1128. *Bibl. Patr.* T. VIII. p. 683. Addit Gennadius, *Catal. Scriptor.* c. 97 *Epiſtolas ad plebem ſuæ curæ commiſſam* & *altercationes cum Arianis.* Conf. Honorius Auguſtodunenſis, Poſſevinus, *in Appar. S.* Aubertus Miræus, *in Scholiis ad Gennadium.* Natalis Alexander, *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſ. capitibus*, Sec. V. T. I. p. 689. Caſim. Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 103. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* p. 260. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 231.

EVGENIVS II. P. R.

Boemundi filius, ex Eccleſiæ Romanæ Archi-Presbytero, Pontifex conſecratus, anno 824. Anno 826. Concilium LXXIII. Epiſcoporum Romæ convocavit, atque Canones XXXIIX. de re Eccleſiaſtica ſancivit. Obiit poſthæc anno 827. *Epiſtolæ* ejus II. *Concil.* T. VII. p. 1542. 1869. *Decreta* XI. ibidem, p. 1543. quorum tamen aliqua Eugenio III. vindicant alii. Conf. Baronius, *ad annum 826. num.* 7. Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 65. qui poſteriorem Eugenii II. *Epiſtolam*, ſpuriam cum aliis cenſet. Adde, quæ habet Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 178.

EVGENIVS III. P. R.

Aliàs *Bernardus* appellatus, Piſanus, ex Abbate Monaſterii S. Anaſtaſii Trium Fontium Ordinis Ciſtercienſis, S. Bernardi diſcipulo, Pontifex ordinatus, anno 1145. Lites, quæ ipſi cum Arnaldiſtis interceſſerunt, maximæ fuerunt, adeò ut Romam ſæpe fugatus ſit. Anno 1148. Remis Synodum celebravit, atque Eonem, Hæreticum, & Gilberti Porretani dogmata proſcripſit. Obiit poſtquam cum Romanis amicitiam ſanciviſſet, anno 1153. Ejus ſunt *Epiſtolæ* LXXXIII. *Concil.* T. X. p. 1046. *Aliæ* V. ibidem, p. 1846. Epiſtola I. apud Baluz. *Miſcell.* T. II. p. 221. exhibitæ. Conf. de eo citatus Cave, P. I. p. 466. Ludovicus Jacob a S. Carolo, *loco citato*, qui fusè de illo diſſeruit, p. 65. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. paſſim.

EVGENIVS IV. P. R.

Anteà *Gabriel Condelmerius*, Venetus, ortu illuſtris, Ordinis Canonicorum Secularium S. Georgii de Alga, poſt Epiſcopus

Senenſis, Clericus Cameræ, Theſaurarius, ac Presbyter Cardinalis, titulo S. Clementis, imò poſt Martini V. P. R. mortem, Pontifex Rom. conſecratus, anno 1431. Cum autem divina humanaque omnia, jam ineunte Pontificatu ſuo, permiſceret, Româ ejectus, Florentiam conceſſit. Interea Concilium Baſilienſe a Martino V. indictum, primordia capit, in quo Simoniæ, perjurii, aliorumque criminum reus agitur, eumque Concilio ſubeſſe debere, decernitur. Unionem quidem cum Græcis Ferrariæ & Florentiæ, promovit, aſt preſſis ubique ac coactis a Joh. Palæologo, Græcorum Epiſcopis. Plura de eo memorat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 72. ſeqv. Obiit Eugenius, Romæ, 1447. *Vitam* ejus exaraverunt Jo. le Jeune, Cardinalis, & Æneas Sylvius. Scripſit *Epiſtolas & Bullas* XXIV. quæ *Concil.* T. XII. p. 469. 931. &c, *Alias Epiſtolas* XXXIII. quarum aliquæ gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 21. *Alias X.* apud Bzovium, *Annal.* T. IV. *Alias* plures, apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. V. & in *Bullario Laertii Cherubini*, Romæ, 1617. 1638. De quibus & aliis, loquitur modò citatus Ludovicus Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 67.

EVGENIVS TOLETANVS,

Natione Hiſpanus, Presbyter Toletanus, qui, cum poſt Eugenii mortem Sedis Toletanæ Epiſcopus deſignatus eſſet, vita Monaſtica mirè delectatus, Cæſar-Auguſtam adpulit, & ad Martyrum ſepulchra conferre ſe maluit. Juſſu tamen Regis Toletum revocatus, Epiſcopus anno 646. conſecratus eſt. Convocavit Eugenius anno 655. Concilium Toletanum IX. & anno ſequenti, Toletanum X. atque anno 657. placide obdormivit. Dracontii Libellos *in Hexaemeron* auxit, atque carmen heroicum *de Opere diei ſeptimi*, adjecit. *Epigrammata* quoque ſcripſit, quæ cum Dracontii Libello edidit Jac. Sirmondus, 1619. 8. Extant etiam *in Bibl. Patr.* T. XII. p. 344. Hujus quoque Eugenii ſunt verſiculi *de inventoribus Litterarum*, quos producit Petrus Crinitus, Lib. XVII. c. 1. *de honeſta diſciplina*, & Lilius Gyraldus, dialogo, I. *de Hiſtoria Poetarum*, obſervante J. A. Fabricio, *Bibl. Lat.* p. 715. *Libellus de SS. Trinitate* & alia, Ildefonſo, *de Scriptoribus*, cap. 14. memorata, interierunt. Evolvas, ſi lubet, Aub. Miræum, *in Bibl. Eccleſ.* Baronium, *in Notis ad Martyrologium Romanum*, d. XIII. Nov. Marianam, Lib. VI. c. IX. *Hiſt. Hiſp.* Andream Schottum, & Nicolaum Antonium, in *Bibl. Hiſp.* Caſim.

Ou-

Oudin, *de Scriptor. Eccleſ.* p. 176. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 324. Eliam du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 19.

EVGESIPPVS.

Autor incognitus, ſcripſit anno 1040 Tractatum *de diſtantiis locorum Terræ S.* quem vide apud Leon. Allatium, *Symmict.* P. I. p. 104.

EVGYPPIVS.

Dignitate Presbyter, & Africani cujusdam Monaſterii Abbas, floruit, non quidem anno 580. quod Sigebertus tradidit, ſed circa annum 530. uti à Petro de Marca, Archi-Epiſcopo Toloſano, edoctus ſcribit Labbeus, T. I. *append.* p. 775. & 778. Adeoque idem eſſe videtur, cujus meminit Caſſiodorus, in *Opere Divin. Lect.* quod poſt annum 554. concinnavit. Iſte verò ex Auguſtini Operibus *Theſaurum,* in 338. capitulis, collegit, qui prodiit, Baſileæ, 1542. fol. Venet. 1543. Conf. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 293.

EVGYPPIVS.

Lucullanenſis in agro Neapolitano Abbas, Gelaſii I. P. R. diſcipulus, qui teſte Iſidoro, cap. 13. *de Viris illuſtribus, S. Severini, Abbatis & Apoſtoli Noricorum, ad Paſchaſium Diaconum, Vitam,* brevi ſtylo, anno 511. confecit, quam mutilam protraxit Surius, & edidit ad diem VIII. *Jan.* integram vero exhibuit Marcus Velſerus, primùm ſeparatim, Aug. Vindel. 1595. 4. ex Bibl. Emmerani Ratiſpon. deinde inter *Opera,* p. 639. Aſt *Epiſtolam* Eugyppii in hanc Severini Vitam, ad eundem Paſchaſium exaratam, primus vulgavit, Henr. Caniſius, T. VI. *antiq. Lect.* p. 453. *Regulam Monachis in Monaſterio S. Severini degentibus* ſcriptam, atque Iſidoro Hiſpalenſi memoratam, jam dudum interiiſſe, conſtat. Errant denique, qui cum Trithemio hunc Eugyppium Toletanum cum præcedenti perperam confundunt, quos ideò redarguit Marcus Velſerus & qui illum ſequuti. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 276. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 32.

EVLOGIVS ALEXANDRINVS.

Malleus Hæreticorum atque acerrimus Nicenæ fidei vindex, Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter primarius, atque ædis S. Deiparæ præſes, denique ab anno 581. Patriarcha Alexandrinus, anno 609.

 ad

ad cœleſtia tranſiit. Extat ejus *Homilia in Ramos Palmarum*, gr. lat. apud Combefiſium. *Auct. Nov.* T. I. p. 652. —Porrò *contra Novatum, Hæreſiarcham, de adminiſtratione Eccleſiaſtica Libr. VI.* conſcripſit, quorum excerpta exhibet Photius, *Cod.* 182. & 208. Adverſus Timotheum & Severum, Hæreticos, Lib. II. excerpta quædam, apud eundem Photium, *Cod.* 225. Adverſus Theodoſium & Severum Lib. cujus excerpta, ibidem, *Cod.* 226. *Adverſus pacem inter Theodoſianos & Gainitas initam*, invectivæ orationis fragmenta, ibidem, *Cod.* 227. *Epiſt. ad Eutychium, Patriarcham Conſtantinopolit.* &c. *Dictio ejus*, judice Photio, *Cod.* 182. *ad verba quod attinet, ferè mediocriter eſt accurata, conſtructione verò non longè à ſoloeciſmo plerumque diſtat. Divinarum tamen Scripturarum non eſt imperitus, quarum teſtimonia feliciter & appoſitè adhibet. Perſvadet item, quantum ſtylus ejus patitur, docetque ac placet.* Confer de Eulogio Alexandrino, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 299. Eliam du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 94.

EVLOGIVS.

Hiſpanus Cordubenſis, Presbyter & tempore Saracenicæ perſecutionis, electus Archi-Epiſcopus Toletanus, ab anno 847. ad 859. floruit, quo palmam Martyrii adeptus eſt. Scripſit *Memoriale SS.* ſive *de Martyribus Cordubenſibus* Lib. III. *Apologeticum pro Martyribus adverſus Calumniatores*; *Exhortationem ad Martyrium, ſive Documentum Martyriale ad Floram & Mariam, Virgines, confeſſores. Epiſtolas aliquot ad Wiliſindum, Epiſcopum Pampelonenſem, ad Alvarum*, & alios, quæ ſingula prodierunt cura P. Poncii Leonis & cum Scholiis Ambroſii Moralis, Compluti, 1574. & inter *rerum Hiſp. Scriptores*, T. IV. p. 213. & in *Bibl. Patr.* T. XV. p. 242. Agit de Eulogio Cordubenſi, Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 381. ſeqv. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 197.

EVNOMIVS.

Gente Cappadox, Dacorâ, territorii Cæſareenſis vico ad Argæum montem ortus, Aetii auditor & notarius, vir admodum eruditus. Cum adverſa ſæpe fortuna conflictatus fuit Eunomius. Cum enim Diaconus jam conſtitutus, ad Conſtantium ablegaretur, in Baſilianorum manus incurrit, qui ipſum, Midajum Phrygiæ, relegarunt. Et cum anno 360. Cyzicenus Epiſcopus factus eſſet, a civibus urbe ejectus eſt. Denique poſt alia incommo-

moda plura, apud Dacoram, vicum natalem, anno 394. extinctus eſt. Scripſit *Libellum fidei*, Theodoſio, Imperatori, oblatum, quem ex Codice Florentino primus, addita verſione latina, vulgavit, Henr. Valeſius, in Annot. ad Socratem, L. V. c. 10. *Apologeticum*, in quo Deitatem Chriſti inficiatur, quem Manuſcript. penes ſe habet Tho. Teniſon, Theologus Anglus. Prologum & Epilogum ejus cum Henrici Whartoni verſione latina, & *Eunomii Confeſſione fidei*, extulit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 121. *Commentarius verò in Epiſtolam ad Romanos* & *Epiſtolæ plures*, de quibus Philoſtorgius dixit, non amplius reſtant. Agunt de eo, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 123. Arnoldus, *Hæreſeol.* & alii.

EVODIVS.

Uzalenſis in Africa Epiſcopus, Auguſtino cariſſimus, anno 420. floruit. Extant ejus *Epiſtolæ* plures ad Auguſtinum, inter *Auguſtinianas*, de miraculis S. Stephani, è Palæſtina in Africam deportati, cujus reliquiis Baſilicam erexerat Evodius. Scripſit quoque *Librum de fide* ſeu *de unitate Trinitatis contra Manichæos*, quem vide T. VI. *Operum Auguſtini.* Alium inſuper Evodium memorat Cave, P. I. p. 221. Africanum Epiſcopum, anno 404. a Synodo Carthaginenſi ad Honorium, Imperatorem, miſſum, atque a Donatiſtis, adverſus quos cauſam dixerat, anno 408. trucidatum. De noſtro loquuntur Sigebertus Gemblacenſis, Lib. *de Scriptor. Eccleſ.* cap. 15. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 73. Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſimirus Oudin, *Suppl.* p. 68. Guil. Cave, *Hiſt. Litter. loco citato.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 156.

EVSEBIVS.

Ortu incertus, Laicus jam jam Neſtorio, Chriſtum blaſphemanti, maſculè ſe oppoſuit. Tandem Clericus factus, in Eccleſiæ Dorylæenſis Epiſcopum evaſit. Claruit anno præcipuè, 448. quo libellum adverſus Eutychetem, Synodo Conſtantinop. obtulit. Cum autem anno 449. ad Synodum Conſtantinop. proficiſceretur, male ipſum habuit Dioſcorus, ipſum modo excludens, modo damnans, modo deponens, atque verberibus afficiens. Anno tamen 451. Libellum ſupplicem Concilii Chalcedonenſis Patribus obtulit, in quo Dioſcuri injuriam, Eutychetis vero hæreſin, denunciavit. Extat ejus *Conteſtatio* adverſus Neſtorium gr. lat. *inter Ma-*

rii Mercatoris Opera, P. II. p. 18. *Libellus*, adverſus Eutychetem Synodo Conſtantinop. oblatus, *Concil.* T. IV. p. 151. *Libellus*, adverſus Dioſcurum, Synodo Chalcedonenſi oblatus, *Ibidem*, p. 380. *Epiſtola*, ad Marcianum, Imperatorem, *Concil.* T. IV. p. 95. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

EVSEBIVS EMISSENVS.

Patria Meſopotamienſis, apud Edeſſam oriundus, vir omni literarum genere eruditus, Euſebii Cæſareenſis atque Patrophyli Scythopolitani auditor induſtrius. Alexandriam Philoſophiæ addiſcendæ cauſa adpulit, atque Sacerdotium tum temporis detrectavit. Cum autem ſpretâ Alexandrinâ ſede, Emiſenam conſcendere meditaretur, atque Emiſeni ſeditionem excitarent, eò, quod Mathematicis & Magicis artibus nimium induſiſſet, Laodiceam confugit, atque Georgio Epiſcopo familiariter uſus eſt. Obiit poſt hæc & alia fata adverſa, Antiochiæ, anno 360. Arianæ factionis ſignifer Hieronymo audit Euſebius, quanquam ſit probabilius, Semi-Arianos eundem ſaltem fuiſſe ſequutum. Erat Euſebius, teſte Hieronymo, *de Script. c. 91. elegantis & Rhetorici ingenii, qui innumerabiles multò cum plauſu populi exceptos confecit libros, magisque Hiſtoriam ſequutus, ab his, qui declamare volebant, ſtudioſiſſime legebatur.* Ex operibus ejus ſequentia memorat Hieronymus, *adverſus Judæos, ad Novatianos, in Epiſtolam ad Galatas, Hypotypoſeων* Lib. X. & *in Evangelia Homilias* perplures. Excerptum quoddam ex quibusdam Euſebii Scriptis genuinis exhibet Theodoritus, *Dial.* III. p. 171. in quo de Chriſto minus orthodoxe ſcripſit. Librum *Euſebii contra Judæos, Quæſtiones legis veteris & Orationem de D. Stephano*, apud Chaldæos extare ſcribit Hebedieſu. *Homiliæ* autem in Evangelia totius anni, & *aliæ* plusquam quinquaginta varii argumenti, Paris. 1547. 1575. Antwerpiæ, 1555. 1556. 1558. 1602. 8. excuſæ, noſtri non ſunt Euſebii, ſed eas aut ad Eucherium Lugdunenſem, aut Brunonem Aſtenſem, aut alios referendas eſſe autumant multi, de quibus Edmundus Albertinus, *de Sacram. Euchariſt.* L. II. p. 877. An ad Euſebium ſpectent *Homiliæ* XIII. quas Jac. Sirmondus, ſub Euſebii Pamphili nomine, lat. Pariſiis, 1643. 8. vulgavit, alii dijudicent. De pluribus Euſebii Homiliis manuſcriptis, adeas Lambecium, *Comment. Lib. IV.* p. 184. 231. Guil. Caveum, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 43.

Conf.

Conf. poſt Bellarminum, Labbeum, Caſimirus Oudin, *de Scriptor.* p. 28. Guil. Cave, P. I. l. c. p. 111. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 73.

EVSEBIVS NICOMEDIENSIS.

Beryti primùm in Syria, poſt Nicomediæ Epiſcopus ordinatur. Arium in omnibus ſequutus eſt Euſebius, ut ab eo Ariani quoque *Euſebiani* dicti fuerint. Cum autem hæreſeos accuſaretur publice, exilio ad triennium multatus eſt. Poenitentiam quidem ſimulans, ſedi priſtinæ reſtitutus hæreſin tamen ſuam denuò propugnavit, usque dum anno 342. obiit. Scripſit *Epiſtolas* plures, ex quibus unicam ſaltem de Ario ejusque dogmatibus ſiſtit Theodoritus, Lib. I. c. 6. Alius cujusdam meminit Ambroſius, *de fide L. III. c. 7.* de quo quid ſentiat Cave, vide P. I. *Hiſt. Litter.* p. 98.

EVSEBIVS.

Ob arctam cum Pamphilo, Martyre, neceſſitudinem, *Pamphili* nomen ipſe aſſumſit, Cæſareæ, Palæſtinæ urbe, natus, vir omni refertus genere eruditionis fuit. Pamphilum carceri incluſum impenſe amavit, eandemque ob cauſam ipſe periculo expoſitus. Nunquam tamen eò pervenit dementiæ, ut abnegata Chriſtianorum fide, Gentilium Diis immolaverit, prout multi, odio & livore ducti, ipſum falſò accuſant. Ex carcere ſalvus evadens, Cæſareenſium Epiſcopus conſtituitur. Concilio Niceno anno 325. interfuit, atque Imperatorem ſermone Panegyrico excepit. Anno 330. Sedem Antiochenam ipſi oblatam, reſpuit, atque anno 340. diem obiit ſupremum. Cæterum notari meretur illa, quæ inter eruditos ante paucos annos agitata fuit, de Euſebii Cæſareenſis Arianismo, Controverſia. Abſolverat eundem Guilielmus Cave, *in Vita Euſebii*, quam cum aliis, patrio ſermone, vulgaverat. Hoc ægre ferens Jo. Clericus, Cavei ſententiam vellicavit, T. X. *Bibl. Vniverſ. & Hiſtor.* p. 474. Hinc cum aliquis *Vitas* Clementis Alexandrini, Euſebii Cæſareenſis, Gregorii Naz. & Aurelii Prudentii, *ex Clerici Bibl.* T. X. & XVIII colligeret, atque ſub Clerici nomine ſeorſim ederet, Cl. Cave eidem oppoſuit *Diſſertationem de Euſebii, Cæſareenſis, Arianismo*, quâ illum ab omni ejusdem criminis nota, penitus abſolvit. Quî enim ille fuerit Arianus, qui Chriſtum αὐτοθεὸν pluribus in locis pronunciavit, atque Nicenæ Synodo longo & accurato inſtituto

exa-

examine, ſincerè & ex animo ſubſcripſit. Confutat idcirco quoque Petavium doctiſſimus Caveus, *Vit. Patr. Primit.* T. II. *in Vita Euſebii, num.* 22. & *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 92. qui licet concedat, multa duriuſcule & liberius dicta fuiſſe ab Euſebio, Platonis doctrinas profitente, Arianam tamen hæreſin eum propagaſſe, nullatenus contendit. Multa literis conſignavit Euſebius ex quibus præcipua Lat. Baſileæ 1570. & 1579. Paris. 1581. prodierunt. *Chronicon ejus bipartitum*, prodiit cura Joſ. Scaligeri, Lugd. Batav. 1606. & auctius Amſtelodami, 1658. f. *Præparationis Evangelicæ* Libr. XV. opus nobiliſſimum, Paris. 1544. & lat. Colon. 1539. gr. lat. cum animadverſionibus Fr. Vigeri, Paris. 1628. f. excuſi ſunt. *De demonſtratione Evangelica* Lib. XX. ex quibus X. ſaltem ſuperſunt, vulgati gr. Paris. 1545. & gr. lat. ibidem, 1628. fol. & cum *Præpar. Evangel.* Libris, græcè apud Robertum Stephanum, 1544. 1545. typis nitidiſſimis expreſſi. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Lib. X. produxit gr. Robertus Stephanus, Paris. 1544 f. gr. lat. prodierunt Genev. 1611. fol. & cura Valeſii, Pariſiis, 1659. 1671. Francof. 1672. f. *de Martyribus Palæſtinæ* Liber, *Hiſt. Eccleſ.* Lib. VIII. annexus. *Contra Hieroclem* Liber, qui cum Libris *de Præparat. Evangel.* Paris. 1628. f. & ad calcem Philoſtrati, de *Vita Apollonii Tyanæi*, vulgatus eſt. *Contra Marcellum*, Lib. II. *de Eccleſ. Theologia*, Lib. III. Paris. 1628. f. *Epiſtol. ad Cæſareenſes de fide Nicænâ*, apud Socratem, Lib. I. c. VIII. Theodor. Lib. I. c. 12. *De Locis Hebraicis*, cum Hieronymi & Jac. Bonfrerii verſionibus, Pariſiis 1631. & 1659. & cum animadverſionibus Jo Clerici, Amſtelodami, 1707. fol. *Orat. de Laudibus Conſtantini, de Vita Conſtantini*, Lib. IV. *Expoſitio in Canticum Canticorum* gr. extulit cum Polychronio & Pſello, Meurſius, Lugd. Batav. 1617. *Commentarios in Pſalmos & Eſaiam*, gr. & lat. Bernhardus de Montfaucon, extulit, *in Collectione nova Patrum & Scriptorum Græcorum*, anno 1707. T. I. & II. *Vitas Prophetarum*, Joh. Curterius, Pariſiis, 1580. f. *Canones Sacrorum Evangeliorum* X. habentur ex Hieronymi verſione, in *Bibl. Patr.* & alibi. *Apologiæ pro Origene* lat. a Ruffino redditæ, inter *Hieronymi Opera*, *Sermonum* quorundam excerpta exhibet Combefiſius, *Auct. Nov.* T. I. p. 779. Scripta Euſebii anecdota, deperdita, dubia, laborioſe collegit Guil. Cave, l. c. P. I. p. 94. ſeq P. II. p. 41. quæ proinde non transſcribimus. Stylus Euſebii, judice Photio, *Cod.* 13 *Phraſi neque jucundus uſpiam, neque perſpicuus.* Agit de Euſebio Pamphilo, poſt alios, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 1.

EVSEBIVS.

Epiſcopus Theſſalonicenſis, anno 601. clarus, Andream, Monachum, Aphthartodocitarum hæreſi addictum, peculiari *reſponſione* confutavit, ejusdemq; literas nugis refertas, funditus deſtruxit. Cum autem denuo alio quidem opere ſententiam ſuam defendere aggrederetur Andreas, totam controverſiam *X. Libris* tractavit, quorum fragmenta pariter atque *Reſponſiones* exhibet Photius, *Cod.* 162. Conf. de eo Cave, *Hiſt. Litter.* T. I. p. 313. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 11.

EVSEBIVS VERCELLENSIS.

Gente Sardus, Eccleſiæ Romanæ Lector & Vercellenſis poſtea Epiſcopus, anno 354. claruit, Arianam Sectam maxime impugnavit, hinc in exilium actus, atq; martyr factus, ab Arianis quippe lapidibus obrutus, anno 371. vulgò creditur. Vide Spondanum, ann. 355. 371. Commentarios Euſebii Cæſareenſis in Pſalmos, latinè reddidit, quorum Hieronymus, *de Scriptor.* c. 96. meminit. Scripſit quoque *Epiſtolas III.* ad Conſtantium, Imperatorem, ad Patrophilum, Epiſcopum Arianum, & ad Vercellenſes ſuos, de quibus Baronius, ann. 355. n. 7. ann. 356. n. 92. Surius, ad d. Aug. I. *Aliam*, ad Gregorium, Epiſcopum Hiſpanum, exhibet Hilarius, *in fragment.* col. 433. De eo Hieronymus, *de Scriptor.* c. 96. Honorius Auguſtod. Lib. I. *de Scriptor.* c. 97. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 40, Caſim. Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 29. Guil. Cave, *Hiſt. Litter*, p. 118. Du Pin, *loco citato*, T. II. p. 235.

EUSEBIUS.

Aliquis alius, præter modò dictos, ſupereſt, Epiſcopus & autor incertæ ætatis, cujus *Orationem de Commemoratione Sanctorum*, ex editione Lugdunenſi Galleti, *Collectores Bibl. Magn. Colon.* T. XV. f. 994. exhibuerunt.

EUSTATHIUS.

Side, Pamphyliæ urbe, oriundus, Beroenſis primum, poſt Antiochenus Epiſcopus, anno 325. maximè inclaruit, vir Arianis infenſiſſimus, eorundemque dolis variè oppreſſus. Modo enim Sabellianismi circa doctrinam, modo fœdæ libidinis, circa mores, falſò accuſatus, Trajanopolim in Thracia relegatus eſt, ibidemque

ſancto fine quievit. Laudant eum a Vitæ, & morum ſanctitate, imò doctrinæ veritate Athanaſius & Sozomenus. Adſcribitur Euſtathio *Oratio brevis ad Conſtantinum*, Imperatorem, quam lat. exhibet Surius, d. X. Julii, gr. lat. Combefiſ. *Auctuar.* T. II. p. 547. *Commentarium in Hexaemeron* primus gr. & lat. cum notis vulgavit Leo Allatius. Lugd. Batav. 1629. 4. quem tamen plerique ex eruditis, aut depravatum, aut ſpurium, dijudicant. *Diſſertatio de Engaſtrimytho*, adverſus Origenem, ab eodem Allatio vulgata, & inter *Crit. S.* Londini, T. VIII. Alia, quorum ſaltem ſuperſunt fragmenta, memorat Cave, P. I. p. 100.

EVSTATHIVS.

Vir elogio Caſſiodori, *Divin. Lect.* c. 1. diſertiſſimus, anno 440. clarus, Baſilii *Homilias IX. in Hexaemeron*, lat. vertit, quæ verſio, in *editione Baſilii*, Paris. 1603. Antwerp. 1616. habetur. Plura de Euſtathio, Sigebertus, *de Scriptor.* c. 21. Aub. Miræus, *in notis ad Sigebertum*, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 85. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 241. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 230.

EVSTRATIVS.

Presbyter Conſtantinopolitanus, probabiliter ad annum 560. referendus, non vero 660. prout hallucinatur Caſimirus Oudinus. Compoſuit *Librum de vita functorum ſtatu*, quem cum verſione latina, mutilum licet in fine, primus protraxit Leo Allatius, Libro de Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ in materia de Purgatorio conſenſione, Romæ, 1655. 8. à p. 319. ad 581. & habetur in *Bibl Patr. Lugd.* edit 1677. Fruſtra autem hunc unicum Tractatum in tres diſpeſcuerunt Aubertus Miræus & Caſimirus Oudinus, quos ideò atro carbone notavit Guilielmus Caveus. Cumprimis, quod idem Oudinus noſtro Euſtratio perperam adſcribat *Commentaria in poſteriora Analytica Ariſtotelis*, Venetiis græce edita, 1534. & *in Ariſtotelis Ethica*, græcè, ibidem 1536. lat. Pariſiis, 1543. quæ tamen ad Euſtratium, Niceæ Metropolitam, pertineant. Adde tamen genuinum Euſtratii Libellum *Vitam Eutychii*, Patriarchæ Conſtantinop. quem exhibet lat. Surius, menſe Aprili. Græcè Jo. Papebrochius, in Act. SS menſe Aprili. Hanc tamen *Eutychii vitam*, Euſtratio, à noſtro diverſo, tribuit Oudinus, p. 141. Stylum ejus quod attinet, *Oratione quidem*, teſte Photio, *Cod.* 171, *uſus eſt minimè laudabili, ſed argumentis*

tis non admodum culpandis: dictio tamen ipſa perſpicua eſt. Agunt de Euſtratio Poſſevinus, *in appar. S.* Aub. Miræus, *in Auctar.* c. 188. p. 217. Labbeus, *in brevi Chronologia Eccleſ. Script.* ad ann. 650. Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 173. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 294 P. II. p. 112. du Pin, *loco citato*, T. V. p. 148.

EVSTRATIVS.

Metropolita Nicenus, anno 1110. clarus, ſcripſit contra Chryſolanum, *Opus, de Proceſſione SS.* quod in Manuſcripto Bibliothecæ Vallicellanæ deliteſcit. *Commentarios in poſteriora Analytica* Ariſtotelis, gr. Venet. 1534. *Comment. in Ariſtotelis Ethica*, græcè, ibidem, 1536. Latinè, Pariſiis, 1543. Conf. Leonem Allatium, *de Conſenſu*, L. II. c. 10. & Guil. Caveum, P. I. p. 446. & P. II. p. 221. ubi ejus *Confeſſio* ſeu *Revocatio* commemoratur. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 198.

EVTHALIVS.

Diaconus incertæ Eccleſiæ, ut ait Sixtus Senenſis, L. 4. *Bibl.* natione græcus, vir pius & eruditus, ſcripſit *διήγησιν*, ut vocat, ſive *enarrationem de vita & peregrinatione S. Pauli Apoſtoli*, quæ græce & latine, una cum *vita Pauli*, ex Hieronymo, à Sophronio olim græcè conſcripta, excuſa eſt, Francof. ad Oderam, anno 1601. & habetur ad calcem N. T. à Boeclero editi, Argentorati, 1645. 12. & in altera editione *Curcellaana*. Commentarios in Evangelium Lucæ & in acta Apoſtolorum, qui in Bibl. deliteſcunt. Alius autem eſt *Euthalius Rhodius*, S. Baſilii Monachus, qui ad imitationem Hugonis Carnotenſis, anno 1300. *Opus Concordantiarum Bibl. græc.* collegit. vid. Sixt. Senenſem & confer Labbeum, T. I. p. 800. De Euthalio, Diacono, adeas, Guil. Caveum, P. I. p. 175.

EVTHERIVS.

Metropolita Tyanenſis, Cyrillo infenſiſſimus, Neſtorio contrà amicus, nunquam tamen ejus errores adprobans, anno 431. floruit. Cum autem Neſtorii cauſam contra Cyrillum ſtrenue defenderet, ex Eccleſia dejectus, Scythopolimque fugatus, atque exinde quoque pulſus, Tyri tandem obdormivit. Habentur ejus *Epiſtolæ V.* lat. inter Lupi Epheſinas, num. 73. 74. 116. 117. 201. gr. lat. *Sermones* XVII. quos Garnerius Eutherio vendicat, inter *Opera S. Athanaſii*, T. II. p. 245. & ad calcem *Auctuarii* Theodoriti, à Garne-

rio editi, Pariſiis, 1684. Habet ejus mentionem Cave, P. I. p. 234. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 67.

EVTHYMIVS ZIGABENVS, vide ZIGABENVS.

EVTROPIVS.

Gente Hiſpanus, ex Abbate Monaſterii Servitani, Eccleſiæ Valentinæ Epiſcopus factus, anno 599. vixit, atque ad Licinianum, Carthaginenſem Epiſcopum, *Epiſtolam*, de Chriſmatis unctione baptizatis infantibus conceſsâ, ſcripſit, quâ Licinianum conſuluit. Quæ quidem Epiſtola jam dudum deperiit. Reſtat vero *alia*, ad Petrum, Epiſcopum Ittabicenſem, de diſtrictione Monachorum & ruina Monaſteriorum, quam exhibet Lucas Holſtenius, *in Codice Regularum*, Pariſiis, 1663. *append.* p. 82. Loquuntur de Eutropio, Iſidorus Hiſpalenſis, *de Scriptor.* c. 32. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 153. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 308. Elias du Pin, *loco citato*, T. IV. p. 148. Confer, quæ de aliis Eutropiis annotavit Trithemius, Libro, *de Scriptor. Eccleſ.* p. 18. a. p. 48. a. & Jo. Alb. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 577.

EVTYCHES.

Presbyter & Archimandrita Conſtantinopolitanus, in Concilio Epheſino contra Neſtorium ſtrenue pugnavit, magnamque ſibi exinde famam comparavit. Cum autem unicam ſaltem in Chriſto, poſt unionem, naturam contenderet, erroremque hunc noxium ubivis propalaret, in Synodo Conſtantinop. anno 448. celebrata, damnatus eſt. Et quanquam variis dolis errorem ſimularet, cauſa tamen cognita in exilium pulſus, atque anathemate in Concilio Chalcedonenſi, anno 451, percuſſus eſt. Extat ejus *Confeſſio fidei* Synodo Epheſinæ oblata, *Concil. T. IV.* p. 134. *Supplicationes duæ*, ad Theodoſium Aug. *ibidem*, p. 241. 150. Lat. *Epiſtola ad Leonem, Papam*, cum fragmento *Confeſſionis*, inter *Epiſtolas Lupi Epheſinas*, num. 222, 223. Conf. Cave, P. I. p. 250. & poſt alios Godof. Arnoldus, *loco citato*.

EVTYCHIANVS.

Eccleſiæ Adanenſis in Cilicia Clericus, anno 538. floruit, ſub Juſtiniano, Imperatore, atque ſcripſit *Hiſtoriam pœnitentiæ & converſionis S. Theophili*, quam latinè ediderunt Surius & Bollandiani, d. Febr. IV. p. 480. Græcè manuſcripta habetur in Bibl. Vindobonnen-

nenſi. Hujus Hiſtoriæ fidem ſuſtentare quidem laboravit Lambecius, *Comment.* L. VIII. p. 76. aſt, quo ſucceſſu, ipſe Lector judicet. Evolv. quoque hanc in rem Guil. Cave, P. II. p. 109.

EVTYCHIVS.

Batrici filius, gente Ægyptius, ex civitate Foſtat oriundus, ex Medico inſigni, anno 933. Patriarcha Conſtantinopolitanus factus, anno 950. obiit. Scripſit, arabico ſermone, *Annales ab O. C.* ad annum 940. ſub titulo *Contextionis Gemmarum*, ſatis fabuloſos, quorum ἀποσπασμάτιον ſub titulo, *Originum Alexandrinarum*, arabice & latine cum notis, produxit Seldenus, Londini, 1642. 4. Integros autem *Annales* arabice & lat. extulit Pocockius, Oxonii, 1659. 4. Alia Eutychii Opuſcula, ut ſunt, *Liber de rebus Siciliæ, diſputatio inter Heterodoxos & Chriſtianos*, memorat Hottingerus, *Bibl. Orientat.* c. 2. p. 71. 84. & *Hiſt. Eccleſ. Sec. X.* p. 37. & ex eo Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 407.

EVTYCHIVS.

Monachus, vir admodum doctus, poſtquam quæſtionem, *utrum mortuos anathemate ferire liceat*, tùm temporis maximè ventilatam, illico ſolviſſet, anno 553. Mennæ, in Patriarchali Sede, ſucceſſor ordinatus eſt, atque eodem anno Synodo Conſtantinop. præfuit. Anno autem 564. cum Juſtiniani, Imperatoris, de incorruptibilitate ſangvinis Chriſti ante reſurrectionem, edicto ſubſcribere detrectaret, in exilium pulſus eſt. Poſt varias tamen fortunæ viciſſitudines Sedi ſuæ anno 578. reſtitutus, anno 585 placide obdormivit. Habetur ejus *Epiſtola* unica, ad Vigilium, Papam, gr. lat. *Concil.* T. V. p 425. De reliquis ejus ſcriptis, nunc quidem deperditis, adeas, Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 292. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII p. 4.

F

JACOBVS FABER STAPVLENSIS.

Sorbonicus Theologus, Stapulis, ignobili Picardiæ portu, natus, Belgicæ, quin imò totius Galliæ, unicum decus, prout au-

dit in additionibus libri Trithemii, *de Scriptor. Eccleſ.* anno 1503. renaſcentibus literis facem prætulit, uti loquitur Thuanus, *Hiſt.* Lib. XVII. fin. atque confeſſoribus fidei, non immeritò accenſetur. Teſtantur illud tot eximia, quæ fabrili ſua incude cudit, opera, prolixe recenſita Simlero, *epit. Bibl. Geſner.* p. 314. Ex illis huc ſpectant, Philoſophica enim non attendimus, *Comment. in Eccleſiaſten: Liber de Tribus Magdelenis: Comment. in Richardum de SS. Trinitate: Scholia in Dionyſium Areopagitam: De ornatu ſpiritualium nuptiarum Comment. in Hugonem de S. Victore:* Præterea *ejusdem Comment. in IV. Evang. Baſil.* 1523. Colon. 1541. excuſi. *Comment. in omnes Pauli Epiſt.* Coloniæ & Pariſiis, 1512. *Comment. in Epiſt. Cathol.* Baſil. 1527. *Quintuplex Pſalterium*, Paris. 1513. Argumenta *Epiſtolarum S. Ignatii & Polycarpi*, Baſil. 1520. *Damaſceni Lib. IV. de Orthodoxa fide*, Jac. Fabro interprete, Paris. 1570. Adde *Diſceptationem de Deſcenſu Chriſti ad inferos*, contra *Nicolaum de Cuſa*, Cardinalem & Epiſcopum Brixienſem, motam, quam recudi & *Tractatui ſuo de Deſcenſu ad inferos* annecti fecit Dan. Cramerus, Stetini, 1615. Vixit Faber 101. annos, purus ab omni contagione muliebri, atque obiit anno 1537. De ejus εὐθανασία vid. Hubertus, Thomas Leodius, *Annal. Fr. II. Palat.* f. 229. b. De eo præter citatum Simlerum, agunt Paulus Jovius, *in Elog.* n. 121. Sauſſay, in *Continuato Bellarm. de Script. Eccl.* p. 25. Koenigius, *in Bibl.* Jacob Verheiden, *elog. Theolog. qui contra Papatum ſcripſerunt.* Miræus, *de Scriptor. Sec. XVI.* Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. XIV. p. 157. Freherus, *in Theatro*, p. 149. Bayle & Buddeus, *in Lexicis.*

FABIANVS.

Hugelinus, aliique Minoritæ, circa annum 1230. clari autores extiterunt *Vitæ S. Franciſci & Franciſcanorum*, Colon. 1623. 8. editæ cum caſtigatione Philippi Bosquieri. Conf. de Fabiano Lucas Waddingus, *in Bibl. Ord. Minor.* p. 292. & Oudin, *in Suppl. Bellarm.* p. 498.

BARTHOLOMÆVS FACIVS.

Italus Genuenſis, domo Spedianus, vir græce & latine eruditus, Laurentii Vallæ æmulator ſtrenuus, temporibus Nicolai V. P. R. anno 1450. floruit, atque varia, gloriæ cupidus, literis mandavit. Etenim, præter hiſtorica, in quibus majorem elegantiam ac fidem mireris, ſcripſit *de humana vitæ felicitate*, ad Alphonſum, A-

ra-

tagoniæ Regem, qui Tractatus Antwerpiæ, 1556. 8. prodiit. Librum, *de excellentia & præſtantia Hominis*, ad Nicolaum V. P. R. quem cum Præfatione & notis vulgavit Marquardus Freherus, Hanov. 1611. 4. Plura ejus Scripta, partim impreſſa, partim manuſcripta exhibet Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 309. quibus, cum huc non faciant, facile ſuperſedemus Conf. Paulus Jovius, *Elog. Doct.* c. 109. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* l. III. c 5.

FACVNDVS HERMIANENSIS.

In Africa Provinciæ Bizacenæ Epiſcopus, anno 540. clarens, ſcripſit Lib. XII. pro *defenſione trium Capitulorum Concilii Chalcedonenſis, ad Juſtinianum Auguſtum*: Lib. *contra Mutianum Scholaſticum*, Africanos Epiſcopos ob denegatam Vigilio communionem, redarguentem, quæ opuſcula primus protraxit, notisque illuſtravit Jacobus Sirmondus, Paris. 1629. 8. Recuſa ſunt cura Philippi Priorii, ad calcem *Optati Milevitani*, Paris. 1675. fol. Cui *Epiſtola* ejusdem argumenti a Facundo ſcripta, atque antea a Dacherio, *Spicil.* T. IV. p. 106. edita, acceſſit. Singula hactenus recitata, vide *Bibl. Patr.* T. X. p. 1. 109. De eo Iſidorus, *de Viris Illuſtr.* c. 19. p. 86. Poſſev. *in app. S.* Aub. Miræus, *in Bibl. Eccleſ. Schol. ad cap.* 19. Natal. Alex. *Sec. VI. c. 4. p. 156. ſeqq.* Cave, P. I. p. 289. qui poſt alia notatu digna locum ex Facundo de SS. agentem, adducit, atque de eodem diſſerit. Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 118. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 75.

FASTIDIVS.

Priſcus appellatus, Britannus, nationisque ſuæ, dicente Gennadio, *de Scriptor.* c. 56. Epiſcopus, &, ſi Pitſeo fides habenda eſt, Londinenſis, extitit. Claruit anno 420. Scripſit *ad Fatalem*, piam Viduam, *de Vita Chriſtiana & viduitate colenda*, libellum aureum, qui inter *opera Auguſtini* T. IX. p. 888. habetur, absque Faſtidii mentione. Eidem tamen reſtituit Lucas Holſtenius, Romæ, 1663. Cæterum, Caveus, P. I. p. 221. notat Gennadium, hunc librum in binos: Baleum, in IV. Libros, diſpeſcentes. Agunt de Faſtidio, præter citatos autores, Trithemius, Honorius Auguſtod. Labbeus, T. I. p. 148. Oudin, l. c. p. 81. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 210.

FASTREDVS.

Abbas Clarævallenſis, anno 1161, floruit, quo Synodum Toleſa-

leſanam frequentavit. Scripſit *Epiſtolam ad Omnibonum*, Epiſcopum Veronenſem, Acta Synodi Toloſanæ exhibentem, quæ extat *Concil. T. X.* p. 1407. Meminit ejus du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 78.

FAUSTINUS.

Schismatis Luciferiani Presbyter, qui Gennadio, c. 16. anno 390. in Gratiam Auguſtæ Flaccillæ, Theodoſii M. Imper. Uxoris, *adverſus Arianos & Macedonianos Lib. VII. de fide* ſcripſit, extantes, *Orthodox. Patr. Lat. I.* f. 2000. itemque, *T. IV. Bibl. Patr. Paris.* 2. f. 839. qui quidem libri, eodem, quod mireris, T. IV. f. 1273. reperiuntur, ſub nomine Gregorii Bætici, Eliberitanæ Sedis Antiſtitis, editi, ſed perperam, vid. Labb. p. 313. & Schottum, *Bibl. Hiſp.* T. III. p. 451. & 485. Ejusdem quoque Fauſtini ac Marcellini ſeu Marcelliani de Luciferiana hæreſi ſuſpectorum, *Libellum precum*, Imperatoribus, Valentiniano, Theodoſio atque Arcadio, pro Urſicino, Antipapa, contra Damaſum, anno 384. oblatum cum Fauſtini *Confeſſione fidei & Theodoſii Reſcripto*, Sirmondus ann. 1650. 8. publicavit. Recuſa cum notis Fauſtini Opuſcula prodierunt, Oxonii, 1678. 8. P. I. p. 161. De eo poſt Gennadium, Trithemium, Bellarminum, Miræum, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 161. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 241.

FAUSTUS.

Apolloniadis Epiſcopus, anno 484. clarus, ſcripſit *Epiſtolam adverſus Petrum Fullonem*, ejusdem q; clauſulam Triſagio additam, quæ extat gr. lat. *Concil.* T. IV. p. 1113. De eo Cave P. I. p. 261.

FAUSTUS.

Afer Milevitanus, Manichæorum in Africa Epiſcopus, Vir, ut ipſum depingit, Cave, P. II. p. 61. eloquio ſvavis, ingenio callidus, loquax potius, quam eloquens, ſciolus magis, quam ſolide doctus, anno 400. vixit. Cum ipſo admodum familiariter Auguſtinus verſatus, qui poſtea tamen ejus *Volumini adverſus Catholicam veritatem ſcripto*, libros XXXIII. oppoſuit, eundemque ex inſtituto confutavit. Extat opus utrumque, T. VI. *Col.* 213. De Fauſto conſulas ipſum Auguſtinum, Lib. I. & *Confeſſ. L. V.* cap. 3. 5. ſeqq. & Tillemontium, *memoires pour ſervir à l' Hiſtoire Eccleſ.* T. XIII. Godofredum Arnoldum, *Hæreſeol.* & alios.

FAV-

FAUSTUS.

Natione Italus, ſeptennis in Caſino oblatus & a S. Benedicto cum Mauro, Caſinenſi Præpoſito, in Gallias directus, poſt ſuam reverſionem, Beati Mauri Vitam ex juſſione Abbatis Theodori compoſuit. Claruit anno 601. obiit circa ann. 620. Extat *Vita S. Mauri*, quam ad Bonifacium III. ſcripſit quanquam ab Odone, Abbate Glannafolienſi, interpolata, apud Surium & Bollandum, d. Jan. XV. & Mabillonium, *Sec. Bened. I.* p. 274. *Vita verò S. Severini*, Abbatis, apud Mabillonium, ibidem p. 568. Hæc ex Petro Diacono *de Viris Illuſtr. Caſinens.* p. 5. & Joh. Bapt. Mari *notis* p. 6. ſeq. Conf. & Oudin p. 154. qui de Vita S. Mauri a Fauſto ſcripta multos dubitare, idque non ſine rationibus, adſeverat.

FAUSTUS.

Rejenſis Habitaculo, Gallo-Britannus ortu, circa ann. 472. ex Lerinenſi Abbate, electus Rejorum poſt S. Maximi deceſſum Epiſcopus, fama literisque nobiliſſimus, Sidonio coætaneo proſâ metrôque celebratus, ab inſulſis quibusdam & a Baronio exſufflatis, uti Labbeus loquitur, T. I. p. 315. Benedictinos inter male numeratus. Semipelagianum ipſum extitiſſe ſatis ſuperque perſpectum eſt. Obiit anno 480. vel juxta alios, 485. Scripta ejus, quæ aliàs ſparſim exhibebantur, in unum nunc collecta extant, *Bibl. Patr. noviſſ.* T. VIII. p. 523. Sunt autem, de *Gratia Dei & libero Arbitrio : Epiſtola ad Lucidum Presbyterum : Libellus de Creaturis, quod in illis nihil ſit incorporeum : Sermo ad Monachos : Epiſtolæ ad diverſos. Profeſſio fidei ad Leontium, Epiſcopum Arelatenſem. Sermones aliquot ſub Euſebii Emeſeni nomine lati : Epiſt. ad Gratum Diaconum : Epiſt. de Poenitentia ad Foelicem Patricium : Reſponſio ad objecta quædam, de ratione fidei Catholicæ : De variis quæſtionibus ad Paulinum :* Alia verô *de Spiritu S. & contra Arianos & Macedonianos*, Gennadio memorata, jam pridem perierunt. Conf. de Fauſto, Gennadium c. 85. & Cyprianum, *in notis ad eundem.* Vincent. Barral. *Chron. Lerin.* p. 52. ſeq. Sanmarth. *Gall. Chriſt.* T. III. f. 399. Trithemium, Bellarminum, Caveum, P. I. p. 259. Voſſium & Henricum Noriſium, *in Hiſtoria Pelagiana.* Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 242.

FELICIARIUS.

Hunc Chriſtianus Daumius, *præfatione* ſæpius laudatarum Homili-

 mili-

miliarum a SS. Patribus feſto J. C. Natalitio habitarum, n. 21. breviter deſcribit, quod Arelatenſis Epiſcopus extiterit atque inclaruerit *Opuſculo admonitionum quarundam atque interpretationum locorum aliquot SS. difficilium*, edito una cum *Speculo Eccleſiæ* ſeu *Sermonibus Honorii Auguſtodunenſis*, Colon. 1531.

FELINVS vide SANDEVS.

FELIX.

Anglus, in Provincia Merciorum ortus, Monachus Croilandenſis, anno 715. clarus, Rhetor atque Poeta, ſcripſit *Vitam S. Guthlaci, Presbyteri & Eremitæ Croilandenſis*; quæ extat apud Surium, d. XI. *April.* & Mabillonium, *Sec. Ben. III. par. I.* p. 263. De eo Cave, Oudin Simlerus, & alii.

FELIX FABRI.

Germanus, Tigurinus, ex nobili Schmidiorum familia ortus, Ord. Dom. Monachus, Monaſterii Vlmenſis Lector & Prædicator, anno 1483. clarus, Bernhardi Breitenbachii in itinere Hieroſolymitano individuus Comes, ſcripſit *Hiſtoriam Svevorum*, quam Goldaſtus inter *Svevicarum rerum Scriptores* extulit, Francof. 1605. 4. Tribuitur ipſi *Hiſtoria Peregrinationis Hieroſol.* ſub Breitenbachii nomine edita, Mogunt. 1486. Spiræ, 1490. 1502. fol. quam dubio procul junctis viribus conſignaverunt. Conf. Cave, P. II. p. 316.

FELIX MALLEOLVS vide MALLEOLVS.

FELIX III. P. R.

Gente Romanus, Felicis Presbyteri filius, anno 483. Sedem Papalem conſcendit. Petrum Fullonem, Deum crucifixum eſſe, aſſerentem, clauſulamque Triſagio addentem: *Qui crucifixus es pro nobis*, Synodo damnavit. Obiit anno 492. Scripſit *Epiſtolas XV.* quarum duæ ad Fullonem, unica ad Zenonem, Imperatorem, quæ gr. lat. habentur, *Concil. T. IV.* p. 1097. Plura de lite, quæ ipſi cum Acacio interceſſit, refert Cave, P. I. p. 261. & Heideggerus, *Hiſtor. Papat.* Ludovicus Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 72. Du Pin, T. IV. p. 257.

FELIX IV. P. R.

Gente Samnita, Caſtorii filius, Joh. P. R, in carcere mortuo, a Theo-

Theodorico Rege, Succeſſor ejus conſtitutus, Sedique Papali anno 526. impoſitus. Pietatem ejus teſtantur omnes, conqueruntur ſaltem cum Baronio, de electione a Theodorico facta. Obiit Felix, anno 530. Scripſiſſe dicitur *III. Epiſtolas*, quæ *Concil.* T. IV. p. 1650. reperiuntur, quarum tamen duæ priores ſuppoſititiæ ſunt, ut ipſe Labbeus, Papebrochius, aliique complures, lubentiſſime fatentur. Conf. autores modo allegatos & adde du Pinium, T. V. p. 43.

FELIX.

Ortu Hiſpanus, ex Epiſcopo Hiſpalenſi, Archi-Epiſopus Toletanus factus, Synodo Toletanæ XVI. præfuit, qua Cisbertus, anteceſſor ejus, ob proditionem in Regem, Egicam, damnatus eſt. Obiit 702. Scripſit *Vitam Juliani, Epiſcopi Toletani*, quæ *Ildefonſi Scriptorum Catalogo*, appendicis loco, annecti ſolet.

FELIX PRATENSIS.

Pſalterium tranſtulit juxta Veritatem Hebraicam, quod prodiit, Baſileæ, 1524. cum argumentis in ſingulos Pſalmos & piis aliquot Canticis. Conf. Simlerus p. 196.

FERREOLVS.

Narbonenſis Gallus, e nobiliſſimis parentibus ortum accepit, cujus Pater Ansbertus, Senator, Clotharii, Regis Francorum, filiam, *Blithildem*, matrimonio ſibi adjunxit. Firmiano defuncto in ejus locum Epiſcopus Ucetienſis eligitur Ferreolus, atque poſt Cœnobium, a ſuo nomine *Ferriolanenſe* dictum, extrui curavit. Ob arctam cum Judæis, quos ad Chriſtianismum adducere laborabat, amicitiam, Pariſios quidem relegatus, poſt tres annos ſtatim Ucetiam revocatus eſt. Obiit anno 581. Scripſit *Regulam Monachorum ſuorum*, quæ habetur *in Codice Regularum Holſtenii*, P. II. p. 69 ſeqq. *Libros aliquot Epiſtolarum, ad imitationem Sidonii*, ut Gregorius Turonenſis, *Hiſt. L. VI. c. 7.* teſtatur, qui tamen interierunt. Conf. pluribus Caveum, P. I. p. 293. Oudinum, p. 141. ſeq. Eliam du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 91.

FINVS HADRIANVS.

Ferrarienſis, quem Simlerus *Adrianum Finum* ſcribit, Scripturarum Ducalis Fiſci Magiſter, Senex adhuc anno 1503. ſuperfuit, ut

ipſemet ſe prodit, *prooemio Flagelli*, quod ſcripſit, contra Judæos, Lib. IX. diſtincti. Prodiit illud, Venet. 1538. 4t. Vid. Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 133. Poſſevinus, *in app. S.* & ex eo Quenſtadius, *de Patriis illuſtrium. Vir.* p. 335.

FIRMILIANVS.

Cæſareæ Cappadocum Epiſcopus, qui anno 233. genere, pietate atque eruditione floruit, Origene admodum familiariter uſus eſt. Ob Cypriani de rebaptizandis hæreticis dogmatis defenſionem male a Stephano P. R. habitus fuit. Synodo Antiochenæ, adverſus Paulum Samoſatenum celebratæ, anno 265. interfuit, Paulique errorem execravit, a Perſonæ autem condemnatione, ob ſperatam revocationem, abſtinere maluit. Synodo deinde Antiochenæ II. anno 270. convocatæ, iterum adeſſe volens, jamque Tarſum appellens, grandævus ibidem expiravit. Extat inter *Epiſtolas Cyprianicas Firmiliani ad Cyprianum Epiſtola*, latine, ut Cave, P. I. p. 62. exiſtimat, ab ipſo Cypriano, reddita. Aliorum ejus Scriptorum Baſilius quidem meminit, *de Spiritu S.* c. 29. p. 360. quot vero vel quænam fuerint, non indicavit. Agit de eo Euſebius, L. VII. c. 30. Baronius ad ann. 233. 258. 266.

FLAVIANVS.

Patria, ut divinatur, Cave, P. I. p. 160. Antiochenus, Monachus primum, poſt Presbyter & demum Meletii in Sede Antiochena Succeſſor. Huic, non vero Ignatio, ut Socrates L. 6. c. 8 falſo exiſtimavit, originem debet Pſallentium chorus, duas in partes diviſus, eo, quod primus Davidis Pſalmos alternatim canere docuit. Monachus adhuc adverſus Arianos ſcripſit, atque Leontio, Epiſcopo, ſe maſcule oppoſuit. Schisma, quod electione ſua ad Epiſcopatum admodum prævaluit, prudentia quoque poſt Paulini mortem ſedavit. Obiit anno 404. *Epiſtolas* aliquot reliquit, quarum *unam*, ad Oſroenos Epiſcopos, *alteram* ad Armenum quendam Epiſcopum, memorat Photius, *Cod.* 52. *Homilias* quasdam, è quarum *una* de Joh. Bapt. fragmenta exhibet Theodoritus, *Dial. I.* p. 43. & ex *Homilia in Theophania* & *Tract. in Evangel. Lucæ*, Dial. 2. p. 105. Evolv. Basnage, *Hiſt. de l' Egliſe, T. I. Lib. III. c. 4. §. 13.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 160. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 6.

FLA-

FLAVIANVS.

Conſtantinop. Presbyter & S. Vaſorum donariorumque cuſtos, Proclo anno 447. ſucceſſit, atque Antiſtes Conſtantinop. ordinatus eſt. Ob Eutychem, quem damnaverat, ipſe depoſitus & male habitus fuit. De morte ejus admodum truculenta, quam Dioſcorus & Cryſaphius cauſaverant, agit doctiſſimus Cave, P. I. p. 149. qui ea de re ex Garnerio, *Diſſert. de Libris Theodoriti*, diſſeruit. Scripſit *Epiſt. II. ad Leonem P. R.* quæ extant *Concil. T. IV. p.* 13. *prima* lat. *altera* vero gr. lat. Prior autem gr. lat. habetur apud Cotelerium, *Monum. T. I.* p. 50. Baluz. *Nov. Collect. Concil.* p. 1373. *Libellus fidei, Theodoſio Imper. id petenti*, oblatus, gr. lat. *Concil.* loco citato. Conf. Eliam du Pinium, *loco citato*, T. IV. p. 204.

FLODOARDVS.

Quem aliqui *Frodoardum*, quod cum Pithoeo alii fecerunt, alii *Floardum* aut *Froardum*, alii *Flauvaldum*, ut Sigebertus & Fr. Spanhemius, Lib. *de autor. Epiſt. ad Hebr.* p. 131. ſcriptitant, Canonicus Remenſis & Culmiſiacenſis Presbyter, anno 940. floruit. A ſede ſua depulſus eſt ab Heriberto Comite, cui in eligendo ad Archi-Epiſcopatum Remenſem filio, Hugone, eodemque ſeptenni puero, contra dixerat. Ab ipſo tamen Hugone bene tractatus atque alii Eccleſiæ præfectus, ſenio fractus æt. 73. anno 966. vitam clauſit. *Chronicon* ab anno 919. ad 966. perductum, à fronte uno alterove anno mutilum, circa finem vero aliquot annis auctum, inter *Scriptores XII. rerum Franc. coætaneos*, primus Petrus Pithoeus, Pariſiis extulit, 1588. 8. & Francof. 1594. 8. Ejusdem *Hiſtoriam Antiſtitum Eccleſ. Remens.* Lib. IV. Georg. Colvenerius notis illuſtratam, anno 1617. 8. Duaci edidit, quam olim Nic. Quercetanus, 1580. Gallicè, & Jac. Sirmondus, 1611. 8. Paris. primò lat. publicaverant. Præter hæc meminit Cave, P. II. p. 184. Librorum XIV. *de Summis Pontificibus a Petro ad Leonem VII.* carmine heroico ſcriptorum, quorum partem protraxit Mabillon, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 596. Ex eodem Codice Carmelitarum in ſuburbio Germanenſi & quidem L. XIV. c. 18. *Vitam S. Columbani*, Sec. II. p. 30. *Attalæ Vitam.* ibid. p. 127. *Carmen de S. Bertulfo, Abbate Bobienſi*, ibid. p. 166. *Carmina* VIII. ex Libr. XIII. *de S. Benedicto*, in *Suppl. Sec. I.* quod extat ad calcem, *Sec. II.* p. 1095. Plura ſuppeditabunt Guilielmus Ca-

ve, *Hiſt. Litter. loco citato*, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. p. 347. Sigebertus, Trithemius, Bellarminus, Poſſevinus, du Pin, T. VIII. p. 44.

FLORENTINVS.

Gallus, Eccleſiæ Tricaſtinenſis in Provincia Arelatenſi Presbyter, anno 650 clarus, ſcripſit, juſſu Celſæ, Abbatiſſæ, *Vitam S. Ruſticolæ*, Abbatiſſæ Arelatenſis, cujus fragmenta ediderat Andreas du Chesne, *Hiſt. Franc.* T. I. integram verò Jo. Mabillon, *Sec. Ben.* II. p. 139. Conf. Cave, P. II. p. 131.

FLORENTIVS.

Aliàs *Bravonius* dictus, Anglus, Monachus Wigornienſis, homo utraque Scientia, divina & humanâ, eruditus, compoſuit anno 1118. *Chronicon ab initio mundi usque ad dictum annum*, quod Monachus alius Wigornienſis ad ann. 1141. continuavit. Hoc cura Guilielmi Howardi prodiit, Londini, 1592. 4t. Francof. 1601. fol. *Librum de Regum Anglorum Genealogiis*, qui extat ad *Calcem Chronici*, in editione Londinenſi. Obiit Florentius 1119. Conf. poſt Baleum, Pitſeum, Caveum, P. I. p. 453. Oudinus, p. 576. Du Pin, T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 189. & Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 48. p. 397. *Supplem. de Script.*

FLORVS.

Natione Gallus, Eccleſiæ Lugdunenſis Diaconus, qui & *Magiſter* dictus, Theodulpho Moduino & Agobardo, Epiſcopis Gallicanis, coævus, anno 837. maxime claruit, quo Concilio Cariſiacenſi interfuit. Collegerat ingentem manuſcriptorum codicum multitudinem, ex quibus præclaram eruditionem hauſit. Laudatur apprime Wandalberto & Walafrido, tam ob doctrinam uberem, quam ſingularem probitatem. Scripſit *Comment. in omnes Pauli Epiſtolas*, Bedæ falſò adſcriptos, inter cujus opera habentur. Floro eosdem reſtituit *Mabillon*, in *peculiari diſquiſitione*, quam vide *Analect. T. I.* p. 12. Comment. *in Canonem Miſſæ* habentur *Bibl. Patr.* T. XV, p. 61. *Paraphraſes Pſalmorum* XXII. XXVI. XXVII. & *Hymnos*, quæ extant *in Collectione Poetarum Chriſtianorum Fabriciana, in append. Bigneana*, p. 727. & in *Bibl. Patr.* T. VIII, p 667. & Lipſiæ, 1653. autore Rivino, qui in præfatione ſingularia de Floro exhibet. *Poemata varia*, Mabillon, *Anal. T. I.* p. 388. *Librum de Prædeſtinatione contra Joh. Scoti erroneas definitiones*, quem accuratiſſime edidit Gilbertus Mauguin,

guin, Paris. 1650. T. I. *Vindiciarum gratiæ & Prædeſtinationis* p. 575. ſeqq. *cum Sermone Flori de eadem materia* p. 21. *eodem Tomo.* *Collectionem ex Lege & Canonibus, de Coercitione Judæorum & auctoritate judicii & teſtimonio Epiſcoporum,* apud Dacherium, *Spicil.* T. XII p 48. *Collectionem, ex Sententiis Patrum de Electionibus & Officio Epiſcoporum,* quam habet Baluz. T. II. *ſui Agobardi* p. 254. Plura de eo relata leges apud Caveum, P. I. p. 370. ſeq. Oudinum, p. 244 ſeqq. Aub. Miræum, *in Scholio ad* c. 92. Sigebertum. *de Scriptor Eccleſ.* Natal. Alex. *in Hiſtor. Eccleſ. Sec. IX.* P. I. p. 220. Voſſium, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. Sweertium, *Athen. Belg.* Valer. Andream, *Bibl. Belg.* Eliam du Pin, T. VII. paſſim.

FLORVS.

Monachus S. Trudonis, Leodicenſis Dioeceſeos, congregationis Gallicanæ, anno 760. clarus, ſcripſit *Martyrologium,* ſeu ut habet Uſuardus, *in Præf. in Martyrologium,* breve & conciſum antea Bedæ Martyrologium ſupplevit, auxit, & locupletavit. Vide de eodem Bollandum, *Prologo ad menſem Mart.* T. II & Caveum, P. I. p. 345. Habetur Martyrologium illud inter *Bedæ Opera* & alibi.

FOLCARDVS.

Coenobii Sithivenſis apud Atrebates Monachus, ann. 1060. claruit, vir non indoctus atque Guilielmo, Angliæ Regi, charus, qui ipſum in Tornejæ Abbatem creavit. Ante obitum tamen, ob lites inter ipſum & Epiſcopum Lincolnienſem exortaas, ad Sithivenſe coenobium receſſit. Scripſit de *Vita & Miraculis S. Bertini, Abbatis Sithivenſis,* Lib. II. quos extulit Mabillon, *Sec. Ben. III.* P. I. p. 104. Meminit quidem alius *Folcardi*, ejusque Coenobii Cantuarienſis Monachi, anno 1060. clari, qui Libros II. *de Vita & miraculis Joh. Archi-Epiſcopi Eboracenſis,* ſcripſerit, Baleus, *de Script. Cent. II.* p. 164. quem tamen cum noſtro unum eſſe contendit Cave, P. II. p. 200. *Vitam Joh. Archi-Epiſcopi, de qua* diximus, exhibet Mabillon, *Sec. III.* P. I. p. 433. *Vitam* quoque *S. Oſvvaldi, Wigornienſis Epiſcopi,* aliorumque Angliæ Sanctorum, teſte Orderico Vitali, in *Hiſt. Eccleſ.* L. II. ad ann. 1118. Folcardus compoſuit.

FOLMARVS.

Coenobii de Petra Stillante ſeu Trieffenſteinii in Franconia, infra Herbipolim, ut opinatur Cave, P. I. p. 472. Præpoſitus, anno

1160.

1160. claruit. Negavit communem Eccleſiæ, eo Seculo, doctrinam, de Corpore & Sangvine J. C. in peculiari ad Eberhardum, Saltzburgenſem Epiſcopum, *Epiſtola.* Revocavit autem in alia ad eundem data *Epiſtola,* quæ cum aliis, a Jacobo Gretſero, editis, ad calcem *Scriptorum coætaneorum adverſus Waldenſes,* Ingolſtadii, 1613. 4t.

FORMOSVS.

Italus, Epiſcopus Portuenſis, à Nicolao P. R. ad Bulgaros convertendos miſſus, a Joh. VIII. quidem depoſitus, a Marino tamen reſtitutus eſt. Anno 891. P. R. conſecratus, anno 896. obiit. In cadaver ejus immaniter ſævìit Succeſſor Stephanus, qui illud ſepulchro extraxit, atque tribus digitis abſciſſis, in Tiberim projecit. Scripſit *Epiſt. II.* quarum poſteriorem in dubium vocat Papebrochius, *Conat. ad Chron. Pontif. R.* p. 156. Extant illæ *Concil. T. IX.* p. 428. *Aliam,* de Monaſterio Gigniacenſi, edidit Baluz. *Miſcell.* T. II. p. 159. Plurimas ad Fulconem, Archi-Epiſcopum Remenſem, & Carolum ac Othonem, Reges, *Epiſtolas,* memorat Flodoardus, *Hiſt. Remenſ.* L. IV. c. 2. 3. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 398. & Ludov. Jacob. *Bibl. Pontif.* p. 75. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 194.

FRANCISCVS.

Aſſiſio, Vmbriæ Ital. oppido, anno 1182. oriundus, Petri Bernardoni & Pici filius. Mercator primò fuit, laſciviæque mancipatus, ſi Walſinghamò fides adhibenda eſt. Anno 1208. captus, ſanctiori ſtudiò ſe applicuit, Ordinemque Minorum fundavit. Mira, aſt pleraque vana, nec ſine omni blaſphemia, de eo narrant Papæi, dum S. Chriſti Characteribus ſtigmatibusque eum inſignitum tradunt, vide integrum *Tractatum Remigii a Bozulo, Capuccini Monachi,* 1622. cum 43. figuris æneis editum, Vergerii *præfationem in dicis expurgat. p. 8.* Καρδιογνωσίαν conceſſam a Deo jactant, vide ex Barthol. a Piſis, Lib. *Conform. Franciſc. Mediolani,* 1510. edit. Dorſch. P. I. *Theol. Zach.* p. 242. imò inter Jeſum & Franciſcum vix aliud, quam Veſtis diſcrimen impiè relinquunt. vid. Turſellin apud Poſſev. *Bibl. Sel. l. 17. f. 295.* Danh. *Oniroscr.* p. 148. *Deuteron. Decal.* p. 73. Alia penè multa præterimus. Angelum Apoc. VII. 2. ad Franciſcum applicatum refert Vſſerius, Lib. *de Succeſſ. Eccl. Chriſt. Occid.* p. 223. Conf. Willoti, *Athen. Franc.* p. 115. ubi Davidica de Deo pronun-

nunciata verba ad Franciſcum referre non exhorreſcit, inquiens: *In te jactatus ex utero, de ventre matris meæ ſuſceptor meus es &c.* Obiit Franciſcus, anno 1226. atque poſt mortem inter Sanctos relatus eſt. Sed & monumenta quædam ſcripta eidem vendicant, quæ una cum *Antonii de Padua Operibus*, Joh. de la Haye, Ord Seraph. Profeſſor, anno 1641. f. Paris. edidit. Sunt autem *Epiſtolæ XVI.* ad diverſos: *admonitio ad omnes fratres, capitulis XXVII. Verba ad humilitatem, Obedientiam, & Patientiam inducentia: de Virtutibus S. Virginis, & S. cujusque animæ: Opuſculum de vera & perfecta Lætitia: Expoſitio in Orationem Dominicam: Laus Domini Dei altiſſimi: Orationes ſeu Precationes XI. Teſtamentum S. Franciſci: Regulæ IV. Monachis & Monialibus præſcriptæ: Collationes XXVIII. de variis argumentis: Officium Paſſionis Dominicæ: Canticum Solis atque alia duo de amore divino: Apophtegmata, familiaria Colloquia, Prophetiæ, Parabolæ & exempla, Benedictiones, Oracula & ſententiæ communes: Sermones VI.* & alia. Lutherus, *Colloqu. Menſal.* Tit. 30. probum dubio procul virum fuiſſe ait, qui tamen ex vita ſua tam vaſtam ſuperſtitionem orituram minime autumârit. Conf. de ejusdem ſomnio Romæ habito & fabuloſis cum lupo quodam actionibus, Danhauerus, *Theol. Conſcient.* T. I. p. 20 & contra Valerian. Magn. diſſ. *præf.* De S. Franciſco ex inſtituto agit Lucas Waddingus, *Anal. Minor. T. I.*

FRANCISCVS GEORGIVS.

Venetus, Ord. Minorum Sodalis, Platonicæ Philoſophiæ atque Talmudicis ineptiis deditiſſimus, eos fere, quos Origenes, erravit errores. Vnicum ſaltem adducere libuit Henr. Whartono, *in app. Cav.* p. 131. eumque de Paradiſo terreſtri, quem in allegoricum ſenſum detorſit. Claruit anno 1501. Obiit 1510. Extant ejus *Problematum in Scripturam S. T. VI.* Venet. 1536. Paris. 1574. 4. & *Cantica III. de Harmonia mundi,* Venet. 1525. Paris. 1525. f.

FRANCISCVS LYCHETVS.

Brixianus, quem Willotus, *Athen. Franc. Luchetum* & *Leucettum* quoque vocari ſcribit. p. 132. Ord. Min. Generalis, anno 1519 Lugduni receptus. Ejus *Comment. in III. Libros Sententiarum,* item, *quodlibetica Doctoris ſubtilis,* anno 1520. per Joh. de Prato, ingenti Volumine edita, commemorat Willotus, *loco citato.*

FRANCISCVS MAYRONIVS.

Seu de Mayronis, Dinienſis Provinciæ S. Ludovici oriundus adeoque Gallus, non vero Scotus, uti Bellarminus aliique aberrarunt, Joh. Scoti tamen diſcipulus, Ord. Minor. Sodalis, atque in Academia Pariſina SS. Theol. Baccalaureus, anno 1315. clarus, *Doctor illuminatus atque acutus* dictus, anno 1323. Doctor creatus, anno 1325. Placentiæ obiit. Pontificiis quibusdam recentioribus male audit, eo, quod *in IV. Sent. Lib. diſt. 19.* qu. 2. ſupereffluentem Chriſti ac S. meritorum theſaurum in dubium revocaverit. Actus ſeu Certaminis Theologici Pariſienſis Sorbonici primus circa annum 1315. inſtitutor perhibetur, ita, ut feriis ſextis, præſertim æſtivis, Baccalaureus aliquis delectus, ab ortu Solis usque ad occaſum, ſine Præſide, imo & impaſtus, reſpondendo quibusvis opponentibus, perſeveret. Scripſit Franciſcus *Comment. in Lib. IV. Sentent.* : *Quodlibeta varia*, quæ cum *Commentar.* Pariſiis, 1517. prodierunt, Lib. *de Formalitatibus* : *de primo Principio* : *de Vnivocatione Entis* : *de Expoſitione divinorum nominum* : quæ cum prioribus junctim excuſa ſunt, Venet. 1520. 1556. 1567. fol. *Sermones Quadrages.* Venet. 1491. *Sermones de Sanctis*, Venet. 1493. Baſil. 1598. *De Paupertate Chriſti* : *de Virtutibus & Vitiis capitalibus* : *de articulis fidei* : *de Baptiſmo* : *de Humilitate. Super Pater noſter & Magnificat &c.* prodierunt, Baſileæ, 1498. *de X. Præceptis Explicatio*, Pariſiis 1619. *Theologicæ Veritates in S. Auguſt.* extant cum *Comment. Thomæ in eundem*, Toloſæ, 1488. Venet. 1489. Lugd. 1520. fol. *Comment. in VIII. Libros Phyſicorum Ariſtotelis.* Venetiis, 1517. Plura adhuc manuſcripta memorat Waddingus, in *Bibl. Ord. min. p. 124.* & ex eo Henr. Wharton l. c. p. 12.

FRANCISCVS DE PLATEA.

Cremonenſis, vel juxta Oudinum, p. 703. Bononienſis, Ord. Min. Monachus, anno 1441. clarus, ſcripſit *Summam Myſteriorum Chriſtianæ fidei* : *Sermonum Librum* ; *de Reſtitutionibus* ; *de Cenſuris Eccleſ.* *de Vſuris* ; *de Excommunicatione* ; *de actu matrimoniali*, quorum quidam habentur, *in Tract. Juris*, Venet. 1584. T. XIV. Omnia vero prodierunt, Patavii, 1473. Paris. 1476. De eo Cave, P. II. p. 308. Luc. Waddingus, l. c. p. 131. Poſſev. in *App. S. T. I.* p. 590.

FRAN-

FRANCISCUS VICTORIA.

Ord. Præd. ab Oppido Navarræi Regni *Victoriâ*, dictus, Theologiam Scholaſticam, Pariſiis hauſtam, primus in Hiſpaniam aut intulit, aut reſtauravit, juxta Serarium, *Comment. ad 1. Maccab. XIV.* p. 718. & Salmanticæ per plures annos docuit, diesque clauſit anno 1546. Commendatur maximè à Martino Navarro, Melchiore Cano, Bellarmino, & Andrea Schotto, T. 2. *Bibl. Hiſp.* f. 231. Scripſit *Relationes de Poteſtate Eccleſiæ: de Poteſtate civili: de Poteſtate Concilii: de Indis: de Matrimonio: de augmentis Charitatis: de eo, ad quod tenetur proveniens ad uſum rationis: Summa Sacramentorum Eccleſiæ,* quæ ſub ejus nomine extat, diſcipulorum cura ex ipſius Scriptis collecta, Antwerpiæ, 1568. & Venet. 1569. prodiit. Adde Tract. *de Temperantia: de Homicidio: de arte Magica & Simonia; itemque de Silentii obligatione,* quos cum reliquis Lugduni vulgatis, Andreas Schottus, *loco citato*, memorat.

FRANCO.

Primum Scholaſticus Leodienſis, poſt Monachus & deinde poſt Fulgentii mortem, Abbas Affligemienſis, Ord. Bened. dioeceſis olim Cameracenſis, nunc Machlinienſis in Brabantia, anno 1112. clarens, juxta Sanmarthanos, T. IV. *Gall. Chriſt.* f. 10. qui addunt D. Bernhardum Affligenium dixiſſe, quod genius ibi affligatur, ſeque Angelos ibidem, alibi verò homines inveniſſe. Diverſa opuſcula ſcripſit, quæ Trithemius enarrat, ex quibus *Liber de Gratia*, quem Monachus adhuc incepit, Abbas complevit, prodiit, Antw. 1565. Friburgi, 1610. & cum *Epiſtola* de Monacho habitum rejiciente, *Bibl. Patr.* T. XXI. p. 293. Lib. *de Statu futuræ gloriæ*: Lib *de Quadratura circuli, aliusque de ratione Computi*, perierunt. Conf. de eo Cave, P. I. p. 447. Henr. Gandav. *de Script. Eccl.* c. 39. Poſſevinus, *in App. S.* Aub. Miræus, *in Scholio ad c. 39.* Sigebertus, *de Script. Eccl.* c 164. qui illum Leodienſem vocat, ſi modo idem ille cum noſtro cenſendus. Du Pin, T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 181. Oudin, *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 366.

FRECULPHUS.

Qui aliis *Treculphus*, Monachus primò Fuldenſis, Ord. Bened. dein Lexovienſis in Neuſtria Epiſcopus, tempore Ludovici Pii,

Imperatoris usque ad ann. 850. vel 851. quo mortalitati debitum perſolvit. Concilio Pariſienſi anno 846. & Turonenſi, IV. 849. interfuit, prout referunt Sanmarth. T. II. f. 646. Scripſit autem *Chronicorum* Lib. II. quorum prior ab initio mundi usque ad N. C. poſterior de hinc usque ad Francorum & Longobardorum Regna, rerum geſtarum Hiſtoriam continet. Extant illi, Colon, 1539. fol. Heidelb. 1597. 8. ſeorſim ex Commeliniana Officina editi & inſerti *Bibl. Magn. Colon.* T. IX. P. I. f. 419. Conf. quid Bellarminus ei objiciat, *de Script. Eccleſ.* p. 190. falſò Treculphum, L. IV. c. 20. adſeruiſſe, Gothos ab Arianis ad fidem Chriſtianam fuiſſe converſos, cum Theodoretus, L. IV. *Hiſt.* cap. ult. ſcripſerit, Gothos ab Ulphila, Epiſcopo, fidem catholicam fuiſſe edoctos. Freculphi quoque Lacunam complet Boſius, *Exercit. ad Perioch. Joſephi*, p. 60. Cæterum, Freculphi *Epiſtola*, ad Rabanum Maurum data Rabani *Comment. in Geneſin* præmiſſa eſt. Conf. Guil. Cave. *Hiſt. Litter.* P. I. p. 367.

FREDEGARIVS.

Scholaſticus, natione Gallus, circa ann. 740. clarus, juſſu Childebrandi Comitis, Pipini, Regis Francorum, Patrui, *Chronicon* ſcripſit, & a fine Hiſtoriæ Gregorii Turonenſis usque ad Pipini ipſius coronationem perduxit, quod hactenus nomine *appendicis* ad eundem Gregorium vulgatum fuit. Extat illud *in Corpore Veterum Hiſtoricorum Francicorum Freheri* & auctius, T. I. *Script. Franc.* p. 730. ab Andr. Quercetano collectorum & *in Bibl. Patr.* T. XI. f. 815. *Alios V. Chronicorum* Libros manuſcriptos, in Vindobonenſi Bibliotheca aſſervatos, & a Lambecio, *Comment.* l. 2. c. 8. p. 850. Labbeo, & aliis memoratos, refert Cave, P. II. p. 147. eosdemque Fredegario adſcribit. Conf. quæ Sandius, *in not. ad Voſſium de Hiſt. Lat.* p. 279. docte de iisdem diſſeruit.

FRIDEGODVS.

Anglus, Cantuarienſis Monachus, Ord. Bened. dignitate Diaconus, anno 960. clarus, græcæ & latinæ lingvæ peritiſſimus, ſcripſit *Vitam S. Wilfridi, Eboracenſis Archi-Epiſcopi*, quam primus quidem, ſed in fine mutilam, extulit Mabillon, *Sec. Ben.* III. P. I. p. 169. & ex Codice Cottoniano ſuppletam, *Sec. IV.* P. I. p. 722. Ipſi adſcribit Surius, ad d. XXIV. Aug. *Vitam Audoeni*, ſoluta oratione ſcri-

ſcriptam, quam tamen Fridegodo tribuere, non immeritò hæret Cave, P. I. p. 409. qui potius *Audoeni vitam* metrice ab ipſo compoſitam fuiſſe, pronunciat. Alia Fridegodi ſcripta memorant Baleus, *Cent.* 2. c. 32 & Poſſevinus, *in app. S.* T. I. p. 601. ut: *de Peccatrice in Evangelio: de Viſione Beatorum: Contemplationes varias &c.* quæ quidem inedita eiſe, exiſtimamus. Liceat Guilielmi Malmsburienſis judicium apponere, quod *de Geſt. Pontif.* l. 1. f. 114. de Fridegodo tulit: *Scripſit verſibus non ita improbandis, niſi quod latinitatem peroſus Græcitatem amat, Græcula verba frequentat: ut merito dictis ejus aptetur illud Plautinum; Hæc quidem præter Sibyllam leget nemo.* Agit de Fridegodo, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 61.

FROTARIVS.

Abbas S. Apri, poſt Tullenſis Epiſcopus ordinatus, anno juxta Cointium, 813. Obiit ann. 837. Scripſit *Librum Epiſtolarum* ad varios Præſules, quem edidit du Cheſne, T. II. *Script. Franc.* p. 719. De eo Cave, P. I p. 364. & ante illum Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. III, verbo, *Tullenſes Epiſcopi.*

FRVCTVOSVS.

Hiſpanus, ex regio Gothorum ſanguine oriundus, Conantio, Epiſcopo Palentino, Præceptore uſus, plurimorum Monaſteriorum fundator, ex Complutenſi Abbate, Dumienſis poſtea Epiſcopus, ad Archi-Epiſcopatum Braccarenſem, ex decreto Concilii Toletani X. anno 656. translatus eſt. Obiit circa annum 674. Scripſit *Regulam Monachorum duplicem*, alteram XXIII. alteram XX. capitibus comprehenſam, quas edidit Lucas Holſtenius, *in Cod. Regul.* Pariſiis, 1663. *par. 2. p. 133.* Agit de Fructuoſo Cave, P. I. p. 325. plenius autem Oudinus, *Suppl. de Scriptor. Eccleſ.* p. 178. Adde Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 44.

FVLBERTVS.

Abbas Ferrarienſis, Wilhelmo, Pictavienſi Comiti, & Roberto, Francorum Regi, admodum carus, anno 1007. Epiſcopus Carnotenſis ordinatus, B. Mariam immodice coluit, Templum in ejus honorem extruens atque Hymnos in ejus laudem componens, imò Nativitatis Mariæ Feſtum primus in Gallia celebrans. Obiit Fulbertus anno 1028. Scripſit *Epiſtolas, Sermones, Canones, Hymnos,*

& alia, quæ junctim prodierunt, Pariſiis, cura Caroli de Villiers, 1608. & inſerta *Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 1. Benè monet Cave P. I. p. 418. circa Viellierium, quòd nullam in iſto opere edendo fidem adhibuerit, ſuamque de ea re ſententiam vel unico exemplo ad oculum demonſtrat. *Vitam S. Autberti, Epiſcopi Cameracenſis*, quæ extat apud Surium, d. XIII. Decembr. *Epiſtolam, de rebus Eccleſiæ religiosè & caute diſtribuendis*, apud Dacherium, *Spicil.* T. II. p. 827. *Comment. ad Actorum* caput XII. quem ex Manuſcripto edidit Caſimirus Oudinus, anno 1692. *Sermonem de aſſumptione Mariæ*, quem quære inter *Sermones Auguſtini*, editione noviſſima, n. 208. Conf. Sanmarth. l. c. T. II. f. 485. Labbeum, T. I. p. 326. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 1. ſeqv.

FVLCHERIVS.

Carnotenſis, Balduini, fratris Godefredi Bullonii, Sacellanus, Robertum, Normanniæ Ducem, in expeditione Sacra ſequutus, anno 1124. floruit. Scripſit *Geſta Francorum, Hieroſolymam peregrinantium*, ab anno 1095. ad 1124. quæ primus mutila protraxit Jac. Bongarſius, *inter Geſta Dei per Francos*, T. I. p. 381. integriora verò Andreas du Chesne, *Script. Franc.* T. IV. Paris. 1641. p. 816. Stylum Fulcherii absque nitore & palæſtra eſſe, monet Cave, P. I. p. 459. ex Guilielmo Malmsburienſi, *de Geſt. Reg. Angl.* lib. IV. Conf. Oudin, p. 393. ſeq. Du Pin, T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 192.

FVLCO.

Beneventanus, S. Palatii Notarius ac Scriba atque ob fidei integritatem patriæ ſuæ Judex ab Innocentio II. P. R. conſtitutus eſt. Claruit circa annum 1130. Scripſit *Chronicon* ab anno 1102. ad 1140. Neapoli ab Antonio Caraccioli Theatino, 1626. cum aliis vulgatum & ante illum, *in Collect. Hiſtor. Veter. Sicil.* Francof. 1579. Stylum quidem barbarum vocat Oudinus, p. 410. reliqua verò cum Baronio & Gordono maximopere commendat. Agunt de illo, Aub. Miræus, *in Auct.* cap. 330. p. 241. & Anton Poſſevinus, *in App. S.*

FVLCO.

Cognomento *Bonus*, Andegavorum Comes, ad Sec. X. relatus à Margar. de la Bigne, *Ind. Chronol.* quod etiam conſtare poteſt ex *Epiſtola*, quam ad B. Odonem, Abbatem Cluniacenſem, ſcripſit. Vide

de illam T. VII. *Bibl. Patr. edit. Paris. z. f.* 1965. Adeoque diverſus eſt ab Epiſcopo Pariſienſi, Fulcone, qui una cum Theologiæ Magiſtris quosdam de eſſentia divina articulos anno 1340. damnaſſe perhibetur. T. IV. *ejusdem Bibl.* f. 1322.

FVLCVINVS.

Seu *Folquinus*, ex Monacho Bertiniano, juvenis adhuc, Lobienſis Abbas factus, anno 965. obiit anno 990. Scripſit *Chronicon Abbatum ſui Coenobii, Laubienſis*, quod extat apud Dacherium, *Spicil.* T. VI. Lib. *de Miraculis S. Vrsmari*, apud Bolland. d. XIX. April. *Vitam Folcuini, Tarvanenſis Epiſcopi*, apud Mabillon, *Sec. Bened. IV.* P. I. p. 622. De eo Anton Poſſevinus, *in App. S.* T. I. p 573. Cave, P. I. p. 410. P. II. p. 186. Oudin. p. 313. Elias du Pin, T. VIII. p. 51.

FVLGENTIVS FERRANDVS.

Afer, Eccleſiæ Carthaginenſis Diaconus, S. Fulgentii Ruſpenſis diſcipulus, ab anno 520. ad 548. clarus, prout ait Labbeus, T. I. p 318. atque Trithemium, qui ad ann. 500. collocârat, arguit. Ejus opera omnia anno 1649. Divinione edidit Pet. Franc. Chiffletius, S. J. itemque 1656. animadverſiones in *Ferrandum redivivum*, hoc eſt, *vitam Ferrandi*, quam Joh. Ferrandus, Anicienſis, Lugd. 1630. ediderat, cujus quisquilias ibericas taxat l. c. Labbeus. Scripſit autem *Breviationem Canonum Eccleſiaſticorum*, quæ cum aliis, Paris. 1588. 1609. 8. 1628. 8. & alibi prodiit. Vide, quæ circa eandem adverſus Baronium, Henricus Juſtellus & Gerardus Maſtrichtius moneant, apud Caveum, P. I. p. 287. *Epiſtolas diverſas : Vitam S. Fulgentii Ruſpenſis : Parænet. ad Reginum Comitem, de VII. Regulis Innocentiæ*, quem cum *capitibus Parænet. Baſilii*, Imper. Helmſtadii, edidit, Joh. Fuchte, 1616. Singula quoque hæc opuſcula hinc inde habentur, T. IX. *Bibl. Patr.*

FVLGENTIVS.

Afer, anno 466 natus in Lepte, Byzacenæ Provinciæ urbe, Patre quidem Senatore Carthaginenſi. Unde Bellarmino & aliis Fulgentium Carthaginenſem dictum conjicit Labbeus, p. 327. Linguam græcam adeò calluit, ut vel ipſum Homerum memoria tenuerit. Primùm quidem patriæ Urbis Procurator conſtitutus, poſtea tamen cucullum induit, atque poſt varios fortunæ, quos Cave

me-

memorat, caſus, Epiſcopus Ruſpenſis, in dicta Byzacenæ provincia factus, circa ann. 508. Dein pulſus in exilium, anno verò 523. revocatus, anno 533. placido fine quievit. Opera ejus hic recenſere, plagulæ anguſtia prohibet, neque opus eſt illa ruminari, quæ Labbeus & poſt illum Cave, jam dum ordine ſtiterunt. Sufficiat noſſe, quando ſingula prodierunt. Nimirum Mogunt. 1615. Norimb. 1519. Colon. 1526. Antw. 1574. Baſil. 1566. 1587. Paris. 1612. Lugd. 1633. 1652. Poſt tot iteratas editiones optima eſt, quæ cum optimo ordine & Caractere impreſſa eſt, Paris. 1684. 4. ſuppoſititiis Sermonibus, elemento minori, ad finem adjectis. *Epitomen Fulgentii* dedit Damaſus Blyenburgius, Dordraceno Batavus, Amſtel. 1612. 8. in 30. titulos ſeu capita diſtributam. *Orationem natalitiam* cum aliis communicavit, libello peculiari, Chriſtianus Daumius. Conf. quæ habet Barthius, *ad Claud. Poëtam*, p. 83. b. & ad *Claud. Mamert.* p. 394. Opera deperdita ſiſtit Cave, P. I. p. 273. ſeq. De ejus exclamatione ad Pompam Theodorici in Romano Senatu ſedentis viſam, conf. Labbeus, T. I. p. 318. Prolixe de Fulgentio diſſeruit Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 20. ſeq.

G

GABRIEL BARLETTA.

Ex Apulia Neapolitanus, ab oppido Barulo, *Barletta* dictus, Ordinis Dominicani Theologus, anno 1470. floruit. Huic vulgò tribuuntur *Sermonum* T. II. anno 1470. & Venetiis 1572. 1585. 8. vulgati. Ei tamen abjudicavit Leander Albertus, à Miræo citatus, qui eosdem homini cuidam imperito, operi ſplendorem quærenti, vendicavit. Alius eſt à noſtro Gabriel Barelettus, patria Aquinas, Ordinis Dominicani, ab Ambroſio de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 210. ad annum 1486. relatus, cujus *Sermones per annum*, Hagenoæ, 1518. Venet. 1577. 8. prodierunt. Agit de utroque Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 101. Aub. Miræus, *de Scriptor. Sec.* XVI. c. 23.

GABRIEL BIEL.

Sive Helvetius, ſive Spirenſis fuerit, id certo conſtat, Tubingæ

gæ inter primos Academiæ Profeſſores Theologos, eum claruiſſe, & anno 1495. non autem 1520. obiiſſe. Sententionarius, Occami Sectator, compilatorque Scholaſticorum, & eorum, qui inter Germanos Scholaſticæ Theologiæ Scriptis inclaruerunt, fere ultimus audit Quenſtadio, *Dial. de Patr. illuſtr.* p. 165. Scripta, quæ reliquit, Bellarminus & Guil. Caveus dabunt. Sunt autem *Commentaria in Lib. IV. Sententiarum*, Baſileæ. 1512. Brixiæ, 1574. T. III. 4. excuſa, *Expoſitio Canonis Miſſæ*, Lugd. 1542. Venet. 1576. Brixiæ, 1580. Bergomi, 1594. quæ tamen ad Eggelingum Brunſvicenſem, magis ſpectat. *Sermones de Tempore, Deipara, & Sanctis, per totum annum*, - - 1499. f. Brixiæ, 1583. 4. & alibi. *Sermones medicinales contra peſtem & mortis timorem: Defenſorium obedientiæ Pontificis, ad Eccleſiam Romanam: Hiſtoria Dominicæ Paſſionis*, Hagenoæ, 1519. Tract. *de Monetarum poteſtate & utilitate*, Norimbergæ, 1542. 4. Colon. 1574. Lugd. 1605. 4. Alia Gabrielis Manuſcripta exhibet *Index Manuſcript. Bibl. Auguſtanæ*, p. 102. Conf. Labbeus, T. I. p. 337. Henricus Wharton, *loco citato*, p. 105.

PETRVS GALATINVS

Judæus primum, poſt vero Chriſtianus, Ordinis Franciſcani Monachus, Philoſophiæ pariter atque Theologiæ Doctor, & Pœnitentiarius Apoſtolicus, ab anno 1516. ad 1532. claruit. Ejus eſt *Opus de Arcanis Catholicæ Veritatis* Lib. XII. diſtinctum, quod ex Raymundi Martini *Pugione fidei* & Porcheti Salvatici *Victoria*, pene integrum, portentoſo plagio, transſcripſit. Primus iſtud plagium deprehendit Joſephus Scaliger, in Bibliothecam Tholoſanam deductus, ſed in nomine aliquatenus aberrans, dum Raymundi Sebon plagiarium Galatinum, pronunciavit, prout hunc lapſum Scaligeri Joh. Morinus, P. I. *Exercit. Bibl. Lib. I. exercit.* 1. c. 2. p. 18. detexit. Conf. Jacobus Thomaſius, *de plagio Litter.* qui pluribus de hac materia diſſeruit. Prodiit autem Galatini Liber Orthonæ-maris, 1518. Baſil. 1550. f. 1561. Paris. 1602. Francof. 1612. f. 1652 f. Plura ejus Manuſcripta Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 138. ex Waddingo, *de Scriptor. Ord. Min.* p. 280. memorat, quem conſulas.

GALFRIDVS.

Arthurus quoque cognominatus, Britannus, Monumetenſis, Patriæ Archidiaconus Eccleſiæ & Aſaphenſis in Cambria Epiſcopus,

pus, anno 1151. ordinatus, ſcripſit ad Robertum, Gloceſtriæ Ducem, *Hiſtoriam Britanniæ* Lib. XII. ſatis fabuloſam, quæ in lucem prodiit Paris. 1517. 4. & inter *Scriptores Britanniæ minores*, Heidelbergæ, 1587. f. *Antiquas Merlini, Britanni, Prophetias* e Britannico in latinum vertit, excuſas Francof. 1603. 4. Manuſcripta enumerat Cave, P. I. p. 469. utpote, *Vitam Merlini*, & *Epiſtolam ad Alexandrum, Lincolnienſem Præſulem, ſuper Prophetiis Merlini*, qui plurima quoque Galfridi ſcripta deperdita ex Baleo, *Centur. II.* c. 86. tranſcripſit.

GALFRIDVS.

Urbani, Landavenſis Epiſcopi, frater anno 1120. translationi corporis S. Dubricii interfuit. Hujus eſt *Vita S. Teliavi, Landavenſis Epiſcopi*, quam extulit Henr. Whartonus, *Angl. S. T. II.* p. 662. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II p. 223. qui pluribus de eo dixit.

GALLVS.

Hybernus, Columbani diſcipulus, ejusque individuus in itinere comes, Monachus Luxovienſis, Epiſcopatum Conſtantienſem, ad quem deſignatus erat, reſpuit, atque poſt hæc febre correptus, aut juxta Waræum, anno 635. aut juxta Balæum & Baronium, anno 640. obiit. Ejus *vitam* ſcripſit Walafridus Strabo. Gallus noſter poſteritati quædam reliquit, utpote, *Sermonem in conſecratione Joh. Epiſcopi Conſtantienſis, habitum*, quem exhibet Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. V. p. 896 & T. VI. *Bibl. Magn. Colon.* Edidit hunc quoque Barthius, Francof. 1623. 8. *Epiſtola ad Deſiderium, Cadurcenſem Epiſcopum*, apud Uſſerium, *Epiſt. Hibern. Syllog.* p. 23. & Caniſium, T. V. p. 526. habetur. Galli quoque ſunt *de Eccleſiæ gubernanda forma & Monita ſalutaria*, de quibus Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 319. Conf. Waræus, *de Script. Hibern.* L. I. c. 3. p. 20. Balæus, *Centur.* XIV. p. 190.

GALLVS.

Gente Germanus, Abbas Aulæ Regiæ, Cœnobii in Bohemia, Ordinis Ciſtertienſis, circa annum 1370. floruit. Laudatur hic Gallus Trithemio a ſacrarum Literarum peritia, diffuſa veterum lectione, profunda rerum divinarum contemplatione, ingenii acumine & morum ſanctitate. Scripſit Gallus *Dialogum, dictum Malogranatum, tribus Libris diſtinctum, interlocutoribus Patre & filio*, Libro I. diſ-

diſſerit *de ſtatu incipientium.* Lib. II. *de ſtatu proficientium.* Lib. III. *de ſtatu perfectorum.* Prodiit autem in Germania absque loci & Typographi mentione, anno 1481. 4. 1487. fol. *Sermonum ad fratres Librum* memorant Gesnerus, *in Bibliotheca.* Peſſevinus, *in Appar. S.* Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 42. Conf. de Gallo Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 637.

GALTERVS.

Ex Gallia forſan oriundus, Roberto, Præpoſito Inſulano, ſangvine junctus, anno 1103. Epiſcopus Magalonenſis & Legatus Apoſtolicus, conſtitutus, anno 1129. obdormivit. Scripſit *Epiſtolam* ad Robertum, conſanguineum, *de floribus Pſalmorum,* a Lietberto, S. Rufi Abbate, collectis, quam Mabillonius, *Analect.* T. I. p. 289. exhibuit. Agit de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 445.

ANDREAS GAMBARVS.

Julii II. P. R. familiaris, cujus *Conſtitutiones contra Simoniacam Papæ electionem,* qua tamen Julius evectus, teſte Gambaro, *epiſtola dedicatoria,* commentariis illuſtravit, Romæ & alibi impreſſis, deinceps *repetionibus Canonicis Venetis* etiam inſertis. Conf. Anonymi *Papatum Rom.* Londini, 1617. excuſum, f. 200. ſeq.

GAVDENTIVS.

Brixienſis Præſul, Philaſtrii Succeſſor, ab anno 387. ad 427 quo expiravit. Vide Labbeum, *de Scriptor.* T. I. p. 338. Scripſit Gaudentius, *Sermones XV.* de variis argumentis, ad Benevolum: *de Villico Iniquitatis Reſponſiones ad Germinium, in illud:* Pater major eſt me. *Reſponſionem ad Paulum Diaconum,* quæ Opuſcula, hactenus enumerata, *in Bibl. Patr.* T. V. p. 704. 942. exhibentur. *Vita Philaſtrii,* à Gaudentio ſcripta, extat apud Surium, d. 18. *Julii.* Alios duos Gaudentios memorat Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 164. a noſtro plane diverſos. Unum, Epiſcopum Tamugedenſem, Sectæ Donatiſticæ adſcriptum: Alterum vero, Epiſcopum Novarienſem. De Gaudentio Brixienſi conferas Ferd. Ughellum, *Ital. S. T. IV.* & Eliam du Pinium, qui Scripta Gaudentii ordine enumerat, eorundemque contenta prolixe narrat, T. III. *Bibl. Nouv.* p. 84. ſeq.

GAVFERIVS.

Ortu Salernitanus, profeſſione Monachus, Cœnobii Caſinenſis,

ſis, Ord. Bened. qui anno 1060 claruit, ſcripſit *Hiſtoriam S. Secundini, Trojani Epiſcopi & Confeſſoris, & verſus plures* in ejusdem Secundini laudem, quæ ex Codice manuſcripto protraxit Ferd. Ughellus & *Italiæ S. T.* VII. p. 1363. inſeruit. Ejus quoque ſunt *Homiliæ & Carmina varia*, quæ manuſcripta penes ſe habuit Jo. Bapt. Marus, ut ipſe teſtatur *in Notis ad Petrum Diac.* p. 52. De eo poſt Petrum Diaconum, & Marum, Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 429. & P. II. p. 201.

GAVFREDVS à MALA TERRA.

Gente Gallus, neutiquam vero Hiſpanus, prout falſò ſuſpicatus eſt Antonius Poſſevinus, Monachus Ord. Bened. claruit anno 1097. atque ſcripſit Lib. IV. *de Geſtis Roberti Viſcardi, Calabriæ Ducis, & Rogeri, ejus fratris, Principum Normannorum & eorum fratrum in Campania, Apulia, Cilicia*, quæ extant inter *Vetera Monumenta Regum Aragonum*, Cæſar-Auguſtæ, 1578. fol. & *Hiſpaniæ illuſtratæ Scriptores*, Francof. 1603. editos. De eo poſt Poſſevinum, Voſſium, Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 350. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110.

GAVFRIDVS BOVSSARDVS.

Gallus Cenomanenſis, inſignis Philoſophus, atque Theologiæ Doctor anno 1489. creatus, Synodo Piſanæ anno 1511. interfuit, eodemque anno Cancellarius Pariſienſis, imò anno 1518. Cenomanenſis Præſul factus eſt. Obiit Gaufridus, Cenomanis, anno 1520. Scripſit *Opus de continentia Sacerdotum ſub hac quæſtione: Ut Papa poſſit diſpenſare cum Sacerdote, ut uxorem ducat:* quod Pariſiis, 1505. 8. prodiit. *De Miſſæ Sacrificio, brevem expoſitionem*, Paris. 1511. 1520. 4. *Novam & fructuoſam interpretationem in VII. Pſalmos Poenitentiales*, Paris. 1519. 8. *Orationem piam & prolixam ad Chriſtum*, quæ interpretationi in Pſalmos præmiſſa eſt, & extat apud Launoium, *Hiſt. Gymnaſ. Navarr.* P. II. p. 627. Plura de Gaufrido verba fecit, Henr. Wharton, *App. Cav.* p. 119.

GAVFRIDVS.

Patria Antiſſiodorenſis, Ord. Ciſtert. Monachus, ex Petri Abailardi Diſcipulo, D. Bernhardi Auditor, poſt Abbas Igniaci, in tractu Remenſi, Altæ Cumbæ in Sabaudia, & Claræ-vallis quartus, un-

unde tamen cedere ipſum coegerunt cauſæ nobis incognitæ. Factus deinde Bernhardi Notarius, ſtyli nitore maxime conſpicuus. Scripſit Librum *de contemtu mundi*, Bernhardo olim adſcriptum, quem tamen Mabillon, in nova Bernhardi Operum editione, eidem reſtituit. Libros III. *de Vita Bernhardi*, inter *Bernhardi Opera* excuſos. Lib. I. *de Miraculis Bernhardi*, qui T. I. *Bibl. Ord. Ciſtert. Scriptor.* p. 255. habetur. *Vitam S. Petri, Tarentaſienſis Archi-Epiſcopi*, apud Surium & Bolland. ad d. VIII. Maj. *Epiſtolam de Concilio Remenſi*, quod anno 1148. frequentavit, apud Baronium, *in Annalibus* & *Concil.* T. X. p. 1121. *Commentar. in Cant. Cantic.* Lib. VI. & *in Apocalypſin*, XIX. *Sermones*, item, *Sermonum* T. II. *Librum contra Petrum Abailardum*, & *de Veſtibus Sacris*, manuſcripta memorat Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 438. ubi de hoc Gaufrido fuſe diſſeruit.

GAVFRIDVS GROSSVS.

Monachus Tironenſis, Ord. Bened. exaravit anno 1135. *Vitam S. Bernhardi, Abbatis Tironenſis*, quam vide apud Bollandiſtas, d. 14. April. Loquitur de eo Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 399.

GAVFRIDVS.

Gente Gallus, Monachus Lemovicenſis Monaſterii S. Martialis, poſt Prior Voſienſis, & denique anno 1167. Presbyter ordinatus, anno 1183. cujus *Chronicon, de rebus in Gallia* ab anno 996. ad 1184. *geſtis*, quod Labbeus, *Bibl. Nov. Manuſcript.* Pariſiis, 1657. f. T. II. p. 279. inſeruit. Conf. Caſim. Oudin, p. 458. Guil. Caveus, P. I. p. 478.

GEBEHARDVS.

Natione Germanus, Auguſtæ Vindelicorum Epiſcopus, circa annum 995. ordinatus, anno 1002. obiit. *Gerhardi opus de vita & Miraculis S. Udalrici*, ſimplici ſtylo ſcriptum, expolire quidem intendit, ſed mortis præventu vix abſolvit. Exhibet illud Marc. Velſerus, *Rerum Vindel.* p. 591. *Prologum* verò & *Principium* Mabillonius, *Sec. Bened.* V. p. 472. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 190.

JOH. GEILERVS vide KAISERSBERGIVS.

GELASIVS CYCIZENVS.

A patria appellatus, Cæſareæ Palæſtinæ Epiſcopus, *Hiſtoriam de*

Actis Synodi I. Nicenæ Lib. III. conſcripſit, ex cujus præfatione patet, quod tempore Baſilici, qui anno 476. imperium arripuit, vixerit. Libros duos, tertium enim aliquot Conſtantini M. epiſtolæ implent, græcè edidit, anno 1599. 8. Pariſiis, Robertus Balforeus, Scotus, cum Theodori Presbyteri in Rhaytu, libello. Exinde translati ſunt in *Concil.* T. II. p. 103. Fidem Gelaſii valde ſuſpectam reddit poſt alios Guil. Cave, P. I. p. 260. De Stylo judicat Photius, *Cod.* 88. quod ad humilem vilemque dictionem plus æquo vergat. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 280.

GELASIVS P. R. I.

Natione Afer, qui ab anno 492. ad 496. ſedit, Euphemii, pro Acacio cauſam dicentis, hoſtis infenſiſſimus, pariter atque Pelagianorum, Eutychianorum, & Manichæorum, quorum cauſa Coenam ſub utraque accipiendam juſſit, quo Manichæi, calicem detrectantes, detegerentur atque ex urbe ejici poſſent. Scripſit Gelaſius plurima, quorum Catalogum alii exhibuerunt. Ejus enim ſunt *Epiſtolæ* XVI. quas Dacherius, *Spicileg.* T. V. p. 581. vulgavit. *Epiſtolarum aliarum X. fragmenta : Lib. de Anathematis vinculo : Adverſus Andromachum, Senatorem, cæterosque Romanos*, qui Lupercalia colere volebant. *Dicta adverſus Pelagianam Hæreſin : Exemplar Geſtorum de abſolutione Miſeni Epiſcopi*, in Concilio Romano anno 495 habito. *Decretum de Libris Canonicis Eccleſiaſticis & Apocryphis*, LXX. Epiſcoporum in Concilio Romano, anno 494. cujus fidem & autoritatem ex voto labefactavit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 265. Singula hactenus enumerata Opuſcula, ſiſtit *Concil.* T. IV. p. 1157. ſeq. Lib. *de duabus in Chriſto naturis contra Eutychem & Neſtorium*, in dubium quidem vocant Baronius, Bellarminus, Gregorius de Valentia, Suarez, & alii. Pro genuino tamen eundem agnoſcunt, Spondanus & Labbeus, T. I. p. 342. Extat hic Liber, in *Antidoto adverſus Hæreſes*, Baſileæ. 1528. fol. & *cum aliis ejusdem materiæ veterum Scriptis*, Tiguri, 1571. fol. & *in Bibl. Patr.* T. VIII. p. 699. *Codex Sacramentarius*, quem e Manuſcripto pervetuſto Bibliothecæ Chriſtinæ, Svecorum Reginæ, in lucem vulgavit Joſephus Maria Thomaſius, Romæ, 1680 4. Vide, Guil. Caveum, *loco citato*, qui doctiſſime de hoc Codice diſſeruit, atque Scripta Gelaſii deperdita inſimul commemoravit. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 262. & Lud. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 75.

GE-

GELASIVS P. R. II.

Johannes aliàs vocatus, patriâ Cajetanus, nobili gente oriundus, Oderiſii, Abbatis Caſinenſis, diſcipulus, Eccleſiæ Romanæ Cancellarius & Diaconus Cardinalis titulo S. Mariæ in Coſmedin conſecratus, anno 1118. P. R. ordinatus eſt. Fata ejus adverſa prolixe narrat Pandulfus Aletrinus, *in Vita Gelaſii*, & qui hujus compendium ſiſtit, Baronius, *in Annal.* ad ann. 1118. Integra vero extat apud Papebrochium, *in Conat. Chron. Hiſt. ad Catal. Pontif.* P. II. p. 9. Scripſit Gelaſius *Epiſtolas VI.* quæ *Concil.* T. X. p. 817. habentur, & *Paſſionem S. Eraſmi*, Romæ, 1639. 4. excuſam. Conf. ſi placet Ludov. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 78 & Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 453. & Eliam du Pinium, *loco citato*, T. IX. p. 41.

GENNADIVS.

Ex Presbytero Conſtantinop. ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus anno 458. conſtitutus, vir lingua nitidus & ingenio acer. Anno 459. Synodum Conſtantinopoli celebravit, atque alia notatu digna geſſit. Obiit Gennadius, anno 471. Scripſit *Epiſtolam Encyclicam adverſus Simoniam*, quæ *Concil. T. IV.* p. 1025. & *Pandect. Canon.* T. II. p. 181. *in Orthodoxogr.* p. 658. & *in Bibl. Patr. Paris.* 1575. & 1589. apud Baronium, ad ann. 459. & alibi. Tractatus *contra Cyrilli Anathematismos* fragmentum ſiſtit Facundus Hermianenſis, L. II. c. 4. Agunt de Gennadio Conſtantinop. Gennadius Maſſilienſis, *de Scriptor.* c. 90. qui ejus *Commentarii in Danielem, Prophetam*, & *Homiliarum multarum*, nunc deperditarum, meminit. Nicephorus Calliſtus, *Hiſt. Eccleſ.* Lib. XV. c. 22. ſeq. Poſſevinus, *in App. S.* Trithemius, Caſimirus Oudinus, *loco citato*, p. 103. in eo tamen aberrans, quod Gennadium ad annum 490. repoſuit. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 254. qui ſingularia de eo recenſet. Elias du Pin, T. IV. p. 233.

GENNADIVS CONSTANTINOP. ALTER, vide GEORG. SCHOLARIVS.

GENNADIVS MASSILIENSIS.

Natione Gallus, Presbyter Maſſilienſis, non vero Epiſcopus, prout Sigebertus, Platina, Jacobus Gaddius, aliique, falsò ſcripſerunt,

runt, ſub Anaſtaſio, Imperatore, anno 595. claruit. Fidem ejus Catholicam multi in dubium vocarunt. Quidam enim Pelagianis, quidam Prædeſtinatianis illum accenſuerunt. Sed ut alia taceamus, a Pelagianismo ipſum eximunt libri contra Pelagianos conſcripti. Inter monumenta ejus Litteraria, quibus gaudemus, eminet *Virorum Illuſtrium Catalogus*, Baſileæ, 1628. inter Hieronymi Opera, T. I. expreſſus & cum notis Suffridi Petri, Colon. 1580. Helmſtadii, 1612. 4. cum Scholiis Aub. Miræi, Antwerpiæ, 1639. Alia quoque recentior editio ad manus eſt, quam Erneſtus Salomo Cyprianus, Jenæ, 1703. 4. vulgavit. Acceſſerunt autem Aub. Miræi Scholia & Cypriani notæ eruditiſſimæ. Præmittitur Wilhelmi Erneſti Tentzelii *florum ſparſio* ad Hieronymi *Catalogum, de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Lib. *de fide, ad Gelaſium Papam*, inter Auguſtini Opera, cui falsò adſcribitur, & ſeorſim prodiit Hamburgi, 1614. 4. cum notis Elmenhorſtii. Ubi tamen obſervamus, hunc Gennadii Libellum, ab alio interpolatum, cum quædam in illo dicta cum temporibus Gennadii non congruant. *Vita S. Hieronymi*, extat apud Mabillonium, *Analect*. T. IV. p. 183. De eo dixit Cave, P. I. p. 266. Elias du Pin, T. IV. p. 277. ſeqv.

GEORGIVS.

Patriarcha Alexandrinus, circa annum 620. factus, poſt annum 630. obdormivit. Scripſit *Vitam S. Chryſoſtomi*, quam lat. extulit Godefridus Tilmannus, Pariſiis, 1557. & Surius, d. 27. Jan. Græcè verò cum notis Savilii, inter *Opera Chryſoſtomi*, T. VIII. Excerpta ſiſtit Photius, *Cod.* 96. qui dictionem ejus ſimplicem in humilem admodum ſtylum delabentem, neque ſaltem, quod vel literatioribus in promptu, nominum verborumque accuratam adhibentem conſtructionem, pronunciat. Vide, quid de Georgio judicet Gerardus Voſſius, *de Hiſt. Græc.* L. II. c. 20. & adde quæ ex eo habet Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 316. Conf. Caſimirus Oudin, p. 164. c. X. p. 194. & Martinus Hanckius, *de rerum Byzant. Script.* P. I. num. 10. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 15.

GEORGIVS DE ARIMINO.

Italus Ariminenſis, Theologus Pariſienſis, Ordinis Aug. Eremita & Prior Generalis, anno 1357. electus, anno 1358. Viennæ obiit. Scripſit *Commentaria in I. & II. Libros Sententiarum*, Valentiæ, 1500.

1503. excuſa. *Additiones in Scriptum ſuper ſententias*, Venet. 1522. *Comment. in Epiſtolas S. Pauli & Jacobi Canonicam, & Lib. de Vſuris*, Arimini, 1522. *Librum de formis, Tract. de moribus Venetorum, & alium de conditionibus Florentinorum*, quorum meminit Joſ. Pamphilus, *Chron. Ord. Eremit.* p. 58. Plura exhibet Simlerus & ex eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 33.

GEORGIVS CEDRENVS.

Monachus Græcus, anno 1057. vixit, atque ſcripſit *Compendium Hiſtoriarum*, ab O. C. ad annum Chriſti 1057. Idiotam illum vocat Scaliger, *Animadverſionibus, in Euſebii Chronicon.* Plagiarium verò foediſſimum atque exſcriptorem, Leo Allatius de Georgiis & eorum Scriptis, p. 334. Certe plurima, ſi non omnia, depromſit ex Georgio Syncello, Theophane, Jo. Thraceſio Scylitza. Prodiit hoc Cedreni *Compendium*, gr. lat. cum notis Guil. Xylandri, Baſileæ, 1566. f. & cum notis Xylandri, Caroli Fabroti, Jac. Goaris, Paris. 1647. fol. Plura de eo dabunt Voſſius, *de Hiſt. Græc. L. II* c. 26. & Guil. Cave, *loco citato*, p. 428. Labbeus, T. I. p. 345. Du Pin, T. VIII. p. 113.

GEORGIVS.

Corcyrenſis Metropolita, anno 1136. floruit, de cujus Scriptis fuſe dixit Leo Allatius, *de Georgiis*, p. 339. & *de conſenſu* Lib. II. c. 11. §. 6. Compoſuit autem *Syntagma de Purgatorio igne contra latinos*, cujus fragmentum exhibet Allatius, *de Libr. Eccleſ. Græc. II.* p. 134. *Commentarium contra Latinos, de pane fermentato in Euchariſtia adhibendo*, qui cum præcedenti opuſculo manuſcriptus extat gr. in Bibl. Barberina. *Monodia* in obitum Nectarii, Caſulenſis Abbatis, lat. apud Baronium, *ad ann.* 1180. & aliquot *Epiſtolæ*, à Frid. Mutio lat. verſæ, apud eundem Baronium, T. XII. Audiendus de eo Guil. Cave, P. I. p. 462.

GEORGIVS CYPRIVS.

E Laico Monachus & poſt varia munera Eccleſiaſtica, Patriarcha Conſtantinop. factus, anno 1283. claruit, atque compoſuit *Encomium S. Georgii Magni Martyris*, quod exhibet gr. lat. Bolland. ad d. 23. April. Aliquot ejus Epiſtolæ manuſcriptæ adſervantur in Vaticana & Bavarica Bibliothecis. Obiit Georgius abdica-

tâ paulò ante Patriarchatus dignitate, anno 1290. Conf. Daniel Papebrochius, T. III. *April.* p. 102. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 551.

GEORGIVS.

Eleucius aliàs dictus, in Oppido Adigermaro natus, anno 614. floruit, atque Siceorum in Regione Galatarum Archimandrita conſtitutus eſt. Exaravit Georgius *vitam* S. Theodori, Anteceſſoris ſui, quæ lat. apud Surium, d. 22. April. ſed Symeonis Metaphraſtæ quisquiliis non parum conſpurcata, judice Caveo, P. II. p. 129. conſpicitur.

GEORGIVS FLORVS BALDINVS.

Cujas ille ? ignorare ſe fatetur Grynæus, præfatione, *Orthodoxogr. SS. Patrum.* Ad annum quidem 1500. illum reponit, & pium ejus *Compendium de Orat. & precibus* exhibet, *loco citato*, f. 1411. ſeq.

GEORGIVS HAMARTOLVS.

Gente Græcus, dignitate Archimandrita, anno 842. floruit, ſcripſitque *Chronicon ab O. C. ad annum 842.* quod manuſcriptum in Bavarica, Paris. Regia, Vindobonenſi & aliis Bibliothecis, extat, cujusque excerptum vide apud Lambecium, *Comment.* Lib. II. c. VII. p. 588. Ejus quoque eſt *Homilia de inventa cruce*, apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. De eo Guil. Cave, P. I. p. 375.

GEORGIVS HERMONYMVS.

Aliis Gregorius Charytonimus, Spartiata Monachus, capta Conſtantinopoli in Galliam migravit atque literas in Academia Pariſienſi profeſſus, anno 1460. claruit. Vertit Gennadii Scholarii Libellum *de vita ſalutis hominum*, e græco in latinum, quæ verſio *in Hæreſiolog.* Baſil. 1556. f. 797. habetur. *Mahometis vitam* quoque e græco in lat. tranſtulit, Baſil. 1541. 8. cum aliis excuſam. Compoſuit item *demonſtrationem, Chriſtum eſſe Deum*, Aug. Vindel. cum aliis, 1608. 8. expreſſam. *Monodia* verò *in obitum Georgii Gemiſti*, extat in Bibl. Auguſtana, obſervante Henr. Whartono, *Append. Cav.* p 99.

GEORGIVS METOCHITA.

Diaconus Conſtantinopolitanus, año 1276. clarus, qui Unionem cum

cum latinis multoties promovere intendit, male idcirco habitus atque in carcerem ſæpius conjectus eſt. Scripſit varia, quorum fragmenta Leo Allatius, locis a Caveo P. I. p. 511. adductis, exhibuit. Supereſt quoque *Refutatio trium capitum Maximi Planudis*, gr. lat. ab Allatio edita, *Græc. Orthodox.* T, II. p. 922. Item, *Refutatio Manuelis Cretenſis Nepotis*, ibidem, p. 959.

GEORGIVS.

Monachus, atque Taraſii, Conſtantinopolitani Patriarchæ, Syncellus, anno 792. floruit, quo *Chronicon* ab O. C. ad Maximianum & Maximinum perduxit, quod Pariſiis, gr. lat. prodiit, 1652. f. cura Jacobi Goar. Conf. de Georgio Aubertus Miræus, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 222. p. 225. Voſſius, *de Hiſt. Gr.* Lib. II. c. 24. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 206. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 351.

GEORGIVS.

Monachus, poſt Cartophylax Conſtantinopolitanus, & Nicomedienſis Archi-Epiſcopus, Photii familiaris, circa annum 880. claruit. Scripſit *Orationes varias elegantes*, quas ordine enumerat Cave, P. I. p. 396. quasque Fr. Combefiſius, gr. lat. edidit, *in Auct. Nov.* Pariſiis, 1648. T. I. p. 995. Labitur Combefiſius, dum Georgium Piſidam cum Nicomedienſi confundit, ut in eo notavit poſt alios Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 280. Stylum Georgii diffuſum & intricatum eſſe teſtatur du Pin, T. VII. p. 196.

GEORGIVS PACHYMERES.

Nicenus, anno 1242. natus, vir eleganter doctus, ex Clero Conſtantinop. Patriarchæ Protecdicus, & Hieromnemon, Dicæophylax imperialis, obiit poſt annum 1308. Scripſit *Hiſtoriam Conſtantinopol.* ab anno 1258. ad ann. 1308. Lib. XIII. quorum excerpta extulit Hieron. Wolffius, ad calcem *Nicephori Gregoræ*, Baſil. 1562. & quædam fragmenta, *Breviario Nicephori* annexuit Dion. Petavius, Paris. 1616. 8. Integra vero cum verſione & notis Petri Poſſini, Tomis duobus, gr. lat. quorum prior, Romæ, 1666 poſterior, ibidem, 1669. prodiit. *Paraphraſin in opera S. Dionyſii Areopagitæ*, inter *Opera Dionyſii*, gr. Paris. 1661. 8. gr. lat. ibid. 1615. fol. Antwerpiæ, 1633. Paris. 1644. fol. Lib. *de Proceſſione SS.* apud Allatium, gr. lat. *Græc. Orthodox.* T. I. p. 390. Aliorum ejus Scriptorum meminit Leo Allati-

latius, quæ huc non faciunt. Agunt de Georgio noſtro Aub. Miræus, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 426, Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſim. Oudin, *Suppl.* p. 611. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 514. Leo Allatius, *Diatriba de Georgiis*, & Mart. Hanckius, de *Scriptor. Byzant.* P. I. num. 34.

GEORGIVS PHRANZA.

Byzantinus, anno 1401. nobili gente natus, poſt varia, quæ obiit, munera Secularia, vir manufortis & conſilio prudens, Corcyræ cucullum induit, nomine Georgii mutato & Gregorii aſſumto, animumque ad ſcribendum adpulit. Compoſuit autem *Hiſtoriam* Rerum Byzantinarum, ab anno 1260. ad. 1476. Lib. IV. quam lat. tranſtulit atque in tres libros contraxit Jacobus Pontanus. Ingolſtadii, 1604. 4. ad calcem *Theophylacti Simocattæ*, excuſam. Differunt prolixè de Gregorio Phranza Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 69. & Guil. Cave, P. II. p. 302. Hanckius, *loco citato*, P. I. num. 40.

GEORGIVS PISIDES.

Diaconus & Chartophylax Conſtantinopolitanus, anno 640. floruit & ſcripſit multa, èquibus plurima interierunt. *Carmen Jambicum in Hexaemeron* & aliud *de vanitate vitæ humanæ*, prodierunt, gr. lat. Paris. 1585. 8. & in *Appendice Bigneana*, Paris. 1624. fol. p. 387. *Hiſtoria* verò *rerum ab Heraclio geſtarum, & belli Perſici: Avarum Hiſtoria: Encomia Anaſtaſii Martyris*, Svidæ memorata, jam dudum deperierunt. Sunt denique, qui Georgio noſtro *Chronicon Alexandrinum* gr. lat. a Mathæo Radero, Monachii, 1615. 4. editum adſcribunt, a quibus tamen recedunt Caſimirus Oudin, p. 165. & Guil. Cave, P. I. p. 320. qui illud Georgio, Alexandrino, *Vitæ Chryſoſtomi* Scriptori, tribuere malunt, eò, quod res Alexandrinas maximè complectatur, atque ejusdem temporibus conveniat. Erudita ſunt, quæ autores modo citati, de Chronici hujus apud eruditos fatis commonuerunt. Conf. de Georgio Piſide Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 19.

GEORGIVS SCHOLARIVS.

Ex Laico, Patriarcha Conſtantinopolitanus, a Mahomede, Tyranno, conſtitutus, anno 1453. aſſumto *Gennadii* nomine, at poſt quinque exactos in hoc ſolio annos, regiminis pertæſus, in Monaſte-

ſterium abiit, ibidemque mortuus anno, 1460. Prolixe de eo Leo Allatius, *Diatrib. de Georg.* Labbeus, T. I. p. 346. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 93. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 309. Notari hoc loco meretur nota inter eruditos controverſia: An duo extiterint Scholarii, uno eodemque tempore viventes, an vero unicus ſaltem, de quo diximus impræſenti. Priorem magno quidem verborum molimine proponit ſententiam Leo Allatius, poſteriorem vero, ut alios taceamus, Ducangius & R. Simonius, Pariſienſis & Henr. Hilarius, in *Epiſtola*, ad Chriſt. Daumium, quam cum Daumii *Reſponſoria*, vide, in *Appendice* Hilarii ad Philippi Cyprii *Chronicon Eccleſiæ Græcæ.* Certè unus idemque fuit Scholarius, qui modo pro græcis, modo pro latinis, ineundæ unionis cauſa, dixit, atque ob id diverſus ab aliis concipitur. Scripta ejus recenſet Henr. Wharton, ut ſunt: *Orationes IV.* ad Synodum Florentinam, cui anno 1438. interfuerat, gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 544. *Apologia pro Synodo Florentina*, lat. Dilingæ, 1581. 8. gr. Romæ, 1577. gr. lat. ibidem, 1628. 4. *Oratio ad Joh. Imperatorem*, gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 478. *Alia ad eundem*, gr. lat. apud Sguropulum, *Sect. III.* c. 6. *Confeſſio* ſeu *Sermocinatio cum Sultano Mahomete, Turcarum Imperatore, habita, de recta Chriſtianorum fide*, gr. & lat. Viennæ 1530. gr. lat. & Turcarabicè, in Cruſii *Turco-Græcia* Lib. II. p. 110. gr lat. apud Chytræum, *de ſtatu Eccleſ. in Græcia*, Francof. 1583. 8. p. 173. *Dialogus de via ſalutis humanæ*, gr. lat. *in Hæreſiol.* Baſil. 1556. p. 797. & ſeorſim, Helmſtadii, 1611. 8. *Tract. de Prædeſtinatione*, gr. Aug. Vindel. 1593. 4. gr. lat. poſt *Opera S. Baſilii*, Paris. 1618. Uratislaviæ, 1681. 4. *Oratio in unum in natura & trinum in Perſonis Deum*, gr. lat. cum aliis, Venet. 1501. 4. Hæc omnia, præter duplicem ad Joh. Imperatorem *Orationem*, exhibet *Bibl. Patr.* T. XXVI. *Expoſitio literarum in ſepulcro Conſtantini M. excuſarum, de excidio urbis Conſtantinop. & imperio Turcarum*, cum aliis, Venet. 1637. 4. Alia Georgii Scholarii ſcripta quam plurima memorat Guil. Cave, P. II. p. 310. ſeq. quæ tamen in membranis maximè deliteſcunt.

GEORGIVS TRAPEZVNTIVS.

Trapezuntinus Origine, in Inſula Creta lucem adſpexit, anno 1396. Poſtquam egregiam literarum notitiam ſibi comparaſſet, Romæ Græcam linguam & artes liberales magno docuit cum adplauſu.

Claruit Georgius in aula Eugenii P. R. cui ab Epiſtolis fuit, circa annum 1440. Cum autem ſeneſceret Georgius, literarum oblitus fuit omnium, adeò, ut neque adſcribendum, neque ad legendum, animum præſentem habuerit. Hunc ſibi morbum attraxiſſe fertur, ab animi, quam conceperat, ægritudine, cum exiguam lucubrationum ſuarum mercedem centum ducatorum, a Papa, cui illas, dicaverat, accepiſſet, quos etiam hæc verba exclamans: *Periere labores, pereat & ingrata merces*, in Tyberim projecerit. Expiravit demum Trapezuntius, anno 1486. Epitaphium ejus exhibet Labbeus, *Theſaur. Epitaph.* P. IX. num. 92. Scripſit varia, ex quibus huc ſpectant, Liber *de Proceſſione SS. contra Græcos, ad Joh. Cubodeſium: Epiſtola ad Hieromonachos Cretenſes & Sacerdotes de eadem re & de una ſancta & Catholica Eccleſia*, quod utrumque opuſculum vide apud Leonem Allatium, *Græc. Orthodox.* T. I. p. 469. *Martyrium* Andreæ Chienſis, lat. apud Surium, d. XXI. *Maj.* Dum hæc ipſa ſcribimus, in mentem venit ejus opuſculum ſive expoſitio loci Joh. c. XXI. Si volo eum manere &c. & quod S. Joh. Evangel. nondum ſit mortuus. Prodiit illud, lat. Baſil. 1543. 8. & in *Orthodoxogr. Patr.* Grynæi, f. 1231. De vanitate autem hujus opinionis & expoſitionis, vide Mitternachtii *Diſſertat. Philolog. Theol.* ad Joh. XXI. maximè *Diſſert.* IX. XV. p. 288. 307. ſeqq. Reliqua Trapezuntii opera Philoſophica, atque Patrum e græco in latinum verſiones, memorat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 81. quem conſulas. Conf. de eo Trithemius, Boiſſardus, P. I. *Icon. illuſtr. f.* 133.

GEORGIVS XIPHILINVS, vide XIPHILINVS

GERHARDVS DE FRACHETO

Lemovicenſis, Ord. Præd. ab anno 1226. floruit. ad ann. 1271. quo ipſo ad plures tranſiit. Compoſuit Libr. V. *de Origine ac Viris illuſtribus Ord. Præd.* Duaci, 1619. excuſos. Ejus quoque eſt *Chronicon ab O. C. ad Coronationem Caroli Franci in Regem Siciliæ, anno 1266.* quod manuſcriptum vidit in Bibliotheca Cathedralis Eccleſiæ Remenſis & Victoris Pariſienſis, Caſimirus Oudin, prout ipſe ſcribit, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 543. Loquuntur de eo Poſſevinus, *in App. S.* Aub. Miræus, *in Auct. Supplem.* Bernardus Guidonis, *in Hiſtoria de fundatione & progreſſu Conventus Lemovicenſis Fratrum Prædicatorum.* Ambroſius de Altamura, *in Bibl. Domin.* ad ann. 1267. p. 23.

GER-

GERHARDVS.

Gente Germanus, ex Monacho Richenburgenſi, Monialium Stederburgenſium Præpoſitus, anno 1163. ordinatus, anno 1209. obiit. Exaravit *Chronicon Monaſterii ſui*, ex quo *Hiſtoriam de Henrico Leone, Duce Bojoariæ & Saxoniæ*, excerpſit, notisque vulgavit Henr. Meibomius. Recudi illam fecit juxta cum aliis Henr. Meibomius, junior, T. I. *Rerum German.* Helmſt. 1688. p. 425. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 227.

GERHARDVS LANDRIANVS.

Epiſcopus Laudenſis, habuit *Orationem* anno 1433. in conſesſu Ordinum Angliæ, ad Regem, qua Epiſcopos ad Concilia mittendos, vehementer petit. Extat illa *Concil. T. XII.* p. 867. De eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 74.

GERHARDVS MAGNVS.

Daventriæ natus, Lutetiæ Litteris inſtructus, anno ætatis 18. Magiſterii gradum conſequutus eſt. Ad ſuos reverſus, Ultrajectinus quidem & Aquisgranenſis Canonicus factus, quo tamen utroque Canonicatu abdicato, fratres Vitæ communis, qui juventutem literis & moribus imbuerent, in patria inſtituit. Floruit Gerhardus, ab anno 1370. ad annum 1384. Scripſit poſt alia multa, quæ manuſcripta refert Aub. Miræus, & ex illo Caſimirus Oudinus, *Proteſtationem de veridica Prædicatione: Concluſa & Propoſita: Tractatus de ſtudio ſacrorum librorum.* Extant hæc tria opuſcula inter *Thomæ a Kempis Opera.* Quædam etiam Rusbrochii Scripta in latinum Gerhardus tranſtulit, de quibus Antonius Poſſevinus, *in Appar. S. T. I.* p. 634. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 444. p. 263. Fr. Sweertius, *Athen. Belg.* p. 280. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 665. ſeq. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 42.

GERHARDVS.

Monachus & Æditauus Corbejenſis, poſt Abbas Laudunenſis, Sueſſionis, imò denique anno 1077. Sylvæ majoris Dioeceſis Burdegalenſis, ſcripſit *Vitam S. Adalhardi, Abbatis Corbejenſis*, Librum item *de miraculis ejusdem Adalhardi.* Vtrumque exhibent Bollandus, d. 11. *Jan.* & Mabillonius, *Sec. Bened.* IV. P. I. p. 345. Confer, quæ

quæ habent Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 337. & Guil. Cave, *Hiſt. Liter.* P. II. p. 199.

GERHARDVS ODONIS

Gallus Ruthenenſis, de Caſtro Rodulphi oriundus, Ord. Minor. atque Miniſter Generalis, anno 1329. poſt Pſeudo-Patriarcha Antiochenus & perpetuus Eccleſiæ Catanenſis Rector, a Joh. XXII. P. R. ordinatus eſt. Obiit hic Gerhardus, *Doctor moralis* dictus, Catanæ, 1349. Ejus ſunt *Comment. in Libros X. Ethicorum Ariſtotelis*, Venetiis 1500. excuſi. Eidem quoque tribuuntur a Waddingo, *Bibl. Ord. Min.* p. 145. *Officium de ſtigmatibus S. Franciſci*, aliique Tractatus manuſcripti, utpote *de figuris Bibliorum*, *Commentaria in Libros IV. Sententiarum*, & *in varios S. Scripturæ Libros.* &c. Agit de eo Henr. Wharton, *App. Cav.* p. 17.

GERHARDVS.

S. Udalrici, Epiſcopi, Capellanus, & Presbyter ab eo ordinatus, circa annum 980. floruit, atque ſcripſit *Vitam Udalrici, Epiſcopi Auguſtani*, quam anonymam edidit Velſerus, *in Rebus Vindel.* p. 515. Condidit quoque Librum *de Miraculis S. Udalrici*, quem cum priori, addito auctoris nomine, vulgavit Mabillonius, *Sec. Bened.* V. p. 419. Loquuntur de eo poſt Mabillonium, *loco citato*, p. 415. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 309. & Guil. Cave, P. II. p. 188.

GERHARDUS.

Monachus, & ut Guilielmo Caveo videtur, S. Medardi Sveſſionenſis Monaſterii Præpoſitus, ab anno 932. ad 950. & ultra, *Vitam S. Romani*, metro & proſa, ſcripſit. Prologum ejus, proſa ſcriptæ vulgavit Mabillon, *Analect.* T. I. p. 107 integram vero vitam, eodem Mabillonio teſte, Nicolaus Rigaltius edidit. Conf. ſi placet, Guil. Cave, P. I. p. 406. quem amplexi ſumus, & adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 52.

GERHARDVS ZVTPHANIENSIS.

A patria dictus, inter primos fratres Congregationis Clericorum, Ord. S. Hieronymi, a Gerhardo Magno inſtitut, ingenio ſubtilis, clarus eloquio, obiit anno 1398. ætatis 31. teſte Fr. Sweertio, *Athen Belg.* f. 288. Prodierunt ejus Opuſcula II. *de Reformatio-*

ne

ne interiori, & de Spiritualibus Aſcenſionibus, Pariſiis & Coloniæ, 1539. & cum *Thomæ à Kempis Operibus*. Habentur quoque *Bibl. Patr.* T. XXVI. p. 234. & alibi. Evolve Poſſevinum, *in Appar. S.* p. 636. Aub. Miræum, *de Script. Eccleſ.* c. 481. p. 272. Caſim. Oudinum, p. 664. Henr. Whartonum, *App. Cav.* p. 46.

GERHOHVS.

Reicherspergenſis in Bavaria Abbas, anno 1188. claruit, cujus *Syntagma de Henrico IV. & V. Imperatoribus, & Gregorio VII. P. R.* cum aliis edidit Jacobus Gretzerus, Ingolſtadii, 1611. 4. *Chronicon Monaſterii Reicherspergenſis*, Monachii 1611. 4. Chriſtophorus Gewoldus. Memorat ejus *Commentarium in Pſalmum LXIV.* ſive *de corrupto Eccleſiæ ſtatu*, manuſcriptum in Bibl. Colbertina adſervatum, Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 459, eumque prelo non indignum, exiſtimat.

GERMANVS.

Cyzici Epiſcopus, & poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 715. conſecratus, vel ex eo notiſſimus, quod ſuperſtitioſum Imaginum cultum, a Leone, Imperatore, prohibitum, fortiter defendit, eamque ob cauſam ſedem ſuam relinquere juſſus, in exilio circa annum 740. obiit. Extant ejus *Epiſtolæ III.* gr. lat. *Concil.* T. VII. p. 289. *Tractatus de VI. Synodis Oecumenicis*, gr. lat. apud Stephanum le Moyne, inter *Varia Sacra*, T. I. p. 68. *Apologia pro Gregorio Nyſſeno, ejusque ſcriptis Origenismi perperam inſimulatis*, Photio laudata, interiit. *Stylus*, eodem Photio teſte, *ipſi purus ac clarus, verborumque tropos feliciter uſurpans, Phraſi venuſta & eleganti, non ad frigiditatem vergens, propoſito valde inſiſtens, par etiam in contentionibus ſuſcipiendis, nihilque citra neceſſitatem immittens, nihilque, quod dictu ſit neceſſarium, prætermittens, tum conſtructione, tum enthymetatibus.* Conf. de Germano, Poſſevinus, *Appar. S.* Labbeus, T. I. p. 350. Caſim. Oudin, p. 193. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 338. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 89.

GERMANVS.

Profeſſione Monachus, dignitate Patriarcha Conſtantinopolitanus, Anaplo Propontidis oriundus, ſede ſua, quam anno 1222. occupaverat, anno 1240. ejectus, anno tamen 1254. eidem reſtitutus, eodem anno obiit. Ejus nomen præfert *Oratio in Encænia vene-*

randæ ædis B. Mariæ & in faſcias Domini noſtri, quæ gr. lat. apud Combefiſium habetur, *Orig. Conſtantinop.* p. 231. *Rerum Eccleſiaſticarum Theoria*, admodùm interpolata, *in Auct. Duceano*, T. II. p. 131. *Orationes* III. gr. lat. ibidem p. 450. ex quibus ſecundam ei abjudicat Cave, P. I. p. 493. *Homiliæ* V. gr. lat. apud Combefis. *Auct. Nov.* T. I. p. 1464. *Idiomelon in feſtum Annunciationis*, gr. lat. ibidem. *Oratio in exaltationem crucis, & adverſus Bogomilos*, gr. lat. apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1237. *Aliæ* ejusdem argumenti, ibidem, p. 1413. 1417. 1124. *Epiſtolæ II. ad Cyprios*, gr. lat. apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Gr.* T. II. p. 462. *Epiſtolæ II. ad Gregorium IX. P. R. & Cardinales*, Concil. T. XI. p. 318. *Decreta III. de Monaſteriis Patriarchalibus*, gr. lat. apud Leunclavium, *Jure Græc. Rom.* L. III. p. 232. Plura refert Cave, *loco citato*, & P. II. p. 147. Adde Leonem Allatium, *de Conſenſu*, L. II. c. 14. § 3. Aubertum Miræum, *in Auctar. de Scriptor.* p. 255. Labbeum, T. I. p. 350. Oudinum, p. 496. qui Miræum notat, Germanum, tanquam Schismaticum & acrem hoſtem latini nominis, absque merito, diffamantem. Evolvas quoque Eliam du Pinium, T. IX. p. 101.

GERMANVS.

Gallus Auguſtodunenſis, Diaconus & Presbyter Auguſtodunenſis, poſt Abbas S. Symphoriani, ac demum, anno 555. Epiſcopus Pariſienſis conſecratus eſt. Claruit Germanus ab anno 555. ad annum 576. Inſigne ejus Epitaphium, a Chilperico Rege ſcriptum, refert Labbeus, *Theſauro Epitaph.* P. II. n. 41. Scripſit *Epiſtolam ad Brunechildem, Reginam*, quæ *Concil.* T. V. p. 923. habetur. Loquuntur de eo Guil. Cave, P. I. p. 293. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 88.

GERTRVDIS.

Gente Germana, nobili gente ſata, Ordinis Bened. ſocia, Cœnobii Rodalsdorffenſis Abbatiſſa, Monaſterio quoque Heldelfenſi in Comitatu Mansfeldenſi præfuit. Floruit ab anno 1251. ad 1290. quo fato extincta eſt. Scripſit Libros IV. *inſinuationum divinæ Pietatis*, qui prodierunt, Coloniæ, 1579. 4. Pariſiis, 1662. 8. Agit de Gertrude Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 553. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 500.

GERVASIVS.

Abbas Præmonſtrati & poſteà Sagienſis in Normannia Epiſcopus,

pus, ab anno 1206. ad 1228. claruit, atque *Epiſtolas circiter centum ad Perſonas ſui temporis illuſtres* ſcripſit, quas Norbertus Cailleu, apud Montes Hannoniæ, 1662. 4. vulgavit. Conf. de Gervaſio Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* & Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 481.

GERVASIVS.

Gente Anglus, Fani Servatoris Ord. Bened. Monachus Cantuarienſis, Gentis ſuæ antiquitatum ſcrutator induſtrius, anno 1201. non vero 1128. ut falſo hallucinatur Geſnerus, *in Bibliotheca*, claruit. Extat ejus Tractatus *de Combuſtione & reparatione Cantuarienſis Eccleſiæ*, inter *Scriptores X. Anglicos*, Londini, 1652. f. vulgatos, p. 1289. *Imagines de diſcordiis inter Monachos Cantuarienſes & Balduinum, Archi-Epiſcopum*, ibidem, p. 1303. *Chronicon Rerum Angl. ab anno 1122. ad ann. 1199* ibidem, p. 1334. *Vitæ Pontificum Cantuarienſium ab Auguſtino ad Hubertum*, ibidem, p. 1629. De eo Baleus, *Centur.* III. Pitſeus, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 56. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 471. Guil. Cave, P. I. p. 486. Du Pin, T. IX. p. 191.

GILBERTVS FOLIOTH.

Gente Anglus, Abbas Leiceſtrenſis, poſt Herefordienſis, anno 1149. & Londinenſis, anno 1161. Epiſcopus, multas cum Becketo, Cantuarienſi Archi-Epiſcopiſco, lites habuit, quas prolixe recenſet Guil. Cave, P. I. p. 466. ſeqv. Obiit Gilbertus, anno 1187. Ejus *Commentarii in Cantica Canticorum* prodierunt, Londini, 1638. 4. *Epiſtolæ* autem VII. inter *Epiſtolas Becketi*, Bruxellis, 1682. De eo Pitſeus, *de Script. Angl.* f. 251. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 186.

GILBERTVS DE HOYLANDIA.

Anglus, patriâ Lincolnienſis, Bernardo Præceptore uſus, Ord. Ciſtert. Sodalis, poſt Swincetenſis Coenobii Abbas, anno 1170. floruit. Errant Baleus & Pitſeus, qui illum ad annum 1200. collocant, notati idcirco à Guilielmo Caveo, P. II. p. 228. Continuavit Gilbertus *Sermones Bernardi in Cantica Canticorum*, quos Bernardi eloquentiæ & ſenſibus impares judicat Henricus Gandavenſis, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 12. p. 164. Item *Epiſtolas* III. conſcripſit & *diſſertationes epiſtolares Aſceticas VI.* quæ inter *Opera Bernhardi* extant, & anno 1497. Argentorati prodierunt. Plura ſuppeditabunt Baleus, *Centur. III.* p. 246. & Pitſeus, *de Scriptor.* p. 269. Elias du Pin, T. IX. p. 185.

GILBERTUS NICOLAI.

Ordinis Minorum de Obſervantia Vicarius Provincialis Franciæ, cujus Tractatus, inſcriptus, *Veritas omnia vincit*, cum alio Anonymi Libro, cui Titulus, *Bonus Paſtor*, excuſus Lipſiæ, apud Melchiorem Lotterum, 1516. 4.

GILBERTUS PORRETANUS.

Ortu Pictavienſis, Scholæ Pariſienſis Rector, & Canonicus Pictavienſis, poſt Epiſcopus, ab anno 1141. ad 1154. Philoſophus & Theologus inſignis, cui tamen hæreſeos notam inuſſerunt aliqui. Cum enim de SS. Trinitate liberius loqueretur, novasque loquendi formulas immiſceret, in Synodis, Pariſienſi, & Remenſi, hæreſeos accuſatus, ex quibus tamen ſalvus evaſit. Extat Gilberti *Epiſtola ad Mathæum, Abbatem S. Florentii*, apud Dacherium, *in Appendice ad Opera Guiberti*, p. 564. *Gloſſam ſuper Pſalmos*, & *Commentarium in Epiſtolas Pauli*, manuſcripta memorant Caſimirus Oudinus, p. 421. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 466. Agunt de Gilberto Porretano Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. III. p. 886. Henr. Gandavenſis, Lib. *de Script. Eccleſ.* c. 17. Miræus, *Bibl. Eccleſ.* p. 165. Arnoldus, *Hæreſeolog.* Du Pin, T. IX. p. 123. ſeqv. & alii.

GILBERTUS de SEMPRINGHAM.

Anglus, Ordinis Canonicorum Gilbertinorum in Anglia fundator, circa annum 1170. claruit, atque ſcripſit Lib. II. *Conſtitutionum ſui Ordinis*, quos exhibet *Monaſticum Anglicanum*, Londini, 1661. & 1673. impreſſum. De eo Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX p. 188.

GILBERTUS TORNACENSIS

A patria dictus, Ordinis Minorum, & Theologus Pariſienſis, anno 1270. vixit, ſcripſitque Tract. *de Officio Epiſcopi & Eccleſiæ Ceremoniis*, & alium, *de pace & tranquillitate animi*, qui uterque *in Bibl. Patr.* T. XXV. p. 378. habetur. *Vitam S. Eleutherii, primi Tornacenſium Apoſtoli*, Bollandus ſiſtit, d. XX. Febr. *Sermones de Tempore & de SS.* Pariſiis, 1518. 8. prodierunt. *Hodoeporicon primæ profectionis Ludovici, Regis Francorum ad transmarinas partes*, memorat Henricus Gandavenſis, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 54. quod in Belgii Bibliothecis adſervari creditur. Conf. de Gilberto Tornacenſi Henr. Willot, *Athen. Franc.* p. 161. Caſim. Oudin, p. 538. Guil. Cave, P. I. p. 509.

GIL-

GILDAS SAPIENS.

Badonicus, a praelio Batonico dictus, Monachus Banachorenſis, anno 581. clarus, de quo poſt Baleum, & Pitſeum docte diſſeruit Cave, P. I. p. 300. ſcripſit *Epiſtolam de Excidio Britanniæ & Caſtigationem Ordinis Eccleſiaſtici*, quæ inter *Orthodoxogr*. p. 487. & *in Bibl. Patr*. T. VIII. p. 707. 715. & inter *Scriptores Britanniæ minores*, Heidelbergæ, 1587. f. habetur. Seorſim prodierunt, Londini, 1525. 8. Baſil. 1541. 8. 1568. 12. Denique ante annos aliquot eadem opuſcula imprimi curavit Cl. Galeus, atque T. III. *Rerum Angl. Scriptoribus* inſeruit. Plura Gildæ noſtri Opuſcula memorant Baleus atque Pitſeus, & qui eos ſequitur, Guil. Cave, quos cum fructu evolvas. His adde Eliam du Pinium, *Bibl Nouv*. T. V. p. 90.

GILLEBERTVS.

Epiſcopus in Hibernia Lumnicenſis, anno 1110. Synodum in Hibernia convocavit, atque in eadem Epiſcopatuum Hibernicorum limites circumſcripſit. Obiit Gillebertus, poſtquam Legationis per totam Hiberniam Apoſtolicæ munus, quod primus obtinuit, depoſuiſſet, poſt annum, 1139. Habentur ejus *Epiſtolæ II*. & *Libellus de ſtatu Eccleſiæ*, apud Uſſerium, *Epiſtol. Hibern. Syllog*. p. 77. De eo loquuntur Waræus, *Comment. de Præſul. Hibern*. p. 183. & Guil. Cave, P. I. p. 447. Caſimirus Oudin, *Supplem*. p. 353. Du Pin, *loco citato*, T. IX. p. 181.

GISLEBERTVS.

Monachus Antiſſiodorenſis, anno 1048. claruit atque *Vitam S. Romani* exaravit, quam exhibet Mabillon, *Sec. I*. p. 81.

GISLEBERTVS.

Normannus, aliis *Gilbertus*, ſub Regula S. Benedicti Monachus Anglus, in Coenobio Weſtmonaſterienſi, juxta Londinum, ejusdemque poſteà Præpoſitus & Abbas, Anſelmi, Cantuarienſis Epiſcopi, olim diſcipulus, ab anno 1101. ad 1117. floruit. Hujus Gisleberti eſt *Altercatio Synagogæ & Eccleſiæ* ſive *diſputatio Judæi cum Chriſtiano*, quam Gabriel Gerberon inter *Opera Anſelmi*, Paris. 1675. p. 512. vulgavit. Alia quoque ipſi tribuit Cave, P. I. p. 443. utpote *Homilias in Cantica Salomonis*; item *contra peccata cogitationis, locutionis & operis*, quibus Pitſeus, p. 196. *Commentaria in Eſaiam & Jeremiam*

ſuperaddit. Conf. ſi placet, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 180.

GLABER RODVLPHVS.

Seu *Radulphus*, S. Germani Antiſſiodorenſis Monachus & poſtea Cluniacenſis. *Hiſtoria*, quam ſcripſit & Odiloni, Abbati Cluniacenſi, dicavit, atque ab anno 900. ad 1045. usque, libris quinque perduxit, prodiit Francof. 1596. & inter *Scriptores Francicos Du Chesnii*, Pariſiis, 1641. *Vita S. Guilielmi, Abbatis S. Benigni Divionenſis*, extat apud Bollandum, d. 1. Jan. & Roverium, *in Hiſtoria Reomaenſis Monaſterii*, Paris. 1637. Vide, quid ex Baronio de Glabro Rodulpho transſcripſerit Cave, P. I. p. 422. & pro lubitu arbitrare. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

GOBELINVS PERSONA.

Ortu Weſtphalus, anno 1358. natus, anno 1386. Sacerdos conſecratus, atque poſt hæc Rector Capellæ S. Trinitatis in urbe Paderbornenſi conſtitutus eſt. Cum autem edicta Conſulum pro concione redargueret, aliorumque in ſe odia cumulaſſet, veneni periculum evitaturus Bilefeldam adpulit, ibidemque Eccleſiæ Cathedralis Diaconus eſt factus. Senio tandem confectus in Monaſterium ſeceſſit, atque placide obdormivit. Condidit Gobelinus *Chronicon*, quod cum notis & appendice imprimi curavit Henr. Meibomius, Francof. 1599 f. *Vitam* quoque *S. Meinulphi* ipſi adſcribunt Molanus & Surius, quam corruptam exhibet Surius, d. V. Octobr. ſinceram vero Chriſtophorus Browerus, Moguntiæ, 1616. Plura te docebit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 65.

GODEFRIDVS.

Germanus, Monachus S. Pantaleonis Colonienſis Ord. Bened. anno 1237. floruit, atque *Chronicon* ab anno 1162. ad ann. 1237. condidit, excuſum opera Marquardi Freheri, *in Collect. Veterum Germaniæ Scriptorum*, T. I. p. 239. De eo Guil Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 497. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 513.

GODEFRIDVS.

Claræ vallenſis Monachus, dein Igniaci, tandemque anno 1162. Claræ vallenſis Abbas, S Bernhardi olim Notarius & *Vitæ* ejus Autor, anno circiter 1140, illum in itineribus Franciæ & Germaniæ ſecutus

tus, & ad Synodum Remenſem 1148. ubi rogatu Cardinalis Albanenſis, de illius geſtis *hiſtoriam* elucubravit, quæ T. III. *Concil. General.* extat. Vide Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. IV. p. 255.

GODEFRIDVS.

Vindocinenſis Abbas, Patria Andegavenſis S. Priſcæ Cardinalis, deterrimo Seculo usque ad 1130. vixit. *Vitam cum Epiſtolarum* Lib. V. *Sermonibus XV.* & *Opuſculis aliis XIIX.* anno 1610. Pariſiis edidit, notasque addidit Jac. Sirmodus, exinde *in Bibl. Patr.* T. XXI. habentur. Vide Labbeum iſta enumerantem, T. I. p. 355. Conf. quoque Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 447.

GODEFRIDVS.

Viterbienſis à Patriâ dictus, Presbyter, à Sacris & Scriniis Imperator. Conradi III. & Frederici I. ejusque filii, Henrici VI. Capellanus, Peregrinatione XL. annorum omnes Bibliothecas excutiens, magnam ſibi & rerum & lingvarum cognitionem paravit, annoq; 1186. adhuc ſuperſtes fuit. *Chronicon* ejus ſoluta & ligata intermixta compoſitum, fabulis quàm plurimis refertum, extat T. II. *Scriptor. German.* Jo. Piſtorii. *Speculum Regum,* ſeu *Genealogia omnium Regum & Imperatorum,* à diluvio ad Henr. VI. manuſcripta habetur in Bibliotheca Vindobonenſi. Conf. Lambecii *Comment.* L. II. c. 8. p. 774. Labbeus, *differt.* T. I. p. 355. Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 459. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 475. Baronius, *in Annalibus.* Poſſevinus, *in Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 578. p. 254. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 190.

GODEHARDVS.

Ex Abbate Tegernſenſi, Epiſcopus Hildesheimenſis factus, anno circiter 1002. floruit. Ejus ſunt *Epiſtolæ V.* quas edidit Mabillon, *Analect.* T. IV. p. 349. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 104. & 107.

GONTERVS.

S. Amandi in Belgio Congregationis Cluniacenſis Monachus, circa annum 1190 clarus, inſignis ſui temporis Poëta, ſcripſit *Poema Libris X. de Rebus geſtis Friderici Barbaroſſæ in Liguria & Lombardia,* ſub *Ligurini* nomine, Argentor. 1531. Baſil. 1569. Francof. 1584. & alibi impreſſum. Libr. XIII. *de Oratione, Jejunio & Eleemoſyna*, Baſil.

iil. 1504. 1507. 4. *Vitam SS. Cyrici & Julittæ*, apud Surium & Bolland. d. XVI. *Junii.* Conf. Sigebertum, *de Script.* c. 166. & Caſim. Oudinum, p. 463. atque ejus circa Gonteri Opera dubia animadverte. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX p. 595.

GORDIANVS.

Gente Romanus, S. Placidi in itinere & captivitate Comes, profeſſione Monachus, *Vitam & Paſſionem S. Placidi, Martyris*, ſcripſit, quam interpolatam quidem exhibet Mabillon, *Sec. Bened.* I. p. 45. & Surius, d. V. Octobr. Claruit Gordianus circa annum 539. Conf. ſi placet, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 290.

GOTSELINVS.

Seu Goſcelinus, Monachus primùm S. Bertini in Arteſia, tùm poſteà S. Auguſtini Cantuarienſis in Anglia, circa annum 1096. clarus, *Vitam S. Auguſtini*, primi Cantuarienſis Epiſcopi, duplici deſcripſit opuſculo, majori ſcilicet & minori. Minus Anonymon extat in *Appendice Dacheriana* ad *Lanfranci Opera*, Paris. 1648. excuſa, & T. II. p. 51. *Angl. S.* ab Henr. Whartono editæ. Majus autem habetur apud Mabillonium, *Sec. Bened. I.* p. 498. *Vita S. Eadgithæ, Sanctimonialis Wintonienſis*, apud Surium, d. XVI. Septembr. & Mabillonium, *Sec. Bened. V.* p. 636. Plura Gotſelini Opuſcula, eaque manuſcripta, exhibent Baleus, Pitſeus, & ex iis Guil. Cave, P. II. p. 205.

GOTTESCHALCVS.

Diaconus & Canonicus Leodienſis, qui circa annum 770. floruit, primus *Vitam S. Lamberti, Epiſcopi Leodienſis & Martyris*, ſcripſit, quam exhibet cum aliis Jo. Chapeavillus, *Rerum Leod. T. I.* Leodii, 1612. 4. & Mabillon, *Sec. III.* T. I. p. 66. Conf. Aub. Miræus, *in Auct.* de *Script.* c. 220. p. 223. Caſim. Oudin, *Suppl. de Script.* p. 201. Valerius Andr. Deſſelius, *Bibl. Belg.* p. 296. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 108.

GOTTESCHALCVS

Fulgentius aliàs, a ſtudiis forſan, quibus inclaruit, dictus, Monachus Orbacenſis, Ord. Bened. atque Presbyter deinde a Ricboldo, Chorepiſcopo, ordinatus, Rothadi, Sveſſionenſis Epiſcopi invidiam declinans, peregrinationes varias ſuſcepit. Cum autem circa prædeſtinationem, Liberum arbitrium, & mortem Chriſti, minus orthodoxe ſentiret, in Concilio Moguntino, anno 848. & Conven-

ventu Cariſiacenſi, deponitur & ad carcerem, cujus anguſtias 21. annis expertus, damnatur. Obiit Gotteſchalcus anno 870. Ejus *Confeſſiones* II. extant apud Uſſerium, ad calcem *Hiſtoriæ Goteſchalcianæ*, Dublini, 1631. 4. Hanov. 1662. 8. editæ, & apud Mauguinum, *Collect. Script.* Sec. IX. T. I. p. 7. *Epiſtola ad Ratramnum*, apud Lud. Cellot, *Hiſt. Goteſchalc.* p. 415. fragmentum alius *epiſtolæ metricæ*, apud Mauguinum, T. II. p. 58. & alibi. *Libellus de Prædeſtinatione*, cujus fragmenta exhibet Mauguin, T. I. P. II. p. 3. & T. II. *diſſert. hiſtor.* c. 14. p. 62. Fuſe de Gotteſchalco poſt alios diſſeruerunt, Gilbertus Mauguinus, Jac. Vſſerius, Ludovicus Cellot, *locis* ſupra *citatis*. His adde Voſſium, & Henr. Noriſium, *Hiſtoria Pelagiana*. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 371. Caſp. Sagittarium, *Introd. ad Hiſt. Eccleſ.* p. 970. Arnoldum, *Hæreſiolog.* Caſim. Oudin, *loco citato*, p. 259. Natalem Alexandrum, *in Select. Hiſt. Eccleſ. capit.* Sec. IX. T. II. diſſert. V. p. 164. ſeq. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 11. ſeqv.

GOTTESCHALCVS HOLEN

Natione Germanus, Ord. Erem. D. Auguſtini profeſſus & S. Theol. Lector, anno 1495. claruit. Extat ejus *Commentarius in Decalogum*, Colon. 1481. f. Norimb. 1497. f. 1521. 4. *Sermones Dominicales in Epiſtolas D. Pauli* prodierunt Hagenoæ, 1517. 1520. De eo poſt Simlerum & alios, Guil. Cave, P. II. p. 319.

GOZBERTVS

Abbas Tegernſenſis, quem Caveus ad annnm 1002. retulit, *Epiſtolas* IV. exaravit, exhibitas à Mabillonio, *Analect.* T. IV. p. 347.

GOZECHINVS.

Natione Germanus, profeſſione Scholaſticus, Leodii primùm, poſteà verò Moguntiæ docuit, circa annum 1060. ſcripſit *Epiſtolam* ſatis prolixam ad Valcherum, diſcipulum & ſucceſſorem, quâ ſtatum ſui temporis perverſum, deplorat. Extat illa apud Mabillonium, *Analect. T. IV.* p. 360. Conf. Guil. Cave, P. II. p. 201.

GRATIANVS.

Gente Tuſcus, Patriâ Cluſinas, Coenobii S. Foelicis in Bononia Monachus, Ord. Bened. *Magiſter* dictus, ob inſignem, quâ polluit, Juris Eccleſiaſtici interpretationem, circa annum 1131. claruit. Spurium eum atque Petri Lombardi, & Petri Comeſto-

ris fratrem Germanum, faciunt quidem nonnulli, aſt, quo ſucceſſu, facile judicatur, quod nullo plane teſtimonio certo nitantur. Scripſit Gratianus *Concordantia diſcordantium Canonum*, tribus partibus diſtincta, quæ primo absque Gratiani nomine, 1472. f. Venetiis 1479. & poſtea cum illo, variis in locis prodierunt atque Juris Canonici editionibus inſerta ſunt. Vide, quid de illis judicet Zieglerus, *Diſſert. prælim. ad Jus Canon.* p. 28. ſeqv. & Gerardus Maſtrichtius, *Hiſt. Jur. Eccleſ.* num. 318. ſeqv. De *Emendatione Gratiani* Libros II. ſcripſit Antonius Auguſtinus, quos cum notis edidit Baluzius, Paris. 1676. 8. Conf. quoque Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 461. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 218. ſeq.

GREGENTIVS.

Tephræ, in Arabia felice, Archi-Epiſcopus, ad annum 470. a Guilielmo Caveo relatus, habuit Dialogum cum Herbano Judæo, cujus *Acta* gr. lat. cum ſcholiis breviculis edidit Nicolaus Gulonius, Pariſiis, 1586. 8. Habentur exinde in *Auctar. Duceano*, Paris. 1624. T. I. De eo docte diſſeruit Cave, P. I. p. 257. & P. II. p. 109.

GREGORIVS ACINDYNVS.

Monachus Græcus, Latinorum hoſtis acerrimus, anno 1340. vixit, vir ingenii parum quieti, multas cum Palamitis lites habuit, hinc demum damnatus, atque in variis Synodis excommunicatus eſt. Scripſit *Carmen Jambicum* de hæreſibus Gregorii Palamæ, gr. apud Allatium, *Græc. Orthod.* T. I. p. 756. ſeq. Lib. II. *de eſſentia & operatione Dei* adverſus Palamam, Gregoram, & Philotheum, edidit Gretſerus, Ingolſtadii, 1616. 4. Conf Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 23. & Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 625.

GEORGIVS FLORENTIVS GREGORIVS.

Arvernus, anno 544. natus, ex Diacono Archi Epiſcopus Turonenſis, varia geſſit notatu non indigna, atque obiit, anno 595. Doctus quidem fuit Gregorius, ſed nimis ſimplex; prout ex Hilduino, Abbate, dilucide probat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 298. Scripſit *Annalium Francorum* Lib. X. quibus immortuus, excuſos Pariſiis, 1552. Baſil. 1568. 8. Paris. 1610. 8. & inter *Scriptores Franc.* Du Cheſnii, T. I. *Miraculorum* Lib. VII. *de Miraculis & Virtutibus S. Martini* Lib. IV. *de Gloria Martyrum* Lib. II. *de Gloria Confeſſorum* Lib. quæ Co-

Coloniæ, 1583. 8. prodierunt. Lib. *de Vitis Patrum*, Paris. 1522. Lib. *de Vita & morte VII. dormientium ad Sulpitium, Bituricenſem Archi-Epiſcopum*, Paris. 1501. 1640. *Epitome de Rebus Geſtis Francorum*, inter *Veter. Franc. Scriptores*, Hanov. 1613. Hæc ſingula Gregorii Opuſcula exhibentur *Bibl. Patr.* T. XI. *Commentarius* verò *in Pſalmos* & *de Curſibus Eccleſ. Lib.* interierunt.

GREGORIVS DE ARIMINO vide GEORGIVS.

GEORGIVS.

Natione Hiſpanus, provincia Boeticus, Epiſcopus Eliberitanæ Sedis, non procul Granata urbe, ut ait Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. p. 188. & 451. Vixit adhuc anno 392. ut ex Hieronymo colligitur. Ejus nomine *Librum de Trinitate & fide contra Arianos*, Achilles Statius, Romæ, edidit, qui tamen ad Fauſtinum pertinet. Hinc miratur Schottus, *loco citato*, p. 415. & 485. *Collectorem Bibl. Patrum Paris. edit. 2.* nunc Fauſtini, nunc Gregorii nomine, ad verbum repetitum eundem librum, Tomo IV. geminaſſe, adeoque errore pudibundo bis repræſentaſſe, f. 839. & 1273. Exhibet alium *de fide Librum*, ſub Gregorii Naz. nomine, Paſchaſius Qveſnellus, *in Codice Canonum Romano*, quem illum eſſe putat, cujus Hieronymus meminit, eundemque Gregorio Bœtico reſtituit. Plura ſuppeditabunt Labbeus, T. I. p. 357. & Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 132.

GREGORIVS.

Presbyter, circa annum 940. ſcripſit *Vitam S. Gregorii Naz.* quæ gr. lat. *Operibus Nazianzeni* præmiſſa eſt. *Orationem Hiſtoricam in CCCXIIX. Patres Concilii Niceni, & in Conſtantinum M.* quam lat. exhibet Surius, d. X. *Julii*, gr. lat. Combefiſius, *Auct. Nov.* T. II. p. 547. cum notis. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 407.

GREGORIVS DE HEIMBVRG.

Germanus, J. U. D. authoritatis Pontificiæ hoſtis acerrimus, Norinbergenſis Syndicus, Sigismundi, Archiducis Auſtriæ, Orator, ſolium Papale funditùs evertere laboravit, jam enim in Concilio Baſileenſi Primatum Papæ viriliter oppugnavit. Et quamvis datâ à Pio ad Noribergenſes Epiſtolâ, urbe ejiceretur, Pontificis tamen execrationes contempſit. Inter alia ab irato Papa ad placatum appellat & ominoſa de ruina Antichriſti verba profert. Excommu-

municatus in Bohemiam fugit, unde tamen in Germaniam revocatus eſt. Lapidi ſuo ſepulcrali notabilem Pauli locum ex 1. Cor. IV. 3. inſculpi juſſit: *Non judicabit me humana dies.* Scripſit *Confutationem Primatus Papæ*, quæ apud Goldaſtum, *Monarch.* T. I. p. 557. *Sigismundi Ducis proceſſum contra Papam*, T. II. p. 1576. *Appellationem ad Concilium Generale*, ibidem, p. 1592. *Apologiam contra Theodorum Lalium, Feltrenſem Epiſcopum*, ibidem. p. 1604. *Invectivam in Nicolaum Cuſanum, Cardinalem, Papalis plenitudinis defenſorem*, ibidem, p. 1626. Seorſim quoque hæc Gregorii Opuſcula prodierunt, Francof. 1608. 4. De Gregorio noſtro conferas, poſt alios, Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 98.

GREGORIVS MELISSENVS vide MAMMAS.

GREGORIVS.

Monachus, Baſilii junioris Aſcetæ diſcipulus, circa annum 895. floruit. Ejus *de Vita & Conſervatione S. Baſilii* Liber extat apud Bolland. d. XXVI. Martii T. III. Lat. p. 667. Græcè, ad calcem, p. 24. Manuſcripta græcè habetur in Bibl. Vindobonenſi. Conf. quæ de eo habet Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 168.

GREGORIVS.

Ex Monacho Caſſinenſi, Tarracinenſis in Italia Epiſcopus, ab anno 1105. ad 1126. claruit, maxime laudatus a gravitate, ſvavitate & eloquentia, qui *Columna Eccleſiæ* à veteribus adpellari ſolet. Ejus eſt *Hiſtoria Belli ſacri*, quam Joh. Mabillon, *Muſ. Ital.* T. I. P. II. p. 130. inſeruit. Alia ejus Scripta nunc quidem inedita memorat Petrus Diaconus, *de Viris illuſtr. Caſinens.* p. 55. & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 219. qui alia de Gregorio notatu digna ex Mabillonio retulit.

GREGORIVS NAZIANZENVS

A Nazianzo, ignobili ſecundæ Cappadociæ oppido, prope quod natus, ita appellatus, Cæſaream, Alexandriam atque Athenas ſtudiorum cauſa frequentavit, Saſimæ prius, parvæ Cappadocum civitatis, dein Patris in Patria Sede coadjutor, demum Conſtantinopoleos Epiſcopus, anno 379. unde ob tumultus Præſulum Nazianzum ſponte ſeceſſit, anno 382. ibique ruri plerumq; vixit, usq; ad annum 389. Vir fuit omnino divinis humanisque literis ſolidiſſime

me imbutus, atque, ſi unquam apud homines talis exiſtere debuit, effigies quædam atque omnibus virtutibus conſtans columna, elogio Simeonis Metaphraſtæ. Vas electionis, puteum profundum, os Chriſti, ipſum vocavit Baſilius, amicus ejus integerrimus. Certè, tantæ excellentiæ & autoritatis, ut *Theologi* nomen κατ᾽ ἐξοχὴν fuerit aſſequutus, de quo ut de Pythagora diſcipuli dixerunt: αὐτος ἔφα, & is à recta fide alienus diceretur, qui contra Gregorium loqui auderet de recta fide. Inter Orientis ab Arianismo, poſt Valentis Ariani obitum, reformatores, præcipuus, Hieronymi in Sacris Magiſter, undiquaque venerabilis. Vitam ipſemet optimè delineavit, principio Operum, cujus compendium vide apud Baronium, ad ann. 380. 389. Opera Nazianzeni, eorumque editiones recenſent Labbeus, T. I. p. 360. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 140. Prodierunt autem gr. Baſil. 1550. Lat. ibidem, 1571. Paris. 1583. gr. lat. Paris. 1609. & 1630. T. II. fol. Lipſiæ, 1690. Seorſim ejus ἀπόῤῥητα edidit David Hoeſchelius, Lugd. Batav. 1591. græcè & cum paraphraſi, verſioneque latina, Hornſchuchius, Lipſiæ, 1645. *Definitiones rerum ſimplices*, idem Hoeſchelius & Joh. Leunclavius, Aug. 1599. & Adam Rechenbergius, Lipſiæ, 1678. 8. *Gnomica tetraſticha, diſticha & monoſticha*, Goslar. 1630. Alia quædam & *S. Carmina*, cum lat. verſione Joh. Langius, Baſil. 1567. *Orationem* ſeu *Apologeticum de fuga*, Plantinus, Antw. 1570. *Orationes XVI.* lectiſſimas græce edidit Venetiis, Marcus Muſurus, 1516 8. *Oratio in nativitatem Chriſti*, Lipſiæ, 1522. De *S. Pentecoſte*, ibid. 1582. *Orationes funebres in laudem Cæſarii fratris* & *Gorgianæ Sororis*, Colon. 1589. *Carmen de ſe ipſo*, Pariſiis, 1598 *Opuſcula* quædam verſibus reddita, ibidem, 1575. *Carmina* quædam gr. & lat. *ad calcem Nonni*, Baſil. 1588. *Invectivæ II. in Julianum* gr. Etonæ, 1610. *Sententiæ & regulæ vitæ*, Antwerp. 1568. *Teſtamentum*, apud Briſſonium, *de formulis*, Lib. VII. & Baronium, T. IV. *Annalium*. Marqv. Freherum, T. II. *Juris Græco-Romani*. *Epiſtolæ græcæ*, cum Baſilii M. *Epiſtolis*, Hagenoæ, 1528. *Sermones VIII* Argent. 1508. *Orationes III.* Antw. 1573. *Sermo de pauperibus amandis*, Paris. 1550. & alia memorata B. Ittigio, *præf. Caten. Patr.* p 81. ſeqv. Carmina quædam hactenus inedita exhibet Jacobus Tollius, *in Itinerario Italico*. Manuſcripta ejus plura opuſcula Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 46. Nævis Nazianzeni annumeramus ſparſa ſemina invocationis Sanctorum. Hinc rigidiorem in B. Chemnitium extitiſſe Labbe-

um T. I. p. 359. patebit cuivis, qui Chemnitii, *Oratione de Lectione Patrum*, verba accuratius penſitaverit, prout Bebelius, illum adverſus Labbeum vindicans, *Sec. IV. antiq.* T. I. p. 238. dilucide monſtravit. Differunt de Gregorio Nazianzeno, Hieronymus, *de Script. Eccleſ.* c. 117. Hermant. *Vita Gregorii Naz.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p 201. & poſt autores ſupra adductos, Theoph. Spizelius, *Acad. Veter. Jeſu Chriſti*, p. 85. ſeq. Buddeus & Baylius, *in Lexicis*.

GREGORIUS NEOCÆSARIENSIS.

Neocæſariæ Cappadocum, parentibus quidem Gentilibus natus, Origenis Auditor per integrum quinquenium induſtrius, a miraculis, quibus claruit, Thaumaturgus dictus, dignitate Epiſcopus Neocæſarienſis a Phædimo, Amaſenorum Epiſcopo, ordinatus, ab anno 254. ad annum 265. Laudant illum maximopere Gregorius Nyſſenus, *in Vita Gregorii Naz.* & Baſilius, *de Spiritu S.* c. 29. Opera ejus lat. Venetiis, 1574. 8. prodierunt. Gr. lat. verò quotquot licuit reperire, una cum *vita ejus*, anno 1604. 4. interprete & Scholiaſte Gerhardo Voſſio, excuſa ſunt, quam editionem Pariſienſes typographi, anno 1622. fol. junctis Macarii Ægyptii & Baſilii Seleucienſis operibus, itemque Zonaræ in aliquot canonicas Græcorum Epiſtolas, repræſentarunt. Scripta Gregorii noſtri genuina atque ſuppoſititia recenſent Labbeus, T. I. p. 371. & Guil. Cave, P. I. p 68. *Metaphraſis in Eccleſiaſten* gr. lat. inter Gregorii Naz. *Orationes* habetur. *Ad Tatianum de anima*, quem quidem Librum ipſi abjudicant plurimi, apud Barthium, poſt *Claudianum Mamertum*, p. 460. *Capita XII. de fide & anathem.* apud Caniſium, *antiqv. Lect.* P. III. p. 1. Hæc & alia Gregorii Neocæſarienſis Scripta, pro ſuppoſititiis habet Caſimirus Oudin, *Supplem de Scriptor.* p. 21. ea cumprimis ratione ductus, quod Gregorius Nyſſenus, Vitæ ejus Scriptor, nullius planè meminerit. Vulgò tamen genuina dicuntur *Oratio Valedictoria ad Origenem: Metaphraſis in Eccleſiaſten: Brevis expoſitio fidei: Epiſtola Canonica de iis, qui Barbarorum incurſu lapſi ſunt.* Agunt de Gregorio Neocæſarienſi, poſt autores modo citatos, Hieronymus, *loco citato*, c. 65 Euſebius, Lib. VI. c. 23. Guil. Cave, *in antiqv. Patr. & Eccleſ.* T. I. Bellarminus, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 184. *Vitam* Gregorii Neocæſarienſis publice nuper delineare aggreſſus eſt Jo. Lud. Boye, in Academia noſtra Salana, anno 1709. *in peculiari*

liari diſſertatione, cui adhuc alias de *Miraculis*, de *Scriptis*, & *de Religione* Gregorii, ſubjungere promiſit.

GREGORIVS NYSSENVS.

Gente Ponticus, Baſilii M. frater natu minor, Oratoriæ primum ſe dedit, poſt vero SS. ſtudium amplexus, Nyſſæ Cappadocum Epiſcopus, virtutum omnium exemplar & norma, elogio Gregorii Nazianzeni, *Orat.* 22. ubi Baſilium Moſi, Gregorium Aaroni, comparat. Uxoratus fuit & ob uxoris Theaſebiæ obitum ſolatiis erectus à Nazianzeno, *Epiſt.* 95. ut ipſe, Libro *de Virginitate*, cap. III. clare profitetur. Claruit Gregorius ad annum 394. & ultra. Laudes ejus cumularunt Hieronymus, Theodoritus, Socrates, Sozomenus, Honorius Auguſtodunenſis, Suidas, Trithemius, aliique complures. *Stylus illi*, juxta Photium, *Cod.* VI. *ſi cui Rhetorum illuſtris, & jucunditatem auribus inſtillans. Abundat etiam enthymematis atque exemplis.* Opera Gregorii Nyſſeni, lat. Baſil. 1562. 1570. Paris. 1573. 1605. T. II. 1615. T. II. 1638. fol. T. III. Ordine illa enumerant Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 49. & Guil. Cave, P. I. p. 137. ſeqv. Addamus nonnulla ſeorſim excuſa: *De hominis Opificio* Liber, ex verſione Dionyſii Exigui, Colon. 1551. Baſil. 1562. Colon. 1573. prodiit. gr. lat. cum notis Jo. Leunclavii, Baſil. 1567. *de iis, qui adeunt Hieroſolymam*, gr. lat. cura P. Molinæi, Hanoviæ, 1607. & Jo. Henr. Heideggeri ad calcem *diſſertation. de peregrinationibus religioſis*, qui poſterior peculiari eandem Apologiâ Nyſſeno vendicavit, Tiguri, 1670. 8. *Epiſtolam ad Euſtathiam, Ambroſiam & Baſiliſſam*, cum notis edidit Js. Caſaubonus, gr. lat. Hanoviæ, 1607. *Orat. de Paſchate*, Joachimus Camerarius, Lipſiæ, 1564. & cum notis Henr. Oelſchlegelius, Fribergæ, 1626. *In Pſalmorum inſcriptiones Comment.* gr. & lat. ex Bibl. Bavarica edidit Jac. Gretſerus, Ingolſtadii, 1602. Alia Opuſcula vulgavit Fr. Ducæus, Ingolſtadii, 1596. Opera ejus ſpuria atque deperdita exhibet Cave, *loco citato*, p. 138. Conf. Hieronymus c. 129. Bellarminus, Labbeus, Trithemius, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 222. & alii.

GREGORIVS P. R. I.

Magnus a geſtis dictus ortu Romanus, atavo Felice III. P. R. genitus, è Præfecto Urbano Monachus, Diaconus & Pelagii Apocriſiarius, ex hoc Papa factus, anno 590. Id maximè poſt alia

lia notabile, quâ ratione univerſalis Epiſcopi titulum averſatus fuerit, quem AntiChriſto præludere conſtanter adſeruit. Vid. Dannhaueri *Antichriſtoſoph.* p. 773. ſeq. ubi, quæ à Papæis hic objici ſoleant, diluta ſimul reperies. Anno 604. ſub Phoca fato functus mortalitatem explevit. Pietatem ejus deprædicant quidem Iſidorus, quam tamen in quibusdam nimis ſuperſtitioſam fuiſſe crediderimus. *Vitam* ejus Joh. Diaconus, Platina, Dietericus, Meelfuhrerus, Spizelius, aliique ſcripſerunt. Opera vero prodierunt, Paris. 1523. 1571. 1605. 1640. f. Romæ, 1588. 1593. T. II. 1613. T. V. Baſil. 1562. Antwerp. 1572. 1615. Recenſent iſta Labbeus, T. I. p. 350. & Guil. Cave, P. I. p. 304. Seorſim excuſa ſunt *Moralium* Lib. XXXV. Romæ, 1475. Par. 1495. fol. *Liber Paſtoralis curæ ad Joh. Ravennæ Epiſcopum*, Argent. 1496. Paris. 1498. *Dialogi de Vita & Miraculis Patrum Italicorum & de æternitate animarum* Lib. IV, de quibus varie ſentiunt Scriptores, qui illos modo pro ſpuriis, modo pro genuinis venditant. Prodierunt autem Venet. 1475. Paris. 1499. Venet. 1561. Colon. 1610 & ex verſione græca Zachariæ Papæ, Romæ, 1591. & apud Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. III. & alibi. Lib. *Sacramentorum*, inter alia, Colon. 1571. 4. & ſeorſim cum notis Hugonis Menardi, Paris. 1642. 4. *Flores ex omnibus Gregorii M. Operibus collectos* vulgavit, Pariſiis, 1572. Hubertus Scutepultæus, Lovanienſis, teſte Sweertio, *Athen Belg.* p. 350. *Vindicias* Scriptorum Gregorianorum ſcripſit Jameſius, Genevæ, 1625. 4. Plura qui de Gregorio ejusque Scriptis deſiderat, adeat, poſt citatos autores, Maimbourg, *hiſtoire du Pontif. de S. Gregoire.* Eliam du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 102. Jo. Fr. Buddeum & Baylium, *in Lexicis.* Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 80. ſeqv.

GREGORIVS II. P. R.

Gente Romanus, Sergii P. R. SubDiaconus, & Sacellarius, Bibl. Pontificiæ Præfectus, poſt Diaconus, tandemque anno 715. Papa conſecratus eſt. Res ejus geſtas Platina atque Dietericus narrant, & poſt illos, Guil. Cave, P. I. p. 337. Obiit Gregorius, anno 731. Habentur ejus *Epiſtolæ XV.* & *Capitulare* legatis in Bavariam miſſis datum, *Concil.* T. VI. p. 1437. *Liturgia* ſeu *formula Miſſæ*, cum interpretatione græca Georgii Codini, Federicus Morellus, Pariſiis, 1575. edidit, exinde translatam in *Auctuarium Duceanum*, T. II. p. 125. Conf. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 88.

GRE-

GREGORIVS III. P. R.

Gente Syrus, Presbyter Eccleſiæ Romanæ, præcedenti, anno 731. ſucceſſit, perque annos decem ſedit, Pſalmos Davidicos per ordinem omnes memoriter tenuit, Carolo Martello primus *Chriſtianiſſimi* titulum contulit, Bonifacium, Coëpiſcopum vocatum, pallioque donatum, Germaniæ Apoſtolum declaravit, Sacerdotibus quoque in Bavaria Conjugium permiſit, de quibus Platina, Baronius, Aventinus, Dietericus, aliique. Iconoclaſtas anathemate percuſſit, ut alia ejus geſta reticeamus, quæ prolixe narravit Guil. Cave, P. I. p. 342. Ejus *Epiſtolas VII. & excerpta XXXIII. ex Patrum dictis, Canonumque ſententiis, de diverſis criminibus & eorum remediis*, Concil. T. VI. p. 1468. habentur. Huic Labbeus tribuendas exiſtimat *duas illas Epiſtolas* ad S. Germanum, & Leonem Iſauricum, quas Baronius, Binius, aliique, Gregorio II. minus recte aſſignarunt. Conf. Sigebertus, *de viris illuſtr.* c. 76. Heideggerus, in *Hiſt. Pap.* Lud. Jacob à S. Carolo, *loco citato*, p. 89.

GREGORIVS IV. P. R.

Ex Presbytero, Papa Romanus, invitus, anno 828. conſecratus, anno 844. obiit. Hujus *Epiſtolæ III. Concil.* T. VII. p. 1571. 1870. & *Epiſtola de Monaſterio Floriacenſi*, apud Baluz. *Miſcellan.* T. II. p. 145. extant. Ejus Vitam prolixe narrat Anaſtaſius, In compendio Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 367. Ludovicus Jacob. p. 90.

GREGORIVS V. P. R.

Bruno aliàs dictus, Germanus, Marchionis Veronenſis filius, Pontifex electus, anno 996. anno 999. expiravit. Extant ejus *Epiſt. IV. Concil.* T. IX. p. 752. & *Epiſtola de Privilegiis Abbatum Montis majoris*, apud Baluz. *Miſcellan.* T. IV. p. 431. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 415. Ludov. Jacob, p. 91.

GREGORIVS VII. P. R.

Natione Tuſcus, patria Soanenſis, *Hildebrandus* anteà dictus, Laurentii, Archi-Epiſcopi Amalphitani, & Gregorii VI. P. R. diſcipulus, Eccleſiæ Romanæ Sub-Diaconus, Archi-Diaconus & Cancellarius, Pontificatum tandem anno 1073. obtinuit. Ferocem ejus animum, faſtum & ſuperbiam, nec non regnandi cupidinem in eo taxant Scriptorum plurimi. Obiit exul Salerni, anno 1085. Vi-

tam ejus variis conſpurcatam vitiis, expoſuit Benno, Cardinalis, illi coævus. Illam vero in compendio exhibet Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 432. *Epiſtolarum ab eo ſcriptarum* Lib. X. *Concil.* T. X. p. 6. *cum duplici Appendice*, p. 306. 410. habentur. Ei quoque tribitur *Expoſitio in VII. Pſalmos Poenitentiales*, quæ cum Gregorii M. operibus excuſa eſt, & *Expoſitio ſuper Mathæum* manuſcripta in Bibl. Lambethana, cujus fragmentum exhibuit Alix, *Præfat.* ad Joh. Pariſienſem, p. 7. Conf. Heideggerus, *in Hiſtoria Paparum*, periodo IV. §. 79. ſeq. Sagittarius, *introd. ad Hiſtor. Eccleſ.* p. 689. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 92. Andreas Sauſſay, *Hiſtor. Gregorii* VII. Du Pin, T. VIII. Bayle & Buddeus *in Lexicis*.

GREGORIVS VIII. P. R.

Albertus antea vocatus, patria Beneventanus, ex Presbytero Cardinali, titulo S. Laurentii, & Cancellario, factus eſt Pontifex, anno 1187. atque Piſis, eodem anno, obdormivit. Scripſit *Epiſtolas* III. quas vide *Concil.* T. X. p. 1749. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 479. Ludov. Jacob, *loco citato*, p. 94.

GREGORIVS IX. P. R.

Aliàs *Ugolinus*, Campanus Anagninus, ex Sereniſſima Comitum Senigninorum gente oriundus, Cardinalis prius, poſt vero Pontifex, anno 1227. conſecratus, anno 1241. obiit. Ejus iniquè geſta ordinatim recenſuit Guil. Cave, P. I. p. 494. ejusdemque in Fridericum & Henricum, Imperatores, perfidiam. Extant ejus *Epiſtolæ*, XXXI. *Concil.* T. XI. p. 310. *Fragmenta Decretorum* CXCI. ibidem, p. 368. *Epiſtolæ* XLIII. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. I. ad ann. 1228. *Epiſtola* II. *Concil.* T. XI. p. 2345. *Epiſt.* XCVII. ibidem in *Regeſto Pontif.* p. 3. *Decretales Epiſtolæ*, Baſil. 1511, Paris. 1541. 1601. Venet. 1591. 4. Lond. 1572. 1606. *Conſtitutio ejus pro Benedictinis*, Venet. 1500. Paris. 1619. Singula hactenus enumerata cum Jacobi Pamelii notis prodierunt, Antwerpiæ, 1572. *Epiſtolam, pro Canonizatione B. Eliſabethæ*, edidit Lambecius, *Comment.* L. II. p. 880. Conf. modo citatum Lud. Jacob, p. 94.

GREGORIVS X. P. R.

Antea *Theobaldus*, patria Placentinus, Archidiaconus Leodienſis, & poſteà Romanus Pontifex creatus, anno 1272. Præfuit anno

no 1274. Concilio Lugdunenſi II. atque anno 1276. obiit. Scripſit *Epiſtolas IX. Concil.* T. XI. p. 929. & *alias X.* apud Waddingum, *Annal. Minor.* ad ann. 1272 *Alias VI.* ibidem, *in Regeſto Pontif.* p. 116. Conf. de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 509.

GREGORIVS XI. P. R.

Belliforiis anteà dictus, Gallus Lemovicenſis, Guilielmi, Comitis Belfortii, filius, Baldi diſcipulus, Cardinalis Diaconus, titulo S. Mariæ Novæ, & P. R. anno 1371. coronatus anno 1378. Romæ obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ V. Concil.* T. XI. p. 2037. *Aliæ X.* apud Bzovium, *Annal. Minor.* T. IV. ad ann. 1171. *Aliæ*, ibidem, *in Regeſto Pontif.* p. 103. Loquitur de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 42.

GREGORIVS XII. P. R.

Angelus Corarius aliàs appellatus, ex Patriarcha Conſtantinop. titulo tenus tali & Presbytero Cardinali, titulo S. Marci, Pontifex Romanus, anno 1406. factus, Pontificatu tandem abdicatô, Cardinalis Tuſculanus, Recineti anno 1417. obiit. *Epiſtola ejus ad Petrum de Luna*, Anti-Papam, *Concil.* T. XI. p. 2084. habetur. *Reſponſio ad appellationem Cardinalium, qui ab illo deſciverant*, ibidem, p. 2261. *Epiſtolæ aliæ V.* ibidem, p. 2273. 2286. *Aliæ III. Concil.* T. XII. p. 105. *Aliæ Epiſtolæ & Reſponſiones V.* apud Bzovium, ad ann. 1406. ſeq. Aliæ plures apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. V. & Theodoricum a Niem, L. II. ſeq. Conf. poſt Henr. Whartonum, *loco citato*, p. 58. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 97.

GREGORIVS PALAMAS.

Ex Seculari, Monachus Montis Atho, atque demum, circa annum, 1354 Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, cui maximæ cum Barlaamo lites intercesſerunt, ſcripſit *Orationes demonſtrativas II. de Proceſſione SS. contra Latinos*, Londini, in 4. græcè excuſas. *Refutationem Expoſitionum ſeu Epigrapharum Joh. Vecci*, gr. lat. apud P. Arcudium, gr. Paris. 1553. 4. *Orationes II.* in transfigurationem Dominicam, *Bibl. Patr.* T. XXVI. & *in Auct. Noviſſ.* Combefiſii, Pariſiis, 1672. fol. Alia ejus manuſcripta Opuſcula memorant Henr. Wharton, *loco citato*, p. 31. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 281. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 923. Conf. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* & Leo Allatius, *de Georgiis* & *Gregoriis*.

GREGORIVS SISENSIS.

Armenus, Siſide natus, Patriarcha Armenus, anno 1293. factus, circa annum 1305. obiit. Dedit Gregorius, Latinis faventior atque græcis, ad Haytonem, Ex regem, *Epiſtolam* ſatis prolixam, de erroribus Armenorum, quam Armenicè & latine edidit Clem. Galanus, *Conciliat. Eccleſ. Armen.* P. I. c. 27 p. 415. *Cantica* quoque & alia in uſum Eccleſiæ ſuæ concinnavit. Conf. ſi placet, Guil. Cave, P. II. p. 256.

SIGISMVNDVS GROSSENBROT.

Germanus, Coenobii SS. Udalrici & Afræ, apud Auguſtanos, Monachus, circa annum 1483. vixit atque condidit *Chronicon de rebus Auguſtanis Eccleſiaſticis*, quod e Manuſcripto protraxit Piſtorius, atque *German. Scriptor.* T. III. Francof. 1607. fol. inſeruit. Vdalricum quendam, Sigismundi in hoc ſcribendo Chronico, coädjutorem, e Voſſio & Gesnero memorat Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 316.

GVALDO.

Monachus Corbejenſis, anno 1070. clarus, ſcripſit metricè *Vitam S. Ansgarii, Hamburgenſis Epiſcopi*, editam à Petro Lambecio, T. I. *Rerum Hamburgens.* & Mabillonio, *Sec. Bened.* IV. P. II. p. 115. Non tamen Gualdonis eſſe videtur, prout recte obſervavit Jo. Hallervordius, *in Spicileg. de Hiſt. Lat.* p. 77. De eo, poſt alios, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 431. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 330.

GVALTERVS BVRLÆVS.

Anglus, Monachus, juxta quosdam. Ord. Franc. Collegii Mertonnenſis in Academia Oxonienſi alumnus, Scoti quidem diſcipulus, ſed impugnator quoque acerrimus, ad annum 1337. floruit, *Doctor planus & perſpicuus* vulgò dictus. Ejus ſunt *Expoſitio in Libros Ethicorum Ariſtotelis*, Venet. 1501. *In iſagogem Porphyrii, Gilbertum Porretanum & artem Veterem*, ibidem, 1497. 1509. *de intenſione & remiſſione formarum*, ibid. 1519. & alia, quæ dabit Henr. Wharton, *Append Cav.* p. 22. Manuſcripta ejus quam plurima enumerant Baleus, *Centuria V.* c. 42. & Pitſeus, p. 435.

GVALTERVS DE CASTELLIONE.

Inſulis oriundus, circa annum 1180. ex Cavei mente, claruit, atque ſcripſit Opus de Geſtis Alexandri, Argent. 1513. Ingolſtad. 1554.

Lugd.

Lugd. 1558. 4. impreſſum. *Tres* quoque eidem *adverſus Judæos Libros* tribuit Guil. Cave, P. II. p. 230. quos Caſimirus Oudin, inter *Veterum Opuſcula S.* anno 1692. edidit. Alia typis nondum excuſa refert Sweertius, *Athen. Belg.* p. 643. Adde memorabile Gualteri noſtri Epitaphium.

Inſula me genuit, rapuit Caſtellio nomen,
Perſtrepuit modulis Gallia tota meis.

GVALTERVS CORNVTVS.

Decanus Pariſienſis & Archi-Epiſcopus Senonenſis, anno 1223. factus, anno 1241. obiit. Habetur ejus *Hiſtoria Coronæ Spineæ D. N. Jeſu Chriſti, in Collectaneo Veterum Franciæ Scriptorum* Andreæ Ducheſnii, T. V. De eo Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 637. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script.* p. 506.

GVALTERVS.

Monachus Marchianenſis, Ord. Bened. circa annum 1124. clarus, ſcripſit *de Miraculis S. Rictrudis, Patronæ Marchianenſis,* Lib. II. quos exhibent Bolland. d. XII. Maj. De eo Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 390.

GVALTERVS MAPES vide MAPES.

GVALTERVS.

Tarvanenſis Canonicus, circa annum 1120. floruit, atque ſcripſit *Vitam ac Martyrium Caroli Boni, Flandriæ Comitis,* quam edidit Sirmondus, Pariſiis, 1615. 8. Vide, quid de hoc & aliis Gualteris moneat Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 379. ſeq.

GVERRICVS.

Qui & *Guarricus,* S. Bernhardi diſcipulus, Ord. Ciſtert. Canonicus Tornacenſis, & Igniacenſis in Dioeceſi Remenſi Coenobii Abbas, circa annum 1140. obiit anno 1157. Ejus *Sermones de tempore per annum,* Paris, 1539. Antwerp. 1576. prodierunt & ad calcem *Bernhardi Operum,* Paris. 1645. & in *Bibl. Patr.* T. XXIII, p. 169. Agunt de eo Bellarminus, *de Scriptor.* editione Pariſienſi, 1617. Labbeus, *Differt.* T. II. p. 911. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 463.

GVIBERTVS.

Sive *Gilbertus*, Normannus nobilis, Monachus Flaviacenſis, & Abbas Monaſterii S. Mariæ Novigenti in pago Laudunenſi, ab anno 1101. ad 1124. claruit. Opera ejus, quæ extant, in unum congeſſit Volumen atque cum notis ſuis vulgavit Lucas Dacherius, Pariſiis, 1651. fol. Manuſcripta vero enumerat Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 388. qui Scripta quoque Guiberti edita recenſet. Huic adjungas Guil. Caveum, P. I. p. 443.

GVIDO.

Ortu Burgundus, nobili gente, Villa de Mimo, in Dioeceſi Eduenſi ſatus, Monachus Antiſſiodorenſis, poſt Eleemoſynarius Monaſterii in Puſeia Vice-Prior, Decanus de Recognito & Antiſſiodorenſis Prior, imò Abbas, anno 1309. factus, regimine abdicatô, anno 1313. obiit. Ejus Tractatum *de Geſtis Abbatum S. Germani Autiſſiodorenſis*, ab ann. 1189. ad 1277. primus edidit Philippus Labbeus, *Bibl. Nov. Manuſcript.* T. I. p. 570. Loquitur de eo poſt alios Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 520.

GVIDO BAIFIVS.

Patria Regienſis, Bononienſis Archidiaconus, non vero Archi-Epiſcopus, prout falsô ſcripſit Georgius Koenigius, *in Bibl.* p. 370. circa annum 1283. claruit, cujus *Roſarium* ſive *Comment. in Decretum Gratiani & in Lib. V. Decretalium Gregorii IX. P. R.* Venetiis prodiit, anno 1580. Conf. Labbeus, T. I. p. 401. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 515.

GVIDO.

Delphinas Valentinenſis, Monachus Carthuſianus, & majoris Carthuſiæ Prior V. ab anno 1120. ad 1137. floruit. Ejus ſunt *Statuta Carthuſianorum prima*, Baſileæ, 1510. excuſa. *Scala Clauſtralium*, inter *Bernhardi Opera*, Paris. 1666. & in *Bibl. Patr.* T. XXII. p. 1163. Tract. *de quadripartito exercitio Cellæ*, in *Bibl. Patr.* T. XXIV. p. 1463. *Epiſtola ad Durbonenſes fratres de ſuppoſititiis B. Hieronymi Epiſtolis*, apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 331. *Epiſtolæ III.* aliæ, inter *Bernhardi Opera*, edit. Paris. 1645. 1666. *Vita S. Hugonis Epiſcopi Gratianopolitani*, apud Surium & Bollandum, d. 1. *April.* Conf. ſi placet, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 400. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 455.

GVI-

GVIDO DE MONTE ROCHERI.

Gente Gallus, profeſſione Theologus, ſcripſit anno 1333. *Manipulum Curatorum ad Raymundum, Valentiæ Epiſcopum, de inſtructione Neophytorum Curatorum*, Venetiis, 1491. impreſſum, item, *Ritum celebrandi officium Miſſæ, pro inſtructione novitiorum Sacerdotum*, Venet. & Antwerp. 1570. 12. De eo Anton. Poſſevinus, *Appar. S.* T. I. p. 695. & ex eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 608.

GVIDO TERRENI.

è Perpiniano oriundus, Ordinis fratrum de monte Carmelo Monachus, Doctor & Lector Theologus Pariſienſis, ordinis ſui Generalis, Majoricenſis & poſteà Elnenſis Epiſcopus, anno 1330. floruit. Scripſit *Summam de Hæreſibus omnium & earum confutationibus* ad Gaucellinum, Cardinalem Albanenſem, Pariſiis excuſam, 1528. fol. Colon. 1631. *Concordiam IV. Evangeliſtarum, cum perpetuis Commentariis*, Colon. 1631. cum præcedenti opere editam. *Commentarium in Decretum Gratiani* & *Tract. de perfectione Vitæ*, manuſcripta memorant Caſimirus Oudin, p. 597. & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 19.

GVILIELMVS.

Monachus Clarævallenſis, poſt Abbas S. Nicaſii Rhemenſis, & denique S. Theodorici prope Rhemos, poſt Bernardi, amici ſui, mortem, relictâ Abbatiâ, ad Cœnobium Signiacenſe tranſiit, ibidemque Ciſtertienſem Ordinem amplexus eſt. Claruit Guilielmus ab anno 1140. ad 1153. & ſeqv. Scriptorum, quæ reliquit, Catalogum, ipſe dedit *præfatione ad Librum, de vita ſolitaria*, ſcilicet *Speculum fidei*: *Ænigmatis fidei*: *Meditationum* Libr. I. *de natura & dignitate amoris divini*, quæ extant *Bibl. Patr.* T. XXII. p. 1142. *De contemplando Deo* Lib. I. *de natura corporis & animæ* Lib. II. *Diſputationis contra Petrum Abailardum, de erroribus Guilielmi de Conchis*, Lib. I. *De Sacramento Altaris*, Tractatus: *Expoſitionis in Cantici partem*: *in Epiſtolam ad Romanos*, quæ omnia exhibet *Bibl. Ciſtertienſis*, T. IV. Liber ejus *de vita S. Bernardi*, extat inter *Opera Bernardi*. *Commentarius* verò *in Cantica Canticorum*, inter *Ambroſii Opera*, ſub Antonii Democharis nomine, reperitur. Alia Guilielmi noſtri Opera, ad prelum parata, penes ſe habuit Caſimirus Oudin, prout ipſe teſtatur, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 427. Agunt de Guilielmo, Henricus Gandavenſis, *Lib. de Script.*

Ec-

Eccleſ. c. 10. Carolus de Viſch, *in Bibl. Script. Ord. Ciſtert.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 463.

GVILIELMVS.

Abbas Andrenſis, Ord. Bened. in Dioeceſi Morinenſi, claruit circa annum 1230. atque condidit *Chronicon ſui Coenobii*, quod habetur apud Dacherium, T. IX. *Spicileg.* p. 338. Vide, quid de eo ediſſerat Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 494.

GVILIELMVS.

Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius, qui circa annum 890. floruit, *Vitas V. Pontificum*, ſcilicet *Adriani II. Joh. VIII. Martini II. Adriani III.* & *Stephani V. Hiſtoriæ Pontificum*, ab Anaſtaſio ſcriptæ, adjeciſſe creditur, quæ poſt Anaſtaſium, Moguntiæ, 1602. Paris. 1649. & alibi ſæpius prodierunt. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 291. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 398.

GVILIELMVS CAXTONVS.

Natione Anglus, circa annum 1483. *Chronicon Mundi*, quod *Fructus temporum* inſignivit, ſermone patrio conſcripſit, Londini, 1515. impreſſum. Bonaventuram *de Vita Chriſti*, *Hiſtoriam Lombardicam*, aliaque Anglicè vertit, quæ narrat Jo. Pitſeus, *illuſtr. Angl. Scriptor.* f. 671. Conf. Voſſius Lib. III. *Hiſt. Lat.* p. 636.

GVILIELMVS DVRANDVS.

Provincialis è Podio Miſſonis, Juris civilis & Canonici periſſimus Doctor, hinc *Pater Practicæ* vocatus, ex nuncio Pontificio in Vmbria, & Decano Carnotenſi, Epiſcopus Mimatenſis in Aquitania prima, vivis exceſſit Nicotiæ, 1296. Romæque ſepultus, teſte Fr. Ughello, *Ital. S.* T. II. Ejus *Vitam* ſcripſit Simon Majolus, Epiſcopus Vultuarienſis, cum Durantis *Commentario in Concil. Canon.* Lugduni, 1569. excuſam. Durantis de re Sacramentaria Sententiam exhibet Forſterus, *Hiſt. Jur. Civil.* L. III. c. 17. p. 485. *Verbum audimus. Motum ſentimus. Modum neſcimus. Præſentiam credimus.* Confecit Durantes *Speculum Juris*, unde *Speculatoris* ei nomen, Baſil. 1574. Francof. 1592. excuſum. *Repertorium Juris*, Francof. 1592. Lugd. 1516. 1551. Venet. 1496. *Rationale divinorum officiorum*, Lib. VIII. Lugd. 1516. 1551. Mogunt. 1459. Reutling 1473. Venet. 1485. 1519. Argent. 1486. Baſil. 1488. Norimb. 1493. f. Lugd. 1565. 1568. 1584. 1592. 8. Antw.

8. Antw. 1570. *Breviarium Gloſſarum & Textuum Juris Canonici*; Paris. 1519. 8. & alia, typis nondum excuſa. Graviter errant Bzovius aliique, qui hunc Guil. Durandum, cum Durando de S. Portiano, de quo ſupra, confundunt, vide Sanmarthan. *Gall. Chriſt.* T. III. f. 731. Conf. de eo Fichardus, *in Vit. JCtorum*, Ambroſius de Altamura, *Bibl. Domin.* p. 72. & in *Append.* p. 462. Bellarminus & Labbeus, T. I. p. 440, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 516.

GVILIELMVS DVRANDVS.

Senioris, de quo diximus, Durandi nepos, natione Gallus, Eccleſiæ Mimatenſis Canonicus, Archidiaconus, ac demum Epiſcopus; Concilio Viennenſi, anno 1311. interfuit, annoque 1328. obiit. Scripſit Librum *de modo celebrandi Generalis Concilii*, ſub Durandi Speculatoris nomine, Pariſiis, 1545. excuſum, genuino tamen autori reſtitutum, Lugd. 1635. 4. & cum aliis, Paris. 1671. 8. Ejus *Hiſtoriam rerum in Concilio Viennenſi tractatarum*, manuſcriptam in Bibl. Vaticana adſervatam, memorat Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 580. eandemque unam cum præcedenti ejus opere, dijudicat. Vide, quid de eo exhibeant, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 10. Guil. Cave, P. II. p. 273. Philippus Thomaſinus, *Bibl. Patav. manuſcript.* p. 14. Conf. ſupra p. 210. atque cum his, quæ majoris diſtinctionis cauſa adjecimus, haud gravatim conjungas.

GVILIELMVS.

Gente Gallus, Pariſienſis Profeſſor & Epiſcopus Antiſſiodorenſis, anno 1206. clarus, *Commentarium in IV. Libros Sententiarum* ſcripſit, Pariſiis, anno 1500. fol. excuſum. Conf. de eo Antonius Poſſevinus, *Appar. S.* T. I. p. 698. & Guil. Cave, P. II. p. 247. qui ſingularia de eo tradunt.

GVILIELMVS HOVPELANDVS.

Gallus, Bononiæ in Morinis natus, Theologiæ Magiſter, Pariſienſis Archi-Presbyter, & Eccleſiæ S. Mariæ Canonicus & Archidiaconus Brienſis, Facultatis denique Theol. Decanus, anno 1492. obiit, atque Librum *de Immortalitate Animæ & ſtatu ejus poſt mortem*, reliquit, qui Pariſiis, 1499. 8. excuſus eſt. Agit de eo Henr. Wharton, *loco citato*, p. 94.

GVILIELMVS LINDWOOD vid. LINDWOOD.

GVILIELMVS MAJOR.

Andegavenſium Epiſcopus & Poenitentiarius, ab anno 1290. ad 1314. floruit, cujus *Geſta Epiſcopatus ſui*, ab anno 1290. ad 1313. è manuſcripto protraxit Lucas Dacherius, *Spicil.* T. X. p. 247. Idem quoque *Statuta ejus Synodalia*, T. XI. vulgavit. De eo Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 583. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 519.

GVILIELMVS DE MANDAGOT.

Natione Gallus, Archidiaconus Nemauſienſis & Uticenſis, poſt P. R. Capellanus & Præpoſitus Toloſanus, demum Ebredunenſis Archi-Epiſcopus, Cardinalis & Epiſcopus Præneſtinus, ab anno 1301. ad 1324. floruit, quo, Avenione, è vivis exceſſit. Ejus Tract. *de Electionibus novorum Prælatorum*, prodiit Colon. 1573. cum additionibus Boerii. De eo poſt Trithemium, Anton. Poſſevinum, Aub. Miræus *in Auct.* c. 414. p. 266. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 280. Caſim. Oudin, p. 567. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 6.

GVILIELMVS MONSPELIENSIS.

Sive de *Monte ferrato*, Canonicus primò Magalonenſis, dein Eccleſiæ hujus Epiſcopus, anno 1190. Tribuuntur ei *verſus Rythmici*, cum *admonitione antiqua*, Clero inſcripta, & aliquot *homiliæ Quadrageſimales*. *Carmina* iſta leguntur apud Gariellum, *in Hiſtoria ſua*, vid. Sanmarth. *Gall. Chriſt.* T. III. f. 575.

GVILIELMVS DE NANGIACO.

Seu *de Nangis*, Gallus, Ord. Bened. Monachus in Coenobio S. Dionyſii Pariſienſis, anno 1301. cujus *Hiſtoriam ab O. C. ad ann. 1301.* edidit Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. XI. p. 405. *fragmentum* verò, ab anno 977. ad 990. Petrus Pithoeus, inter *Scriptores coætaneos*, Francof. 1594. p. 207. *Chronicon Regum Franciæ*, idem Pithoeus, inter *alios Scriptores Francicos*, Francof. 1596. *Geſta* S. Ludovici IX. & filiorum, Philippi Audacis ac Roberti, ibidem, & apud Andr. Quercetanum, *Hiſt. Franc.* T. V. habentur. Conf. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 571. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 63. p. 503. Simlerus, f. 259. a. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 6.

GVI-

GVILIELMVS NEVBRIGENSIS.

Anglus Eboracenſis, *Parvus* cognomento, Bridlingtonæ natus, anno 1136. Coenobii Neubrigenſis Canonicus Regularis, Ordinis Auguſtiniani, ab anno 1195 ad 1208. floruiſſe, vulgò creditur. Scripſit *de rebus Anglicis ſui temporis* Lib. V. ab anno 1066. ad 1197. Antwerpiæ 1567. 8. Heidelbergæ, 1587. & cum Comentariis & ſupplemento Jo. Piccardi, Paris, 1610. 8. excuſos. Stylus, quo utitur, ſatis latinus, nitidus atque purus eſt. Fidem ejus Hiſtoricam commendat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 480. Conf. Labbeus, *diſſert.* T. I. p. 406. Du Pin. T. IX. p. 191.

GVILIELMVS OCCAM.

Anglus, in cognomine vico, acutorum ingeniorum parente, natus, ut ait Willotus, *Athen. Franc.* p. 171. Vir inter maxima & portentoſa ingenia referendus, juxta Jacobum Gaddium, *de Scriptor. non Eccleſ.* T. II. p. 222. Minorita, & Sectæ *Nominalium* patronus, imò Princeps fuit, adeoque Scoti, Magiſtri ſui, *Realium* Autoris, impugnator acerrimus. Lites ejus, quas cum Joh. XXII. P. R. de Poteſtate Sedis Romanæ exeruit, neminem latebunt. Obiit demum Guilielmus, poſtquam ex Gallia ad Ludovicum Bavarum, Imperatorem, ſecuritatis cauſa confugiſſet, anno 1347. aut juxta Waddingum, circa annum 1350. Calamum tam conſtanter adverſus Papam ſtrinxit, ut Imperatorem alloqui conſveverit; *Tu me defendas gladio & ego te defendam calamo.* Scripta, quibus inclaruit, recenſent Willotus, Pitſeus, p. 457. Labbeus, T. I. p. 408. *Quæſtiones ſuper IV. Lib. Sententiarum & in Centiloquium Theologicum*, Lugd. 1495. f. *Comment. in Lib. I. Sentent.* 1483. f. *Diſputatio de Poteſtate Eccleſiaſtica & Seculari*, Paris. 1598. & apud Goldaſtum, *Monarch.* T. I. p. 13. *De Jurisdictione Imperatoris in cauſis Matrimonii*, p. 21. *Quæſt. VIII. deciſiones ſuper Poteſtate & dignitate P. R.* Lugd. 1496. & apud Goldaſtum, T. II. p. 313. Alia quoque plura ſcripſit. *Dialogus inter Magiſtrum & diſcipulum: Compendium errorum Joh. XXII. Opus XC. dierum de utili Dominio rerum Eccleſiaſticarum, & abdicatione bonorum temporalium in perfectione ſtatus monachorum & Clericorum adverſus errores Joh. Papæ*, quæ tria junctim prodierunt Lugduni, 1495. & apud Goldaſtum, T. II. p. 398. habentur. *Quodlibeta* VII. Paris. 1487. Argentorati, 1491. Tract. *de Sacramento Altaris*, Paris. 1487. 1513. 8. Venet. 1516. *Opus*

nagintà dierum in Compendium redegit Henricus de Zoemeren, Decanus Antwerpienſis, atque Lovanii edidit, 1481. f. Plura ejus Scripta, reperies apud citatum Labbeum, T. I. p. 408. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 18. Guil. Caveum, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 275. Plura de eo exhibent Bellarminus, *de Scriptor.* p. 368. Poſſevinus, *in Appar. S.* Melchior Goldaſtus, T. I. *Monarch.* Caſim. Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 607.

GVILIELMVS.

Pariſienſis circa annum 1228. Epiſcopus, patriâ Arvernus, vir Literis Sacro-profanis eruditiſſimus, dogmata quorundam Theologorum heterodoxa, anno 1240. rejecit, atque poſt hæc, anno 1249. diem obiit ſupremum. Opera ejus partim Venetiis, cura Jo. Dominici Trajani, Neapolitani, 1591. fol. partim, Argentinæ, 1507. excuſa ſunt. Singula vero in duo congeſſit volumina Bartholomæus Feronius, eademque Aureliæ, 1674. fol. imprimi curavit. Recenſet iſta, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 495. *Sermones de Tempore & de Sanctis*, ſeorſim prodierunt, Colon. 1492. 1629. 4. Lugd. 1567. Tubingæ, 1499. 4. Paris. 1494. 8. 1638. f. Hi quidem ſub Guilielmi Peraldi nomine olim excuſi ſunt, verum Guilielmo Pariſienſi tribuere mavult Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 519. ſeqv. juxta cum aliis. *Rhetorica divina* cum Ephræmi aliquot Opuſculis prodiit, Pariſiis, in 8vo ſed ſine anni nota. *Errores deteſtabiles* a Guilielmo damnati, *Bibl. Patr. Paris.* T. IV. f. 1317. Conf. Sammarthanos, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 445. Bellarminum, Labbeum, T. I. p. 409. & Caſim. Oudinum, *loco citato*, qui plura eidem adſcribit.

GVILIELMVS PARISIENSIS.

Junior, natione Gallus, Ord. Præd. Monachus & Generalis fidei per Galliam Cenſor, circa annum 1308. claruit, atque autor videtur *Dialogorum VII. de Sacramentis*, qui ſub Guilielmi Arverni nomine, Lipſiæ 1512. Lugd. 1567. Paris. 1587. prodierunt. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 8.

GVILIELMVS PEPINVS.

Gallus Ebroicenſis, Ord. Præd. Monachus, atque Orator, anno 1500. clarus, varia ſcripſit, Coloniæ, 1609. 1610. 4. Antwerp. 1656. Vol. IX. 4. excuſa. Seorſim verò prodierunt *Sermones Quadrageſi-*

ma-

males, Paris. 1532. 1589. 8. Lugd. 1541. Venet. 1569. 1575. *Speculum aureum ſuper VII. Pſalmos Pœnitentiales*, Venet, 1573. *Sermones Dominicales ex Epiſtolis & Evangeliis totius anni*, Venet. 1588. 1591. 8. *Sermones de imitatione SS.* Venet. 1589. 1594. 8. Opuſculum ſuper *Confiteor*, Venet. 1589. Paris. 1624. 8. *Roſarium aureum B. Virginis*, Venet. 1591. 8. *Expoſitio in Exodum*, Paris. 1534. 8. *Sermones XL. de deſtructione Ninives*, Paris. 1618. 8. quæ omnia operoſe collegit Guil. Cave, P. II. p. 319.

GVILIELMVS PERALDVS.

Natione Gallus, Ordinis Prædicatorum, aliàs de *Petra alta* dictus, Lugdunenſis Archi-Epiſcopus, aut potius Suffraganeus ſive Pro-Pontifex, ex relatu Sanmarthanorum, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 321. Claruit Guilielmus, anno 1272. annoque 1275. obiit. Ejus Scripta enumerant Trithemius, Simlerus, Poſſevinus, ut ſunt *Sermones de Tempore & de Sanctis*, Lugduni, 1575. & alibi impreſſi, quos tamen alii Guilielmo Pariſienſi rectius forſan attribuunt. *Summa de Virtutibus & Vitiis*, Venet. 1492. 1497. Baſil. 1497. Lugd. 1554. Moguntiæ, 1618. 4. Paris. 1629. 4. & alibi. Laudat hanc Summam per 284. trina compoſitam, & eadem non parum ſe adjutum fatetur Trinorum Theol. Philoſoph. Collector & editor Joh. Rhodius ſecundus, Rockhuſanus, *præf. Chiliad. I. ad Lect.* In eo tamen à nobis differt, quod *Guilielmum Palardum* appellat, quem *Peraldum* ſcribere debuiſſet. Plura de Guilielmo noſtro dabunt Anton. Poſſevinus, *in Appar.* S. Anton. Senenſis, *in Bibl. Præd.* Ambroſius de Altamura, *in Bibl. Dom.* ad ann. 1256 p. 15. & in *Append.* p. 432. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 541. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 510.

GVILIELMVS PICTAVIENSIS.

Ex Milite, & Guilielmi Ducis Capellano, Luxoviorum Archidiaconus, anno 1090. clarus, in Acta retulit *Geſta Guilielmi, Normannorum Ducis & Regis Anglorum*, edita ab Andrea Du Chesnio, inter *Scriptor. Norman.* p. 178. Librum hunc polito ſermone, & magni ſenſus profunditate præclarum appellat Ordericus Vitalis, *Hiſt. Eccleſ.* Lib. III. p. 503. Conf. de Guilielmo Pictavienſi, Guil. Cave, P. II. p. 204.

GVILIELMVS DE PODIO-LAVRENTII.

Circa annum 1230. claruit, atque *Chronicon* condidit, quod potiſſimum *de Hæreſi Albingenſium, rebusque geſtis ad eam pertinentibus*, agit.

agit. Prodiit illud Toloſæ, 1623. fol. & inter *Hiſtor. Franc. Veter.* à Du Chesnio editos, T. V. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 496.

GVILIELMVS DE RVBIONE.

Theologus Ord. Minor. atq; Miniſter Aragoniæ Provincialis, qui anno 1333. floruit, *Commentaria in IV. Lib. Sententiarum*, Pariſiis, 1518. fol. T. II. excuſa, ſcripſit. Loquuntur de eo Poſſevinus, *in Appar. S.* Lucas Waddingus, *in Bibl. Præd.* p. 156. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 608.

GVILIELMVS DE S. AMORE.

Ab Oppido patrio, in comitatu Burgundiæ, ita dictus, Doctor Sorbonicus, circa ann. 1253. Mendicantium Ordinibus infenſiſſimus, qui ipſi quoque hæreſeos notam, in odii compenſationem, inuſſerunt. Guilielmum autem adverſus hos maſcule defendit Laurentius Anglicus, Abbas & Magiſter Pariſienſis. Fata ejus accurate depingit Guil. Cave, P. I. p. 500. Scripſit varia, quæ Conſtantiæ ad Rhenum, vel potius Pariſiis, 1632. 4. prodierunt. Sunt autem *Commentarius in Pſalmum I. Concio de Publicano & Phariſæo: de periculis noviſſimorum temporum: adverſus mendicantes Ordines Liber: Quæſtio de quantitate Eleemoſynæ: Quæſtio de valido mendicante: Caſus & articuli ſuper quibus accuſatus eſt a fratribus Prædicatoribus: Collectiones Catholicæ & Canonicæ ad Clem. IV. P. R. Tabula de ſignis, per quæ Pſeudo-Prædicatores diſcerni poſſunt à veris. Sermo in die SS. Apoſtolorum Jacobi & Philippi.* De Guilielmo noſtro adeas Caſim. Oudinum, *Supplem*, p. 530. Guil. Caveum, P. I. p. 500. & *Hiſtoriam Vniverſitatis Pariſienſis*, Sec. XIII.

GVILIELMVS DE SANVICO.

Anglo-Cantianus, Sandvico, littoris Cantiani portu, oriundus, non vero Gallus, juxta Trithemium, aut Syrus, prout alii adſeruerunt, circa annum 1270. *Chronicon de Multiplicatione Carmelitarum per Syriam & Palæſtinam, de vaſtatione Monaſteriorum Terræ S. ac adventu Carmelitarum in Europam*, condidit, quod in *Collectione Scriptorum de rebus Carmeliticis* Fr. Danielis à Virgine Maria, Antw. 1680. f. excuſum, habetur, & apud Bollandiſtas, *in Prolegomenis* ad T. III. Martii, p. 60. Alia ejus memorant Anton. Poſſevinus, in *Appar. S.* Trithemius, atque ex illis Guil. Cave, P. II. p. 252. utpote *Decretales Religioſorum* Lib. I. *ſuper ſententias* Lib. IV. *in Regulam ſui ordinis* Lib. I. ſed ubi lateant, ipſi non didicerunt. Conf. Aub. Miræus, *Auct.* c. 485. p. 272. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 547.

GUI-

GVILIELMVS DE SELIGNIACO

Seu *Scilligniaco*, quem ex Antiſſiodorenſi Epiſcopo, Præſulem Pariſienſem factum, annoque 1223. extinctum tradit, adeoque Bellarminum, Gerhardum & alios, qui ad annum 1240. revocârint, erroris arguit, Labbeus, T. I. p. 403. At Sanmarthani, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 443. *Guilielmum Antiſſiodorenſem* cum *Guilielmo* de *Seligniaco*, Pariſienſi Epiſcopo, confundi ajunt, iſtumque cum Bellarmino ad annum 1240. referunt, hunc verò, vitâ longè ante, ſcilicet 1220. anno ſublatum, dictitant. Scripſit autem *Summam Theologicam*, quæ Pariſiis 1500. prodiit.

GVILIELMVS SOMMERSET.

Malmesburienſis in Anglia Coenobii Monachus, Præcentor & Bibliothecarius, anno 1142. floruit, quousque perduxit *Novellas ſuas*, ut vocat, *Hiſtorias*. Præterea ſcripſit *de Geſtis Pontificum*, Lib. IV. & *de Regibus Angliæ*, Lib. V. Extant hæc inter *Scriptores Rerum Angl.* ab Henr. Savilio editos, Londini, 1596. & Francof. 1601. vid. Pitſeum, *loco citato*, p. 209. Labbeum, T. I. p. 405. Huic, nî fallimur, Guilielmo, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 389. *Vitam S. Aldhelmi, Epiſcopi Schireburgenſis I.* à Jo. Mabillonio, *Sec.* IV. T. I. p. 726. exhibitam, adſcribit, aliaque ejus manuſcripta ibidem commemorat. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 191.

GVILIELMVS THORN.

Anglus, Monachus S. Auguſtini Cantuarienſis Benedictinus, anno 1380. floruit, atque *Chronicon de Rebus Geſtis Abbatum S. Auguſtini Cantuarienſium* condidit, quod inter *X. Scriptor. Angl.* Londini. 1652. f. p. 1757. prodiit. Alia ejus Opuſcula in membranis latent, de quibus Baleus, *Cent.* VI. n. 63. Pitſeus, & Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 61. & Lib. III. c. 3. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 43.

GVILIELMVS TYRIVS.

Is ſive Gallus, ſive Germanus, ſive Syrus natione, Tyri Archidiaconus, & Archi-Epiſcopus poſteà anno 1174. electus, ab Heraclio, veneno extinctus eſt. *Ejus Hiſtoricum opus, de Bello Sacro*, prodiit curâ Philippi Poiſſenoti, Baſileæ, 1549. Henr. Pantaleonis, ibidem 1560. & inter *Geſta Dei per Francos*, à Jac. Bongarſio edita, T. I. p. 625. Diverſum ab iſto Guilielmum, Tyri quoque Archi-Epiſco-

pum

pum & antiquiorem paulò, atque 1127. vita defunctum, refert Labbeus, T. I. p. 412. ejusdemque nonnullas ad Bernardum, Antioch. Patriarcham, *Epiſtolas,* extare adſerit. Noſtrum inſuper Guilielmum maximopere laudat Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 53. *Scriptorem modeſtum, prudentem, acris judicii, veri amantiſſimum & pro ætate, quâ vixit, doctum atque elegantem,* ipſum appellans. Conf. poſt Autores modo citatos, Guil. Cav. *Hiſt. Litter.* P. I. p. 477. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 193.

GVILIELMVS VORILONGVS.

Gallus, Ord. Min. vir admodum eruditus, ab anno 1450. ad 1464. floruit, quo Romæ ad plures tranſiit. Extat ejus *Commentarius in IV. Libros Sententiarum,* Lugduni, 1484. Paris. 1503. Venet. 1519. *Vade mecum* ſeu *repertorium propoſitionum, quæ ſunt contra Scotum,* Argent. 1501. Loquitur de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 92.

GVILIELMVS DE WODFORD

Anglus, Theologiæ Doctor Oxonienſis, claruit anno 1380. Obiit Gloceſtriæ, anno 1393. Scripſit opus *contra XIIX. articulos Joh. Wicleſi,* Colon. Agripp. 1535. fol. in *faſciculo rerum expetendarum ac fugiendarum* impreſſum. Alia ejus manuſcripta opuſcula in Oxon. & Cantabrig. Bibliothecis habentur, de quibus Lucas Waddingus, in *Bibl. Ord. Min.* p. 158. & *Annal. Minor.* T. I. ann. 1240. n. 25. T. IV. ann. 1395. n. 2.

GVITMVNDVS.

Ex Monacho Benedictino, Averſanus in Italia Epiſcopus, & juxta nonnullos, Cardinalis, ab anno 1066, ad 1080. claruit. Scripſit *de Veritate Corporis & Sangvinis Chriſti in Euchariſtia,* Lib. III. *Confeſſionem de Trinitate & humanitate Chriſti, corporisque ac ſangvinis Domini veritate. Orationem ad Guilielmum I. Angliæ Regem,* quæ *Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 440. exhibentur. Conf. ſi placet, Labbeus, T. I. p. 403. Guil. Cave, P. I. p. 430. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 18.

GUNTHERUS.

Monachus, Pariſienſis dictus, non ab urbe Lutetia Paris. ſed à Coenobio quodam Ord. Ciſtert. in Dioeceſi Baſileenſi ſito, uti poſt Voſſium, *de Hiſt. Lat.* p. 446. Labbeus monet, T. I. p. 413. circa annum 1210. vixit & claruit *Hiſtoria,* quam de capta à Francis

ac

ac Venetis Conſtantinopoli conſcripſit. Edidit illam Henr. Caniſius, T. V. *Antiqv. Lect* P. II. p. 355. Hic noſter Guntherus unus idemque Caveo videtur cum Gontero, de quo ſupra p. 289. diximus. Vide ejus ſententiam, P. I. p 490. adductam, atque pro lubitu arbitrare. Adde quoque Joh. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 723.

H

HADRIANVS.

Sive *Adrianus*, Auctor Græcus, cujus *Iſagoge in Scripturam S.* cum Hoeſchelii Scholiis, gr. Auguſtæ Vindel. 1602. 4. & inter *Crit. S.* T. VII. prodiit. Meminit ejus Caſſiodorus, *de divin. Lect.* c. 10. Librum verò iis utilem, qui Scripturam primo aggrediuntur, judicat Photius, *Cod.* 2. Agunt de eo ex recentioribus, Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 106. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 237.

HADRIANVS. P. R. I.

Origine Romanus, ab anno 772. ad 795. ſedens, Imperatori, Carolo M. jus eligendi Pontificem in perpetuum confirmavit, vide contra Baronium ex Goldaſto & aliis. Reliqua ejus facta retulit Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 347. ex quibus huc facit, quod Elipandi, Toletani, errores damnavit. Varias *Epiſtolas* ſcripſit, quarum XIIX. *Concil.* T. VI. p 1762. habentur. *Epitome Canonum Carolo M. anno 774. Romæ oblata,* ibidem, p. 1800. *Capitula ex Græcis & Latinis Canonibus & Pontificum Decretis collecta in uſum Ingilramni, Metriomatricum Epiſcopi,* ibid. p. 1828. *Libellus reſponſorius ad Carolum M. pro Synodo Nicena II.* Libris Carolinis oppoſitus, *Concil.* T. VII. p. 915. Alia plura, quæ ſcripſit, interierunt. Conf. de Scriptis Hadriani I. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 102. & Labbeus, T. I. *diſſertat.* p. 414.

HADRIANVS II. P. R.

Natione Romanus, ex Subdiacono & Presbytero, titulo S. Marci, Pontifex Romanus, anno 867, conſecratus, anno 972. obiit. Ejus *Epiſtolas* XXV. exhibet *Concil.* T. VIII. p. 896. Pluribus de eo

differunt, Guil Cave, *loco citato*, P. I. p. 391. & Ludov, Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 104.

HADRIANVS IV. P.R.

Nicolaus anteà *Breackſpeare* dictus, Anglus Hertfordienſis, Angliæ natus, coenobii S. Rufi Monachus Auguſt. poſt Prior & Abbas, deinde Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis, Sedem Papalem anno 1154. ſortitus, anno 1159. Anginæ morbo, vel juxta alios, muſca ſuffocatus, Anagniæ obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* XLII. *Concil.* T. X. p. 1143. 1853. *Epiſtolæ* II. apud Baluzium, *Miſcell.* T. II. p. 223. Loquuntur de eo, poſt alios, Guil. Cave, P. I. p. 470. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 105.

HADRIANVS VI. P. R.

Patriâ Ultrajectinus, patre verò Florentio, ſericeorum pannorum textore, natus, Caroli V. Præceptor, Lovanienſis Academiæ Cancellarius, hinc Dertuſanus Epiſcopus, inde Cardinalis, tandemque poſt Leonem X. Pontifex, teſtibus, Panvinio, Platina, Petro Svavi, & aliis. Præfuit Romæ, unico ſaltem anno, 1522. ad 1523. etiam ſepulchrali ſaxo teſtatus, nil infelicius, quam quod imperaſſet, in vita ſibi contigiſſe. Vid. Labbeus, T. I. p. 416. *Ejus ſunt Quæſtiones quodlibeticæ* XII. Lovanii, 1515. 8. Paris. 1516. f. & 1531. excuſæ. *Diſputationes in quartum Lib. Sentent.* Paris. 1512. 1516. 1528. fol. Rom. 1522. Lugd. 1546. 8. *Sermo Paneriticus in Computum hominis Chriſtiani agonizantis*, Romæ, 1522. *Alius de Superbia*, Antwerp. 1520. *Inſtructio ad Fr. Cherecatum, Epiſcopum Interamnenſem*, Colon. 1535. *Legatio ad Conventum Nurenburgenſem*, Witebergæ, 1538. 8. *Epiſtolæ ad varios*, Colon. 1535. & alia, de quibus fusè dixit Lud. Jacob. *loco citato*, p. 107. Adde Librum *de Sermone latino & modis latinè loquendi*, quem ad Carolum V. ſcripſit, editum Colon. 1543. ubi circa initium p. 2. ait, in animo ipſi fuiſſe, proſequi coeptum jam pridem opus, *Sacros V. T. Libros ex Hebræo ad verbum in latinum ſermonem vertendi*, ſed cùm eum procella temporis in Tridentinas rupes detruſerit, hæc ipſa fuiſſe aggreſſum &c.

HÆRES vide ARIBO.

HAITO.

Sive *Antonius Curchinus*, ut ab Abr. Ortelio in *Synonymia Geogra-*

graphica vocatur, Armenus, genere non tantum illuſtris, ipſemet enim Dominus *Curchi*, ut interpres reddidit, vel *Georgianus*, & Regis Armeniæ fuit conſanguineus, ſed & celebris inſigni *Hiſtoria Orientali*, quam, cum gentis ſuæ more è voto Monachus Ord. Præmonſtr. in Cypro factus eſſet, conſignavit. Eam juſſu Clementis V. Papæ, Gallico idiomate priùs conſcripſit, ſicut Haito ipſe dictavit, dein in latinum tranſtulit, Pictavii, anno 1307. Nicolaus Falconius. Prodiit verò typis publicis Hagenoæ, cura Menardi Motheri, anno, 1529. 4. itemque poſteà cum pleriſque aliis non diſſimilis argumenti Commentariis, ex editione Sim. Grynæi, Baſil. 1532. f. & iterum reviſa atque edita per Reinerum Reineccium, cum aliis conſimilibus, Helmſtadii, 1585. iterumque cura Andreæ Mulleri, Colon. Brandeb. 1671. 4. cum aliis. Italicè autem excuſa eſt Venetiis, 1553. *Vitam Haitonis* exhibet Miræus, *Chron. Præmonſtr.* p. 143. ſeq. De eo etiam loquuntur idem Miræus, in *Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 413. Ambroſius de Altamura, *Bibl. Ord. Præd.* p. 87. quem tamen peccati mortalis accuſat Oudinus, eo, quod Haitonem, ad Ord. Præd. Monachos retulerit, Vide illum, *Supplem.* p. 570. ſeq. Adde, quæ habet Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 62. p. 497. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 9.

HALITGARIVS.

Cameracenſis & Atrebatenſis ſimul anno 816. Epiſcopus, cum Ebone, poſtea Remenſi Archi-Epiſcopo, ad Danos profectus, anno 818. quibus verbum Domini prædicavit, annoque 828. ad Michaëlem Balbum, Imperatorem, pro amicitia inter eundem & Ludovicum Pium firmanda, Conſtantinopolim miſſus, unde reverſus anno 829. Concilio Pariſienſi ſubſcripſit, atque anno 831. animam exhalavit. Scripſit Lib. VI. *de Vitiis & Virtutibus, remediis peccatorum, & ordine vel judiciis pœnitentiæ*, quorum quinque priores edidit Henr. Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. V. P. II. p. 227. & *Collect. Bibl. Patr.* T. XIV. p. 906. Sextum verò Stevartius, *Supplem. Canis.* p. 693. Hugo Menardus, *in notis ad Gregorii Sacramentarium*, Paris. 1642. Joh. Morinus, *in Append. ad Lib. de Pœnitentia*, p. 5. *Præfatio* habetur apud Stevartium, *loco citato*, p. 713. Conf. Labbeus, T. I p. 417. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. f. 234. Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 365. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 152.

HARIGERVS.

Monachus & Abbas Laubienſis Ord. Bened. anno 990. anno 1097. obiit, cujus *Hiſtoriam de Epiſcopis Leodienſibus* cum aliis edidit, anno 1613. Joh. Chapeaville, Lib. I. *de corpore & Sanguine Domini.* Anonymum produxit Ludov. Cellot, ad calcem *Hiſtoriæ Goteſchalci Prædeſtinatiani,* Pariſiis, 1655. fol. *Vitam S. Berlendis, Virginis,* Bollandus ad diem III. *Febr.* & Joh. Mabillon, *Sec. Bened.* III T. I. p. 14. Lib. IV. *de Vita & Miraculis S. Ursmari,* apud Henſchenium, d. XIIX. Aprilis, & Ægidium Waulde, inter *alia Monaſterii Laubienſis monumenta,* anno 1628. Conf. Anton. Poſſevinus, *in Appar. S.* Sigebertus, *in Catalogo de Scriptor. Eccleſ.* c. 128. Aub. Miræus, *in Schol.* Hallervord, *Bibl. Curioſa,* p. 170. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 414. qui plura ejus adduxit.

HARIVLPHVS.

Monachus Centulanus & Coenobii Aldemborgenſis in Flandria Abbas, circa annum 1105. ſcripſit *Chronicon Centulenſis Abbatiæ,* Lib. IV. quod Dacherius, *Spicileg.* T. IV. exhibuit. *Vitam S. Arnulfi, Sueſſionenſis Epiſcopi,* Surius d. XV. Aug. *Vitam S. Madelgiſili,* Mabillon, *Sec.* IV. P. II. p. 537. *Libellum de miraculis S. Richarii, Abbatis,* idem, *Sec. V.* p. 565. *Vita B. Gervini, II. Abbatis Aldenborgenſis,* typis nondum exſcripta eſt. Dicunt de eo Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 356. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 220. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 194.

HARTMANNVS SCHEDELIVS.

Norinbergenſis, Philoſophiæ ac Medicinæ Profeſſor, anno 1492. claruit, autor voluminis inſcripti, *Chronica mundi,* quæ Norimb. 1493. f. unde & *Chronicon Norimbergenſe* vulgò audit, & Aug. Vindel. 1497. prodierunt. Numeratur Hartmannus inter Scriptores Eccleſiaſticos, eò, quod præter res civiles etiam de Eccleſiaſticis ſcripſit. *Commentarius de Sarmartiâ,* ex hoc Chronico deſumptus, extat inter *Polon. Rerum Script.* Piſtorii, Baſil. 1582. f. Alia ejus, a foro aliena noſtro, ſponte prætermittimus. Conf. Voſſius, de *Hiſt. Lat.* p. 573. Simlerus, *Epitom. Geſner.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 318.

HARTMVTVS.

S. Galli Monachus, & Abbas, circa annum 872. ſcripſit *Certamina aliquot & Hymnos,* quæ Henr. Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. V. p. 728. exhibuit. *Vitam S. Wiboradæ, Virginis & Martyris, Recluſæ Sangallenſis,* apud Henſchenium, d. XI. Maj. & Mabillon. *Sec.* V. p. 42. *Hartmudum* fruſtra *Hartmannum* & *Hartmundum* appellavit Henricus Caniſius, *loco citato,* atque perperam ad annum 980. eundem retulit Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 312. Conf. Guil. Cave, *loco citato*, p. 394.

HATTO.

Germanus, Coenobii Augienſis Abbas, poſt Epiſcopus Baſileenſis, qui Caroli M. juſſu ad Nicephorum Conſtantinop. legationem anno 811. obiit, anno 836. obdormivit. Scripſit hac occaſione *Hodoeporicon* ſeu *Itinerarium*, quod dudum interiit. *Capitulare* autem extat apud Dacherium, *Spicil.* T. VI. & *Concil.* T. VII. p. 1512. Lib. *de Viſionibus* ſive *de Vita Wettini, Monachi Augienſis*, Paris. 1513. fol. & apud Mabillonium, *Sec.* IV. P. I. p. 263. Loquuntur de Hattone Voſſius, Aub. Miræus, *Auct.* c. 249. p. 229. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 231. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 358. Du Pin, *loco citato*, T. VII p. 139.

HAYMO.

Anglo Saxo, Venerabilis Bedæ conſanguineus, Alcuini cum Rabano Mauro diſcipulus, Monachus primo Fuldenſis, dein Hirſchfeldenſis Coenobii Abbas, Eccleſiæ denique Halberſtatenſis Epiſcopus, ordine tertius, anno 841. Vivis exceſſit, anno 853. non verò anno 834. prout Trithemius falsò adſeruit. Anno namque 847. damnationi Goteſchalci, in Concilio Moguntino eum interfuiſſe, adeoque adhuc ſupervixiſſe, conſtat. Monumenta Litterarum, quibus orbi Chriſtiano celebratur, Bellarminus, Labbeus, T. I. p. 417. & *Append.* T. I. p. 788. & Guil. Cave, P. I. p. 372. recenſent. *Comment. in Pſalmos,* Friburgi, 1533. *in Eſaiam,* Colon. 1531. 8. *in Epiſt. S. Pauli,* Paris. 1556. 8. Romæ, 1598. Mogunt. 1614. Argent. 1519. *in Apocalypſin,* Lib. VII. Colon. 1531. *Hiſt. Eccleſ.* Lib. X Colon. 1531. 8. Romæ, 1564. Colon. 1573. 12. Lugd. Batav. 1650. 16. Helmſtad. 1671. *Homiliæ in Evangelia Domin. & de SS.* Colon. 1536. Paris. 1545. 8.

prodierunt. *de Varietate librorum* ſeu *de Amore Patriæ coeleſtis*, Lib. III. Paris. 1531. Tract. *de Corpore & Sangvine Domini*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. XII. p. 27. De eo pluribus dixit Joh. Mabillon, *Sec.* IV. T. I. p. 618. Sagittarius, *Hiſtor. Halberſtat.* p. 14. ſeqq. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 176.

HECTVS.

Aliis *Hettius* vel *Hetto*, Coenobii Mediolacenſis Præfectus & Trevirenſis anno 814. Archi-Epiſcopus, ſcripſit *Epiſtolas II. ad Frotharium, Tullenſem Epiſcopum*, quæ *Concil.* T. VII. p. 1865. habentur. De eo conferas Guil. Caveum, P. I. p. 364.

HELGALDVS.

Seu *Helgaudus*, Monachus Floriacenſis, circa annum 1050. *Vitam Roberti, Francorum Regis,* ſcripſit, quam vide apud Petrum Pithoeum, & Andream Duchesnium, in ſuis *Hiſtoricorum Franciæ Collectionibus*.

HEGESIPPVS.

Autor *Hiſtoriæ de excidio Hieroſolymæ*, à Guil. Caveo ad annum 374. relatus, eruditis ferè omnibus ignoratur. Quidam enim cum Colomeſio exiſtimant, legi debere pro Hegeſippo, *Joſippum*, quippe laxior ſaltem Joſephi verſio, non immerito vocanda ſit Hegeſippi Hiſtoria. Autorem ejus faciunt Ambroſium, cujus ſententiæ fundamenta profert Mabillon, *Itin. Ital.* p. 14. & Gronovius, *Obſervat. in Script. Eccleſ.* Prodiit autem hoc Eridos Pomum, Paris. 1511. 1589. 1610. Colon. 1521. fol. Colon. 1575. 8. & in Laurentii de la Barre, *Hiſtoria Chriſtiana*, p. 399. Differit de Hegeſippo docte, ut ſolet, Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 152. qui alium quoque Hegeſippum, *loco citato*, p. 33. memorat, Judæum, ad Chriſtianam fidem converſum, circa annum 170. clarum, Scriptorem *Actorum Eccleſiaſticorum* Lib. V. quorum ſaltem fragmenta Euſebius exhibuit. Conf. poſt Voſſium & Miræum, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 55. ſeq. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 731. B. Tho. Ittigius, *in Præfat. ad Joſephum*.

HELIAS.

Patriarcha Hieroſolymitanus, vel rectius Theodoſii, Patriarchæ Syncellus, anno 881. clarus, ſcripſit *Epiſtolam* ad Gallos Epiſcopos,

copos, quæ lat. apud Dacherium, *Spicileg.* T. II. habetur. *Epiſtolam Encyclicam* pro Malaceno Epiſcopo, apud Mabillonium, *Analect.* T. III. p. 434. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 396. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 153.

HELINANDVS.

Gallus, frigidi montis in Dioeceſi Bellovacenſi Monachus, anno 1212. clarus, anno 1227. obiit. *Chronicon ab O. C. ad annum 1212.* productum, Lib. XLVIII. pro ſeculi iſtius more, conſarcinavit, quod Bertrandus, in *Bibl. Ciſtert.* edidit. *Martyrium S. Gereonis ac Sociorum ejus*, apud Surium, d. X. *Octobr.* extat. *Sermones aliquot*, apud Tiſſierium, *loco citato.* *Verſus Gallicos de morte*, publice cantari ſolitos, vulgavit Antonius Loiſellius, anno 1594. His manuſcripta quædam ſuperaddit Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 483. utpote *Commentarium in Apocalypſin B. Joh.* Lib. *de laude vitæ clauſtralis*, Lib. *de Regimine Principum*, Lib. *de reparatione Lapſi*, quem tamen cum Libro de Laude Vitæ clauſtralis pro uno probabiliter habet. Conf. quoque Voſſium, de *Hiſt. Lat.* L. II. c. 55. p. 445. Labbeum, T. I. p. 421. & *Append.* T. I. p. 789. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 491. Carolum Viſchium, *Bibl. Ciſtert.* p. 140. qui tamen in eo fallitur, quod ex uno Helinando noſtro duplicem facit, unum è frigido monte, alterum è Perſennia, Monachos.

HELLADIVS.

Monachus primùm, Theodoſii, Abbatis, Auditor, ejusdemque Succeſſor, Turſi deinde Epiſcopus, circa annum 431. claruit. Arcta quidem ab initio neceſſitudine junctus fuit cum Neſtorio, a quo tamen ante mortem defecit. Habentur ejus *Epiſtolæ VI.* inter *Epiſtolas Lupi Epheſinas*, num. 68. 111. 114. 144. 154. 193. Agunt de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 234. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 119.

HELMOLDVS.

Presbyter Lubecenſis, & Butzovienſis, prope Lubecam, Canonicus, Geroldi, primi Lubecenſium Epiſcopi, diſcipulus, circa annum 1165. claruit, atque 1170. obiit. Hic Autor *Chronici Slavorum ſive de Wandalorum ad fidem Chriſtianam converſione, gentiumque ad mare Balticum ſitarum rebus geſtis*, quod tempore Friderici Barbaroſſæ ſcriptis

ptis mandavit & a Caroli M. ævo inchoatum, ad annum 1168. produxit. Inde incepit, qui continuavit illud, ad 1209. Arnoldus, Abbas Lubecenſis, editus cum priori Chronico, quod jam olim publicavit Sigismundus Segorckelius, Francof. 1556. 4. poſt Reinerus Reineccius, ibidem 1581. iterum Lubecæ, cum notis Henr. Bangertus, 1659. 4. Conf. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. p. 435. Labbeus, *loco citato.* Guil. Cave, P. I. p. 473.

HELVIDIVS.

Presbyter, Auxentii, Mediolanenſis Epiſcopi, auditor, qui circa annum 382. Romæ vixit, homo Ruſticanus & juxta Hieronymum, vix primis literis imbutus, *Libello* peculiari contendit, *B. Mariam etiam poſt Chriſtum filios peperiſſe, quos Scriptura Domini fratres adpellet.* Confutavit ipſum Hieronymus, qui ejus quoque libelli fragmenta quædam exhibet. Conf. Gennadium, *de Scriptor.* c. 32. Auguſtinum, *Hæreſ.* 56. & 84. Epiphanium, *hæreſ.* 78 Baronium, *ad ann.* 382. & Guil. Caveum, P. II. p. 161. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 112. Arnoldum, *Hæreſiolog.* poſt alios Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores.

HEMMINGVS.

Anglus, Presbyter & Monachus Wigornienſis, anno 1095. ſcripſit *de Eccleſiæ Wigornienſis dotatione, privilegiis & poſſeſſionibus* Lib. V. quod opus, teſte Caveo, P. II. p. 105. in Bibl. Cottoniana adſervatur. Quædam ex eo profert Gu. Dugdalius, *Monaſt. Angl.* T. I. *Vitam S. Wulſtani, Wigornienſis Epiſcopi,* Henr. Whartonus, *Angl. S.* T. I. p. 541.

HENRICVS DE BALMA.

Sive *de Palma,* Gallus Bugienſis, Ord. Min. Monachus, anno 1410. floruit, non verò ann. 1363. ad quem malè ipſum retulit Genebrardus. Laudat Henricum Cardinalis Bona, virum magnæ perfectionis & morum integritate præſtantiſſimum. Ejus *de Myſtica Theologia* Tractatus, inter *Bonaventuræ Opera,* non ſemel prodiit. *Meditationes quasdam pias, ante & poſt celebrationem Miſſæ & in cæteris actionibus quotidianis uſurpandas nondum quidem editas,* memorat Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 301. Sunt denique qui Henricum de Palma cum Joh. de Parma, Lib. *de civitate Chriſti,* Romæ, 1523. & alibi excuſi, autore, unum eſſe contendunt, de quibus diſſeruit Caſimirus Oudin,

din, *Supplem.* p. 655. Conf. de Henrico noſtro Lucas, Waddingus, *Bibl. Præd.* p. 108.

HENRICVS DE GANDAVO.

A patria dictus, aliis à Mudo ſuburbio, Mudanus, cognomento *Goethals* ſive *Bonicollius*, Sorbonenſis Doctor, titulo *ſolemnis* ornatus, Tornacenſis Eccleſiæ præterea Archidiaconus & Canonicus. Quidam etiam fratrem Ord. ſervorum S. Mariæ faciunt, ut aſſerit Labbeus T. I. p. 423. cujus originem & inſtitutionem anno 1285. factam Raph. Volaterranus, Lib. XXI. *Comm. Urbic.* f. 766. ait. Confer, ſi lubet, geminam inſcriptionem de hoc Ordine Halæ, in ſvaviſſimâ patria, conſpicuam, relatamque à B. Parente & Avo noſtro, D. Godofr. Oleario, *Halygraph.* p. 211. 214. Ad decus aliquod nominis pervenit, conſcriptis non paucis libris, ex quibus huc ſpectant *Quodlibeta Theologica in Lib. IV. Sententiarum,* Paris. 1518. f. *Summa Theologiæ*, ſeu *Quæſtiones ordinariæ*, Paris. 1520. *Liber* item *de viris illuſtribus* usque ad ann. 1280. quo tempore adhuc floruit, anno verò 1293. non 1299. uti Simlerus tradidit, exceſſit, qui cum aliis ejusdem argumenti prodiit curâ Suffridi Petri, Colon. 1580. 8v. & cum notis Aub. Miræi, Antwerpiæ, 1639. f. Reliqua ejus Manuſcripta ſiſtent Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* p. 351. Fr. Sweertius, in *Athen. Belg.* p. 328. Labbeus, T. I. p. 423. & Guil. Cave, P. I. p. 514.

HENRICVS GORCOMIVS.

Sive *Gorichemius*, à Gorcomio, Hollandiæ oppido, dictus, Doctor Theologus & Vice Cancellarius Colonienſis, ſub Pio II. P. R. anno 1460. clarus, ſcripſit Tract. *de Caſibus ſeu ceremoniis Eccleſiaſticis*, editum, Colon. 1503. 4. Lugd. 1621. 8. *de celebritate feſtorum*, ibidem. *Concluſiones* item *atque Concordantias Bibliorum ac Canonum, in Libros Magiſtri Sententiarum,* additis Summariis & erroribus Magiſtri, Pariſiis & in Anglia damnatis, Colon. 1502. Baſil. 1513. Venet. 1506. Plura ejus Scripta memorant Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* p. 353. Fr. Sweertius, *Athen. Belg.* p. 328. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 99.

HENRICVS HARPHIVS.

Sive *Herpius*, de Herph, Campaniæ Brabanticæ pago, dictus, Ord. Min. Mechliniæ Guardianus, anno 1478. e vivis ſublatus. Scripta, quæ à ſelecta non minus doctrina, quam florente devoti-

one Willotus, *Athen. Franc.* p. 178. commendat, ibidem enarrata videas, & apud Valerium Andream, *loco citato*, & Henr. Wartonum, *Append. Cav.* p. 100. Labbeum, T. I. p. 424. Simlerum, Bellarminum & alios. Lib. III. *de Theologia Myſtica, tum Speculativa, tum affectiva*, prodierunt Colon. 1538. 1555. Romæ, 1585. Brixiæ, 1601. Colon. 1611. *Speculum Aureum in X. Præcepta Decalogi*, Noribergæ, 1481. Baſil. 1496. Argent. 1520. 4. *Speculum perfectionis*, Venet. 1524. *Collationes III. de perfectione Vitæ* ſive *Compendium Directorii*, Colon. 1536. *Sermones de tempore & Sanctis*, Hagenoæ, 1509. f. Lib. *de tribus Poenitentiæ partibus*, ibidem, & alia.

HENRICVS DE HASSIA.

Sive *de Langenſtein*, Germanus, S. Theol. in Academia Pariſienſi Licentiatus, Ord. Carthuſ. in Geldriâ Prior, Viennæ quoque claruit, quo, Pariſiis eductus, in Univerſitatis principio advolavit, primusque Cathedram rexit & plurima volumina notatu digna conſcripſit. Vid. Æneæ Sylvii *Epiſtol.* 165. Obiit Henricus, anno 1428. Multis annis in Lectura Geneſeos conſumptis, vix ad quartum libri capitulum eum perveniſſe, totidemque volumina compleviſſe tradit Trithemius. Ejus *Regulæ ad diſcernendum Peccatum mortale a veniali*, cum *Antonini Opere de eruditione Confeſſorum*, Memingæ, 1483. excuſæ ſunt. Lib. *de Contractibus & ordine Cenſuum*, in *Append. Operum* Joh. Gerſonis. *Secreta Secretorum*, Daventriæ, 1501. *Secreta Sacerdotum*, Lipſiæ, 1500. 4. & 1506. 8. quod opuſculum, an cum Secretis Secretorum conveniat, viderint, quibus videndi facultas fuit. *De animæ conditionibus Soliloquium*, Argentor. 1507. 8. & inter *Orthodoxogr.* T. II. p. 1607. *Contra diſceptationes fratrum Mendicantium ſuper conceptione Mariæ Virginis, & contra maculam S. Bernardo mendaciter impoſitam*, Mediolani, 1480. *de diſcretione Spirituum*, Antwerp. 1652. Alia ejus Scripta memorat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 65. & Guil. Cave, P. II. p. 302. Conf. Labbeus T. I. p. 425. & Simlerus, *Epitom.* f. 278. Philippus Elſſius, *in Encomiaſtico Auguſtiniano.* Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 730. Petrejus, *Bibl. Carthuſiana*, & alii.

HENRICVS DE HVECTA.

Vel de *Oita*, Germanus, Ord. Carmelit. Viennenſis in Auſtria Gymnaſii decus, & complantator, floruit anno 1380. atque ſcripſit Tract. *de Contractibus*, inter Gerſonis *Opera*, & ſeorſim Paris. 1506.

1506. 4. excuſum. *Super Lib. IV. Sententiarum*: *de Conceptione B. Mariæ Sermones* &c. Trithemio & Pantaleoni, atque Simlero, memorata. Vide apud Flacium, Illyricum, *Catal. Teſt. Verit.* col. 1800. Propoſitiones quasdam Henrici, earumque explicationes, quibus hæreſeos apud Pontificios notam, apud Lutheranos vero Confeſſoris titulum, meruit. Agit de Henr. de Huecta poſt alios, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 287.

HENRICVS de HVNTINDON.

In Anglia genitus, Lincolnienſis Eccleſiæ Canonicus, dein Huntindonenſis Archidiaconus, ab hiſtoriarum & antiquitatum ſtrenuâ indagatione, Polydoro Virgilio, aliisque multùm laudatus, anno 1148. vixit, ſcripſitq; *Hiſtoriam Angl.* Lib. *XII.* quorum VIII. priores edidit Savilius, Londini, 1596. f. recuſos, Francof. 1601. inter *Scriptores Anglicos*. Reliquos poſteriores IV. manuſcriptos adſervat Bibl. Lambethana, quorum contenta refert doctiſſimus Cave, P. II. p. 226. *Epiſtolam de contemtu mundi*, vide apud Dacherium, *Spicileg.* T. VIII. p. 178. & Henr. Whartonum, *Angl. S.* T. II. p. 694. Plura ejus Scripta recenſent Balæus atque Pitſeus, atque ex iis Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 467. Conf. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 374. p. 252. Bellarminus, Labbeus, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 424. Du Pin, T. IX. p. 190.

HENRICVS de KALTEISEN.

Sive *Frigidum ferrum*, patriâ Confluentinus, Germanus, Ord. Domin. Theologiæ Doctor, & Profeſſor Colonienſis, fidei Inquiſitor, ſimulque Eccleſiarum Nydroſienſis & Cæſarienſis Archi-Epiſcopus, anno 1465. fato ereptus, per ea, quæ ex Trithemio, Anton. Senenſi, aliisque, tradit Labbeus, T. I. p. 426. Conf. quoque Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 74. *Diſputationem*, quam anno 1433. in Concilio Baſileenſi, de libera verbi prædicatione adverſus Huſſitas per triduum ſuſcepiſſe fertur, *Concil.* T. XII. p. 1249. Bzovius, *ad ann.* 1433. §. 254. Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. IV. P. II. p. 1. exhibent. Manuſcripta alia ejus opuſcula, vide apud Trithemium, f. 173. & Ambroſ. de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 187.

HENRICVS KNIGTHON.

Anglus, Canonicus Regularis Leiceſtrenſis, circa annum 1395.

 flo-

floruit, atque *Chronicon, de eventibus Angliæ* Lib. V. & *Hiſtoriam depoſitionis Richardi II. Angliæ Regis*, condidit. Utrumque edidit Twisdenus, Londini, 1652. p. 2311. 2743. inter X. *Hiſtoriæ Angl. Scriptores.* Manuſcripta exemplaria duo extant in Bibl. Cottoniana, referente Oudino, *Supplem.* p. 664. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 47.

HENRICVS.

Rebdorffienſis Monachus, natione Germanus, anno 1362. inclaruit *Annalibus* rerum ab Imperatoribus, Adolfo, Alberto, Friderico III. Ludovico Bavaro & Carolo IV. geſtarum, quos Marqv. Freherus, *Hiſtoricorum Germaniæ*, Francof. 1600. editorum, T. I. p. 411. inſeruit.

HENRICVS RHEMENSIS.

Archi Epiſcopus, circa annum 1170. floruit, atque clarum poſteritati nomen oſtendit, *Epiſtolis* II. de cauſa Drogonis Noviomagenſis, quas Buluzius, *Miſcell.* T. II. p. 228. exhibuit. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 476. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 187.

HENRICVS.

Cognomento *de Seguſia*, quia ad Secuſium, Pedemontii in Taurinis oppidum, nobili ſtirpe ſatus, Theologus & JCtus percelebris, *Fons utriusque Juris dictus*, Ebrodunenſis circa annum 1250. Archi-Epiſcopus, dein Cardinalis, & ſubinde anno 1263. Oſtienſis Epiſcopus. Alexandri IV. P. R. juſſu, *Summam*, quæ *Oſtienſis* dicta, confecit, excuſam Baſileæ, 1537. 1573. f. Lugd. 1588. 1597. itemque *ſuper VI. Libros Decretalium Expoſitionem*, Romæ, 1470. 1473. Venet. 1498. f. 1581. Ejus præter plures alios, Guil. Durandus, *Speculator*, auditor fuiſſe perhibetur. Obiit autem diem extremum, non anno 1276. aut ann. 1281. ut plerique ajunt, ſed anno 1271. ſicut poſt Ferdinandum Ughellum, T. I. *Ital. S.* monent Sanmarthani, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 279. Conf. Labbeus, T. I. p. 427. Guil. Cave, P. I. p. 508.

HENRICVS STERO.

Germanus, Monachus Altahæ ſeu Altaichenſis inferioris Cœnobii, Ord. Bened. ibique Capellanus, ac denique juxta nonullos

Ab-

Abbas Piburgenſis, circa annum 1301. vixit. Ejus *Annales ab anno primo Friderici Barbaroſſæ, Imperatoris, usque ad Rudolffum Habspurg.* edidit Henr. Caniſius, T. I. *Antiqv. Lect.* p. 217. Annalibus iſtis idem Stero *Hiſtoriam de Rebus Imperatorum, Rudolphi, Adolphi Naſſovii, & Alberti Auſtriaci,* ab anno 1266. ad ann. 1300. ſubjecit, cui *Appendicem* Ulricus & Conradus Wellingi, fratres, Monachi Auguſtani, usque ad annum 1325. addiderunt. Vulgata utraque à Marquardo Frehero, T. I. *Script. Germ.* f. 384. Conf. quæ habet Voſſius, *Hiſt. Lat.* p. 502. 571.

HENRICVS SVSO.

Aliis *Amandus Suſo,* quem Bellarminus, ſimpliciter Germanum, Labbeus & Caveus Svevum, ex nobili Comitum Montenſium genere natum, volunt. At Henricus Murerus, *Helvet. S.* p. 346. Conſtantienſem facit, Ord. Præd. in agro potiſſimum Tigurino clarus, inter Helveticorum Aſceticorum Patriarchas relatus & anno 1306. denatus eſt. Vide Hottingerum, *Append. I. Schol. Tigur.* p. 65. & 93. Labbeum, T. I. p. 428. & qui ejus Vitam prolixe deſcripſerunt, Felicem Malleolum, atque ſupra dictum Henr. Murerum. Opuſcula Henrici e germanico in latinum tranſtulit atque edidit Surius, Coloniæ 1588. 8. utpote *Horologium Sapientiæ,* ſeorſim quoque Venet. 1492. 1539. Neapoli 1658. 12. & alibi excuſum. *Meditationes C. Paſſionales: Lib. de IX. rupibus: Sermones de Tempore, de SS. & Quadrageſimale: Dialogum Veritatis. Epiſtolas varias: Officium quotidianum de æterna Sapientia,* ſæpius editum, Pariſiis quoque 1578. 8. prodiit.

HENRICVS de URIMARIA.

Seu de *Frimaria,* Thuringus, Ord. Aug. Eremita, Doctor in Academia Paris. Theologus, anno 1340. claruit. Scripſit *Additiones ad Libros Sententiarum,* Coloniæ 1513. editas. *de quadruplici inſtinctu* Lib. Venet. 1498. *Sermones de Paſſione Domini & de Sanctis,* Hagenoæ, 1513. Paris. 1514. & alibi. *Præceptorium* quoque ſub Nicolai Lyrani nomine vulgatum, ipſi nonnulli tribuunt. De Scriptis Henrici fuſe differunt Joſ. Pamphilus, Anton. Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 733. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 433. p. 261. Philippus Elſſius, *in Encom. Auguſtin.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 609. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 25.

HENRICVS WOLTHERVS vide WOLTHERVS.

HEPIDANNVS.

Monachus S. Galli in Helvetia, Ord. Bened. anno 1040. clarus ſcripſit *Chronicon* ab anno 709. ad 1044. quod apud Goldaſtum, *in Collect. Rer. Alamannicarum*, anno 1606. f. Francof. edito, habetur. Lib. II. *de Vita S. Wiboravæ*, apud eundem Goldaſtum, & Bolland. d. 11. Maj. Agunt de eo Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. III. p. 707. & Sandius, in notis ad Voſſium, p. 251. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 330. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 302.

HERARDVS.

Natione Gallus, Archi-Epiſcopus Turonenſis, anno 855. factus, obiit anno 871. poſtquam variis Conciliis interfuit. Habentur ejus *Capitula* CXL. *ex Corpore Canonum excerpta* & Presbyteris ſuis in Concilio Tullenſi congregatis data, *Concil.* T. VIII. p. 627. & inter *Baluzii Capitularia*, T. II. p. 1285. *Commonitorium* ad Wenilonem Senonenſem, *Concil.* T. VIII. p. 695. *Annunciatio de Wuldi cauſa & Hermentrudis Reginæ coronatione in Concilio Sueſſionenſi* III. facta, *Concil.* T. VIII. p. 830. Conf. de eo Guil. Cave, P. I. p. 383. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 744. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 265.

HEREMBERTVS.

Sive *Erchempertus*, Longobardus, ex illuſtri Beneventanorum Ducum Gente oriundus, Monachus & Diaconus Caſinenſis, ann. 887. condidit *Chronic.* ſive *Hiſtoriam Longobardorum* prolixam, cujus *Epitomen*, ab ipſo Heremberto factam edidit Antonius Caracciolus, Neapoli, 1626. 4. juxta cum aliis. Alia ejus opuſcula, in membranis deliteſcentia, commemorat Petrus Diaconus, *de viris illuſtr. Caſin.* c. 14. & Jo. Bapt. Marus, *in notis* ad eundem.

HERIVEVS, vide HERVEVS.

HERMANNVS CONTRACTVS

A contractis ab infantia omnibus membris ita dictus, Wolferadi, Veringenſis, in Suevia Comitis, filius, Augiæ divitis majorisque Monachus, Ord. Bened. pietate & doctrina clariſſimus, anno

anno 1054. e vivis ſublatus, *Chronicon* ſcripſit, ab ortu Adami ad an. 1054. perductum. Paſſim illud prodiit, Francof. 1583. 1585. 1670. & apud Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. I. p. 432. & inter *Scriptores Germ. Piſtorii,* T. I. p. 85. *Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 348. De aliis ejus Scriptis, eique tributis hymnis & proſis, ut ſunt, *Veni S. Spiritus & emitte* &c. *Salve Regina, Alma Redemptoris* &c. vide, quæ Caniſius & Labbeus, T. I. p. 429. habent. Conf. de Hermanno Contracto Henr. Pantaleon, *de viris illuſtr. Germ.* P. II. p. 113. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 44. p. 370. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 421.

HERMANNVS de LERBEKE.

Germanus, Ord. Præd. Cœnobii S. Pauli apud Mindenſes Monachus, anno 1414. clarus, ſcripſit *Chronicon Comitum Schavvenburgenſium,* quod edidit Henr. Meibomius Francof. 1620. 8.

HERMANNVS.

Colonienſis, profeſſione Judæus, tribu Levita, relicto Judaiſmo ad Chriſtianos tranſiit. Canonicus fuit in Coenobio Capembergenſi, atque circa annum 1116. floruit. Opuſculum *de converſione ſua* ſcripſit, quod *Raymundi Pugioni fidei* Lipſiæ, anno 1687. fol. Carpzovius adjecit.

HERMANNVS de PETRA.

Belga Sandorpius, Ord. Carth. Monachus & Monialium ſui Ordinis prope Brugas per XXX. annos Rector, ab anno 1405. ad 1412. aut 1428. vixit. Ejus *Sermones* L. in Orationem Dominicam, prodierunt Aldenardæ, 1480. Lovanii, 1484. f. Plura ejus opuſcula exhibent Simlerus, p. 339. Fr. Sweertius, *Athen. Belg.* p. 343. & qui illos ſequitur, Guil. Cave, P. II. p. 300.

HERMANNVS TORNACENSIS.

S. Vincentii Laudunenſis Monachus, poſt S. Martini Tornacenſis Abbas, ab anno 1127. ad 1140. ſcripſit *de Incarnatione Domini,* Lib. quem inter *Veterum Opuſcula Sacra,* Lugd. Batav. 1692. edidit Caſim. Oudinus. Lib. III. *de miraculis Mariæ Laudunenſis & Hiſtoriam Abbatiæ S. Martini Tornacenſis* inſeruit Dacherius *Spicileg.* T. XII. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 385. Guil. Cave, P. II. p. 223.

HERMAS.

Pauli, juxta aliquos, diſcipulus, cujus mentio habetur Rom.

XVI.

XVI. v. 14. qui obiiſſe creditur anno 80. Talem eum jam olim judicarunt Irenæus, Tertullianus, Clemens Alexandrinus, Origenes & alii. Alii contra noſtrum cum Hermete, Pii P. R. fratre, turpiter confundunt. Pro priori pugnat ſententia Guil. Caveus, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 15. cum multis aliis. Placet tamen B. Ittigii præferre opinionem, quâ contrarium tuetur, *in diſſert. de Patribus Apoſtolicis*, Theſ. LXV. ſeqv. Hic alio quoque loco, errores, Hermæ aut juſte aut injuſte adſcriptos, pro ſingulari, quo polluit, mentis acumine, ponderavit. Vide ejus *Capita Hiſt. Eccleſ. Sec. I. cap. III.* p. 155. ſeqv. Liber autem, quem Hermas conſcripſerit, triplex habetur. Primus, *Eccleſia*: Secundus, *Paſtor.* Tertius, *Similitudines X. ad vitam beatam & Chriſtiano dignam perveniendi*, inſcribuntur. Prodierunt autem Pariſiis, curante Jac. Fabro, 1513. Argentor. 1522. inter *Orthodoxogr. Baſil.* & *Bibl. Patr.* T. II. item apud Cotelerium, inter *Patres Apoſtolicos*, Paris. 1672. Cygneæ, cum notis, Caſpar. Barthii, 1655. 8. & cum *Barnabæ Epiſtola*, Oxon. 1685. 12. Fragmenta græce ediderunt poſt Cotelerium, & Grabium, *in Spicilegio*, T. I. p. 303. Benedictini, inter *Opera Athanaſii*, edit. 1698. T. II. p. 251. Docte de Herma etiam dixit Tho. Ittigius, præf. *in Caten. Patr.* p. 6. ſeq. ubi Labbeum & Nourry notat, & in *Select. cap.* p. 65. ſeq. Addas quoque Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 28. ſeq. Pearſonium, *vindic. Ignat.* P. I. p. 39. Jo. Albertum Fabricium, *Cod. N. T. Apocrypho*, qui profundiſſime de hoc Scriptore diſſeruerunt.

HERMES.

Pſeudo-Trismegiſtus, Chriſtianus, aut ſaltem juxta Caſaubonum, *Exercit. I. in Baron.* num. X. p. 75. Chriſtianus Platonizans, anno 120. vixiſſe videtur. Prodierunt ejus Opera gr. lat. Paris. 1554. 4. & Colon. 1630. f.

HERMIAS.

Philoſophus quidam Chriſtianus perantiquus. Ejus Librum, *irriſionem Philoſophorum Gentilium*, ex Jo. Jacobi Fuggeri Bibliotheca, gr. & lat. Raphael Seilerus cum Cydonio primùm vulgavit, Baſil. 1553. Prodiit quoque ad calcem Juſtini, Paris 1615. 1636. & in *Auct. Bibl. Patr.* Paris. 1624. T. I. & cum *Tatiani Oratione ad Græcos*, Oxoniæ, 1700. 8. curâ Wilhelmi Worth. Quo vero tempore vixerit, nec ex libello iſthoc, neque ex antiquioribus, qui Scriptores Eccleſiaſticos conſigna-

ſignarunt, colligi hactenus potuit. Bignæus quidem, poſtquam *Bibl. Patr. T. IV. edit. 2. f.* 155. illum inſeruit, *Ind. Chronol.* T. IX. annexo, *Seculi* IV. Scriptoribus Hermiam annumerat, quod & fecerunt *Collectores Magna Bibl. Colon.* dum Julio Firmico, qui circa ann. 340. floruit, eum ſubjecerunt, T. IV. f. 119. nulla tamen autoritate ſuffulti. Inſigniter lapſus eſt Tirinus, cum *Ind. Autor.* ſub finem *Comment.* ſui ad Scripturam S. ſcribit, Hermiam ante Chriſtum natum annis 359. ſcripſiſſe Librum *de irriſione Philoſophorum Gentilium* & Diogenem Laërtium allegat. Notanda venit hoc loco illa inter B. Tentzelium & Guil. Caveum, controverſia, quæ Hermiam Philoſophum concernit. Hunc cum Hermia Sozomeno, Hiſtoricæ Eccleſiaſticæ Scriptore, Sec. V. claro, conjungere non dubitabat olim Cl. Lambecius, *Comment. de Bibl. Vindob.* Lib. VII. p. 54. cujus conjecturam deinde Erneſtus Tentzelius, *Exercit. Select.* T. V. p. 228. & *Addit.* p. 456. defendere aggreſſus eſt. His obviam ivit ſingulari, quâ pollet, modeſtiâ, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 21. qui partim à diverſis Hermiæ utriusque profeſſionibus, partim à tempore, partim à ſtyli diſſonantia & aliis argumentis maximè ſtringentibus, diverſos potiùs Hermias, adverſus Tentzelium, propugnavit.

HERRICVS.

Sive *Heiricus*, Monachus Ord. Bened. in Monaſterio S. Germani Antiſſiodorenſis, Haymonis, Halberſtatenſis Epiſcopi, & Lupi, Ferrarienſis Abbatis, diſcipulus, circa annum 880. floruit. Extant ejus Lib. II. *proſaici de Miraculis S. Germani, Antiſſiodorenſis Epiſcopi*, apud Labbeum, T. I. *Bibl. Nov. manuſcript. Sect.* III. num. 4. Lib. VI. *Carminum de Vita ejusdem S. Germani*, apud Surium, d. XXXI. Julii. Seorſim quoque Pariſiis, 1543. 8. & cum Claudio Victorino in Geneſin, Paris. 1560. 8. Plura ejus memorat Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 279. Agunt de Herrico, Sigebertus, Lib. *de Scriptor.* c. 104. & Aub. Miræus, *in Scholio ad idem caput.* Natalis Alexander, *in Select. Hiſt. Eccleſ. cap. Sec. IX.* P. I. p. 268. Poſſevinus, *in Appar. S.* & alii.

HERVÆVS BVRDIGOLENSIS.

Patria Cenomanenſis, Monachus Ord. Bened. Burdigolenſis, anno 1130. pietate & doctrina claruit, ſicut Epiſtola Monacho-

rum Burdigol. Encyclica, T. II. *Spicilegii Dacheriani* inſerta, dilucide probat. Ei *Commentarios in omnes Pauli Epiſtolas,* qui inter *Anſelmi Cantuarienſis Opera* habentur, tribuit Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 395. qui ejus quoque *in Eſaiam Commentar,* & *Poſtillas breves in Deuteronomium,* manuſcripta ſe vidiſſe, teſtatur. Diſſeruit etiam de Hervæo noſtro Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 459.

HERVÆVS NATALIS.

Patriâ Brito, Aremoricus, Doctor in Academia Paris. Theologus, Ord. Præd. Magiſter Generalis, Durandi æqualis, Thomiſta acerrimus, migravit è Seculo, Narbone, 1323. Prodierunt ejus Opuſcula plurima, Venetiis, 1513. fol. *Commentaria* verò *in IV. Lib. Sententiarum,* ibid. 1505. f. T. IV. Paris. 1647. *Quodlibeta Majora,* Venetiis, 1486. *Quodlibeta minora,* ibid. 1513. Tract. *de Poteſtate Papæ,* Paris. 1647. *Defenſorium contra impugnantes fratres Præd. quod vivant ſecundum Apoſtolicam vitam,* Venet. 1516. 8. & alia. Loquuntur de eo Poſſevinus, Bellarminus, Labbeus & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 11.

HERVARDVS.

Archidiaconus Leodicenſis, cujus *Epiſtola de Guiberto Gemblacenſi & de ſcribenda vita S. Martini,* apud Mabillonium, *Analect.* T. II. p. 536. habetur, floruit circa annum 1101. Pauca de eo tradit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 487.

HERVEVS.

Sive *Heriveus,* Gallus, Caroli Simplicis Cancellarius, Regisque commendatione & meritorum præſtantia Remenſis poſtea Archi-Epiſcopus, anno 900. teſtibus Sanmarthanis, T. I. *Gall. Chriſt.* p. 490. & 569. Flodoardo, Andr. Quercetano, aliisque laudatus, maximè, quod Eccleſiaſticis cantilenis apprimè eruditus & in Sacra Pſalmodia præcipuus fuerit. Obiit Herveus, anno 922. *Opuſculum ejus ad Widonem, Archi-Epiſcopum Rothomagenſem,* de pœnitentiis injungendis, *Concil.* T. IX. p. 484. & in *Bibl. Patr.* T. XVII. p. 246. & inter *Hincmari Opuſcula* à Cordeſio, Pariſiis. 1615. edita, f. 697. habetur. *Acta Concilii Troslejani,* cui anno 909. præfuit, *Concil.* T. IX. p. 521. Conf. Flodoardum, Lib. IV. *Eccleſ. Remenſis,* c. 2. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 399. Caſim. Oudinum, *Supplem.* p. 301.

HESSO.

Remenſis Scholaſticus & Presbyter, ſcripſit *Acta Concilii Remenſis*, anno 1119. celebrati, quæ vide apud Labbeum, *Concil.* T. X. p. 872. ſeq.

HESYCHIVS.

Qui & *Iſicius* & *Eſichius*, imò *Iſaacius* etiam Nicephoro & Theophani dictus, teſte Labbeo, *Append.* T. I. p. 826. Ejus nomine vulgò circumfertur *Commentarius in Leviticum*, Lib. VII. diſtinctus qui Baſileæ, 1527. & Paris. 1581. 8. & alibi prodiit. At multas hic eruditis cruces fixit, ut omnino difficile ſit, de autore iſthoc ejusque ætate certi quicquam comperiri, id quod poſt multas obſervationes aliquot paginis præmiſſas, ipſemet Labbeus, p. 639. fateri cogitur. Sunt namque, qui cum Cardinale Perronio Libros dictos Heſychio Salonitano, Dalmatæ, circa ann. 418. Epiſcopo tribuunt. Alii Iſicio vel Heſychio juniori Salonitano, ætate Gregogorii, vel Epiſcopo vel Presbytero. Trithemius contra Eſytio cuidam Presbytero, qui Gregorii Naz. auditor fuerit, vindicat. Bellarminus verò Heſychio, ex Presbytero anno 600. Patriarchæ Hieroſolymitano, anno 609. mortuo, eosdem tribuit, quem amplectitur Guil. Cave, P. I. p. 312. qui reliqua ejus ordine refert. Sunt autem Κεφάλαια *in XII. Proph. Minores & Eſaiam*, ex Bibliothecæ Auguſt. membranis, anno 1602. 4. Aug. Vindel græcê edita, per David. Hoeſchelium, & inter *Crit. S.* T. VIII. p. 26. *Sermo de temperantia & Virtute*, gr. Paris. 1563. 8. & lat. ibidem, 1563. & *in Auct.* Paris. 1624. T. I. p. 985. *Sermones de B. Maria*, gr. lat. ibidem, T. II. p. 417. *Oratio demonſtrativa in S. Andream Apoſtolum*, lat. in *Bibl. Patr.* T. XII. p. 190. *Quâ horâ crucifixus eſt Dominus* & *de Reſurrectione Chriſti Homiliæ* II apud Combefis. *in Auct.* 1648. T. I. His adde *Vitam S. Longini*, a Bollandianis excuſam, d. XV. *Martii* & alia Caveo memorata, P. II. p. 128. Plures Heſychios referunt Labbeus, de *Scriptor.* T. I. p. 632. & in *Append.* p. 820. Edmundus Albertinus, de *S. Euchar.* L. II. p. 846.

HESYCHIVS.

Salonitanus in Dalmatiâ Epiſcopus, anno 418. clarus, Auguſtini familiaris; ante annum 419. obiit. Habetur ejus *Epiſtola ad Auguſti-*

guſtinum, inter *Auguſtinianas*, num. LXXIX. Conf. de eo poſt alios, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 218.

HETHERIVS vide ETHERIVS.

HIERONYMVS CAMALDVLENSIS.

Patriâ Pragenſis Ord. Camaldulenſis Eremita, vir pius & eruditus, Concilio Baſileenſi, anno 1431. interfuit atque Venetiis, anno 1440. obdormivit. *Vita S. Romualdi, Abbatis*, ab ipſo ſcripta, habetur apud Bolland. menſe Febr. T. II. p. 124. Alia ejus memorat Poſſevinus, in *Appar. S.* T. I. p. 745. & ex eo Guil. Cave, T. II. p. 303.

HIERONYMVS de S. FIDE.

Ex Judæo Chriſtianus, inter Hiſpanos clarus, inde Benedicti XIII. anno 1412. Medicus, Librum ſcripſit *contra perfidiam & Thalmud Judæorum*, cujus recitatione quinque iſtorum millia ad Chriſtianam fidem converſi. Vide Margarin. Bign. T. IV. *Bibl. Patr. Par. edit. 2.* f. 1034. qui bipartitum iſtum librum ibidem exhibet. Poſterior ſaltem pars ejusdem, Tiguri, 1552. prodiit, iterum Hamburgi, ſine anni mentione per Jacobum Rebenlinum. Extat etiam Francof. 1602. 8. recuſus & *Hebræo-Maſtyx* inſignitus. Dicunt de eo Antonius Poſſevinus, *Appar. S.* T. I. p. 741. & 746. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 450. p. 264. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 686. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 62.

HIERONYMVS STRIDONENSIS.

Dalmata, nomine reque Sacri nominis Heros, interprete Eraſmo, Stridonem, Patriam habuit, Patrem verò Euſebium, hominem Chriſtianum, à quo anno 329. ortum accepit. Optimis à Juventute Præceptoribus eruditus eſt Hieronymus, utpote à Donato in Grammaticis, â Victorino in Rhetoricis, in Sacris a Gregorio Theologo, Apollinario Laodiceno, Paulino Antiocheno, & Didymo Alexandrino. Ætate jam adultâ Romæ baptiſatus, Presbyter verò à Paulino, Antiocheno Patriarcha, ordinatus, anno 378. In Hebraicis Judæis uſus eſt Magiſtris, converſo quodam, cujus meminit, T. I. *Epiſt. ad Ruſtic. Monach.* & alio, quem Bar Hanina vocat, *Apolog. ad Ruffinum.* Doctor omninò clariſſimus, contra hæreticos Leo rugiens, hinc juxta quosdam cum Leone pingi ſolitus, vide

Spi-

Spizelium, *Acad. Jeſu Chriſti*, p. 161. Confer tamen quæ habet Molanus, L. III. *de Picturis Sacris* c. 42. & commune totius orbis oraculum, cujus eruditionem Erasmus miratur, *præfat.* T. I. & in ejusdem *Vita*. Ipſemet *Apologia adverſus Ruffinum*, T. II. ita de ſe ſcribit: *Ego Philoſophus, Rhetor, Grammaticus, Dialecticus, Ebræus, Græcus, Latinus, Trilingvis* &c. Laudes ejus prolixe cumulavit, qui illas ex Patribus ac optimæ Scriptoribus notæ collegit, Thomas Pope-Blount, *Cenſura celebriorum Autorum.* Liceat ex his omnibus unicum ſaltem Proſperi elogium transſcribere:

Tunc etiam Bethlei præclari nominis hoſpes,
Hebræo ſimul & Grajo, Latioque venuſtus
Eloquio, morum exemplar, mundique Magiſter
Hieronymus libris valde excellentibus hoſtem
Diſſecuit, noſcique dedit, quo turbine veram
Vellent exortæ lucem obſcurare tenebræ.

Nævos tamen in Hieronymo obſervarunt alii. Præfervidi erat & impotentis animi, utpote ex litibus, quas cum Rufino, Joh. Hieroſolymitano, Joviano, Vigilantio & aliis exercuit, ſatis ſuperque patet. S. Paulo Soloeciſmos & alia objicit, Viro Sancto atque θεοπνεύςῳ indigna, ut alia ejus, quibus cenſuram meretur, reticeamus. Legant hujus rei cupidi Cl. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 154. Godofredum Arnoldum, *Hæreſiol.* Scultetum, *Medulla Patrum*, & alios. Tantam in eo eloquentiam miratur Erasmus, ut ita ſcribere non vereatur: *In Hieronymo quæ Phraſis! quod dicendi artificium! quo non Chriſtianos modo omnes, longo poſt ſe intervallo reliquit, verum etiam cum ipſo Cicerone certare videtur? Ego certe, niſi me ſanctiſſimi viri fallit amor, cum Hieronymianam orationem cum Ciceroniana confero, videor mihi neſcio quid in ipſo eloquentiæ Principe deſiderare. Tanta in hoc noſtro varietas, tantum ſententiarum pondus, tanta Enthymematum volubilitas. Quod artificium in eloquentium literis indicare, ut difficillimum eſt, ita longè utiliſſimum.* Fulgidum hocce orbis Litterati ſidus, ſenio pariter atque laboribus fractum, anno 420. ætatis 91. Bethlehemi, prope Hieroſolymam, debitum mortalitati perſolvit. Scripta magni Patris, quæ quidem extant, illorumque varias editiones, poſt Bellarminum, & Labbeum, Guilielmus Caveus enumerat. Prodierunt enim cura Erasmi, Baſil. 1516. 1526. 1553. 1565. Romæ, 1566. 1580. Antwerpiæ, 1578. Colon. 1616. Pariſiis, 1533. 1546. 1579. 1602. 1623. Francofurti 1684. fol. T. XII. His adde no-

viſſimam, quæ prodiit, Hieronymi Operum editionem, Tomis V. diſtinctam. His præmiſerat doctiſſimus editor, Joh. Martianay, *Hieronymi Prodromum*, ſive *Epiſtolam ad omnes viros doctos & Studioſos*, cum *Epiſtola Hieronymi ad Sunniam & Fretelam*, fratres, Pariſiis, 1690. Hunc prodromum, excepit T. I. anno 1693. qui *translationes V. & N. T.* ab Hieronymo factas, complectitur. T. II. anno 1699. excuſus, *Libros Etymologicos, Geographicos, quæſtiones hebraicas, epiſtolas Criticas, & Commentarios in SS. V. T. a Geneſi ad Prophetas*. T. III. anno 1704. editus *Commentarios in Prophetas majores & minores*, continet. Huic vide adjectam *eruditionis Hieronymianæ defenſionem*, adverſus Joh. Clericum, qui anno 1700. *quæſtiones Hieronymianas*, Amſtelodami vulgaverat, novamque Martianæi editionem in quibusdam caſtigaverat. T. IV. anno 1706. prodiit, duabus partibus diſtincta. Prior *Commentarios in N. T.* atque *Epiſtolas criticas* ejusdem argumenti, Poſterior vero alias *Epiſtolas* ordine Chronologico diſtributas, *Opuſcula Apologetica & polemica* comprehendit. Tom. V. eodem excuſus anno, *Vitam Hieronymi* à duobus Anonymis ſcriptam, & alia ipſi ſuppoſita ſiſtit. Ex Operibus Hieronymi ſeorſim extant *Epiſtolæ*, Romæ, 1468 fol. T. II. ibidem, 1470 fol. Dillingæ, 1565. Lovanii, 1573. Antwerpiæ, 1578. Paris, 1583. 1609. Lugduni, 1513. 1526. Romæ, 1566. Venet. 1590. Colon. 1618. *Decas I Epiſtolarum*, cum notis Henr. Gravii, Antwerpiæ, 1568. *Epiſtolam ad Euſtochium de cuſtodienda virginitate*, cum notis edidit Eraſmus, Baſileæ, 1522. *Epiſtolam de vita Clericorum, ad Nepot.* Conſtantius Sebaſtianus, Monachus Olivetanus, Antwerpiæ, 1570. prodire fecit. *Aliam*, quæ eſt ad Marcellam, *de Nominibus divinis*, exercitationibus illuſtratam, exhibuit Hackſpan, *Syllog. Diſput. Theol. Philolog.* p. 158. *Epitaphium Nepotianum*, Pariſiis, 1578. *Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum*, Colon. 1580. 8. Helmſtadii, 1611. 4. Lugduni, 1617. Antwerpiæ, 1639. & Francofurti, anno 1700. 4. cum notis Eraſmi, Victorii, Gravii, Miræi, & Jo. Alberti Fabricii, curâ Erneſti Salomonis Cypriani, prodiit. *Indiculus Hæreſium*, Claudii Menardi operâ, Pariſiis, 1617. *Martyrologium* Franciſcus Maria Florentinius, Lucæ, 1668. de quo B. Ittigius, *in Catena Patrum*, p. 180. ſeqv. Illud quoque apud Dacherium, *Spicil.* T. IV. habetur. *Comes* ſeu *Lectionarius*, apud Jacobum Pamelium, T. II *Ritualis Patrum Latinorum*, Colon. 1571. impreſſi, *Prologus*, in hunc *Comitem* quem Pamelius omiſerat, ſupplevit Math. Flacius, Magdeburgi,

 1547.

1549. & Dacherius, *Spicileg.* T. XIII. *Liber de vitis Patrum*, Antwerpiæ, 1615. 1628. & alibi. *Vitam Hieronymi* cum aliis ſcripſit Joh. Cinellius, anno 1688. 4. Agunt de Hieronymo, poſt Autores modò citatos, Oſiander, *Centur.* IV. Armilius; Lex. *Antiqv. Eccleſ.* p. 968. Labbeus, T. I. p. 435. & 447. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. à p. 100. ad 140. B. Itigius. *præfat.* Catenæ Patrum præmiſſa, p. 94. ſeqq. Richard Simon, *in Epiſtolis Criticis.* Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 731.

HILARIO.

Monachus Græcus, circa annum 1450. notus, ſcripſit poſt Synodum Florentinam, *Dialecticam orationem de pane Myſtico Græcorum & Latinorum azymo*, græcè inter *varia Divina* editam à Jo. Meurſio, Lugd. Batav. 1619. 4. gr. lat. à Leone Allatio, *Græc. Orthod.* T. I. p. 655. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 92.

JVLIVS HILARIO.

Perantiquus quidem, ſed incognitus Scriptor, quem Margar. Bignæus, *indic. Chronol.* T. IX. *Bibl. Patr.* ad Seculum V. & Guilielmus Cave, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 175. ad annum 397. retulit, à plurimis *Quintus Julius Hilarius*, ſed perperàm, vocatur. Vide Sandium, *in notis ad Voſſium*, p. 10. & 289. Scripſit Hilario *Librum de die Paſchatis*, qui jam dudum interiit. *Libellus* autem *de duratione mundi*, à Pithoeo primum editus, *Bibl. Patr. edit. Paris.* 2. T. VII. f. 966. & *Bibl. Maxima*, T. VI. p. 373. Hoc *Chronicon*, Ruodulfum Presbyterum, anno 1360. exſcripſiſſe, aſſerit Bignæus, *loco citato*, T. VII. Cæterum, quod ad doctrinam Hilarionis attinet, Chiliaſticis imbutus principiis fuit, prout ex fine Chronici dilucidè patet. Singularia de Hilarione exhibet Guil. Cave, P. II. p. 57. quem cum fructu evolvas. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 302.

HILARIVS ARELATENSIS.

In Gallia, anno 401. natus, Abbas olim & Monachus Cœnobii Lirinenſis, dein Presbyter & Arelatenſis in Gallia Narbonenſi Archi-Epiſcopus, S. Honorato mortuo ſuccedens, anno 430. Ejus *Vitam* ex membrano, ut loquitur, perantiquo, Vincentius Barralis, *Chron. Lirin.* p. 103. ſeq. & Surius, d. V. *April.* exhibent, autore quidem Anonymo ſcriptam, quam tamen Honorato, Maſſilienſi, tribuendam putant. Obiit anno 449. *Gemma Sacerdotum plebisque orbisq;*

Ma-

Magiſter, ut eſt in Epitaphio apud Barralem, p. 117. Anton. Auguſtinum erroris arguunt Sanmarthani, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 36. eò, quod in *Epitome Juris Canonici* Viennenſibus Archi-Epiſcopis Hilarium noſtrum annumerârit: Monent etiam, diverſum ab hoc Hilario, Semipelagianis non rarò favente, & probe diſtingvendum eſſe Hilarium, Auguſtini diſcipulum & *σύγχρονον*, Semipelagianis maxime infenſum, qui non tantum ad Auguſtinum ſcripſerit, ſed cujus occaſione quoque hic emiſerit Libros *de Prædeſtin. SS. & dono perſeverantiæ.* Malè audit Hilarius Pontificiis, qui variis illum convitiis proſcindunt, eò, quod cum Leone P. R. lites exercuit. Defendit tamen adverſus hos omnes noſtrum Hilarium Paſchaſius Queſnellus, *diſſertat. V. Apolog. ad Leon. Opp. p. 431.* T. II. Scripta Hilarii exhibet Cave, P. I. p. 232, utpote *Vitam S. Honorati, deceſſoris ſui*, quam Genebrardus, Pariſiis, 1578. 8. Surius, & Bollandus, ad d. XVI. Jan. ediderunt. *Carmen Heroicum de Geneſeos Hiſtoria*, quod inter *Hilarii Pictavienſis Opera*, & ſeorſim, cura Joh. Weitzii, Francof. 1625. 8. cum notis prodiit. *Epiſtolam brevem ad Eucherium, Lugdunenſem Epiſcopum*, quam cum præcedentibus opuſculis ad calcem T. I. Leonis M. prodire fecit Paſch. Queſnellus p. 731. *Epiſtolas II. ad Auguſtinum*, inter Auguſtini *Opera. De miraculis S. Geneſii orationem* apud Surium, d. XXV. Aug. quæ tamen ad Honoratum Maſſilienſem potius ſpectat. Hæc omnia Hilarii Opuſcula exhibet *Bibl. Patrum*, T. VII. p. 1228. Alia ejus plura, de quibus Honoratus, *in Vita Hilarii*, jam dudum interierunt. Conf. Gennadius, *de Scriptor.* c. 69. Labbeus. T. I. p. 452. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 165. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 702.

HILARIVS.

Diaconus, e Sardinia oriundus, in Eccleſia verò Romana baptiſatus, ejusdemque per aliquot annos Diaconus, circa annum 355, in exilium ab Arianis ejectus, in Luciferianorum Schisma atque rebaptiſantium hæreſin incidit. Hinc acriter in eum Hieronymus ſtylum ſuum ſtrinxit, *Dialog. adverſus Lucifer.* ac inter alia Deucalionem orbis eum vocavit. Auctor vulgò exiſtimatur tùm *Commentariorum in Epiſtolas Pauli*, Ambroſio jam olim ſuppoſitorum, tùm *Quæſtionum in V. & N. T.* Auguſtino jam pridem adſcriptarum. Vide tamen ex Petavio, quæ adduxerit Labbeus, T. I. p. 454. & conf.

Conf. Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 119. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 239.

HILARIVS PICTAVIENSIS.

à Patriâ dictus, profectâ demum ætate Chriſto adductus, Patriæ Archi-Epiſcopus, circa ann. 353. præfectus, ingentis Zeli Præſul in orthodoxiâ contra Arianos defendenda, contra quos è latinis primus gladium ſtrinxit, juxta Erasmum, *præf. ejus Operum.* Conjugatum ac filiæ, Abram nomine, parentem ad iſtam Sedem vocatum e Fortunato ſcribunt Sanmarthani, T. III. *Gall. Chriſt.* f. 867. à Factione Arianorum in Phrygiam relegatus, non tacuit, ſed graviſſima iſtis Scripta oppoſuit. Vide Spizelium, *Academ. Jeſu Chriſti* p. 113. Labbeum, T. I. p. 455. Guil. Caveum, P. I. p. 117. Conſtantii vero Imperatoris juſſu reſtitutus, ſexto poſt reditum anno, diem feliciter obiit, quanquam ſint, qui plures numerent. Hinc eſt, quod aliqui obitum ejus ad annum 367. alii ad 369. collocent, alii ad 371. differant. Epitaphium ejus ex veteri Codice exhibet Phil. Labbeus, *Theſaur.* p. 104.

Hilarius cubat hâc Pictavus Epiſcopus urnâ,
Defenſor noſtræ terrificus fidei.
Iſtius asſpectum ſerpentes ferre nequibant,
Neſcio quæ in vultu ſpicula Sanctus habet.

Nævos Hilarii ante nos quidem obſervavit Scultetus, *Medulla Theol. Patr.* ſub finem. Docuit autem carnem Chriſti impatibilem fuiſſe, Divinitatem ab humanitate Chriſti morientis receſſiſſe, animam corpoream, mundum ſex annorum millia duraturum, juramentum Chriſtianis interdictum eſſe & alia. Stylus ei turgidus & ſublimis, dictio grandis nimiùm & operoſa, ut Guil. Cave, de eo judicat, qui Hieronymi atque Erasmi de illo judicia inſimul transſcripſit. Opera Hilarii Pariſiis, 1510. 1544. 1572. 1605. 1631. 1652. fol. Baſileæ, 1516. 1535. 1550. 1570. prodierunt. Recentiſſimam Hilarii Operum editionem cum notis ſuis produxerunt Benedictini Monachi è Congregatione S. Mauri, curâ Petro Coutant, Pariſiis, 1693. fol. Cui *Tractatus de titulis Pſalmi* 9. & 91. & *Apologeticum adverſus reprehenſores Libelli ſui de Synodis reſponſum,* primùm acceſſerunt. *Tractatus* quoque *in Pſalmum* 13. integer in hac editione comparuit. *Fragmenta quædam Hilarii* ſeorſim antea ediderat Nicolaus Faber, ex

Petri Pithoei Bibliotheca, Pariſiis, anno 1598. Docte de Pictavienſis Hilarii Scriptis diſſeruerunt, B. Tho. Ittigius, *Præfat. Caten Patr.* ſæpius laudata, p. 60. ſeqv. & Elias du Pinius, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 79.

HILARIVS.

Criſpiniani filius, gente Sardus, Calaritanus, ex Eccleſiæ Romanæ Archidiacono, Pontifex Romanus anno 461. conſecratus, Eutychem & Neſtorium damnavit, atque poſt hæc anno 467. obiit. *Epiſtola ejus* ad Pulcheriam Auguſtam, *Concil.* T IV. p. 51. habetur. Alia, *ad Victorium Aquitanum, Canoni hujus Paſchali* præfixa eſt. *Aliæ* X. *Concil.* T. IV. p 1035. *Aliæ,* apud Chriſt. Lupum, ad calcem *Epiſtol. Epheſin.* p. 471. Conf. poſt Trithemium, Poſſevinum & alios, Guil. Cave, P. I. p. 255. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 109. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 235.

HILDEBERTVS de LAVARDINO.

E Lavardinenſi vico in Cenomanis ortus, doctrinæ famâ clarus, Monachus Cluniacenſis, Berengarii Turonenſis & Hugonis diſcipulus, poſt Cenomanenſis anno 1097. Antiſtes, tandem anno 1125. Archi-Epiſcopus Turonenſis, ubi & anno 1136. vitæ curſum peregit, calculo Sanmarthanorum, *Gall. Chriſt.* T. I. fol. 765. & Voſſii, de *Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 49. Labbeus namque T. I. p. 458. annum 1132. morti ejus adſignat. Longiſſimè verò aberrat Beyerlinck, *T. VI. Theatr. Vit. Human.* fol. 472. annum 1100. ponendo. Varia Gildebertus ſcripſit, quæ Cl. Caveus ordine enumerat. Ex his quædam relata ſunt in *Bibl. Patr.* T. XXI. p. 119. Alia vero exhibuit Jacobus Hommey, cum notis ſuis, *in Supplemento Patrum,* Pariſiis, 1684. 8. *Vita S. Hugonis, Abbatis* Cluniacenſis, Præceptoris ſui, *in Bibl. Cluniacenſi,* a Du Chesnio, Paris. 1614. vulgata, p. 413. *Epitaphium in Berengarium,* extat apud Guilielmum Malmsburienſem, Lib. III. *de Geſtis Regum Angliæ,* f. 64. & Baronium, ad annum 1080. *Epiſtola ad Reginoldum,* Monachum Cantuarienſem, apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 293. & alia apud eundem. *Sermonem de nativitate Jeſu Chriſti* cum aliis ejusdem argumenti, Andreas Rivinus, Lipſiæ, 1637. edidit. *Vitam S. Agnetis,* elegiaco verſu, ab Hildeberto deſcriptam, & ab Herib. Rosweido ſibi donatam, communicavit Caſpar Barthius, Lib. XXXI. *Adverſar.* c. 13. Manuſcripta verò recitat Anton.

ton. Sanderus, in *Bibl Manuſcript. Belgica*, & Labbeus, *in Bibl. Nov. manuſcript.* p. 59. Conf. quoque de Hildeberto, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX paſſim & Menage, *Hiſtoir. de Sable* p. 107.

HILDEFONSVS vide ILDEFONSVS.

HILDEGARDIS.

Natione Germana, Spanheimenſis Patriâ, Abbatiſſa in monte S. Ruperti, ſive Roberti apud Noam fluvium, prope Bingam ſito, Sanctimoniæ & Prophetiæ ſingulari olim laude celebrata & anno 1180. juxta Trithemium corpore ſoluta, ſcripſit *Viſionum Libros III.* Pariſiis, 1513. f. Colon. 1628. excuſos. *Vitam S. Roberti Confeſſoris, Bigniorum Ducis,* quam primus ex Manuſcripto Moguntinæ Bibliothecæ edidit, circa finem *Hincmari ſui*, Jeſuita, Joh. Buſæus. *Epiſtolas* XXXIIX. *Quæſtiones* varias: *Expoſitionem Regulæ S. Benedicti*, quæ omnia Colon. 1566. prodierunt & plurima ex iis in *Bibl. Patr.* T. XXIII. p. 535. translata ſunt. Errant, qui Hildegardi huic *Phyſicorum Libros IV.* Argentinæ, 1533. f. & 1544. cum aliis editos, atque a Hildegarde de Pinguia ſcriptos, attribuunt, ſicut Joſ. Simlerus, *Bibl.* p. 301. recte obſervavit. Confer de noſtra Hildegarde Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 476. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 451. Trithemius, *Chronico Hirſaugienſi*, Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185.

HILDEGARIVS.

Gente Gallus, S. Dionyſii Pariſienſis Monachus, poſt Meldenſis Epiſcopus, anno 850. conſecratus, anno 874. obiit. Condidit *S. Faronis, Epiſcopi Meldenſis, Vitam*, 131. capitulis diſtinctam apud Jo. Mabillonium, *Sec. Bened. II.* p. 606. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 161.

HILDVINVS.

Ex Abbate S. Germani Pariſienſis ac D. Medardi Sueſſionenſis, S. Dionyſii ad Pariſienſem civitatem Abbas, Ludovico Pio, ejusque filio, Lothario, cariſſimus. Cum autem inter conjuratos Ludovici hoſtes nomen dediſſet, dignitatibus exutus in Saxoniam miſſus, unde tamen Hincmari precibus revocatus atque in gratiam receptus, dignitatibus priſtinis reſtitutus, anno 842. in Medardenſi Coenobio expiravit. Juſſu Ludovici Pii *Areopagitica* ſive *de*

rebus geſtis, Paſſione, & Scriptis S. Dionyſii Areopagitæ ſcripſit, quæ Colon. 1562. & apud Surium, d. IX *Octobr.* prodierunt. *Libros IV. de Vita S. Dionyſii, oratione ligata,* manuſcriptos in Cœnobio Gemblacenſi adſervatos, memorat Miræus; *in notis ad Sigeberti, cap. 82.* Nugas Hilduini putidiſſimas refutarunt paſſim Sirmondus, Morinus & alii. Walafrido autem *in Carminibus* ad eum ſcriptis, T. VI. *Lect. Antiq. Caniſii,* magnus Aaron laudatur, ejusque morum nitor cum ſenſus probitate commendatur. Confer de Hilduino Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. IV. p. 332. Voſſium, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 33. Labbeum, T. I. p. 461. & *Append.* p 799. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 363. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 196.

HINCMARVS LAVDVNENSIS.

Gallus, in agro Bononienſi natus, Hincmari Remenſis ex Sorore Nepos, anno 856. Epiſcopus Laudunenſis factus, multas in Gallia turbas effecit. Deſcribit illum Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 384. impotentiſſimum & in Eccleſia & in Republica Tyrannum, belli facem, diſſidiorum Præconem. Cum enim a partibus Avunculi deficeret, aliaque poena graviori non indigna geſſiſſet, atque rebellionis a Rege, ab avunculo contumaciæ, a Nortmanno injuriæ, a Clericis injuſtæ excommunicationis, a Laicis ſubditis tyrannidis accuſatus eſſet, tandem poſt alia ab ipſo commiſſa facinora, ſede ejectus, in exilium miſſus, in vincula conjectus, oculisque privatus, ante annum 882. obiit. Scripſit *Epiſtolas VI ad Hincmarum Remenſem,* quæ inter Hincmari Remenſis Opera, a Jacobo Sirmondo edita, habentur, T. II. *Collectionem alteram ex Epiſtolis Romanorum Pontificum pro Appellatione ſua,* ibidem, p. 355. *Schedulam Epiſcopis & per eos Regi porrectam: Satisfactionem per Odonem Epiſcopum ad Carolum Regem miſſam,* quam notis illuſtratam cum aliis vulgarunt Ludovicus Cellot, Pariſiis, 1658. 4. Labbeus, *Concil.* T. VIII. p. 1760. *Reclamationem & Proclamationem in Concilio Tricaſſino II.* anno 878. factam, exhibet *Concil.* T. IX. p. 315. Fusè de Hincmaro Laudunenſi dixit Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter,* p. 384. qui inique ejus geſta ex Hincmaro Remenſi atque Ludovico Cellot operosè collegit. Conf. Eliam du Pinium, *loco citato,* T. VII. p. 39. ſeqv.

HINCMARVS REMENSIS.

Natione Gallus, ex Monacho S. Dionyſii, Archi-Epiſcopus, an-

anno 845. electus, & anno 882. e vivis ſublatus, doctiſſimus & diſciplinæ Eccleſiaſticæ retinentiſſimus Præſul, variis in Gallia Synodis interfuit, Cariſiacenſi, anno 848. contra Gotteſchalcum, Sveſſionenſi, anno 853. Lingonenſi & Tullenſi, anno 859. Aquisgranenſibus, anno 860. contra Theutbergam. Metenſi, anno 863. & aliis. Res ejus præclarè geſtas ordine enumerat Guil. Cave, P. I. *loco citato*, p. 377. Laudat Hincmarum Rabanus Maurus, *reverendiſſimum & deſideratiſſimum virum & merito rectæ fidei ac ſanæ profeſſionis ab omnibus Catholicis rite venerandum*, & Lupus Ferrarienſis, *Epiſtol.* 42. p. 82. cujus verba transſcribimus: *Nobilitatem generoſitatis ornat eruditio ſalutaris, altitudinem officii commendat religio profeſſionis.* Scripta Hincmari ordine repræſentat Guil. Cave, quem modò laudavimus. Prodierunt autem quædam ex illis, Jo. Buſæi curâ, Moguntiæ, 1602. Plura Joh Cordeſii operâ, Pariſiis, 1615. 4. Optimam & pleniſſimam illorum editionem protraxit Jacobus Sirmondus, Pariſiis, 1645. fol. T. II *Alia quinque* ejus *Opuſcula* vulgavit Ludovicus Cellot, Pariſiis, 1658. 4. exinde in *Bibl. Patr.* T. VIII. p. 1552. & 1732. translata. *Epiſtolæ VIII. ad Hincmarum Laudunenſem*, habentur *Concil.* T. VIII. p. 1789. *Vita Remigii, Remenſis Archi-Epiſcopi*, apud Surium, d. XIII. Januarii. *Carmen de fonte Vitæ* ad Audradum, Epiſcopum, inter *Veterum aliquot Opuſcula Sacra*, Lugd. Batav. 1692. 8. curante Caſimiro Oudino, prodiit. Reliquorum ejus Scriptorum Catalogum exhibet Flodoardus, *Hiſtor. Remenſ.* quæ tamen vel perierunt, vel in manuſcriptis deliteſcunt. Conf. de Hincmaro Remenſi, Sigebertus, *de Scriptor.* c. 99. Bellarminus, Labbeus, Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* Natalis Alexander, *Sec. IX. P. I. c. 3. artic. 23. p. 248. & P. II. diſſert.* V. & *diſſertat.* VIII. p. 428. ſeq. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 281. Ludovicus Cellot, *Hiſt. Prædeſtinat.* qui plura ei ſcripta tribuunt. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. à p. 12. ad 62.

HIPPOLYTVS PORTVENSIS.

Arabs, Aden, urbis ad mare rubrum, in Arabia felice, Portus Romani ad oſtia Tyburis, Epiſcopus, hinc *Portuenſis*, aut *Oſtienſis* ab aliquibus dictus, Imperante Alexandro, Clementis Alexandrini, Origenis & Berilli Boſtreni, familiarium, temporibus floruit, Martyr tandem factus, prout marmorea illius Cathedra, in agro Vera-

no, non procul ab æde S. Laurentii extra muros Romæ, anno 1551. effoſſa, ſatis teſtatur. Explicavit illam Stephanus le Moyne & Eduardus Bernardus, quorum ſummam exhibet Guilielmus Cave, P.I. *Hiſt. Litter.* p. 221. & P. II. p. 27. Alius à noſtro Hippolyto videtur, Hyppolitus, Martyr Romanus, cujus mentionem habet Prudentius, eundemque Presbyterum appellat. Reclamat enim tempus atque dignitas Epiſcopalis, quæ noſtro ab omnibus tribuitur. Sub ejus nomine *Oratio de conſummatione mundi & Anti-Chriſto*, gr. & lat. Paris. 1557. & in *Auct. Bibl. Patr.* T. II. Paris. 1624. extat, quam tamen Hyppolito Uſſerius, *in Bibl. Theol. manuſcript.* abjudicat. *Demonſtrationem de Anti-Chriſto & Suſanna* genuinam produxit Marqv. Gudius, gr. & lat. Pariſiis, 1661. 8. quam cum notis recudit gr. lat. Combefiſius, *in Auct. Noviſſ.* Paris. 1672. p. 26. *Homilia de Deo trino & Vno de Myſterio incarnationis, contra hæreſin Noeti*, lat. ex interpretatione Gerardi Voſſii, ad calcem *Gregorii Thaumaturgi*, Mogunt. 1604. impreſſi & in *Bibl. Patr.* T. III. habetur. *De Theologia & incarnatione contra Beronem & Heliconem, Hæreticos*, Libri fragmenta gr. lat. inter Anaſtaſii Bibliothecarii *Collectanea*, a Sirmondo Paris. 1620. 8. edita. *Demonſtratio adverſus Judæos, Commentarius in Scripturam S. Homiliæ & alia* interierunt, de quorum fragmentis Caveus, *loco ſuprà citato*, doctè diſſeruit. De Stylo Hippolyti judicat Photius, *Cod.* 121. quod *oratio ejus clara, ac nonnihil gravis, minimeque redundans, etſi ad atticum Sermonem non tendat.* Conf. de Hippolyto ejusque mormore, Jos. Scaliger, *de emendatione temporum.* Gruterus, *in Opere Inſcript. Antiqv.* f. 140. ſeq. Ægidius Bucherius, *Comment. in Victor. Canon. Paſchal.* c. 15. Stephanus Le Moyne, *in Prolegom. ad Varia Sacra.* Labbeus, T. I. *diſſertat.* p. 472. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 112.

HIPPOLYTVS.

Patriâ Thebanus, præcedente multò recentior, tempore Simeonis Metaphraſtæ, circa ann. 933. floruit, quem citat *Chronico ſuo*, cujus fragmentum Nicephorus Calliſtus, *Hiſt. Eccleſ.* Lib. II. c. 3. p. 135. exhibuit. Amplius verò *de Genealogia Chriſti ejusque in terris converſatione* lat. Joh. Sambucus, Patav. 1556. 8. gr. & lat. Henr. Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. III. p. 35. P. Lambecius, *Comment. Lib.* III. p. 46. Schelſtratius, *in Append. ad Opus Chronol.* p. 510. qui aliud quoque ibidem, p. 513. edidit. Alia hujus Chronici fragmenta vide apud

Co-

Cotelerium, *in Not. ad Patres Apoſtol.* p. 201. 494. Huic Hippolyto juniori debetur *Indiculus de XII. Apoſtolis*, a Combefiſio ſub Senioris nomine, *Auctuar.* Paris. 1648. T. II. excuſus. Alia, quæ huc faciunt, exhibent Guil. Cave, P. I. p. 406. P. II. p. 183. P. Colomeſius, *in Paralipomenis*. Le Moyne, *in notis ad Varia Sacra*, p. 1082. Ruit denique Simleri ſuſpicio, qui putat Hippolytum Thebanum illum eſſe, cujus Hieronymus, Lib. *de Viris illuſtribus* meminit. Vide *Epitom. Bibl. Geſner.* f. 303. a. Conf. quoque Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 4.

HONORATVS ANTONIVS.

Conſtantinæ in Africa civitatis Epiſcopus, dedit ad Arcadium, exulem, *Epiſtolam* ad labores pro Chriſto ferendos exhortatoriam, quæ in variis *Bibl. Patrum editionibus*, utpote Pariſienſibus, anno 1575. & 1579. & Colonienſi, 1618. reperitur. Floruit Honoratus, circa annum, 450. Conf. de eo Gennadius, *de Scriptoribus*, c. 95. Anton. Poſſevinus, in *Apparatu S.* Aub. Miræus, *in Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 114. p. 203. Labbeus, *in Chronolog.* ad ann. 450. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 90.

HONORATVS MASSILIENSIS.

Natione Gallus, Maſſilienſis, circa annum 490. Epiſcopus, eloquentia atque facundia conſpicuus, *Vitam Hilarii Arelatenſis* contexuit, quam Surius, ad d. V. Maji, & Paſchaſius Quesnel, ad calcem T. I. *Operis Leonis M.* editionis Paris. 1675. 4. exhibuerunt. *Homilias* quoque ſcripſit & *alias SS. Patrum Vitas*, jam dudum deperditas. Conf. Gennadius, *de Scriptor.* c. 99. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 18. Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 105. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 263.

HONORIVS AVGVSTODVNENSIS.

Sive *Eduenſis* in Burgundia Presbyter & Scholaſticus, *Solitarius* aliàs dictus, ab anno 1130. usque ad 1153. floruit, calculo Labbei, T. I. p. 473. qui reprehendit non tolerandum, ut vocat, errorem Bellarmini ſui, aliorumque, ad annum 1220. revocantium, & Trithemium pro ſe citantium, cum tamen hic annum 1120. diſertè notârit. Opera Honorii omnia, uti putavit quidem Andreas Schottus, *Bibl. Patr. Colon.* T. XII. & XV. inſeruit, at omiſit ejus *Speculum*

Ec-

Eccleſiæ, quod tamen ipſemet inter ſua ſcripta recenſet, p. 454. edit. Baſil. anno 1544. *Sermones* tàm *de tempore* quam *de Sanctis* continens, prout obſervat Daumius, *præfat. ad Homilias Patrum de Nativitate J. C.* n. 21. indeque *Sermonem* aliquem ſimilis argumenti exhibet, *loco citato*, p. 216. Illa verò prodierunt, *Bibl. Patr. noviſſ.* T. XX. p. 963. 1226. & ſunt Liber *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, editus quoque, Colon. 1580. 8. cum nòtis Suffridi, & Antwerpiæ, 1639. fol. cum notis Aub. Miræi. *Commentarii in Libros III. Salomonis*, Colon. 1540. *Dialogus de Prædeſtinatione & Libero Arbitrio*, Colon. 1535. & inter *Caſſandri Opera*, Paris. 1616. Antwerpiæ, 1620. 1624. 8. *Gemma animæ, de Officio Miſſæ, de Miniſtris Eccleſiæ, de horis canonicis & totius anni ceremoniis ac myſticatione earum, de concordia divinorum officiorum*, in cujus titulo *Honorius Solitarius* appellatur, curâ Joh. Scheyring, Lipſiæ, 1514. 4. & inter *Scriptores de divinis Officiis*, Paris. 1610. p. 1179. prodiit. *Synopſis mundi* ſive *de imagine mundi* Lib. III. quorum priores, II. inter *Anſelmi Opera* habentur. *Elucidarius*, ibidem. *Libellus de Hæreſibus*, Baſileæ, 1544. & Helmeſtadii, cura Joh. à Fuchten, anno 1612. 4. *de mundi Philoſophia* Lib. IV. *de Solis Affectibus* Liber. *Series Romanorum Pontificum a S. Petro ad Innocentium. II.* Reliqua ejus, Scripta, Libellus *de incontinentia Sacerdotum, de omnimoda Hiſtoria* &c. dubio procul interierunt. Conf. de Honorio, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* p. 459. Mabillon, *Itiner. Ital.* p. 14. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 154.

HONORIVS I. P. R.

Campanus, Petronio, Viro Conſulari, natus, Pontificatum ſortitus, anno 626. anno 638. ad plures obiit. Monotheletarum hæreſeos notam incurrit Honorius, quicquid etiam alii dicant, quemadmodum egregie non minus atque ſolidè monſtravit Jo. Forbeſius, *Inſtruct. Hiſt. Theol.* Lib. V. Scripta, quæ poſteritati reliquit, pauca ſunt, utpote *Epiſtolæ VIII. Conciliorum* T. V. p. 1681. exhibitæ. *Epigramm. de Apoſtolis ob Chriſti ad cælos aſcenſum obſtupeſcentibus*, in *Bibl. Patr.* T. XII. p. 214. Plura de eo ſuppeditant, Anaſtaſius, Platina, Bellarminus, L. IV. c. 11. *de Rom. Pontif.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 317. Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 110. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI p. 16.

HONORIVS II. P. R.

Lambertus aliàs appellatus, Bononienſis patriâ, Epiſcopus Vele-

letrenſis & Cardinalis Oſtienſis, Pontificatum propriâ autoritate, anno 1124. arripuit, à Clericis deinde confirmatus, annoque ſequenti coronatus, anno 1130. obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* XI. *Concil.* T. X. p. 908. 1843. De eo dicunt Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 459. Ludov. Jacob à S. Carolo, *loco citato*, p. 111. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 43. ſeq.

HONORIVS III. P. R.

Centius Sabellius antea dictus, gente Romanus, ex Diacono Cardinali & Camerario, Presbyter Cardinalis, imò Papa, anno 1216. factus, Ordinem Carmelitanum, anno 1217. adprobavit, annoque 1227. è vita migravit. Extant ejus *Epiſtolæ VI. Concil.* T. XI. p. 242. *Aliæ III.* apud Baluzium, *Miſcellan.* T. II. p. 252. *Aliæ* VII. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. I. ad annum 1219. *Aliæ* III. ibidem *in Regeſto Pontif.* p. 1. Conf. poſt citatum Ludov. Jacobum à S. Carolo, *Bib. Pontif.* p. 112. Guilielmus Cave, *loco citato*, P. I. p. 492. Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 489. qui Honorii *Collectionem Decretalium Epiſtolarum*, Toloſæ, in folio, anno 1645. cum notis Innocentii Cironii excuſam, memorat.

HONORIVS IV. P. R.

Jacobus de Sabello priùs appellatus, Romanus, ex illuſtri Savellorum Gente oriundus, S. Mariæ in Coſmedin Diaconus Cardinalis, poſt Martini V. P. R. ſucceſſor, Peruſiii anno 1285. deſignatus, Romæque conſecratus eſt. Hic quoque Carmelitarum Ordinem, ab Honorio III. P. R. adprobatum, nihilominus tamen à quibusdam oppugnatum, denuò confirmavit. Podagrâ pariter atque Chiragrâ admodùm divexatus, in monte Aventino, anno 1287. obiit. Ejus *Epiſtolas* II. Bzovius, ad ann. 1285. ſeq. exhibet. *Epiſtolas* IV. Waddingus, T. II. *Alias* XV. ibidem, *in Appendice*, p. 558. Conf. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 536. *Epiſtolarum Volumen*, in Vaticano, & *Teſtamentum* ejus, in Bibl. Barberina, adſervata, recitat Lud. Jacob. à S. Carolo, p. 113. quem, poſt alios, evolvas.

HORMISDAS P. R.

Campanus Fruſinas, Juſti filius, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, anno 514. ad Pontificatum evectus, anno 523. vivis exemptus eſt. Hic arctam, occidentalem inter & Orientalem, Eccleſias, u-

nionem inire, fruſtra tentavit. Scripſit Hormiſdas *Epiſtolas* XXX. & *Decreta* quædam, *Concil.* Tomo IV. exhibita, quorum aliqua in dubium vocat Guil. Cave, P. I. p. 278. De ejus Scriptis, Geſnerus, Poſſevinus, & poſt multos alios Lud. Jacob à S. Carolo, *loco citato*, p. 114. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 14.

HROSWITA, vide ROSWITA.

HUBALDUS.

Sive *Hucbaldus*, Cœnobii S. Amandi Elnonenſis Monachus, Ord. Bened. Bodulfi, Abbatis Sithivenſis, Præceptor, ab anno 916. ad 930. floruit, atque varia conſcripſit, de quibus Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 405. *Liber CCC. Carminum in Laudem Calvitii ad Carolum Calvum, Imperatorem*, prodiit mutilus, Baſileæ, 1516. 1546. integer verò habetur apud Barthium, *in Adverſariis*, Francof. 1624. p. 2175. *Vita S. Riſtrudis, Abbatiſſæ Marchianenſis*, apud Surium & Bolland. d. XII. *Maj.* & Mabillonium, *Sec. Bened. II.* p. 937. *Vita S. Aldegondis, Abbatiſſæ Malbodienſis*, apud Surium & Bollandum, d. XXX. *Jan.* Mabillon, *Sec. Bened. II* p. 710. *Vita S. Lebvvini, Presbyteri*, apud Surium, d. XII. *Novembr.* Plura, quæ ſcripſit, memorant Sigebertus, *de Scriptor.* c. 108. & Ant. Sanderus, *Bibl. Belg. Manuſcript.* P. I. p. 55. Conf. Jo. Mabillon, *Sec. II.* p. 937. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 293. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 199.

HUBERTINUS.

De *Caſſalis* & *de Ilia* dictus, Caſalenſis, Ord. Minor. profeſſus, anno 1315. floruit. Gravis eo tempore controverſia inter Franciſcanos, de Chriſto & Apoſtolis, exorta fuit, utrum illi aliquid in hoc mundo poſſederint, aut in communi habuerint. Hinc in binas partes abierunt. Qui negabant, *Spirituales*, qui adfirmabant, fraterculi *de Communitate*, dicebantur. *Spiritualibus* ſe aſſociavit Hubertinus, eorumque cauſam ſtrenue defendit usque dum ei ſilentium a Papa imponeretur. Hinc à Minoritis, graviora veritus, ad Benedictinos, & demum ad Carthuſianos, tranſiit. Scripſit idcircò Hubertinus *Reſponſionem circa quæſtionem de Paupertate Chriſti & Apoſtolorum*, quæ apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. III. ad ann. 1321. Baluz. *Miſcellan.* T. I. p. 293. *Arborem Vitæ crucifixæ*, literis Gothicis, Venet. 1485. 4. excuſam. *Opus de VII. Statibus Eccleſiæ*, ibidem, 1516. 4. Conf.

Poſ-

Poſſevinus, in *Appar. S.* Lucas Waddingus, *in Bibl. Præd.* p. 329. Petrejus, *Bibl. Carthuſ.* Caſim. Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 589. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 12. & alii.

HVGO de BRITOLIO.

Gallus Belvacenſis, Gilduini, Comitis, filius, ex Monacho Cluniacenſi & Clerico Carnotenſi, anno 1030. Epiſcopus Lingonenſis, dignitati tamen cedere coactus, in Concilio Remenſi, anno 1049. Simoniæ accuſatus, in Monaſterium Virdunenſe ſeceſſit. Ejus *de Corpore & Sanguine Domini contra Berengarium* Librum, vide in *Appendice* ad *Lanfranci Opera*, à Dacherio, Pariſiis 1647. f. edita & *in Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 417. Conf. Sanmarthan. *Gall. Chriſt.* T. II. p. 658. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 329. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 419. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 17.

HVGO de S. CHARO.

Seu *de S. Theodorico*, Delphinas, in valle, Barchinoneta genitus, SS. Theologiæ Doctor, Ord. Præd. in Gallia Provincialis, Cardinalis, titulo S. Sabinæ, primus Feſti corporis Chriſti inſtitutor, ab anno 1245. ad 1260. floruit. *Commentariorum ejus in Scripturam S.* editiones quasdam refert Cave, P. I. p. 499. utpote, Baſileenſem, 1504. Pariſienſem, 1548. Venetam, 1600. His addas Colonienſem, T. VIII. anno 1621. fol. expreſſam. *Sermones de Tempore & Sanctis*, Swollis, 1479. 4. prodierunt. *Speculum Sacerdotum & Eccleſiæ*, Lugduni, 1554. *Concordantiæ Majores Latinorum Bibliorum, pro omnibus vocibus declinabilibus in tota SS. repertis*, cum Conradi Halberſtadii *declinabilibus*, paſſim & pluries excuſæ ſunt. *Vitam Hugonis de S. Caro* ſcripſit Vincentius Juſtinianus, quam vide præfixam editioni Operum Colonienſi, anno 1621. Conf. Henricus Gandavenſis, c. 14. Trithemius, *in Catalogo.* Frizon, *in Gallia Purpurata.* Aubery, *Hiſtor. des Cardin.* & alii.

HVGO CLVNIACENSIS.

Burgundus, nobili gente anno 1023. natus, Odilonis, Abbatis Cluniacenſis, diſcipulus, Coenobii Cluniacenſis Prior & Abbas anno 1048. factus, anno 1108. aut ſequenti, ad plures abiit. Habentur ejus aliquot *Epiſtolæ* apud Dacherium, *Spicileg.* T. II. Conf. ſi lubet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 422. *Vitam* ejus deſcri-

 pſit

pſit Hildebertus, quam vide *in Bibl. Cluniacenſi* Ducheſnii, Paris. 1614. p. 413. Confer, ſi placet, Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 197.

HVGO DIENSIS

Epiſcopus & poſteà anno 1080. Archi-EpiſcopusLugdunenſis, variis Conciliis præfuit, utpote Lugdunenſi, Avenionenſi & Meldenſi. Obiit poſt hæc anno 1099. Scripſit *Epiſtolas II. ad Gregorium VII.* quæ *Concil.* T. X. p. 364. & *Alias II. ad Mathildem, Comitiſſam*, quæ ibidem, p. 414. reperiuntur. Vide, poſt Sanmarthanos, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 434. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 70.

HVGO ETHERIANVS.

Tuſcus natione, ex mediâ ætate non aſpernandus Scriptor, prout audit Grynæo, *Orthodoxogr. Patr. Lat.* f. 1307. ubi exhibet Hugonis librum *de anima corpore exuta, ſive de regreſſu animarum ab inferis,* capitibus XXVII. diſtinctum, & per Joh. Alexandrum Braſſicanum ab interitu vindicatum. Idem liber cum tribus aliis *de Proceſſione SS. à Patre & filio contra Græcos*, habetur. T. IX. *Bibl. Patr. edit. 2. Paris.* f. 975. 1030. & *in Bibl. Patr. Noviſſ.* T. XXII. p. 1176. Seorſim etiam prodierunt Baſileæ, 1543. ille verò ſolus, Coloniæ, 1540. Retulit hunc Hugonem Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 477. ad annum 1177. & cum eo Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 202.

HVGO FARSITVS.

Canonicus Regularis S. Auguſtini, & divinante Oudino, Sueſſionenſis Abbas, circa annum 1140. Librum *de Miraculis B. Mariæ Sueſſionenſis*, ſcripſit, *de Sacro Igne*, ab aliis inſcriptum, qui ad calcem *Hiſtoriæ Gallicæ B. Mariæ Sueſſionenſis, Ord. Bened.* Pariſiis, 1675. 4. p. 481. ſeq habetur. De eo Henricus Gandavenſis, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 36. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 411.

HVGO.

Monachus Virdunenſis, & Flaviniacenſis deinde circa ann. 1101. in Burgundia Abbas, ſcripſit *Chronicon Verdunenſe*, à N. C. ad ann. 1102. quod primus ex ipſo Autoris autographo vulgavit Philippus Labbeus, *Bibl. Nov. Manuſcript.* T. I. p. 75. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX p. 193.

HV-

HVGO FLORIACENSIS.

Ord. Præmonſtrat. Monachus anno 1120. vixit, atque *Chronicon* Lib. VI. ad Ivonem Carnotenſem ſcripſit, quô à Nini, Aſſyriorum Regis, temporibus, ad annum Chriſti 840. progreditur. Prodiit illud mutilum cum notis Bernardi Rottendorpii, Monaſterii, 1638. 4. Integrum vero manuſcriptum habetur in Bibl. Vindobonenſi & Lambethana & aliis. *Epilogum* ejus de rebus Geſtis Ludovici Pii, ſiſtit Lambecius, *Comment.* Lib. II. c. VIII. p. 857. Lib. II. *de Regia Poteſtate & Sacerdotali dignitate, ad Henricum, Angliæ Regem,* edidit Baluz. *Miſcellan.* T. IV. p. 9. Paris. 1683. 8. Conf. poſt Voſſium, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 373. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 456. Elias du Pin, *Biblioth. Nouv.* T. IX. p. 189. Miræus, *in Chronico Præmonſtrat.* ad ann. 1134. Valerius Andreas, *Bibl. Belgic.* aliique plures.

HVGO de FOLIETO.

Monachus Corbejenſis, Ord. Bened. anno 1120. claruit. Genuinus is autor eſt Librorum *de Clauſtro animæ,* Hugoni de S. Victore vulgo adſcriptorum, vide Labbeum, T. I. p. 482. Alia quædam, quæ ſcripſerit, Trithemius, Simlerus, & Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 393. enarrant. Spectant enim ad noſtrum pariter Hugonem Folietanum, Liber *de Medicina animæ,* Lib. II. *de nuptiis carnalibus & Spiritualibus,* Lib. II. *priores de Avibus ad Raynerum,* quæ inter Hugonis de S. Victore Opera quoque habentur. *Speculum Peccatoris,* quod Auguſtini Operibus inſertum eſt. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 182.

HVGO FLOREFFIENSIS.

Canonicus, Ord. Præmonſtr. in Epiſcopatu Namurcenſi, circa annum 1130. ſcripſit *Vitam S. Ivettæ, viduæ & recluſæ apud Huyum,* quam emiſit Jo. Bollandus d. XIII. Jan. *Vita, Idæ Nivellenſis & Idæ Leuvenſis* manuſcripta adſervatur in Villario apud Gallo Brabantos Monaſterio, Ord. Ciſtert. Agunt de Hugone Aub. Miræus, *in Auct. de Script.* c. 388. p. 257. & *in Chronico Præmonſtratenſi.* Antonius Sanderus, *in Bibl. Belgica Manuſcript.* Joh. le Paige, *Bibl. Præmonſtrat.*

HVGO de NOVO CASTRO.

SS. Theologiæ & Decretorum Doctor Pariſienſis, ſcripſit *Victoriam Chriſti contra Anti-Chriſtum,* quem cap. 3. 4. ex tribu Dan in Ba-

bylone naſciturum, vulgari inhærens ſententiæ, putat. Impreſſus hic Liber, ut videtur, Pariſiis, 1471. fol. Prologus ita incipit: *Non ſum Propheta, nec filius Prophetæ*, Amoſ. VII. &c.

HVGO PICTAVINVS.

Ord. Bened. Monachus, Guilielmo, Vezalienſi Abbati, ab Epiſtolis, ſcripſit *Hiſtoriam ſui Monaſterii* ad annum 1167, Lib. IV. quam exhibet Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. III. Conf. de Hugone. Voſſius & Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 423. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 195.

HVGO de PRATO FLORIDO.

Italus, è Pratis prope Florentiam oriundus, Ord. Præd. Orator eximius, ab anno 1313. ad 1322, floruit, atque *Sermones de Tempore in Evangelia & Epiſtolas totius anni* ſcripſit, excuſos Norībergæ, 1483. f. Lugduni, 1528. 4. *Sermones de Sanctis totius anni*, ibidem, 1528. 8. Eosdem quoque cum *Sermonibus de Tempore* impreſſos, anno 1486, T. II. fol. memorat Simlerus, *loco citato*. *Sermones Quadrageſimales*, Venet. 1578. 8. 1584. 8. prodierunt. Dicit de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 11.

HVGO.

Patriâ Ambianenſis, Abbas Radinghenſis in Anglia & Rothomagenſis poſtea anno 1130. Archi-Epiſcopus, anno 1164, obiit. Extat ejus *de Officiis & Miniſtris Eccleſiæ Opus*, ad calcem *Guiberti de Novigento Operum*, a Dacherio excuſorum. Agunt de eo idem Dacherius, *in Prolegomenis*, & Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 578. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 433.

HVGO.

Francigena, Monachus Salvanienſis, circa annum 1164. floruit, atque *Narrationem de Converſione Pontii de Larazio* ſcripſit, quam vide apud Baluz. *Miſcellan.* T. III. p. 205. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 473. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 197.

HVGO TVRONENSIS.

Archidiaconus, circa annum 1020. floruit, atque poſt ſe reliquit *Dialogum ad Fulbertum, Carnotenſem Epiſcopum*, quem Mabillon, *Analect.* T. II. p. 349. exhibuit. Conf. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 108.

GU-

HVGO de S. VICTORE.

Patriâ Iprenſis, aut juxta alios, Saxo, de familia Blancoburgenſium ad Herciniam Sylvam Dynaſtarum oriundus, ſicut præter Meibomium & alios, Calixtus refert, *Tract. de Pactis*, §. 28. in Monaſterio Hamerslebienſi, prope Helmſtadium, enutritus, quod ex Libro, *Arca animæ* dicto, & ibidem cum Monachus eſſet, conſcripto, patet. Poſt Pariſios ſtudiorum cauſa ablegatus, Ordini S. Auguſtini addictus, & in Cœnobio S. Victoris, ad muros Pariſienſes, non quidem Abbas, ut Trithemius & Pantaleon crediderunt, ſed Canonicus. Vide Labbeum, T. I. p. 481. Fatis conceſſiſſe fertur, anno 1140. vel. 1139. Pariſiis ſepultus, hoc cum Epitaphio, quod refert Silveſt. Marulus, L. I. *Hiſtor. Omnium Ordinum Religios.* f. 17. & Labbeus, *Theſ. Epitaph.* P. II. n. 57.

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus Hugo,
Quàm brevis eximium continet urna Virum!
Dogmate præcipuus nulliqúe ſecundus amore,
Claruit ingenio moribus, Ore, Stylo.

Lingua Auguſtini & *alter Auguſtinus* dictus, eo, quod maximè ſtudioſus ejus æmulator eſſet, ſed & proximis, poſt Dionyſium ejusque interpretes, Myſticæ Theologiæ Autoribus annumeratus, vide Thomaſium, *Schediasm. Hiſtor.* p. 61. ſeq. Opera ejus omnia Pariſiis, 1526. T. III. Venet. 1588. T. III. Colon. 1617. 1619. Rothomagi, 1648. f. T. II. prodierunt. Recenſent iſta Labbeus, Guil. Cave, *Hiſt. Liter.* P. I. p. 456. ſeq. Elias du Pin, *Bibl Nouv.* T. IX. p. 216. qui ſpuria a genuinis acutè diſcernunt. His addi meretur Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* à p. 401. ad 408. cujus eruditiſſimas circa Hugonis Victorini Scripta animadverſiones, cum voluptate & fructu evolves. Conf. ex antiquioribus, Henricum Gandavenſem, *de Scriptor. Eccleſ.* Trithemium, *de Script. Eccleſ.* f. 82. Pantaleonem, *de Viris illuſtr.* P. II. p. 171. qui ejus quoque cum laude meminerunt.

HVGOLINVS.

Oſtienſis & Velitrenſis Epiſcopus, anno 1207. clarus, ſcripſit *Epiſtolam ad Velitrenſes pro conſervandâ pace cum Nymphanis*, quæ apud Baluz. *Miſcellan.* T. II. p. 248. habetur.

HVLDERICVS vide VDELRICVS.

HVM-

HVMBERTVS.

Cardinalis & Epiſcopus Sylvæ Candidæ, ex Tullenſis Cœnobii S. Manſveti Monacho factus, Leoni IX. P. R. carus, Romamque vocatus, & ab eodem anno 1054. Conſtantinopolim, ubi adverſus Græcos ſcripſit atque diſputavit, ablegatus, poſt annum 1064. obiit. Ejus Opera Colon. 1521. & ab Henr. Caniſio, *Antiqu. Lect.* T. VI. p. 114. edita, hinc etiam T. XI. *Magn. Bibl. Patr. Colon.* f. 312. & *noviſſ. edit.* T. XIIX. p. 389. 405. 415. inſerta, enumerat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 425. Sunt autem *Liber adverſus calumnias Michaelis Cerularii & Leonis Achridani de Azymo & jejunio Sabbathorum; Refutatio Tractatus editi contra Latinos à Niceta Pectorato*, quæ duo opuſcula apud Baronium quoque habentur, *in Append. ad T. XI. Commemoratio eorum, quæ contra Michaelem Cerularium geſſerunt Apocriſiarii Apoſtolicæ ſedis, anno 1054.* apud eundem Baronium, *ad ann. 1054. Epiſtola ad omnes Eccleſiæ Catholicæ filios.* Compoſuit quoque *Confeſſionis formulam,* quam Berengarius recitare juſſus eſt. Conf. Sigebertus, *de Viris illuſtr.* c. 150. Henr. Caniſius, *Antiqu. Lect.* T. VI. Trithemius, Bellarminus, & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 77. ſeq.

HVMBERTVS de ROMANIS.

In Oppido Romanenſi ſeu Romanſenſi, diœceſis Viennenſis, natus, Burgundus paſſim dictus, quod olim Viennenſis ditio Burgundiæ Regno annexa, imò præcipuum ejus caput fuerit, docente Labbeo, T. I. p. 486. Floruit ævo Hugonis de S. Charo, Magiſtri ſui, profeſſione Dominicanus, ordinisque ſui Magiſter Generalis, atque ad annum 1274. aut 1276. ſupervixit. Scripta ejus plurima extant *in Bibl. Patr.* T. XXV. Seorſim vero excuſi ſunt *Inſtitutionum ſpiritualium* Lib. VI. ſive *Speculum Religioſorum,* Lovanii, 1575. Paris. 1622. *Comment. in Regulam S. Auguſtini,* Comi, 1605. 8. Montibus, 1645. 4. *Sermones pro omni materia CC.* Venet. 1603. 4. *Epiſtola de tribus Votis ſubſtantialibus religionis,* cum *Sermonibus,* Hagenoæ, 1508. f. Venet. 1603. 4. *de eruditione Concionatorum* Lib. II. Vincentiæ, 1604. Barcinone, 1607. 4. *Vitæ fratrum,* Lugduni, 1585. Ingolſtad. 1591. quas tamen Gerardo Fracheto, Cl. Cave, P. I. p. 501. cum aliis rectius attribuit. Vide de Humberto Michael Pius, Lib. V. *de Viris illuſtr. Ord. Prædicat.* Lucas Waddingus, & alii.

J

JACOBVS ALMAINVS.

Patriâ Senonenſis, doctrinæ Scoti, Occami & Bielis addictiſſimus, Theologiæ Profeſſor Pariſienſis, anno 1502. floruit, annoque 1515. fatô ereptus eſt. Opera ejus prodierunt Pariſiis, 1518. Seorſim verò excuſa ſunt *Moralia*, Pariſiis, 1510. 1512, *Quæſtio in Veſperiis habita de Dominio naturali, civili & Eccleſiaſtico*, ibidem, & inter *Gerſonis Opera*, T. I. p. 688. *Lectura in III. Librum Sententiarum* imperfecta, ibidem, *Lectura eadem in Librum III. Sententiarum* completa, Lugduni, 1527. 8. *Expoſitio in Quæſtiones ſeu deciſiones Guilielmi Occami de Poteſtate Eccleſiaſtica & ſeculari*, apud Goldaſtum, *Monarch*. T. I. p. 588. & inter *Gerſonis Opera*, T. I. p. 751. ſeorſim, Paris. 1526. 8. & cum reliquis modò memoratis, ibidem, 1512. *Dictata ſuper ſententias Roberti Holkolt, de actibus fidei & intellectus, de actibus fidei & de Libertate Voluntatis*, Paris. 1512. 1526. 8. *Liber de Autoritate Eccleſiæ & Conciliorum*, adverſus Thomam de Vio Cajetanum, apud Gerſonem, T. I. p. 705. & ſeorſim Coloniæ, 1514. *Embammata Phyſicalia*, Pariſiis, 1505. *Tractatus V. Conſequentiarum*, Pariſiis, 1508. Confer de Jacobo Almaino Labbeus, *de Scriptor. Eccleſ.* T. I. p. 488. Henr. Whartonus, *Append. Cav.* p. 133.

JACOBVS de BENEDICTIS,

Italus Tudertinus, Ord. Franciſc. ſingulari pietate & revelationibus, quas jactabat, anno 1301. conſpicuus, anno 1306. obiit, quemadmodum ex Epitaphio, ipſi erecto, patet. Exhibet illud Henr. Wharton, *loco citato*, p. 7. ex quo transſcribimus:

Oſſa B. Jacoponi de Benedictis,
Tudertini Fr. Ordinis Minorum,
Qui Stultus propter Chriſtum,
Nova mundum Arte deluſit,
Et Coelum rapuit.
Obdormivit in Domino
Die XXV. Decembris, Anno MCCCVI.

Rythmos ejus & Poemata VII. Libris diſtinxit atque edidit Franciſcus Freſata, cum notis ſuis, Romæ 1558. recuſa Venetiis, 1617. 4. *Rythmus*

mus ad B. Virginem Mariam prope crucem Chriſti Patientis ſtantem, in *Officio B. Virginis* extat. *Sententiæ & Monita ſalutaria*, apud Math. Raderum, in *Viridario Sanctorum*, habentur. *Canticum de Contemtu mundi* & alia. *Prophetia* manuſcripta adſervatur, in Bibl. Vaticana. Stylus ei rudis atque barbarus, qui vocibus utitur minimè Latinis, v. g. *Calabra, Sicula, Neapolitana*, aliisque pluribus.

JACOBVS CAJETANVS.

Italus Anagninus, Ord. Minor. Cardinalis Diaconus, ab anno 1301. ad 1343. claruit. Extat ejus *de ratione, inſtitutione & celebratione Anni Jubilæi* Tract. cum Julii Roſei Scholiis, in *Bibl. Patr*, T. XXV. p. 936. *Vitam* quoque *Coeleſtini V. P. R.* quæ apud Papebrochium T. IV. Maj. d. 19. & *coronationis Bonifacii VIII. Hiſtoriam*, condidit, inter Naudæi manuſcripta Pariſiis adſervatas. Conf. Labbeum, *Catalog. Bibl. Manuſcript.* p. 236. & Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 271.

JACOBVS.

Heliopolitanus in Phœnicia Diaconus, circa annum 456. floruit atque *Vitam Pelagiæ* ſcripſit, quam ex Euſtathii alicujus verſione latina Rosweidus, in *Vit. Patr.* & Surius, d. VIII. Octobr. exhibuerunt. Vid. Guil. Cave, *loco citato*, T. II p. 87.

JACOBVS GAVDENSIS.

Natione Hollandus, Ord. Prædicatorum, Conventus Colonienſis, Vir multarum Scientiarum, uti vocatur, non inexpertus, cujus *Paſſio Dn. noſtri Jeſu Chriſti* ex IV. Evangeliſtis ſtudiosè congeſta, iteratâ caſtigatione cum Sermonibus Michaelis de Hungaria, in Libello, cui titulus, *Evagatorium*, Argentinæ, 1516. 8. impreſſo, habetur.

JACOBVS GRVYTRODIVS.

Gente Germanus, Ord. Carthuſiani Monachus, atque Coenobii SS. Apoſtolorum juxta Leodium Prior, ab anno 1460. ad ann. 1472. claruit, quô juxta Trithemium & Sweertium, expiravit. Notat idcirco Henricum Whartonum Guil. Caveus, qui Jacobum ab anno 1483. ad 1492 floruiſſe, fruſtra adſeruit. Laudat Jacobum noſtrum Trithemius, a divinarum litterarum peritia, vita & converſatione devota, ingenio præſtanti & dulci eloquio. Scripſit autem *Speculum quintuplex, Prælatorum, Subditorum, Sacerdotum, Secula-*

rium

rium hominum & Senum, Dionyſio Monacho falsò tributum, atque ſub Typographiæ incunabula typis expreſſum. Divini amoris Pharetra: Jeſu Chriſti ad animum fidum alloquia: Chriſti & Peccatoris Colloquium, Colon. 1577. 12. prodierunt. Conf. de Jacobo Gruytrodio, Trithemius, *de Script. Eccleſ.* p. 179. Simlerus, *Bibl. Tigur.* p. 316. qui plura ejus Scripta tradunt. Fr. Sweertius, *Athen. Belg.* p. 365. Flacius, *Catalog. Teſt. Veritat.* col. 1905. ſeqv. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 115. Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 312.

JACOBVS GVISIVS.

Montenſis Hanno, Ord. Minor. Theologus, Mathematicus, Philoſophus, atque Hiſtoricus, ſuo tempore clarus, Valencenis, anno 1398. obiit. *Chronicon Comitatus Hannoniæ* exaravit, cujus *compendium* Jo. Leslabeus gallicè vulgavit, Lutetiis. Latine verò habetur apud Dacherium, *Spicileg.* T. VII. p. 584. Confer, quæ de eo exhibent, Aub. Miræus, in *Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 436. p. 261. Lucas Waddingus, *in Bibl. Ord. Minor.* Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 660.

JACOBVS LATOMVS vide LATOMVS.

JACOBVS de LAVSANNA.

Gente Gallus, Ord. Prædicatorum, Doctor in Academia Pariſienſi Theologus, ſuique Ordinis in Gallia Provincialis, ad Lauſannenſem tandem Epiſcopatum evectus, quanquam Caſimirus Oudinus ex Sanmarthanorum ſilentio contrarium adſerat, circa annum 1317. juxta Henr. Whartonum, claruit. Alii verò ad annum 1362. alii ad 1375. & Sixtus Senenſis, ad ann. 1390. reponunt. Ejus *Moralitatum* Lib. XII. Lemovicis, 1528. prodierunt. *Sermones de tempore, Sanctis & Quadrageſima*, alicubi impreſſi ſunt. Reliqua ejus Scripta dabunt Anton. Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 787. Altamura, *Bibl. Præd.* p. 112. & *in Append.* p. 447. Conf. quoq; de Jacobo noſtro Caſim. Oudin, *Suppl.* p. 585. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 14.

JACOBVS MAGNI.

Patriâ Toletanus, Ord. Eremit. S. Auguſtini, S. Scripturæ & antiquitatum Eccleſiaſticarum ſcrutator induſtrius, Theologiam pariter atque Philoſophiam Patavii profeſſus, Caroli VII. Francorum Regis, Confeſſionarius, anno 1400. floruit. Extat ejus *Sophologium*

ſive *de Sermone & Inquiſitione divinæ Sapientiæ* opus, characteribus antiquis expreſſum, Lugduni, 1495. 8. & cum aliis ibidem, 1585. fol. Cætera Jacobi Magni ſcripta vide apud Joſ. Pamphilum, *Chron. Ord. Eremit.* p. 73. Quorſum ſpectant *Quæſtiones in Ariſtotelis Librum de anima*, & *utriusque Philoſophiæ, tam naturalis, quam ſupernaturalis compendium*, & alia. Confer. ſi placet, Simlerus, *Epitom.* f. 319. a. Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 788. Elſſius, in *Encomiaſtico Auguſtiniano.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 686. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 49.

JACOBVS de PARADISO.

Ordinis Carthuſiani Monachus & Erfordienſis Doctor, circa annum 1457. variis inclareſcere ſcriptis cœpit, utpote, *Collecto de VII. ſtatibus Eccleſiæ in Apocalypſi myſticè deſcriptis, & de autoritate & reformatione Eccleſiæ*, in *Antilogia Papæ*, Baſil. 1555. 8. p. 462. & apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1567. & in *Append. ad faſciculum Rerum expetendarum*, Londini, 1688. f. excuſo. *Tractatus III.* quoque *de arte curandi vitia, de planctu peccatoris* & *de Statu ac Officio Eccleſiaſticarum Perſonarum*, conſcripſit, Amſtelodami, 1617. impreſſos. *Tractatum de animabus à corpore exutis & Librum de Veritate dicenda aut tacenda*, Baſileæ, in lucem emiſſos, absque loci mentione, memorat Simlerus, *Bibl. Tigurina*, p. 321. & ex eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 94.

JACOBVS PHILIPPVS FORESTVS.

Bergomas à patria urbe, Bergamo, Gallis Cenomanis olim condito, dictus, ubi anno 1434. natus, anno 1451. in Ordinem S. Auguſtini receptus, unde & *Eremitanus* vocatur, anno 1505. aut 1515. deceſſit. Ejus *Supplementum Chronicorum* Lib. XVI. ab anno mundi ad ann. 1485. prodiit Brixiæ, 1485. Venet. 1486. 1490. fol. Alia verò ejus editio, ad annum 1503. Venetiis, 1506. excuſa eſt. Auctius tamen illud impreſſum eſt cum *Bernardi Bindoni appendice*, Pariſiis, 1535. Venet. 1547. *Commentarius de claris mulieribus Chriſtianis*, Ferrariæ, 1497. fol. Paris. 1521. fol. *Interrogatorium ſive Confeſſionale*, Antwerpiæ, 1513. 8. *Commentarii in Lucæ Evangelium* meminit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 318. qui tamen, an ille exiſtat, ambigit. Agunt de Jacobo, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. 11. Trithemius, *de Scriptor.* Labbeus, T. I. p. 491.

JACOBVS PEREZIVS.

Patriâ Valentinus, Ordin. Auguſt. Erem. poſt Epiſcopus Chryſopolitanus, anno 1468. denique Roderici Borgiæ, Cardinalis Valentini, Epiſcopi Portuenſis & Carthaginenſis, Suffraganeus, anno 1491: Lucis uſurâ privatus eſt. Scripſit *Commentaria in Pſalmos Allegorica & Anagogica ; Expoſitionem in Cantica Officialia : Tract. contra Judæos de Chriſto reparatore generis humani*, quæ Pariſiis apud Aſcenſium, Lugd. 1512. Venetiis 1568. prodierunt. *Expoſitio verò in Cantica Canticorum. Quæſtionis finalis diſcuſſio, utrum; ſolus Chriſtus ſit metrum & menſura, & largitor, omnium bonorum & reparator humanæ naturæ*, Paris. 1498. Lugduni, 1513. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 161. quem ſumus ſequuti. Adde Nic. Antonium & Andream Schottum, T. II. *Bibl. Hiſpan.* f. 264. Labbeum, T. I. p. 493. Simler. f 315.

JACOBVS PICCOLOMINÆVS.

Italus Lucenſis, Caroli & Leonardi, Aretinorum Auditor, Cardinali, Firmiano, ab Epiſtolis, poſt Calliſto III. & Pio II. à Secretis, anno 1460. Epiſcopus Papienſis & Cardinalis, titulo S. Chryſogoni, anno 1489. è vivis migravit. *Commentarii* ejus *de rebus toto orbe per quinquennium geſtis*, ab anno 1464. ad 1469. Lib. VII. cum *Gobelini Commentariis*, Francof. 1614. fol. excuſi ſunt. *Epiſtolæ* 782. Mediolani, 1521. Vtrumque opus modò memoratum prodiit, Mediolani, 1506. fol. & Francof. 1614. f. Seorſim verò *Hiſtorica narratio de Huſſitis & Georgio Podiebrachio, Bohemiæ Rege*, ex *Commentariorum* Lib. VI. excerpta, Hanoviæ, 1602. Dicit de eo poſt Voſſium & alios, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 98.

JACOBVS SPRENGERVS vide SPRENGERVS.

JACOBVS de TERMIS.

Caroliloci, Ord. Ciſtert. in Epiſcopatu Silvanectenſi, Abbas, anno 1311. *Opuſculum contra impugnantes exemptionem & Privilegia Regularium*, maximè contra Ægidium Romanum, Bituricenſem Archi-Epiſcopum ſcripſit, quod T. IV. *Bibl. Veter. Ord. Ciſtert. Scriptor.* p. 261. habetur. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem* p. 582.

JACOBVS de THERAMO.

Italus, Canonicus Aprutinus & Archidiaconus Averſanus,

anno 1384. claruit. Condidit Librum de Romani Pontificis Monarchia, *Monarchiale* inſcriptum, ſatis blaſphemum, de quo Carol. Molinæus, *de Abuſibus Papæ*, p. 306. *de Redemptione generis humani Tractatum: In Clementinas Comment.* quæ manuſcripta memorant Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 669. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 288. *Comment. in IV. Libros Sententiarum* prelo exiit, Aug. Vindel. 1472. Conf. Anton. Poſſevinus, in *Appar. S.* T. I. p. 793.

JACOBVS de VITRIACO.

Seu Vitrejo, dictus, à dioeceſi Pariſienſi, ubi natus, quem Argentolii ad Sequanam aliqui genitum, ibidemque Presbyterum creatum volunt, ex Canonico & Aconenſis urbis ſive Ptolemaidis in Palæſtina, Epiſcopo, Cardinalis atque Epiſcopus Tuſculanus, arduis in Oriente & occidente laboribus fatigatus, expiravit Romæ, non anno 1260. uti Voſſius mendosè refert, judice Labbeo, ſed juxta Hartknochium, anno 1240. qui ex *Chronico Belgico* adſerit, vel rectius, juxta Labbeum & Caveum, anno 1244. Ingenii monumenta quæ reliquerit, vide Labbeum & Caveum, modò citatos. Ex his *Conciones in Evangelia & Epiſtolas per annum*, Antwerpiæ, 1575. fol. excuſæ ſunt. *Libri* III. *Orientalis & Occidentalis Hiſtoriæ*, Duaci, 1597. 8. primus verò & tertius, cura Jacobi Bongarſii, anno 1611. Hanoviæ, cum Autoribus *Geſtorum Dei per Francos*, T. II. p. 1047. recuſi. *Epiſtola ad familiares ſuos in Lotharingia de capta Damiata*, apud eundem Bongarſium, p. 1146. *Epiſtola ad Honorium III. P. R.* apud Dacherium, *Spicileg.* T. VIII. p. 373. *Vita B. Mariæ Ogniacenſis*, Lib. II. apud Surium, d. XXIII. Junii. Agunt de eo Anton. Poſſevinus, *in Appar. S.* Bellarminus, Labbeus, *Differt.* T. I. p. 494. Hartknoch, *Chron. Pruſſ.* P. I. p. 20. Ludov. Dattichius, *Hiſtor. Cardin.* T. I. p. 289. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 513. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I p. 492. Anton. Sanderus, *Bibl. Belg. Manuſcript.* P. I. p. 93. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 193. Aubery, *Hiſtor. Card.* T. I. p. 309.

JACOBVS de VORAGINE.

Ob profunditatem doctrinæ & crebram Scripturæ S. allegationem, *Vorago* dictus, teſte Trithemio, vel rectius *de Viragine*, ab oppido, quod eſt in Territorio Genuenſium, Ord. Dom. Provincialis in Lombardia, deinde Generalis & Archi-Epiſcopus Genuenſis, ab anno 1290. ad 1298. aut juxta alios 1314. claruit. Scripſit

Hiſto-

Hiſtoriam Lombardicam, ſeu *Legendam auream de Vitis SS.* Norimb. 1478. 1493. Daventr. 1479. 1483. Venet. 1483. Baſil. 1486. Argent. 1496. Lugd. 1510. Argent. 1518. & abbreviatam, Venet. 1478. fol. excuſam. In illa facetiſſimas ineptias legi contendit Iſ. Caſaubonus, ut omninò Autor ejusdem homo ferreoris & plumbei cordis; nec injuria ferrea potius, quàm aurea dicenda fuerit, ſicut judicarunt Lud. Vives, Melchior Canus & Claudius Eſpencæus, ob hoc dicterium à dignitate ſummotus, teſte Thuano, *Libr. XVI. Hiſtor.* atque Laurentius de Villa Vincentio Xereſanus, de quibus vide Dorſchei *Anti-Kircher.* p. 270. & 273. *Quadrageſimale* prodiit Venetiis, 1575. 1579. 1602. 4. *Sermones de planctu B. Mariæ*, ibidem, 1602. *Sermones de Sanctis, per annum*, Papiæ, 1500. Venet. 1601. 4. *Mariale aureum*, CLX. Sermonibus diſtinctum, Venetiis 1497. Paris. 1503. Mogunt. 1616. 4. Alia ejus Opuſcula memorat Ambroſius de Altamura, ad ann. 1290. & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 519. Scripturam S. quoque italicè primus, reddidit, quam verſionem laudat Sixtus Senenſis, *in Bibl. S.* L. IV. quamque carpit Poſſevinus, *in Appar. S.* p. 225. Conf. de eo Trithemius, *de Scriptor. Eccleſ.* f. 95. a. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 6. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* p. 794. Ambroſius de Altamura, *in Append.* p. 458. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 558. Leander Alberti, *de Viris illuſtr. Ord. Præd.* L. IV.

JAC. WIMPHELING., vid. WIMPHELINGIVS.

JACOBVS ZENVS vide ZENVS.

JANNOTIVS vide MANETTVS.

IDACIVS.

Cognomento & eloquio *Clarus*, Hiſpanæ Gentis lumen, à Bellarmino ad annum 380. relatum, *Apologeticum* adverſus Priſcillianorum dogmata conſcripſit, jam pridem deperditum. Autor quoque *Libri adverſus Varimundum* ſive *Warimundum*, *Diaconum Arianum*, *& declarationis locorum S. Scripturæ de Trinitate*, vulgò habetur, contradicente quidem Chiffletio, qui illum Vigilio Tapſenſi attribuit. Prodiit autem inter alia, Baſil. 1528. & in *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. IV. f. 363. & *noviſſ. edit.* T. V. p. 726. Sunt, iique non pauci, qui eundem faciunt cum Idacio Soſſubenſi, ſeu Oſſonobenſi, uti Mariana legit, in Hiſpania Epiſcopo, qui cum Urſacio ob accuſatum ene-

ca-

catumque Priſcillianum Epiſcopum exilii poenas dedit, anno 388. Ambigit tamen non immeritò cum Voſſio, L. II. *de Hiſt. Lat.* c. 17. p. 230. Labbeus, T. I. p. 496. Plura leges apud Andr. Schottum, T. II. *Bibl. Hiſpan.* f. 188. ſeq. & Marianam, Lib. IV. *Annal. Hiſp.* cap. 20. f. 156. b. iſta, ſi potes, arbitrare. Conf. Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 162.

IDATIVS.

Itacius vel *Hydatius*, Hiſpanus, Lemicæ in Gallæcia natus, ſed Aquiflavienſis in eadem provincia Epiſcopus, circa annum 445. clarus, anno 468. vel ſequenti, obiit. *Chronicon* ejus ab anno 379. ad 467. perductum, editum integrius a Jacobo Sirmondo, Paris. 1619. 8. aſt imperfectum mendoſumque vulgatum à Joſ. Scaligero, Henrico Caniſio, Andrea Schotto, itemque Prudentio Sandovallio, de quibus adeas Labbeum, T. I. *differt.* p. 497. & Voſſium, *loco citato*, qui Trithemium, binos Idacios in unum miſcentem, erroris ſimul arguunt. *Faſtos ejus Conſulares*, imperfectos vulgavit Sirmondus, Paris. 1619. integros verò Phil. Labbeus, *Bibl. Manuſcript. Nov.* T. I. p. 3. & alii. De eo poſt autores modò adductos, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 149. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 232.

JESSE.

Sive Jeſſæus, Ambianenſis, anno 799. Epiſcopus, vir ingenio præditus, variisque legationibus illuſtris, Concilio Noviomenſi, anno 814. & Pariſienſi anno 829. interfuit, quem ex Annalibus Franc. Fuldenſibus memorant Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. II. f. 94. obiit anno 836. *Epiſtolam* ejus *catecheticam de expoſitione rituum Eccleſiæ in Baptiſmate*, ſatis prolixam, attamen mancam, dedit Joh. Cordeſius, poſt *Opuſcula Hincmari*, à ſe annô 1615. 4. Pariſiis edita, à fol. 664. ad 685. Extat quoque in *Bibl. Patr.* T. XIV. p. 67. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 353. Aub. Miræus *in Auct.* c. 266. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 229.

IGNATIVS,

Grammaticus, Diaconus Conſtantinopolitanus, Taraſii, Patriarchæ auditor, atque Nicenus Metropolita, ab anno 810. ad 828. floruit. Condidit *Vitam Taraſii, Patriarchæ*, quam habes lat. apud Surium & Bollandum, d. XXV. Febr. *Vitam Nicephori Patriarchæ*, gr,

gr. lat. apud Henſchenium & Papebrochium, cum notis, d. XIII. Martii. Alia ejus à Guil. Caveo, P. I. p. 357. ex Suida memorata Scripta interierunt. Conf. Martinus Hanckius, *Hiſt. Byzant.* P. I. num. XIII. p. 247.

IGNATIVS MARTYR.

Quem Latinorum Patrum, quorum Scripta extant, vetuſtiſſimum, gravi errore, ſcripſit Socinianus Moſcorovius, Antiochenæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, *Theophorus*, & amoris divini igne totus ardens, inclytus Martyr, Romæ, quo ex Syria deductus, ſub Trajano, anno 107. à feris in Amphitheatro diſcerptus, ſancto fine quievit. Ejus *Epiſtolæ* variis in locis prodierunt. *Tres* primum ſub ejus nomine excuſæ ſunt, lat. Pariſiis, 1495. ſed ſpuriæ. *Alias* poſtmodum XI. lat. vertit atque produxit Jac. Faber Stapulenſis, quæ in *Bibl. Patr.* habentur. Græcè XII. *Epiſtolas* primus vulgavit, Valentinus Paceus, Dillingæ, 1557. recuſas Pariſiis, 1558. & 1559. gr. & lat. Hieronymus Vairlenius Sylvius, Antwerpiæ, 1566. 1572. Martialis Maſtræus, cum notis, Paris. 1608. Nicolaus Vedelius, Genevæ, 1623. Optimè de Ignatii Epiſtolis meruerunt Jacobus Uſſerius, qui illas Oxoniæ, 1642. 1644. Londini, 1647. & Iſaacus Voſſius, Amſtelodami, 1646. 4. imprimi curarunt. Recuſæ ſunt poſteà Londini, 1680. 4. Extant quoque apud Jo. Bapt. Cotelerium, inter *Patres Apoſtolicos*, Pariſiis, 1672. fol. Genuinæ ſunt *Epiſtolæ VII. ad Epheſios, ad Magneſianos, ad Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphenos, ad Smyrnæos, ad Polycarpum.* Omnes autem Ignatii Epiſtolas in dubium vocarunt, David Blondellus, Salmaſius, Dallæus, Owenus, Voetius & alii. Blondello reſpondit Henricus Hammondus, *diſſert. II. operis de Jur. Epiſcop.* Londini, 1651. typis expreſſi. Dallæum verò ejusque *de Scriptis ſuppoſitis Dionyſii & Ignatii* Genevæ, 1666. 4. vulgatum Opus prolixè confutavit, qui illi & aliis *Vindicias Epiſtolarum S. Ignatii,* Cantabrig. 1672. oppoſuit, Jo. Pearſonus. Compendium ejus exhibet Natalis Alexander, *in Select. Hiſtor. Eccleſ. capit. Sec. II diſſert.* XXII. per totam. Vide de Ignatio Martyre Baronium, *in Martyrologio.* Euſebium, *Hiſt.* cap. III. Hieronymum, *Catalog. de Scriptor.* & Evagrium, Lib. I. *Hiſt. Eccleſ.* c. 16. Bellarminum, *de Scriptor.* & Labbeum, T. I. p. 500. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 7. ſeq. Guil. Caveum, P. I. p. 20. *Journal des Scavans,*

T. II. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 38. ſeq. Tho Ittigium, *diſſertat. de Patribus Apoſtolicis, Bibliothecæ Patrum Apoſtolicorum Græco-Lat.* præmiſſa. Wilhelmum Erneſtum Tentzelium, *diſſertat. de Apophtegmate Ignatii,* Amor meus crucifixus eſt, quæ P. I. *Exercit. Select.* num. III. habetur.

IGNATIVS CONSTANTINOPOLITANVS

à Patriâ dictus, Michaelis Curopalatæ, Imperatoris, filius, Monachus, Lector, Subdiaconus, Diaconus & Presbyter, anno denique 847. Patriarcha Conſtantinop. factus; à Barda tamen ſede exutus, atque in vincula conjectus, in Inſulam Terebinthum relegatus eſt. Baſilio Imperante, anno 867. Sedem recuperavit Ignatius, annoque 878. expiravit. Habetur ejus *Epiſtola ad Nicolaum, P R.* lat. *Concil.* T. VIII. p. 1009. *Sermo ad Synodum Conſtantinopol. IV.* Lat. ibidem, p. 1097. *Epiſtola ad Hadrianum, P. R.* ibidem, p. 1171. Conf. de eo Nicetas David, *in Vita Ignatii.* Phil. Cyprius, *in Chron. Eccleſ. Græc.* Natalis Alexander, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 383. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 80.

ILDEFONSVS.

Hiſpanus Toletanus, Eugenii, Archi-Epiſcopi Toletani, & Iſidori Hiſpalenſis, diſcipulus, Toletanus ex Agalienſi Abbate Epiſcopus, perpetuam Mariæ virginitatem adverſus Pelagium & Helladium, egregiè defendit, atque anno 667. fato ereptus eſt. Tractatus ejus aliquot edidit Fr. Feuardentius, Pariſiis, 1576. exinde *in Bibl. Patr.* T. XII. translatos, utpote Librum *de illibata Virginitate B. Mariæ contra Infideles.* Lib. *contra eos, qui diſputant de perpetua Virginitate Mariæ & ejus parturitione Homiliam,* item, *contra eos, qui mendoſe affirmant, Mariam contra Legem Dominum peperiſſe. Sermones VI. de aſſumtione B. Mariæ. Sermonem duplicem in Nativitate & unum de ejusdem Purificatione.* Hos autem ferè omnes pro ſuppoſitis habent Joh. Poza, in *Elucidario Deiparæ,* L. IV. Tract. IV. c. 6. Fr. Combefiſius, in *Bibl. Concionat.* T. VII. Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. I. p. 12. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 182. & cum illis Guil. Cave, P. I. p. 326. Librum *de Scriptor. Eccleſiaſticis XIV.* ſive *Appendicem ad Librum Iſidori de Viris illuſtribus, poſt Hieronymum & Gennadium* edidit Aub. Miræus, in *Bibl. Eccleſ.* p. 93. Antwerpiæ, 1639. *Epiſtolas II.* exhibet Dacherius, *Spicil.* T. I p. 308. Reliqua ejus deperdita refert Guilielmus Cave,

loco

loco citato. Conf. de Ildefonſo poſt Trithemium, Labbeus, T. I. p. 504. Mariana, *de Rebus Hiſpan.* L. VI. c. 10. Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. f. 209. Nicolaus Antonius, *in Bibl. Hiſpan.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 34.

INGELRAMNVS.

Scholaſticus, Abbas Centulenſis anno 981. ſcripſit metricè ad Fulbertum, Epiſcopum Carnotenſem, *de Vita & Miraculis S. Richarii, Abbatis Centulenſis*, Lib. IV. quorum *primum* Mabillon, *Sec. Bened.* II. p. 213. & *quartum* idem, *Sec.* V. p. 563. exhibuit. Vid. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 188.

INGVLPHVS.

Londini in Anglia natus, Wilielmo, Normanniæ Duci, ab Epiſtolis, & poſt emenſum iter Hieroſolymitanum factus in Abbatia Normannica Fontanellenſi Ord. Bened. Monachus & Prior, inde anno 1076. in Angliam revocatus, creatus Abbas Croylandenſis, annoque 1109. denatus, teſte Jo. Pitſeo, *Script. Angl.* f. 193. *Hiſtoriam Monaſterii Croylandenſis*, ab anno 664. ad ann. circiter 1091. ſcripſit, quæ habetur in *Collectione Script. Angl. Hiſtor. Saviliana*, 1596. fol. & 1601. publicata, & inter *Rerum Angl. Scriptores*, Oxon. 1684. fol. Evolv. Labbeum, T. I. *differt.* p. 507. & Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 433. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110.

INNOCENTIVS II. P. R.

Ortu Romanus, *Gregorius* anteà dictus, Monachus Lateranenſis & Abbas Monaſterii SS. Nicolai & Benedicti, prope locum Burranum, deinde Cardinalis Diaconus S. Angeli, annoque 1130. Papa ab una Cardinalium factione, conſecratus eſt. Sede quidem, ab Anacleto II. Antipapa, privatus, eidem tamen, è Gallia redux, reſtitutus, rebus adverſus Rogerium, contra quem exercitum duxerat, malè geſtis, anno 1143. obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* XLIII. *Concil.* T. X. p. 946. *Aliæ* V. ibidem, p. 1843. *Epiſtolæ II*, apud Baluzium, *Miſcellan.* T. II. p. 198. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 460. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. paſſim. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 116.

INNOCENTIVS III. P. R.

Lotharius anteà dictus, natione Campanus, patriâ Anagninus, nobili genere Comitum Signiæ ortus, Canonicus Anagninus & Cardinalis, titulo S. S. Sergii & Bachi, juvenis 37. annorum ſenioribus omnibus antepoſitus, Papa factus, anno *1198.* ſeditque ad ann. *1216.* quo e vivis ſublatus. Hic anno 1215. generale Concilium Lateranenſe celebravit, atq; Transſubſtantiationis dogma inter fidei articulos temerè & inconſideratè retulit, judice Cuthberto Tonſtallo, Anglo, Dunelmenſi Epiſcopo, ſicut ex Bernardo Hilgino, Tonſtalli Cognato, refert Allixius, *præfat. Determinationis Joh. Pariſienſis,* à ſe editi, p. 76. Homo erat non ineruditus, ſed immodicè ſuperbus, ingentis animi, qui dominandi libidine totus pruriebat, in Imperatores, Reges, & Principes quoscunque arrogantia plane intolerabili, quemadmodum de eo judicavit Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 481. Opera ejus Tomis. II. comprehenſa proſtant Coloniæ, 1575 fol. per Maternum Cholium impreſſa, eâ ſerie, quam poſt Bellarminum recenſet Cave, *loco citato:* Seorſim editi habentur *Sermones de Tempore & de SS. per annum,* Colon. 1578. 1606. fol. *In VII. Pſalmos Pœnitentiales Comment.* Antwerpiæ, 1550. Venet. 1578. Colon. 1578. f. *de Myſteriis Miſſæ,* Lipſiæ, 1534. Antwerp. 1540. *de contemtu mundi ſeu miſeria hominis* Lib. III. Antwerpiæ, 1540. 12. Venet. 1538. 16. Paris. 1482. 1594. 12. Colon. 1681. *Epiſtolarum* Lib. II. Romæ, 1543. *Conſtitutionum decretalium* Lib. V. Colon. 1606. Poſt hæc *Epiſtolarum* Libros XI. Stephanus Baluzius edidit Pariſiis, 1682. fol. T. II. quorum aliqui ſaltem Libri anteà prodierant. Agunt de Innocentio III. Labbeus, T. I. p. 508. Guil. Cave, *loco citato.* *Acta Eruditorum Lipſ.* ann. 1682. p. 371. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 117. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 484.

INNOCENTIVS IV. P. R.

Sinibaldus aliàs vocatus, Genuenſis Ligur, ex nobili Fliſcorum Lovaniæ Comitum ſtirpe oriundus, ob inſignem Juris peritiam *Pater Juris* dictus & Cardinalitiâ dignitate cohoneſtatus, uti tradit poſt Platinam, Valentinus Foerſterus, Lib. III. *Hiſt. Jur.* c. 14. Pontifex Romanus factus, anno 1243. ſeditque ad annum 1254. Ejus *Commentarius in V. Libros decretalium,* Venetiis, 1570 f. 1578. Tridini 1611. Lugduni, 1525. 1578. fol. Francof. 1570. prodiit. *Epiſtola*

XX.

XX. *Concil.* T. XI. p. 598. *Epiſtola de tranſlatione Corporis B. Eliſabethæ*, apud Lambecium, *Comment.* L. II. p. 883. *Aliæ* XLVI. apud Waddingum, *Annal Minor.* T. I. ad ann. 1243. &c. *Aliæ* LXI. ibidem, *Aliæ* XIIX. in *Regeſto, Append.* T. I. p. 10. Alia ejus manuſcripta enumerant Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 121. & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 499.

INNOCENTIVS V. P. R.

Petrus de *Tarantaſia* anteà dictus, patriâ Sabaudus Tarentaſienſis, juxta Sanmarthanos, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 324. præclarô excellens ingeniô, Ord. Præd. profeſſus, inſignis Pariſienſis Theologus extitit. Primum ex Provinciali Franciæ, Archi-Epiſcopus Lugdunenſis electus, anno 1271. mox Epiſcopus Oſtienſis creatus, 1272. & una cum Bonaventura ad Cardinalis dignitatem evectus, tandem, & quidem primus ex Ordine ſuo, ad Pontificatum, anno 1276. promotus, quem per quinque ſaltem menſes obtinuit. Scripſit *Commentarium in IV. Libros Sententiarum*, Toloſæ, 1652. & *Compendium Theologiæ*, Paris. 1551. 12. excuſa. Plura de eo dabunt Trithemius, Antonius Senenſis, Bellarminus, Labbeus, T. I. p. 510. Ambroſius de Altamura, *in Bibl. Domin.* ad ann. 1276. p. 41. & *in Append.* p. 444. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 544. Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 510. Lud. Jacob à S. Carolo, *loco citato*, p. 123. ſeqv.

INNOCENTIVS VI. P. R.

Anteà *Stephanus*, Gallus Lemovicenſis, ex Juris Utriusque Doctore Noviodunenſis & Claromantanus Epiſcopus, Poenitentiarius major & Cardinalis, Epiſcopus Oſtienſis, anno 1352. Papa conſecratus, Avenione, anno 1362. obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* II. *Concil.* T. XI. p. 1930. *Aliæ* XXIII. apud Bzovium, ad annum 1353. &c. *Aliæ* XXX. apud Waddingum, *Annal. Minor.* ad annum eundem. *Aliæ LXXX.* ibidem, *in Regeſto Pontificum.* *Aliæ* plures manuſcriptæ in Bibl. Vaticana adſervantur, teſtibus, Lud. Jacobo à S. Carolo, p. 125. & Henr. Whartono, *Append. Cav.* p. 31.

INNOCENTIVS IIX. P. R.

Joh. Baptiſta anteà dictus, Genuenſis, Epiſcopus Savonenſis Melfitenſis & Datarius, deinde Presbyter Cardinalis, titulo S. Balbinæ, demùm Pontifex, anno 1484. coronatus, anno 1492. obiit.

 Hic

Hic Norwegis Sacram Coenam absque vino celebrare permiſit, & alia geſſit, de quibus alii paſſim dixerunt. Scripſit *Epiſtolam ad Henricum VII. Angliæ Regem, de Clericis in ſeculare forum non trahendis*, quam vide *Concil.* T. XIII. p. 1467. *Epiſtolas & Conſtitutiones VIII.* apud Bzovium, ad ann. 1484 & *alias plures*, alibi. Diſſerunt de eo Papyrius Maſſon, *in Innocentio VIII.* Henr. Whartonus, *loco citato*, p. 115. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 126. Bayle & Jo. Fr. Buddeus, *in Lexicis*.

JOACHIMVS.

Natione Calaber, Ord. Ciſterc. in Cœnobio Sambuccinenſi Dioeceſeos Anglonenſis in Lucania Monachus, poſt Monaſterii de Curacio in Calabria Abbas, primusque Coenobii Floreſſienſis inſtitutor & Abbas, anno 1201. ſcriptis & vaticiniis claruit, atque obiit ante annum 1215. Joachimus hic Richardo, Angliæ Regi, de Anti-Chriſto interroganti, reſpondiſſe perhibetur, quod is jam in urbe Roma prognatus eſſet, & in ſede Apoſtolica ſublimaretur, de quo Apoſtolus, *Extollitur & adverſatur ſuper omne, quod dicitur Deus &c.* Conf. Lydius, *Epiſtol. dedicat. ad Clemang.* Ejus *de Concordia V. ac N. T.* Libri V. *Comment. in Jeremiam* ſeorſim quoque Venetiis, 1525. Colon. 1577. 8. excuſi. *Pſalterium X. Chordarum: Comment. in Eſaiam: in nonnulla capita Naum, Habacuc, Zachariæ & Malachiæ*, Venetiis, 1519. 4. junctim prodierunt. *Commentarius in Apocalypſin Joh.* Venet. 1519. Coloniæ & alibi. *Vaticinia de XV. Pontificibus Romanis*, Venet. 1589. Francof. 1608. & apud Wolfium, *Memorabil. Lect.* T. I. p. 444. *Commentaria in Cyrilli Revelationem, in Erithream, & Merlinum*, & alia, italicè, Venet. 1589. Conf. de Joachimo, Carolus du Viſch, *Bibl. Ciſtert.* p. 172. Aub. Miræus, Labbeus, T. I. p. 513. Ferdinandus Ughellus, *Ital. S.* T. IX. f. 270 ſeq. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 487.

JOHANNES.

Monachus atque Abbas S. Arnulfi Metenſis, Ord. Bened. Metenſis, *Sec. X.* clarus; ſcripſit *Vitam S. Glodeſindis, Abbatiſſæ Metenſis*, quæ apud Mabillonium, *Sec. Bened II.* p. 1087. *de translatione ejusdem*, apud eundem, *Sec. IV.* p. 435. *Vitam Joh. Abbatis Gorzienſis*, apud Bolland. d. III. Febr. & Mabillonium, *Sec. V.* p. 363. Agunt de eo Caſimir. Oudin, *Supplem.* p. 310. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 52.

JOH.

JOH. ALGRINVS.

Gallus Abbavillianus, Doctor Theologus Pariſienſis, poſt Decanus Ambianenſis & Cantor de Abbatis-Villâ, Archi-Epiſcopus, anno 1125. Biſuntinus, Cardinalis & Epiſcopus anno 1127. Sabinenſis, anno 1236. obiit. *Commentarium in Cantica Canticorum* ſcripſit, qui Pariſiis, 1521. fol. prodiit. *Sermones* item *de Tempore atque de Sanctis* manuſcripti in variis Angliæ & Galliæ Bibliothecis adſervantur. De eo Henricus Gandavenſis, *de Scriptor. Eccleſ.* p. 38. Chiffletius, *in Veſuntione.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 492. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 494.

JOH. de ANANIA.

Bononienſis, patriæ Archidiaconus & Juris Canonici Profeſſor, circa annum 1440. ann. 1455. è vivis deceſſit. Scripſit *Commentarios in Decretalium Libros*, Mediolani, 1492. 1497. Lugduni, 1546. & alibi excuſa. *Quæſtiones Juridicæ*, Lugduni, 1572 *Conſiliorum Volumen*, ibidem, 1540. *Tractatus de Jure Patronatus*, Francof. 1581. prodierunt. Conf. Valent. Foerſterum, *loco citato.* Simlerum, *Epitom. Geſner.* f. 336. a. Labbeum, T. I. p. 512. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 82.

JOH. ANDREAS.

Italus, patriâ Mugellanus, JCtus Bonon. & Canonum interpres clariſſimus, Joh. Presbyteri Spurius, ſtudio & Scientia juris virtutibusque illam maculam pudoremque generis obſcuravit, ſicut ex Volaterrano, Middendorpius, L. III. *Academ.* p. 515. nos docet, anno 1348. peſte correptus, Bononiæ obiit, ibidemque ſepultus, audit in Epitaphio, *Rabbi Doctorum, Lux, Cenſor, normaque morum.* Baldo verò dictus *Fons & tuba Juris Canonici* & inſignis etiam fur librorum alienorum, quod ex Conſiliis Oldradi Laudenſis, & quidem diſſimulato Autore, multa, juxta Fichardum, ſibi adſcripſerit. Vide Labbeum, T. I. p. 513. Ejus *Novellæ* ſeu *Commentar. in V. Libros Decretalium*, Venetiis, 1581. prodierunt. *Gloſſæ Mercuriales in VI. Librum & in Clementinas*, ibidem, & Lugduni 1572. *Quæſtiones feudales, & de matrimoniis & interdictis locorum*, Venet. 1584. *Arbor Conſangvinitatis, Affinitatis & Cognationis, tum ſpiritualis, tum legalis*, Norimb. 1477. Baſil. 1517. & alia, de quibus Simlerus, Trithemius, Henr. Whartonus, *Append. Cav.* p. 21.

JOH. ANTIOCHENVS.

Neſtorii & Theodoriti in Monaſterio S. Euprepii, propè Antiochiam ſito, condiſcipulus, anno 427. ſedem Antiochenam conſcendit. Hic, cum Cyrilli Capitula penitus rejecta vellet, atque Neſtorio in omnibus ferè ſuffragaretur, varias in Eccleſia turbas atque moleſtias creavit, quas tandem Neſtorii damnatione, atque Capitulorum Cyrilli adprobatione, lenivit. Obiit poſt hæc anno 441. Habentur ejus *Epiſtolæ* VI. gr. lat. *Concil.* T. III. *Aliæ* XV. lat. inter *Lupi Epheſinas*, Lovanii, 1682. 4. editas. Conf. de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 229. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 66.

JOHANNES

Ex Monacho in Oxia Inſula Patriarcha Antiochenus, circa annum 1150. clarus, ſcripſit *Orationem in donationes Monaſteriorum Laicis factas*, quam græce & lat. inter *Monumenta Eccleſiæ græca*, T. I. p. 159. edidit. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 467. plura verò Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 200.

JOHANNES.

Antiochenus titulotenus Patriarcha, anno 1434. claruit, atque *Tractatum de ſuperioritate Concilii contra Papam*, conſcripſit, qui *Concil.* T. XII. p. 912. exhibetur. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 75.

JOH. ANTONIVS

Gente Italus, *Campanus* a patriâ dictus, ruſticis Parentibus natus ſingulari ab infantiâ præditus ingeniò, Laurentii Vallæ auditor induſtrius, atque Æneæ Sylvii apprimè familiaris, cujus favore Epiſcopus Crotonienſis & Teramenſis factus eſt. Eum poſt hæc Paulus II. P. R. ad Colloquium Ratisponenſe, anno 1481. mittens, in Archi-Presbyterum Eccleſiæ D. Euſtachii creavit. Obiit, poſtquam ejus odium tuliſſet, anno 1487. Laudat illum Lilius Gyraldus, *dialog. I. de Poetis*, p. 386. *Virum multâ laude dignum, ignobili licet genere procreatum, qui neque in ſolutâ oratione ſuorum temporum cuique ceſſerit, nec vero carmine minus præſtiterit.* Ex Scriptis ejus, quorum per plura exaravit, huc faciunt, *Oratio Cineritia, & de gerendo Magiſtratu Tractatus*, quod utrumque Joh. Coſterius, Lovanii 1548. 8. edidit, inde *in Bibl. Patr.* T. XXVI. translatum. *Conſilia duo de movendo bello adverſus Turcas*, cum aliis ejusdem argumenti, Islebii, 1603. 4.

pro-

prodierunt. *Vita Pii IV. P. R.* cum aliis, Francof. 1536. & *Æneæ Sylvii Operibus* præmiſſa. Hæc & alia opuſcula multa, Romæ, 1495. fol. præfixa ejus *Vitâ*, excuſa ſunt. Diſſerit de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 313.

JOHANNES.

Aquilanus ab urbe patria, Aquilâ, appellatus, Ord. Domin. Monachus, Theologus & Concionator anno 1460. percelebris, cujus *Sermones Quadrageſimales, Vitiorum Lima* inſcripti, Venetiis, 1497. 1576. 8. prodierunt. Hic cum *Petro* Aquilano neutiquam confundendus, Ord. Minor. & Joh. Scoti diſcipulo, eodem tempore inſigni, *Scotellus* vulgò dicto, cujus *Quæſtiones* in IV. Libros Sententiarum, Spiræ, 1480. Venet. 1584. 1600. 4. & *Scotellum*, Pariſiis, 1585. impreſſa videas. De eo Guilielmus Cave, P. II. p. 312.

JOH. de ARGAMENES.

Natione Hiſpanus, Ord. Franciſc. Provinciæ S. Jacobi, anno 1501. apud ſuos conſpicuus, condidit *Speculum fratrum minorum*, quod in *Enchiridio* ſeu *Manuali fratrum minorum*, anno 1535. habetur, & Italicè, Tarviſii, 1593. prodiit. *Tractatus de valore indulgentiarum*, Hiſpali, 1548. 1622. *Clypeus ſacrarum Monialium* extat in *Enchiridio fratrum minorum* modò memorato. Confer Henr. Whartonum, in *Append. Cav.* p. 132. quem ſequimur.

JOHANNES.

Altinenſis in Italia Epiſcopus, ab anno 1087. ad 1099. floruit, quo debitum naturæ perſolvit, ſcripſitq; *Sermonem de SS. Martyribus, Marco, Nicandro, & Marciano*, quem vide apud Ughellum, *Ital Sacr.* T. VI. p. 557. ubi plura ejus opuſcula, nunc forſan deperdita, indicantur. Hæc & alia pauca de eo tradit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 204. quem conſulas.

JOH. BACONVS.

Ex Bacondorpio, unde & *Bacondorpius* cognominatus, vili Norfeldenſis regionis pago in Anglia oriundus, Doctor Theologiæ & Vtriusque Juris Pariſienſis, Ord. Carmelit. in Anglia Provincialis, Ingenii & judicii ſtupendi, *Doctoris reſoluti* titulo clarus, quo doctiorem orbis Chriſtianus illâ ætate vix tulit, judice Pitſeo, *de Scriptor. Angl.* p. 451, qui anno 1346. Londini inter ſuos denatum

tradit, atque poſt Baleum, multa ejus opera recenſet. Huc ſpectant *Commentaria* ſeu *Quæſtiones ſuper IV. Libros Sententiarum*, Mediolani, 1510. 1611. Cremonæ, 1618. T. II. & alibi excuſæ. *Compendium Legis Chriſti & Quodlibeta*, Venetiis, 1527. *Quodlibeta* quoque cum *Commentariis in Sententias*, Cremonæ, 1618. prodierunt. Confer poſt Baleum & Pitſeum, Labbeus, T. I. p. 516. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 17.

JOH. BASSOLIVS.

Sive *Baſſolis*, natione Scotus, Ord. Minor. Scoti Auditor, eique præ cæteris charus, *Doctor Ordinatiſſimus* cognominatus, claruit anno, non 1466. juxta erroneum Bellarmini calculum, rejectum a Labbeo, T. I. p. 516. ſed ann. 1322. Willotus, *Athen. Franc.* p. 206. ætatem ejus non retulit, forte ignoravit. Ait autem, candidiſſime eum ſcripſiſſe in *IV. Libros Sententiarum*, qui quidem *Commentarii* Pariſiis, 1517. fol. editi. *Miſcellanea ejus Philoſophica & Medica*, ibidem impreſſa, addit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 16.

JOH. BECCVS vide VECCVS.

JOH. BEETZIVS.

Germanus, Ord. Carmelit. in Coenobio Thenenſi Monachus, SS. Theologiæ apud Lovanienſes Profeſſor, ab anno 1468. ad 1476. claruit. Ejus *Præceptorium divinæ legis* ſive *expoſitio Decalogi*, Lib. X. prodiit Lovanii, 1486. fol. Plura de eo dabunt Trithemius, Sixtus Senenſis, *Bibl. S.* Lib. IV. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 314.

JOH. de BEKA.

Belga, Ultrajectinus Canonicus, anno 1350. floruit, atque *Chronicon Eccleſiæ & Epiſcoporum Ultrajectenſium, Comitumque Hollandiæ*, a temporibus S. Willibrordi, primi Epiſcopi, ad annum 1346. condidit, cum *Hedami continuatione*, Franequeræ, 1611. 4. excuſum. Auctius vero atque emendatius cum Arnoldi Buchellii notis Hiſtoricis & Lamberti ac Suffridi Petri *Appendicibus*, Ultrajecti, 1643. fol. Conf. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. I. p. 258. Aub. Miræus, *in Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 436. Joh. Chapeaville, *in Collectaneo Hiſtoriarum Leodienſium*. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 617. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 30.

JOH.

JOHANNES BELETH.

Magiſter prænominatus, Scholæ Theologicæ Pariſienſis Rector, circa annum 1162. Guilielmo Caveo floruiſſe videtur. Errant Claudius Jolly & Caſimirus Oudinus, qui illum ad ann. 1328. collocant, cum ejus jam meminerit Henricus Gandavenſis. Scripſit *Rationale divinorum Officiorum*, quod Antwerpiæ, 1553. 1570. 8. Lugduni, 1583. Dillingæ, 1572. & cum Durando, ibidem, 1574. 1592. 8. & alibi prodiit. Loquuntur de eo Trithemius, *de Scriptor.* f. 80. b. Antonius Poſſevinus, Conradus Geſnerus, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 589. Labbeus, in *Chronolog. Scriptor. Eccleſ.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 472.

JOHANNES.

E Biclarenſi Abbate, Gerundenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Gothus gente, Scalabi in Luſitania natus, adoleſcens per ſeptennium Conſtantinopoli literas Græcas & Latinas edoctus, dein Hiſpaniam reverſus, & poſtquam à Levigildo, Ariano Rege, exilio decennali damnatus fuerat, inde à Richardo, Weſtgothorum Rege Chriſtianiſſimo, revocatus, Monaſterium *Biclaro*, vulgò *Valclara*, dictum, ad Pyrenæorum montium radices condidiſſe perhibetur Trithemio, *de illuſtribus Scriptor.* f. 48. b. & ad annum 600. ab eodem collocatur. Ejus *Chronicon* ſeu *Appendicem*, una cum *Victoris Tununenſis Chronico*, & aliis quibusdam Scriptis, primus edidit Henr. Caniſius, Ingolſtadii, 1600. at emendatius recudit Joſ. Scaliger, Lugd. Batav. 1606. cum Euſebio, aliisque, *in Theſauro temporum*, & alibi. Vid. poſt Iſidorum, Mariana, Lib. V. *Hiſt. Hiſpan.* c. 13. f. 201. Schottus, in *Bibl. Hiſpan.* f. 189. & 214. Bellarminus, *de Scriptor. Eccleſ.* editionis Pariſinæ, 1617. evulgatæ. Labbeus, *diſſert.* T. I. p. 517. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 302. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 95.

JOHANNES BLÆRUS.

Brabantus Dieſthemius, Prior Coenobii S. Jacobi, Ord. Bened. Leodicenſis, circa annum 1496. condidit *Hiſtoriam Revelationis B. Julianæ, Sanctimoniali Leodicenſi*, anno 1230. de inſtitutione Feſti Corporis Chriſti factæ, quam Magnum Exemplorum Speculum, Duaci, 1603. impreſſum, & Bzovius, *Annal. Eccleſ.* ad ann. 1230. num. 6. exhibent. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 126.

JOH. BROMIARDUS.

Anglus Herefordienſis, Ord. Præd. Monachus, Theologus pariter atque JCtus eximius, Theologiæ apud Cantabrigienſes Profeſſor, Wiclefi hoſtis acerrimus, in quem in Synodo Londinenſi, anno 1382. vehementer invectus, atque poſt annum 1419. obiit. Ejus *Summa Prædicatorum*, Norimbergæ, anno 1485. Venetiis, 1586. 4. prodiit. Alia ejus referunt Baleus, *Centur.* VII. c. 4. Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 63. & in *Appendice*, p. 459. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 660. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 47.

JOH. BROMPTON.

Gente Anglus, Ord. Ciſtert. Monachus, & Coenobii Jorvallenſis in Dioeceſi Eboracenſi Abbas, circa annum 1198. claruiſſe videtur. *Chronicon* ab anno 588. ad 1198. quod ei vulgò tribuitur inter *X. Scriptores Angl.* Londini, 1652. fol. p. 725. prodiit. Sunt tamen, qui volunt eum non eſſe autorem, ſed ejus curâ ſaltem in uſum Monaſterii deſcriptum, de quibus Seldenus, *in Prologo ad Scriptores X. Angl.* p. 38. Conf. Chryſoſtomus Henriquez, *in Faſciculo* L. II. *diſtinct.* 26. c. 50. & *in Phoenice*, c. 20. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 470. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 480. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 190.

JOHANNES de BURGO.

Anglus, Doctor Theologus, & Cantabrigienſis Academiæ Cancellarius, atque Eccleſiæ de Colingham in Agro Nottinghamienſi Rector, anno 1385. ſcripſit *Pupillam Oculi*, omnibus Sacerdotibus ſummè neceſſariam, in qua de VII. Sacramentorum adminiſtratione, de X. Præceptis Decalogi, & de reliquis Eccleſiaſticorum Officiis, tractatur. Prodiit illa Pariſiis, 1510. Argentinæ, 1514. Rothomagi, 1516. 4. *Homilias* quaſdam ab eo ſcriptas, vide apud Baleum, *Centur.* VI. c. 73. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 45.

JOHANNES BUSCHIUS.

à Trithemio *Arnoldus* malè dictus, Canonicus Regularis Coenobii Windeſemenſis prope Swollam, Tranſiſalanæ Provinciæ oppidum, circa annum 1460 clarus, condidit *de origine & progreſſu Coenobii & Capituli ſeu Congregationis Windeſemenſis*, Opuſculum, Antwer-

piæ,

piæ, 1622. 8. curâ Heriberti Rosweydi impreſſum. Manuſcriptum adſervatur in Bibliotheca Lovanienſi ad S. Martinum. Agunt de eo Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* T. I. p. 119. qui tamen in quibusdam aberravit, id circò à Caſimiro Oudino notatus. Aub. Miræus, *in Auct. de Scriptoribus*, cap. 487. p. 273. Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 717.

JOHANNES CALDERINVS.

Bononienſis, JCtus celeberrimus, à Joh. Andrea in filium, Bonicontô mortuô, adoptatus, anno 1340. juxta Bellarminum. Labbeus verò & Henr. Whartonus, anno adhuc 1360. floruiſſe tradunt. Ejus *Conſilia* ſeu *Reſponſa Juris* prodierunt, Venet. 1582. & Lugduni, 1536. *Repetitiones variæ in jure civili*, Lugd. 1587. *Tract. de Interdicto Eccleſiaſtico*, Venetiis, 1584. Huc quoq; facit *Tabula* ejusdem, continens autoritates & ſententias biblicas, prout in compilationibus Decretalium inducuntur, ordine alphabetico, a Thoma Dornbergio emendata & excuſa, Spiræ, 1481. Vidimus Ejus *Concordantiam* ſive *Ambidexterium Bibliæ & Juris Canonici*, ſine mentione loci & temporis, in folio. Plura dabit Simlerus, *Bibl.* p. 350. Conf. Labbeum, T. I. p. 518. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 37.

JOH. CALECAS.

Aprius patriâ, inde *Aprenus* dictus, ex Presbytero Byzantino Patriarcha factus, anno 1331. non verò 1341. claruit, à Sede tamen, eò, quod Barlaami caſtra ſequutus eſſet, ſummotus. *Sermones* ejus pauci habentur apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1363. 1477. plures in Bibliothecæ Vindobonenſis membranis viſuntur. Evolv. Guil. Caveum, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 275.

JOH. CAMATERVS.

Diaconus & Chartularius, poſt Patriarcha Conſtantinopolinus, anno 1199. floruit, eodemque ad Innocentium, P. R. literas dedit, quibus, Eccleſiam Romanam Univerſalis Eccleſiæ titulum anhelare, miratur. Habetur ejus *decretum de nuptiis Conſobrinorum*, apud Leunclavium, *Jur. Gr. Roman.* Lib. IV. p. 285. De eo Guil. Cave, *loco citato*, P. II. p. 482.

JOH. CANALES.

Italus, Ord. Franc. in Conventu Ferrarienſi Monachus, Theo-

 logiæ

logiæ Doctor, Philoſophus Platonicus, circa annum 1450. ſcripſit *de Cœleſti vita : de natura animæ ejusque immortalitate : de Paradiſo & animæ felicitate : de Inferno & animæ cruciatu*, quæ junctim excuſa ſunt Venetiis, 1494. fol. teſte Henr. Whartono, *Append. Cav.* p. 92.

JOHANNES.

Canon ſive *Canonicus* quibusdam dictus, natione Anglus, Ordinis Franciſcani, Joh. Duns Scoti diſcipulus, Theologiæ pariter atque Juris Canonici peritiſſimus, anno 1329. claruit. *Commentaria* ejus *in Magiſtrum Sententiarum : Lecturæ Magiſtrales : Quæſtiones diſputatæ :* & in *Ariſtotelis Phyſica* Lib. VIII. prodierunt Venetiis, 1492. & 1516. Vide, ſi lubet, Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 18. quem ſequimur.

JOH. CAPISTRANVS.

à Capiſtrano, Aprutii in Italia oppido, quod anno 1285. patriam habuit, dictus, Bernardini Senenſis diſcipulus, Ord. Min. in partibus Cismontanis bis Vicarius Generalis & Inquiſitor fidei. Ejus merita, quæ tanquam Apoſtolicus Legatus per Auſtriam, Bavariam, Sveviam, Thuringiam & Saxoniam prædicando cumulavit, Papæi paſſim extollunt. Albertus Krantzius, Lib. XI. *Saxon.* c. 36. & Lib. XI. *Metropol.* c. 39. Magdeburgi in novo foro, eruditis latine per trihorium, rudi verò plebeculæ geſtibus tantùm patheticis, eum prædicaſſe ſcribit. Lipſia quoque, imò & Hala, patria noſtra, prædicatorem iſtum, anno 1452. vidit & audivit, per ea, quæ prolixè retulit B. Parens & Avus noſter, *Halygraph.* p. 191. ſeqv. Ipſos etiam Turcas, Albam, Regalem Hungariæ, obſidentes, aggreſſus, exercitum Cruce ſignatorum ducens, debellavit, obiitque annô 1456. Willakæ, in dioeceſi Quinque-eccleſienſi. Eum inter Sanctos retulit Gregorius XV. P. R. Scripſit Johannes *Tractatum de Papæ & Concilii autoritate, adverſus Concilium Baſileenſe*, qui inter *Tractatus Juris*, Venetiis, 1584. T. XIII. P. I. p. 32. prodiit. *Speculum Clericorum*, cum præcedenti ſeorſim, Venet. 1580. 4. *De inſtructione ſimplicium Sacerdotum & defenſorium Tertii Ordinis à S. Franciſco inſtituti*, quæ tria modo enumerata edidit Antonius Amicius Aprutius, Venetiis, 1580. *Speculum Conſcientiæ* extat *in Tractatu Juris*, T. I. p. 395. *Tract. de Excommunicatione*, ibidem, p. 388. *de Matrimonio, per modum* Conſilii, ibidem, T. IX. p. 77. *de judicio Univerſali & Anti-Chriſto, ac bel-*

lo

la ſpirituali, Venet. 1578. *De uſuris & Contractibus*, Venet. 1583. *Repetitiones aliquot in Jure civili*, ibidem, 1587. Plura adhuc inedita exhibent Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 833. Bellarminus, *de Script. Eccleſ.* p. 391. Waddingus, *de Script. Ord. Minor.* p. 196. Henr. Willot, *Athen. Franc.* p. 312. Conf. quoque de Johanne Capiſtrano, Labbeum, *diſſertat.* T. I. p. 519. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 82.

JOH. CAPNIO vide REVCHLINVS.

JOH. CAPREOLVS.

Ex oppido Ratinenſi Toloſanæ dioeceſis, Ord. Prædic. Monachus, atque Theologiæ in Academia Toloſana Profeſſor, anno 1415. claruit, calculo Trithemii. Scripſit præter *Sermones varios*, *Commentaria in Libros IV. Sententiarum*, Venetiis, 1484. 1514. 1588. excuſa, quibus Thomam contra Scotum, Petrum Aureolum, Nominales, alioſque impugnatores, acerrimè defendit. Vide Ambroſium de Altamura, *Bibl. Prædic.* p. 158. Labbeum, T. I. p. 519. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 63.

JOHANNES.

Carpathiorum Epiſcopus, Photio memoratus, *Bibl. Cod.* 201. f. 525. Collectoribus vero Magnæ *Bibl. Patr. Colon.* ad *Sec.* VII. poſitus. Scripſit ad Monachus ex India, eorum rogatu, *capita hortatoria*, ſive *documenta ſpiritualia* 97. quæ Lat. ex interpretatione Jacobi Pontani, exhibentur T. VII. *citat. Bibl.* f. 617. & *editione noviſſima*, T. XII. Ejusdem *documenta* 82. ſed conciſiora, videas, T. XII. poſt *Simeonis Junioris Opuſcula*. Opus integrum in Bibl. Vindobonenſi manuſcriptum adſervatur, & alibi, obſervante Guilielmo Caveo, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 143.

JOH. CASSIANVS, vide CASSIANVS.

JOHANNES CHRYSOSTOMVS.

à Flumine Orationis aureo ſic dictus, Patre Secundo, matre Anthusâ, anno 354. Antiochiæ natus, Libanii, Andragathii, Carterii & Diodori, Tarſenſis Epiſcopi, & Meletii Antiocheni diſcipulus. In eremum priùs ſeceſſit, poſt à Meletio Diaconus, anno 381. conſtitutus, Presbyter, a Flaviano, anno 386. Nectario in Epiſcope Conſtantinopolitana ſuffectus, inde anno 403. dejectus, odiô cumprimis Eudoxiæ Auguſtæ, Arianismi Patronæ, paulò poſt revocatus,

ſus, mox iterum deportatus Cucuſum Armeniæ oppidum, Cucuſo quoque Arabiſſum migrare coactus, inque villam denique, regionis Ponticæ, Comanam dictam, ubi & exilio terreno perfunctus, ſancto fine ad patriam tranſiit, anno 407. d. 14. Septembr. Fuit uno verbo idea boni Philoſophi, Theologi & Concionatoris & Zeloſi planeque ignei parrheſiaſtæ. Dictio ei perſpicua & pura, ſplendida inſuper ac fluens adparet, multamque cùm ſenſuum varietatem, tùm graviſſimorum exemplorum copiam exhibens, judice Photio, *Cod.* 172. Elogia Chryſoſtomi ex antiquioribus pariter atque recentioribus exhibet Tho. Pope-Blount, *Cenſur. Celebr. Autor.* Vitam Chryſoſtomi ſcripſerunt ex Inſtituto, Palladius & Theodorus Georgius, Alexandrinus Archi Epiſcopus, Leo Imperator, Simeon Metaphraſtes, Eraſmus, & Joh. Koepkenius, qui illam 1701. edidit. Operum Chryſoſtomi, quorum plurima habemus, plurimas editiones recenſet Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 189. Prodierunt autem Venetiis, 1503. fol. 1574. Baſil. 1517. 1522. 1530. 1547. 1558. Pariſiis, 1524. 1543. 1546. 1556. 1576. 1581. 1588. 1613. Antwerpiæ, 1614. Adde Lugdunenſem editionem T. VI. anno 1687. fol. excuſam. Græcè T. VIII. Henricus Savilius, Etonæ 1612. produxit gr. lat. Commelinus, Heidelbergæ, 1603. & Fronto Ducæus, Paris. 1609. & annis ſequentibus, ibid. 1636. His omnibus recentiſſimam Operum Chryſoſtomi editionem ſupperaddas Francofordienſem, quæ T. XII. año 1698. fol. prodiit. Seorſim quædam ex iſtis prodierunt, ex quibus notamus ſequentia, *Homilias in Mathæum LXXXIII.* gr. lat. Baſil. 1591. 4. *Comment. in omnes Pauli Epiſtolas,* Veronæ, 1529. fol. Baſil. 1596. *Orationes de Providentia, de Avaritia,* &c. gr. lat. Heideberg. 1552. *Orationes X.* gr. Romæ, 1581. gr. lat. Baſil. 1585. *Orat. IX.* Romæ, ab Hieronymo Brunello, in 8. editæ, & cum aliis, in Germania, 1595. 8. *Homil. XI.* gr. 1587. 8. *Homil.* gr. lat. Auguſtæ 1594. 8. *Orat. II. de precatione,* Baſil. 1525. Antw. 1579. *In S. Paſcha Homiliam,* gr. lat. Antw. 1598. 8. *De occurſu Domini & Deipara & Simeone,* gr. lat. Colon. 1568. *Argumentum in Jeremiam & Threnos cum fragmento de Suſanna,* gr. Auguſt. 1602. 4. *Homilias VI. contra Judæos,* ibidem, 1602. 8. *Liturgiam* gr. Paris. 1560. gr. lat. Paris. 1557. & alibi. *de divite & Lazaro Homilias IV.* &c. gr. Oxon. 1586. *De Providentia Dei Orat. VI.* gr. Baſil. 1526. *De Babyla martyre Orationem græcam,* ibid. 1527. *De Virgini-*

ginitate Librum Antwerp. 1575. 4. & alia, quæ recitat ex Uſſerio, p 270. Guil. Cave, P. I. p. 188. His adde *Tract. XVII. de Sanctis & de eâdem de diverſis locis N. T.* Burdigalæ, 1601. *Sermones VI. de Sacerdotio*, gr. Baſil. 1544. Argentinæ, 1561. gr. lat. Aug. Vindel. 1599. *Orationes varias ſelectas*, gr. lat. Moguntiæ, 1629. *Opus Imperfectum in Matthæum*, Antwerpiæ, 1537. & alibi. Hoc tamen ſpurium eſſe ſatis patet, quicquid etiam roboris pro ſua adferat ſententia Sandius *in nucleo Hiſt. Eccleſ.* p. 279. notatus à B. Tho. Ittigio, præfat. *Caten. Patrum* p. 119. *Homilia de Liberorum educatione & homilia de proſpera & adverſa fortuna*, Moguntiæ, 1603. *Homilia de humilitate, & alia de jejunio*, ibidem, 1604. *Homiliæ IV. in Pſalmos & Danielem*, Paris. 1661. *Homil. II. in Epiſtolam ad Philippenſes*, Baſil. 1526. *Homiliæ de morali Politia, & in Joh. Baptiſtæ decollationem, & in peccatricem*, Paris. 1645. *Homiliæ VII. ſelectæ*, Tubingæ, 1702. prodierunt. *Tractatus* quosdam gr. lat. Paris. 1656. Fr. Combefiſius produxit. *Epiſtolam ad Cæſarium Monachum*, edidit Stephanus le Moyne, *in Variis Sacris*, & Jacobus Basnage, Trajecti ad Rhenum, 1687. 8. & Jacobus Harduinus, 1689. de qua Epiſtola, ejusque fatis, docte diſſerunt, Clerc. T. XV. *Bibl. Univ.* p. 253. & *Journal des Scavans*, anno 1690. p. 524. Tho. Ittigius, *Caten. Patr.* p. 418. ſeq. Plura Chryſoſtomi Opuſcula, ſeorſim excuſa, vide apud laudatum Ittigium, *præf. citata.* Adde tamen *Supplementa Homiliarum Joh. Chryſoſtomi*, quæ Ericus Benzelius, Upſaliæ, 1708. 4. produxit. *Florilegium Paſtorale*, è Chryſoſtomi operibus edidit Felix Wyſſius, Tiguri, 1659. 12. Integram Theologiam è Chryſoſtomi Operibus deprompram Antonius Corvinus dedit, inque locos comunes digeſtam edidit, Halæ Svevorum, anno 1539. Eximia alia e ſcriptis ejus excerpta communicavit Henichius, *Hiſt. Eccleſ. P. II. Append.* à p. 451. ad 83. De Lutheranismo Chryſoſtomi *Apologeticum* adverſus Jo. Franc. Hackii, Jeſuitæ, impugnationes, ſcripſit Jo. Fr. Mayerus, Wittebergæ, 1686. 4. Agunt de Chryſoſtomo poſt citatos autores Labbeus. T. I, p. 524. Guil. Cave, *in Antiqv. Eccleſ.* & *Hiſt. Litter.* P. II. p. 57. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 7.

JOH. de CIRCYO.

Gallus Divionenſis, Ord. Ciſtert. Abbas Balernenſis, Synodo Aurelianenſi, anno 1477. Turonenſi, anno 1478. interfuit, atque 1503. obiit. Ejus *Compendium Sanctorum Ordinis Ciſtertienſis*, &

Collectio Privilegiorum à diverſis Pontificibus, Regibus, & Principibus eidem Ordini conceſſorum, Divione 1491. prodierunt. Poſterius recuſum proſtat Antwerpiæ, 1630. De eo poſt alios, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 103.

JOHANNES CLIMACVS.

κλίμαξ græcè, à ſcala pietatis, quam edidit, Libro XXX. capitibus ſeu gradibus diſtincto, ita dictus, quaſi *ſcalarius* ſive *ſcalaſticus*, non *Scholaſticus*, uti eſt apud Trithemium, *Scriptor. Eccleſ.* f 12. a. Aliàs *Johannes Sinaita*, ſive S. Montis Sina Abbas vocatus, ad 580. annum, quod ætatem attinet, reponendus. *Vitam* ejus Daniel Raythenus, Monachus, exaravit, de quo infra, P. II. p. 192. diximus. Scripſit autem Johannes *Scalam Paradiſi*, modò memoratam, quæ lat. ex Ambroſii Camaldulenſis verſione, Venet. 1531. 1569. Colon. 1583. & cum Dionyſii Carthuſiani enarrationibus, Colon. 1540. ibidemque 1601. 8. & gr. lat. curâ Mathæi Raderi, Pariſiis, 1633. fol. prodiit. *Liber ad Paſtorem*, gr. lat. ab eodem Radero, cum præcedenti, excuſus eſt. Venetiis quoque prodiit Climacus in græco-barbarum translatus ſermonem à Maximo Marguino, Citherorum Epiſcopo, anno 1590. Plura vide apud Labbeum, T. I. p. 552. & *Append.* p. 808. ſeq. Theoph. Spizelium, *Academ. Jeſu Chriſti*, p. 207. ſeq. Caſimirum Oudin, *Supplem.* p. 137. qui nullum auctorem græcum inveniri putat, cujus opera tam frequentia ſint in manuſcriptis. Hic idem Oudinus alium Joh. Climacum memorat, à noſtro diverſum, Abbatem quoq; Montis Sina, Auctorem *Hiſtoriæ SS. Barlaam & Joſaphat*, quæ lat. ſeorſim, Colon. 1593. 8. Antwerp. 1602. 8. & apud Surium, d. XXVII. Nov. & poſt Damaſceni Opera & alibi habetur. De noſtro Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 297. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 98. ſeqv.

JOHANNES.

Gente Cappadox, ab anno 517. Patriarchatum Conſtantinop. ſortitus, unionem inter græcos & latinos, Hormisdâ P. R. dirigente, promovere ſtuduit. Habentur ejus *Epiſtolæ III.* ad Hormiſdam, lat. *Concil.* T. IV p. 1486. 1491. 1521. *Aliæ II.* ad Joh. Hieroſolymitanum & Epiphanium, Tyri Epiſcopum, gr. lat. *Concil.* T. V. p. 185. De eo pluribus dixit Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 278.

JO-

JOHANNES.

Conſtantinopolitanus anno 712. Patriarcha, Monotheletarum fautor, ſede, anno 715. ejectus eſt. Dedit *Epiſtolam ad Conſtantium, P. R.* quâ Monothelismum reſpuit, quæ gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 1410. habetur. Conf. Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 337. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 89.

JOHANNES.

Conſtantinopolitanus Diaconus & Orator, circa annum 890. condidit *Vitam S. Joſephi Hymnographi*, quæ gr. & lat. apud Bollandiſtas, d. III. Aprilis extat. Pauca de eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 291. & Guil. Cave, P. II. *diſſut.* p. 10.

JOH. DAMASCENVS.

à Patriâ dictus, *Chryſorrhoas* ab eloquentia, Patre, qui Saracenorum Principi a ſecretioribus conſiliis, natus, cui defuncto in dignitate Seculari ſucceſſit. Iconoclaſtas acriter impugnavit, adeò, ut etiam adverſus Leonem, Imperatorem, literas ſcriberet, imaginumque cauſam ſtrenue tutaretur. Verùm, ob id & alia, Principis ſui odia tulit, manu ei dextrâ amputatâ. Non attendimus ad effictum iſtud miraculum, cujus Joh. Hieroſolymitanus, in *Vita Damaſceni* meminit, quod B. Mariæ interceſſione, manus ei reſtituta fuerit. Agit de putida hac fabula Spanhemius, *Hiſtor. Imag. Reſtitut. Sect. II.* num. 13. Cæterùm Johannes Anaſtaſium, S. Euthymii Abbatem, Fullonis hæreſin revocantem, fortiter oppugnavit. Laudatur maximè a Philoſophiæ, Matheſeos & Theologiæ peritia inſigni, non pariter a fide Hiſtorica, quam Baronius & Caſaubonus, *Exercitatione XIII. num. 38.* p. 305. in eo deſiderant. Floruit Damaſcenus, anno 730. annoque 750. poſtquam Presbyter factus eſſet, in S. Sabæ Laura, diem feliciter clauſit. Scripta, quibus ſupervivit, gr. & lat. prodierunt, Baſileæ, 1539. 1548. 1575. Paris. 1577. 1603. 1619. f. Novam illorum editionem promiſit quidem Philippus Labbeus, qui Paris. anno 1652. 4. ejus cauſa, *Conſpectum* omnium ejus *Operum in IV.* partes diſtributorum vulgaverat, ſed morte præmaturâ abreptus, promiſſis ſtare ſuis non potuit. Seorſim excuſi ſunt Lib. IV. de *Orthodoxa fide*, Lat. Pariſiis, 1507. 4. & cum explicatione Jodoci Clichtovæi, ibidem, 1512. fol. gr. Veronæ, 1531. 4. *Li-*

ber *de iis, qui in fide obdormierunt*, gr. cum præcedenti, Veron. 1531. 4. gr. lat. Venet. 1541. 8. quem tamen plurimi pro ſpurio habent. *De Sacris Imaginibus Orationes III.* græcè, Romæ, 1553. 8. lat. Antwerpiæ, 1556. *De natura compoſita contra Acephalos*, & *contra Neſtorianos Liber*, Lat. apud Henr. Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. IV. *Argumenta contra Neſtorianos cum quæſtionibus & reſponſionibus de fide*, gr. lat. Aug. Vindel. 1611. 8. *Adverſus Manichæos Liber*, gr. lat. Baſil. 1578. 8. Patav. 1572. 8. *Catalogus Hæreſium*, gr. lat. apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ.* gr. T. I. p. 278. *Epiſtola ad Zachariam, Doarorum Epiſcopum, de corpore & ſangvine J. C.* gr. lat. Antwerpiæ, 1601. *De reſurrectione & Paradiſo* Lib. gr. Paris. 1641. 16. *Oratio de Sabbato Sancto*, gr. lat. Antwerp. 1601. *De Chriſti nativitate, de Epiphania & de Feſto Pentecoſtes, Jambi Pentaſtichi*, gr. lat. cum *aliis Poetis Chriſtianis*, Venet. 1501. 4 *Vita Stephani Junioris*, apud Surium, d. XXIIX. Nov. quæ ei tamen tanquam recentior ſuppoſita eſſe videtur. Scripta Damaſceni edita atque inedita, genuina atque ſpuria, eaque plurima, repræſentat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 340. ſeq. Conf. quoque Leon. Allatium, *Synmyct.* p. 445. *Libros IV. Damaſceni de Orthodoxa fide* explicavit & *Epitomen univerſæ Theologiæ* exinde propoſuit Chriſtoph. Pelargus, ediditque Francof. ad Oderam, 1605. De Joh. Damaſceno, poſt autores modò memoratos, Sigebertus, *de Viris illuſtr.* c. 75. Labbeus, T. I. p. 557. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 101.

JOHANNES

Diaconus Eccleſiæ Romanæ, Sigeberto, *Catal.* c. 106. laudatus, & Anaſtaſio Bibliothecario familiaris, circa annum 874. ſcripſit Libros IV. *de Vita & geſtis Gregorii M. P. R.* Johanni VIII. Papæ, dedicatos, unde patet grandis eorum error, qui ex Diacono Papam factum tradunt, quos arguit Labbeus, T. I. p. 557. Conf. Voſſium, *Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 36. p. 326. Extant illi apud Surium, d. XII. Martii & in fronte *Operum Gregorii M.* Joh. quoque Diaconi Librum de Baſilica Lateranenſi, ante annos 430. ſcriptum, allegat Onuphrius Panvinius, Lib. *de VII. urbis Eccleſ. baſil.* p. 146. qui liber tamen non immerito dubius habetur. Probè autem diſtinguendum hunc Johannem Diaconum, à Joh. Diacono & Monacho Caſinenſi, docet Joh. Baptiſta Marus, *notis* ad Petri Diaconi Librum, *de Viris illuſtr. Caſinenſibus*, c. 38. p. 63. contra eos, qui utriusque opuſcula

inter ſe confundunt, & unum ex duobus faciunt. Vide quæ de eo dicat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 394.

JOH. DLVGOSSVS vide LONGINVS.

JOH. DRIEDO.

Celebri in Brabantia municipio Tournhautano natus, Theologiæ apud Lovanienſes Doctor, Linguarum ſimul peritia eminens, juxta Poſſevinum, floruit ab anno 1512. ad 1535. quô vitæ curſum peregit, teſtibus Miræo, *Elog. Belg.* f. 24. & Valerio Andrea, *Bibl. Belg.* p. 494. Opera ejus omnia Lovanii, 1556. T. IV. in 4. prodierunt, & ſunt Libri IV. *de Scripturis & dogmatibus Eccleſiaſticis.* Lib. III. *de Libertate Chriſtianâ.* Lib. II. *de Gratia & Libero Arbitrio*, ſeorſim quoque Lovanii, 1536. editi. *de concordia liberi Arbitrii & prædeſtinationis* Lib. I. *de captivitate & redemptione Generis humani.* Confer Simlerum, *Epitom. Geſner.* p. 361. b.

JOHANNES DVNS SCOTVS.

Anglus, Dunſtonæ in Parochiâ Emildonenſi prope Alnwicum in Nortumbria natus, cui ferè idem contigit, quod Homero, de cujus natali tot Regiones concertaſſe legimus. Quidam enim Scotum, alii Hybernum, alii Anglum; quos ſeqvimur, ex eo faciunt. Ordini Minorum addictus fuit, annoque 1301. inſigni Juris civilis, Logices, Phyſices, Metaphyſices, Mathematicæ & Aſtronomiæ peritiâ claruit. Oxonii primum maximo cum adplauſu docuit, poſt Lutetiæ, ubi Doctor Theologus creatus eſt. Ibi notiſſimam de immaculata B. Virginis conceptione controverſiam propalavit, eamque plus quàm ducentis rationibus confirmare ſtuduit. Obiit Johannes, poſtquam magnum apud ſuos nomen eſſet conſequutus, Coloniæ, in Conventu Franciſcanorum, Apoplexiâ correptus, anno 1308. Ob profundiſſimam dicendi obſcuritatem, non tantum *Doctor ſubtilis*, ſed verè σκοτεινὸς, id eſt, tenebricoſus, ut olim Anaxagoras, appellatus traditur Sixto Senenſi, *Bibl. S.* L. IV. Epitaphium ejus à Jano Vitali Panormitano ſcriptum exhibet Labbeus, *Theſauro Epitaph.* p. 285. Aliud verò, quod de ejus emortuali 1308. anno teſtatur, Silveſter Marulus, *Lib. III. Ord. SS. Relig.* f. 253.

Ante oculos ſaxum Doctorem deprimit ingens,
Cujus ad interitum ſacra Minerva gemit.

Siſte gradum Lector fulvo dabis oſculo ſaxo
Corpus Johannis hae tenet urna Scoti.
Anno milleno tercentum cumque adderet Octo,
Poſtremum clauſit leto agitante diem.

Opera ejus magno numerô producunt Willotus, Pitſeus, Labbeus, & Henr. Whartonus. Plurima ex illis prodierunt Patavii, 1474. Omnia verò, quotquot extant, in T. XII. collegit atque Lugduni, 1639. fol. edidit Lucas Vaddingus. Seorſim excuſa ſunt, *Grammatica Speculativa* & *Quæſtiones in Logicam*, Venetiis, 1512. 1600. 8. *Comment. in VIII. Libros Phyſicorum*, Venet. 1504. 4. 1597. quos tamen pro ſuppoſititiis habet Lucas Waddingus. *Quæſtiones Miſcellaneæ de formalitatibus imperfectæ*, Venet. 1514. Paris. 1584. 8. *Expoſitio in Metaphyſicam Ariſtotelis*, Venet. 1407. 1501. *Quodlibeta & Commentarii in IV. Libros Sententiarum*, Venet. 1516. 1597. Antwerpiæ, 1620. & alibi. *Reportatorum Pariſienſium* Lib. IV. Paris. 1519. Venet. 1597. Paris. 1600. 8. *Quæſtiones Quodlibetales*, Pariſiis, 1519. *Commentaria in Geneſin, Evangelia, & Epiſtolas Pauli, Sermones de Tempore & Sanctis & Tractatum de perfectione ſtatuum* manuſcripta memorant Trithemius, Baleus, *Centur. IV.* c. 82. Pitſeus, *de Script. Angl.* f. 392. Waddingus, *de Script. Ord. Minor.* p. 203. Controverſias inter Thomam & Scotum ſuper Libros IV. Sententiarum per quam multas, vaſto volumine exhibuit Joh. de Rhada, Arragonius, Ord. Minor. Pactenſis Epiſcopus. De eo Henr. Willotus, *Athen. Franciſc.* p. 217. Labbeus, T. I. p. 559. & *Append.* p. 813. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 3.

JOH. ECCIVS vide ECCIVS.

JOHANNES.

Euchaitarum in Paphlogonia Archi-Epiſcopus, circa annum 1054. clarus, *Poemata in principalium feſtorum pictas in tabulis hiſtorias* condidit, carmine Jambico, quæ cum Animadverſionibus Mathæi Buſti, Etonenſis, Etonæ, 1610. 4. prodierunt. *Vitam S. Euſebiæ, & Vitam S. Dorothei junioris in Chiliocomo*, quorum fragmenta exhibet Leo Allatius, Lib. *de Conſenſu in Doctr. de Purgatorio*, p. 754. Confer, ſi lubet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 425. & P. II. p. 199. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 113.

JOH.

JOHANNES ERIGENA.

Qui Anglus juxta nonnullos, apud Ergene in confiniis Walliæ, ſecundum alios in Oppido Airæ in Scotia, vel Eri ſeu Erin in Hibernia, natus, circa annum 885. floruit. Hic ipſe, quod tamen multi per errorem tribuunt Joh. Duns Scoto, famoſo Sophiſtæ, à diſcipulis Monachis libraris à ſe reprehenſis, anno 883. aut 886. in Coenobio Malmesburienſi, graphiis confoſſus, præacutisque ſcalpellis interemtus eſt. Graviter itaque hallucinatus Mornæus, dum Lib. *de Euchar.* Lib. IV. c. 8. f. 1620. Oxoniæ illud ei accidiſſe refert, & Bedæ diſcipulum eum facit. Martyribus eum & Sanctis ab initio annumerarunt Pontificii, è quorum tamen numero ipſum exemerunt, transſubſtantiationis dogma impugnantem. Laudatur apprimè Anaſtaſio Bibliothecario, in *Epiſtola* ad Carolum Calvum, a doctrina & pietate inſigni, cujus proinde verba repetimus : *Mirandum eſt, quomodo vir ille barbarus, qui in finibus mundi poſitus, quantò ab hominum converſatione, tantò credi potuit alterius lingvæ dictione longinquius, talia, nimirum Dionyſii opera, intellectu capere, in aliamque lingvam transferre voluerit. Johannem innuo Scotigenam, virum, quem auditû comperi per omnia ſanctum. Sed hoc operatus eſt ille artifex Spiritus, qui hunc ardentem pariter atque loquentem fecit. Niſi enim ex gratia ipſius igne charitatis flagraſſet, nequaquam donum linguis loquendi dubio procul ſuſcepiſſet.* Scripta Johannis enarrant poſt Simlerum, Pitſeus, de *Script. Angl.* f. 168. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 386. Præter alia *de Rerum Naturis*, Lib. V. & *Ambigua S. Maximi*, ſeu *Scholia ejus in difficiles locos Gregorii Nazianz.* quæ lat. Oxonii, 1681. fol. prodierunt. *De Prædeſtinatione Dei contra Gotteſchalcum* Liber, apud Gilbertum Mauguinum, *in Vindiciis Prædeſtinationis & Gratiæ*, T. I. p. 103. *Opera S. Dionyſii Areopagitæ IV. de cœleſti Hierarchia : de Eccleſiaſtica Hierarchia : de divinis nominibus : de Myſtica Theologia*, in latinum ab ipſo tranſlata, manuſcripta habentur in Bibliotheca S. J. Bituricenſi. Quædam ex illis excuſa ſunt, Coloniæ, 1536. inter *Dionyſii Opera. Præfationem* duplicem ad Carolum Calvum edidit Uſſerius, *in Epiſtolarum Hibernicarum Sylloge*, p. 57. Liber *de Corpore & ſanguine J. C. adverſus Gotteſchalcum*, interiit. Confer, poſt autores jamjam adductos, Baleum, & Labbeum, T. I *de Scriptor. Eccleſ.* p. 67. Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 623. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 77. De erroribus

ejus

ejus, quos diſſeminavit, vide Jacobum Thomaſium, *Sched. Hiſt.* p. 59. ſeq.

JOHANNES FISCAMNENSIS.

Ex Monacho Benigniano Coenobii Fiſcamnenſis Prior & Abbas, ab anno 1028. ad 1078. floruit, *Johannelinus* aliàs, a parva corporis ſtatura, adpellatus. *Libellus Precum,* quem ad Agnetem, Imperatricem, Henrici uxorem, ſcripſit, mutilus extat apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 133. *Libelli de divina contemplatione* fragmenta, ibidem, p. 151. *Orationes* ſive *Preces XI.* ibidem, p. 153. *Epiſtolæ III,* ibidem, p. 221. *Liber de inſtitutione viduæ, de Vita & moribus Virginum, de eleemoſynarum diſpenſatione* & alia, interierunt. Confer doctiſſimas Mabillonii animadverſiones, ibidem, p. 161. 223. & qui illum ſequutus, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. 419. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 105.

JOHANNES FRIBVRGENSIS.

Sive *de Vriburgo*, *Runſic* cognominatus, Friburgi in Brisgoia natus, Ord. Præd. Epiſcopus Oſſunenſis in Hungaria, ab anno 1302. ad 1314. claruit. Extat ejus *Summa Prædicatorum,* Reutlingæ, 1487. *Summa Confeſſariorum,* Lugduni, 1518. *Summa e Libris Decretorum,* compilata, & in germanicum translata à Berchtoldo Auguſtæ, 1480. *Gloſſa in Summam Raymundi Pennafortis, de Poenitentia & matrimonio,* Romæ, 1603. 4. Alia ejus enumerant Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 95. 468. & Simlerus, *Epitom.* p. 368. Conf. de eo Antonium Poſſevinum, *in Appar. S.* p. 827. 877. Aub. Miræum, *in Auctar.* p. 272. Lucam Waddingum, in *Bibl. Præd.* Labbeum, T. II. p. 280. Antonium Senenſem, *in Bibl. Præd.* p. 131, 134. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 583. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 7.

JOH. GEILERVS vide KAISERSBERGIVS.

JOHANNES de S. GEMINIANO.

Ord. Præd. Theologus atque Concionator eximius, qui circa annum 1244. claruit, ab aliis ad annum 1310. vel 1319. reponitur. Scripſit *Summam de Exemplis & rerum ſimilitudinibus,* Lib. X. quæ Baſileæ, 1499. Venet. 1497. 4. 1577. 1582. Antwerp. 1583. 8. 1599. Lugd. 1585. Coloniæ, 1670. 4. prodiit. *Orationes Funebres,* Lugduni, 1510. 4. Paris. 1611. 8. *Sermones Quadrageſimales,* Venet. 1584. 8.

Co-

Colon. 1612. 8. Plura ejus Scripta memorat Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* Cent. I. p. 10. Conf. Antonius Senenſis, *Bibl. Præd.* p. 146. Poſſevinus, *in Appar. S.* p. 880. & *in Appendice*, p. 432. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 576. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 499.

JOH. GERBRANDVS.

Batavus Leidenſis, Ord. Carmelit. in Coenobio Harlemenſi Prior, ab anno 1480. ad 1504. floruit, atque nomen poſteritati clarum oſtendit *Chronico Hollandiæ Comitum & Epiſcoporum Ultrajectenſium*, Lib. XXXII. diſtincto, quod inter alios *Rerum Belgicarum Scriptores* edidit Fr. Sweertius, Francof. 1620. f. *Chronicon Egmundanum* quoque condidit, cum notis Antonii Mathæi Leidenſis, Lugduni Batavorum, 1692. 4. excuſum. *Sermones de tempore, de Sanctis, Quadrageſimales, de Paſſione Domini : Hiſtoriam ſui Ordinis*, de quibus Simlerus, Poſſevinus, in *Appar. S.* Sweertius, *Athen. Belg.* Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 316.

JOH. CHARLIERIVS de GERSON.

Gallus, à vico natali dioeceſis Rhemenſis in Campania, Gerſon dictus, annoque 1363. in lucem editus, Petri de Alliaco & Ægidii Campanenſis diſcipulus, Theologus Pariſienſis, Eccleſiæ Cathedralis atque Univerſitatis Cancellarius, titulo *Doctoris Chriſtianiſſimi* celebratus, deceſſit exul Vitæ ſatur, anno 1429. inque S. Laurentii æde humatus, prope D. Pauli Templum, in quo Catechismum docere & pueros, rudesque alios erudire inclytus Vir aſſolitus fuerat. Epitaphium ipſe elegit : *Poenitemini & credite Evangelio.* Fata atque ejus Geſta prolixe narrat Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 55. Scripta ibidem videas ob numeroſam ſatis multitudinem vix transſcribenda. Prodierunt autem Argentinæ, 1488. T. III. 1499. T. IV. Colon. 1483. T. IV. fol. Baſileæ, 1518. T. IV. Paris. 1521. 1606. 4. Seorſim excuſa vidimus *Trilogium Aſtrologiæ moraliſatæ & Lib. contra ſuperſtitioſam dierum obſervationem*, Lugduni, 1519. *Propoſitiones in Concilio Conſtantienſi factæ, contra aſſertiones Fr. Mathæi Grabon Dominicani, de ſtatu perfectionis Religionis Chriſtianæ & Religioſorum. Tractatus contra Sectam Flagellantium, & de defectibus Clericorum*, curâ Joh. Weberi, Erfordiæ, 1616. *De Meditatione Cordis*, Aug. Vindel. 1488. 4. *Documentum notabile de Sacramento Altaris*, ibidem, 1488. 4. *Tractatus de arte audiendi confeſſiones, de remediis contra recidivam peccandi*,

& de trahendis ad Chriſtum puerulis, Nurenbergæ, ſine anni mentione. *Donatum Moraliſatum* edidit Jo. Frid. Hekelius, Plaviæ Variſcorum, 1692. Conf. quoque de Scriptis Joh. de Gerſon, Labbeus, T. I. p. 582. qui pariter atque Whartonus Pariſienſem editionem, anno 1606. adornatam, & IV. Tomis diſtinctam, repræſentat, ordinem tamen juſtæ diſpoſitionis in illa deſiderat. Plura de Joh. Charlierio vide in *Vita*, ejus Operibus præmiſſa, & apud du Pinium, poſt alios.

JOH. GLYCYS.

Byzantinus, ex Logotheca Dromi Patriarcha factus, vir eruditione atque eloquentiæ laude, circa annum 1316. conſpicuus, Nicephori Gregoræ Præceptor, ſenio atque laboribus fractus, anno 1320. in Cyriotiſſæ Coenobium ſeceſſit, ibidemque paulò poſt defunctus. Extat ejus *Teſtamentum* apud Nicephorum Gregoram, *Hiſt. Rom.* Lib. VIII. p. 202. qui *Hiſtoriam Legationis ad Armeniam*, a Johanne ſcriptam, nunc quidem deperditam, ibidem, Lib. VI. p. 135. memorat. De aliis ejus Scriptis adeas Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 373. Eliam du Pinium, & alios.

JOH. GRAMMAT. vide JOH. PHILOPONVS.

JOH. GRITSCH.

Baſileenſis, Ord. Minor. Concionator eximius, anno 1428. claruit. Ejus *Quadrageſimale per totum annum*, Reutlingæ, 1476. Viennæ, 1477. 1581. fol. prodiit. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 303.

JOH. GROSSVS.

Gallus Toloſanus, Ord. Carmel. Præpoſitus Generalis, Concilio Piſano, anno 1411. interfuit, atque anno 1424 obiit. Scripſit *Viridarium Ordinis ſui* Lib. II. quod cum aliis, Venetiis, 1507. f. & in *Speculo Carmelitarum*, Antwerpiæ, 1680. f. prodiit. Conf. Aub. Miræus, *de Origine Ord. Carmelit.* p. 29. & *in Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 486. p. 273. Petrus Lucius, *in Bibl. Carmelit.* Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 659. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 62.

JOH. GVALLENSIS.

Seu *Wallis*, Anglus, Ord. Minor. Monachus in Coenobio Wigornienſi, Philoſophus atque Theologus inſignis, *Arbor Vitæ* appellatus, Lutetiæ, anno 1260. claruit. Laudat illum Lelandus, *Collect. Manuſcript.* T. IV. p. 232. apud *Antiquit. Oxon.* p. 72. *Ea erat, ut*

tum ferebant tempora, inquit; *facundia, eâ ingenii promptitudine, acrimonia felicitate etiam, ut de quacunque re, non dicam ornatè, eloquenter, ſplendidè, ſed acutè, graviter, doctè, potuerit diſſerere. Quæ virtutes ſi pleno copiæ cornu adſint, non video quin inter Eloquentiæ flores, quamvis ad miraculum varios, ſuum, & meritò quidem vel hac noſtra ætate, locum habeant.* Scripſit Johannes Wallenſis *Ordinarium* ſive *Alphabetum vitæ religioſæ*, tribus partibus diſtinctum : *Breviloquium de Philoſophiæ dignitate ejusque abuſu : de IV. Cardinalibus Virtutibus antiquorum Philoſophorum & Principum : Compendioloquium de vitis illuſtrium Philoſophorum : Margaritam Doctorum, ſive Summam de Regimine vitæ humanæ*, quæ omnia Lugduni 1511. fol. excuſa ſunt. *Collectio Epiſtolarum decretalium Romanorum Pontificum* prodiit cum aliis, Ilerdæ, 1576. f. Paris. 1609. *Summa Collationum*, Pariſiis, 1516. 4. 1561. *Expoſitiones ſeu Moralitates fabularum Ovidii*, ibidem, 1509. Plura exhibent Baleus, *Centur.* IV. c. 28. Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* p. 878. 951. Lucas Waddingus, in *Bibl. Præd.* p. 209. Henr. Willot, *Athen. Franc.* p. 244. Caſimirus Oudin, *Suppl.* p. 536. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 506.

JOHANNES HEROLDVS.

Sive *Herlotus*, malè a Poſſevino *Berolis* appellatus, natione Germanus, forte Baſileenſis, Ord. Præd. Theologus atque Concionator facundus, anno 1470. ſub *Diſcipuli* nomine clarus, quod modeſtia ſingulari induerat. Ejus *Loci communes*, Argentor. 1490. fol. Hagen. 1521. 4. prodierunt. *Sermones de Tempore, de Sanctis, Quadrageſimales, Promptuarium ſeu Speculum exemplorum*, Norimb. 1514. Colon. 1518. Venet. 1599. 4. *Sermones ſuper Epiſtolas Dominicales*, Baſil. 1486. fol. Opera omnia excuſa ſunt Moguntiæ, 1612. 4. T. III. De eo Simlerus, *Epitom.* f. 382. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 314.

JOH. HIEROSOLYMITANVS.

Monachus & Presbyter, poſt Hieroſolymitanus Epiſcopus ab anno 386. ad 416. ſediſſe & hoc ipſo obiiſſe fertur. Arianis quidem ab initio favit, aliisque hæreticis, ſi Hieronymo fides habenda, Origenisque autoritatem, non æque dogmata, ſtrenuè defendit. Hinc maximas cum Epiphanio, aliisque, lites exercuit. Laudatur ab aliquibus diſertior Demoſthene, acutior Chryſippo, ſapientior Platone. Scripſit *Librum adverſus obtrectatores*, Gennadio memoratum, qui jam diu interiit. Reliqua verò ſcripta, à Petro

Waſtello in unum collecta atque vindiciis edita, Bruxellis, 1643. fol. falsò Johanni ſupponuntur. Vide illa apud Labbeum, T. I. p. 584. & Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 163. Conf. Gennadium, de *Scriptor.* c. 30. & Aub. Miræum, *in Scholio* ad idem caput. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 87.

JOH. HIEROSOLYMITANVS.

Patriarcha, circa annum 842. clarus, *Joh. Damaſceni Vitam*, Arabicè ſcriptam, græce vertit, quam lat. exhibet Surius, d. VI. Maj. & omnes fere *Damaſceni Operum* editiones. Græcè prodiit Romæ, 1553. 8. & in *editione Damaſceni Baſileenſi*, 1575. Conf. de Joh. Hieroſolymitano, Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 374. & Elias du Pin, T. VI. p. 108.

JOH. de HILDESHEIM.

Weſtphalus, Ord. Carmelit. Monachus, & Petri Thomæ, Ord. Carmel. Generalis, diſcipulus, anno 1370. floruit, cujus *Hiſtoria de translatione trium Regum Magorum*, Coloniæ prodiit. *Speculum fontis Vitæ, de Ordine Carmelitarum Dialogum, Chronicon Hiſtoriarum, de Monſtris in Eccleſia, de Anti-Chriſto, contra Judæos Librum, Sermones, Epiſtolas, Carmina* & alia, memorant Trithemius, Poſſevinus & Guil. Cave, P. I. p. 286.

JOH. HONSEMIVS.

Sive *Hoxſemius*, Belga, Hutgardiæ in dioeceſi Leodicenſi genitus, Philoſophiæ atq; Jurisprudentiæ peritiſſimus, Eccleſiæ Leodienſis S. Lamberti Canonicus & Scholaſticus, anno 1348. nomen ab interitu vindicavit *Hiſtoriâ de rebus geſtis Epiſcoporum Leodienſium*, quam inter ejusdem argumenti Scriptores edidit Joh. Chapeavillus, Leodii, 1613. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 621. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 28.

JOH. HVSSVS.

Bohemus, à patrio loco, pago Huſſenitz, cognominatus, anno 1393. Pragæ Baccalaureus, anno 1395. Magiſter, creatus, poſt quinquennium verò Bethlehemitici templi Sacerdos factus, acutiſſimi vir ingenii & admirabilis eloquentiæ, qui è doctrina Joh. Wiclefi anſam ſumpſit, regnum Chriſti contra Papalem tyrannidem propagandi, integritatemque S. Coenæ adſerendi, etiam ad vivicomburium usque. Inde ſub fide publica Conſtantiam à Si-

gis-

giſmundo evocatus, in fœdum carcerem abjectus, fruſtrà proteſtante Nobilitate Bohemica & Polonica, poſt, fide datâ violata, ſine, quod par fuiſſet, prævio elencho & convictione condemnatus, ſummis adhibitis contumeliis degradatus, & d. VI. Julii, 1415. combuſtus, adeò generosè mortem ferens, ut ad ipſum extremum vitæ halitum non niſi pias preces & melodias ab eo adſtantes audiverint, hinc populo iſta vox expreſſa: *Quid iſte homo antea docuerit aut fecerit, ignoramus, certè, iſta ſunt maxima veræ pietatis indicia.* Omninò Martyr fuit ſanctiſſimus, cujus contra Heriberti Rosweydi, Piſtorii, & aliorum, expunctiones, vindicias ex inſtituto ſuſcepit Danhauerus, *Deuteron. Decalog.* p. 403. ſeqq. Adde integrum & ſolidum Librum Chriſtophori Walpurgeri, Lipſiæ, anno 1614. editum, ſub titulo: *Huſſus combuſtus non convictus*, quæ Eraſmi Roterod. olim fuit ſententia. Opera Huſſi omnia Norinbergæ, duobus Tomis, anno 1558. excuſa, quorum catalogum prolixe recenſet poſt Simlerum, *Epitom. Geſneri*, f. 385. & Boiſſardum, P. III. *Icon. illuſtr. Viror.* p. 199. ſeq. Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 53. ſeq. Seorſim prodierunt ejus, *Epiſtolæ*, Wittenbergæ, 1527. 8. & *Commentarius in Apocalypſin*, ibidem, 1528. Quæ ejus dogmatum ſumma, quis nervus fuerit, vide ex Luthero, Danhauerum, *loco citato*, & Schopffium, *Academ. Chriſti*, p. 193. ubi & de ejus Spiritu vatidico, reformationis Lutheranæ prænuncio. Plura alia Walpurgerus, *loco citato*. Flacius, *Catalogo Teſtium Veritatis*, itemque Zacharias Theobaldus, Lib. *de Bello Huſſitico*, Samuel Martinus Hortzovin, *de vita & geſtis Huſſi*. Adam Rechenberg, *in Joh. Huſſo, Martyre*. Wilhelmus Seyfried, diſſertat. hiſtor. *de Joh. Huſſi vita & morte*. Arnoldus, in *Hæreſiologia*. Hermannus ab Hardt, *Hiſt. Concil. Conſtantienſis*. Jo. Fr. Buddeus, in *Lexico Vniverſali*, & alii quam plurimi, ſuppeditabunt.

JOHANNES.

Jacobitarum in Ægypto Patriarcha, anno 1440. clarus dedit *Epiſtolam ad Eugenium P. R.* quam *Concil.* T. XIII. p. 1201. Lat. exhibet.

JOH. de JANDVNO.

Sive *de Gandavo*, à patriâ dictus, Doctor Peruſinus, Theologiæ atque Philoſophiæ callentiſſimus, Ludovicum, Imperatorem adverſus Joh. XXII. P. R. maſculè defendit, ob id a Papa anathemate

percuſſus, circa annum 1338. floruit. Ejus *Informatio de Nullitate proceſſuum* Joh. XXII. P. R. *contra Ludovicum Imperatorem, pro ſuperioritate Imperatoris in temporalibus,* habetur apud Goldaſtum, *Monarch.* T. I. p. 18. *Quodlibetum* a Marſilio Ficino publicatum, & *Commentaria in Libros ſententiarum* à ſe lecta memorat Goldaſtus, *Præfatione* ad T. I. *Quæſtiones in Phyſica Ariſtotelis,* Venetiis 1501. 1544. Florent. 1485. prodierunt. *Comment. in Metaphyſica ejusdem,* Venetiis, 1525. *Quæſtiones in III. Libros de anima,* Vincentii, 1486. Venet. 1497. 1561. *in Libros de Cœlo & Mundo & in Averrhoem de Subſtantia Orbis,* Venet. 1488. 1501. & alia. Confer Henricum Whartonum, *Append. Cav.* p. 21. cujus veſtigia premimus.

JOH. JEJUNATOR.

Ex jugi auræque popularis avido jejunio dictus, natione Cappadox, Conſtantinopolitanus, ab anno 585. ad 596. Patriarcha, à P. R. Pelagio II. & Gregorio M. ob titulum Univerſalis ſeu Oecumenici, quem ſibi in Synodo Conſtantinop. anno 589. arrogaverat, ſæpiùs exagitatus, teſtibus, Labbeo, T. I. p. 589. & Guil. Caveo, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 301. Scripſit *de Pœnitentia, Continentia & Virginitate Homiliam* ſeu *Epiſtolam Paræneticam, ad Virginem quandam Deo devotam,* quæ gr. lat. inter *Chryſoſtomi Opera* habetur. *De Pſeudo Prophetis & falſis Doctoribus Homiliam,* ibidem. *Libellum Pœnitentialem,* in appendice *ad Librum de Pœnitentia,* p. 77. a Morino editum. *Sermonem de Confeſſione & Pœnitentia,* gr. lat. ibid. p. 91. *de Sacramento baptiſmatis Lib. ad Leandrum, Epiſcopum Hiſpalenſem,* qui interiit. Conf. de eo, poſt citatos Autores, Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 95.

JOH. de IMOLA.

Patriâ Bononienſis, cujus olim parentes Imolâ Bononiam transmigraverant, ubi iſte publicè docendo claruit, usque ad annum 1436. quô obiit. Baldi ſenis auditorem fuiſſe, Labbeus T. I. p. 590. & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 68. ſcribunt. Ejus inſuper ſuper *III. Lib. decretal. ſuper ſexto Decretalium & Clementinis Commentarii* paſſim noti, Venetiis, 1575. f T. II. prodierunt. *Comment. in primam & ſecundum Infortiati, Digeſtique novi partes,* Bononiæ, 1580. *Conſiliorum Volumen,* Venet. 1581. & alia alibi. Conf. de eo Boiſſardus, *Icon.* P. I. p. 118.

JOHANNES.

Italus, Romanus, Monachus & Prior Cluniacenſis, circa annum 950. floruit, atque Libros III. *de Vita Odonis*, Præceptoris ſui, ſcriſit, quos Andreas du Cheſne, in *Bibl. Cluniacenſi*, & Joh. Mabillon. *Sec. Bened.* V. p. 150. ediderunt. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 185. & Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 304.

JOH. de LAPIDE.

Germanus, Ord. Carthuſ. Monachus, Doctor Theologiæ Pariſienſis, claruit circa annum 1492. atque condidit *Reſolutorium dubiorum circa celebrationem Miſſarum occurrentium*, Baſileæ, 1492. 8. Daventriæ, 1493. Lipſiæ, 1499. 1597. Colon. 1501. 1506. 4. Antwerpiæ, 1511. 4. Venet. 1516. Conſtantiæ, 1596. 12. Paris. 1598. Patavii, 1599. excuſum. *De Aſcenſione Domini & de immaculata Virginis conceptione*, inter *Mefrethi Sermones*. *De qualitate & officio Sacerdotis* & alia, vide apud Poſſevinum, & Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 318.

JOH. LATTEBVRIVS vide LATTEBVRIVS.

JOH. LVD. VIVADLVS, vide VIVALDVS.

JOH. LVD. VIVES vide VIVES.

JOHANNES.

Lugdunenſis Archi-Epiſcopus, circa annum 1112. Synodum convocavit, in qua inveſtituras Laicorum damnavit. Scripſit *Epiſtolam reſponſoriam* ad Senonenſes Epiſcopos, qui Laicorum inveſtituras licitas pronunciaverant, quæ *Concil.* T. X. p. 786. habetur. De eo Guil. Cave, P. I. p. 448.

JOHANNES.

Lyddenſis Epiſcopus, anno 1194. cujus *Epiſtolam ad Michaelem, Patriarcham Hieroſolymitanum electum*, Baluzius, *Miſcellan.* T. II. p. 242. exhibet. Conf. Guil. Cave, P. I. p. 480. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv*, T. IX. p. 203.

JOH. de LYDGATE.

Ex oppido Lydgat, Comitatus Suffolcienſis in Angliâ oriundus, Ord. Bened. Monachus Buriæ, in Coenobio ad S. Edmundum, ubi & floruit ſexagenarius, anno 1440. teſte Pitſeo, *de Script. Angl.* f. 632. Mul-

Multa anglicè & Latinè, proſâ & ligatâ, ſcripſit, quæ ibidem recenſentur. Ex his Lib. IX. *de caſibus illuſtrium virorum,* ab Adamo ad Joh. Franciæ Regem, ab Anglis in Pictavia captum, quos ex Joh. Boccatio, aliisque, tranſtulit, Londini 1527. & 1554. prodierunt. *Hiſtoria Belli Thebani,* carmine Anglico, & *Poemation de bono Conſilio,* ad calcem *Chauceri Operum,* Londini, 1657. fol. Lib. *de Saltu Machabræ,* ibidem, 1554. *Vita & res geſta Hectoris,* Londini, 1614. Plura vide apud Baleum, *Centur.* VIII. c. 7. Pitſeum, *loco citato,* & Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 80. Ejus quoque meminit Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. 9. p. 631. ubi tamen expungas mendum typographicum, quod pro 1440. anno, quô Lydgatus ſub Henrico VI. Angliæ Rege ſexagenarius vixit, 1411. habet.

JOH. MAJOR.

Vernacula lingua *Mayr,* Hadintonenſis ſeu Hadyngtonanus, Scotus, Theologiæ Doctor in Academia Pariſienſi, anno 1528. adhuc ſuperſtes, juxta Labbeum, T. I. p. 591. Edidit *Hiſtoriam Majoris Britanniæ,* Pariſiis, 1521. *Comment. in Mathæum,* ibidem, 1518. & *in Libros Sententiarum,* ibidem, 1519. De eodem vide Voſſium, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. 13. Pitſeus, quoad vidimus, ejus non meminit, citatus tamen à Labbeo, *loco citato.* Is enim Joh. Major, Anglus, quem *Append. Scriptor. Angl.* f. 878. Pitſeus memorat, ejusdemque in IV. *Evangel. Poſtillam Scholaſticam* citat, anno jam 1400. claruit, noſtro Majore ultra Seculum antiquior.

JOH. MALALA vide MALALA.

JOH. MARIA de MONTE.

Sipontinus Metropolita, Concilio Lateranenſi, anno 1513. interfuit, ibidemque *Sermonem ad Patres,* de Inſtitutione Conciliorum, Julii Pontificis laudibus, reſtituenda juſtitia, unitate ac pace, habuit, quem vide *Concil.* T. XIV. p. 121. Pauca de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 136.

JOH. MAXENTIVS vide MAXENTIVS.

JOH. MEDER vide MEDER.

JOHANNES MOSCHVS.

Paſſim *Eviratus* ſive *Evirates* dictus, profeſſione Monachus, circa

circa annum 630. vixit & *Pratum ſpirituale* ſcripſit, inter *Vitas Patrum*, a Rosweydo lat. editum, Lugduni, 1617. p. 647. & T. VII. *Bibl. Patr.* Paris. edit. 2. f. 1641. Græcè verò & latine in *Auctar. gr. lat. Bibl. Patr.* anno 1624. T. II, 1057. & Tomo XIII. *Morelliana.* Integrius extat apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 341. Stylum Joh. Moſchi rudem ac ſimplicem eſſe, jam diu obſervavit Photius, *Cod.* 199. Nec quempiam moretur, quod à Barthio, *Animadverſ. ad Claudian. Poet.* f. 89. Joh. Moſcho tribuatur Liber, *Scala Paradiſi* dictus, idemque Autor, Climaci nomen adeptus dicatur: Typothetæ referimus lubentes hoc ſphalma, qui pro Monacho, Moſchum facilè ſubſtituit, ab autore tamen prætermiſſum, nec expunctum, inter tot immunera fere, quæ ſub finem libri notavit. Conferas de Joh. Moſcho, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 319. & Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 17. ſeq.

JOH. NAVCLERVS.

Nobilis Svevus, vulgò *Vergehaus*, a patre Joh. Verga dictus, quod nautam notat, unde græcè *Nauclerus* vocatus, notante Voſſio, L. III. *Hiſt. Lat.* c. 10. eodem modo, quo diſcipulus ejus Joh. Reuchlinus, ab Hermolao Barbaro græcè Capnionis, & Philippus, græcum Melanchtonis nomen à Reuchlino accepit. Floruit autem Nauclerus Tubingæ, Juris Utriusque Doctor & Juris Canonici Profeſſor, primusque iſtius Academiæ Rector, anno 1477. imò Eccleſiæ Tubingenſis Præfectus, ad annum 1500. *Chronicon ejus Univerſale,* ab O. C. ad annum 1500. prodiit Tubingæ, 1515. & cum appendice Nicolai Baſelii, Monachi Hirſaugienſis, Colon. 1544. *Paralipomena* adjecit Laurentius Surius, omnibus omnino cordatioribus inviſus, quia impudentiſſimè ſæpè mentitus, quem ipſemet Baronius, eò, quod nobiliſſimum antiſtitem, Victorinum Pictavienſem, mendaciter infamaſſet, acriter reprehendit, anno 324. num. 126. ut non habeat, quod de Orthodoxis, quos Acatholicos vocat, conqueratur Labbeus, T. I. p. 597. Excuſa ſunt illa cum *Chronico*, Coloniæ, 1564. fol. T. III. & 1579. f. De eo, poſt alios, diſſeruit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 126.

JOH. de NEAPOLI.

Ab urbe patriâ dictus, Ord. Præd. Theologus & *Doctor ſolennis* Pariſienſis, Thomæ Sectarius, ab anno 1315. ad annum 1323.

& ultra floruit. Ejus *Quæſtiones XLII. Theologicæ & Philoſophicæ*, Neapoli, 1618. f. prodierunt. *Comment.* ſuper *Lib. IV. Sententiarum*, *Quodlibeta XIII. Sermones de Tempore, de Sanctis, de mortuis*, ex Ambroſii de Altamura *Bibl. Prædicatorum*, p. 105. memorat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 12.

JOHANNES.

Nicenus Archi-Epiſcopus, ante Seculum XI. laudatus, ſcripſit ad Zachariam, Majoris Armeniæ Catholicum, *de Nativitate Domini Librum*, quem gr. lat. cum notis ſuis edidit Fr. Combefiſius, *Auct. Nov.* T. II. p. 297. Conf. Guil. Cave, *diſſ. I. de incertæ ætatis Scriptoribus*, P. II. *Hiſt. Litter.* annexa, p. 10. & Cotelerius, *not. ad Patr. Apoſtol.* p. 233.

JOHANNES.

Presbyter Nicomedienſis, anno 316. Paſſioni S. Baſilii, Amaſææ in Ponto Epiſcopi, adfuit, atque illius Martyrii *Hiſtoriam* deſcripſit, quam interpolatam, poſt alios, exhibent Bollandiani, die XXVI. April. Conf. Baronius, *ad ann. 316. num. 14.* ſeq. & Guil. Cave, P. II. p. 42.

JOH. NIDER.

Patriâ Svevus, Ord. Præd. Theologus, atque Baſileenſium Prior, Hæreticæ pravitatis Inquiſitor & Gymnaſii Viennenſis Rector, anno 1431. ab Academia Viennenſi ad Concilium Baſileenſe miſſus, adverſus Huſſitas diſputavit, atque Nürembergæ, anno 1438. obiit. Scripſit *Conſolatorium timoratæ conſcientiæ*, Pariſiis, 1494. 16. Romæ, 1604. 8. excuſum. *Formicarium, ſeu Dialogum ad vitam Chriſtianam exemplo conditionum formicæ incitativum*, Paris. 1519. 4. Duaci, 1602. 8. *Præceptorium, ſeu Tractatum de X. Præceptis*, Paris. 1507. 4. 1515. 4. Duaci, 1612. 8. *Alphabetum divini amoris*, inter *Gerſonis Opera*, Pariſiis, 1606. fol. *De modo benè vivendi librum*, ſub nomine Bernardi, ad Sororem, Pariſiis, 1494. 16. Romæ, 1604. 8. *De Reformatione Religioſorum* Lib. III. Antwerpiæ, 1611. 8. *De Contractibus Mercatorum* Lib. in *Tractatu Tractatuum Juris*, Venet. 1584. T. VI. p. 279. & inter alia, Lugduni, 1593. p. 615. *Sermones totius anni de tempore & Sanctis cum Quadrageſimali*, alicubi, in 8. *Epiſtolas* II. ad Bohemos, *Concil.* T. XII. p. 848. *Aliam*, ad Concilium Baſileenſe, ibidem, p. 969. His ab

ab Henrico Whartono, *Append. Cav.* p. 72. adductis, ſuperaddas *de Morali Lepra, Manuale Confeſſorum, & diſpoſitorium moriendi*, vetuſtiſſimis typis edita, in 4to. *De Viſionibus ac revelationibus Opus rariſſimum*, hiſtoriis Germaniæ refertiſſimum, anno 1517. Argentinæ editum, ac luci & integritati reſtitutum, ab Hermanno von der Hardt, Helmſtadii, 1691. 8. Dicunt de eo Poſſevinus, in *Appar. S.* T. I. p. 925. Altamura, in *Bibl. Præd.* p. 170. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 703. Henr. Wharton, *loco citato.*

JOH. NIVICELLENSIS.

Decretorum Doctor, Nivicellenſis Abbas, editor & Autor *Concordantiarum S. Scripturæ Autoritatum & Canonum ſeu Juris Canonici*, Baſileæ, 1489. fol. Vidimus Johannis, Decretorum Doctoris, & Abbatis Vincellenſis, *Vade mecum, de collationibus Dominicis, & Feſtivis*, ſine loci annique notatione, quod ad noſtrum fortè Johannem Nivicellenſem ſpectabit.

JOH. PALÆOLOGVS.

Andronici junioris, Imperatoris, filius natu maximus, qui ei anno 1341. in Imperio ſucceſſit, anno 1391. Byzantii obiit. Produxerunt, ſub Joh. Palæologi nomine, *Profeſſionem fidei*, Eccleſiæ græcæ confeſſioni fidei oppoſitam, Bzovius, gr. lat. *in Annal. Eccleſ.* & Leo Allatius, Lib. *de Conſenſu*, L. II. c. 17. *Sec. VI. col.* 843. quam tamen nonnulli in dubium vocant. Vide de hac *profeſſione fidei* atque *Epiſtola Joh. Palæologi* ad Patriarcham Alexandr. in manuſcripto Bibl. Vaticanæ adſervatâ, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 282.

JOH. PALÆONYDORVS vide JOH. VETERAQVINAS.

JOH. PARCEVALLVS.

Anglus, Ord. Carthuſ. & Pariſienſis Conventus Prior, teſtibus Petrejo, in *Biblioth.* & Pitſeo, *de Script. Angl.* f. 685. cujus calculo, anno 1500. Simleri vero, 1450. floruit, ſcripſitque poſt alia multa, quæ deperdita feruntur, *Compendium amoris divini*, excuſum Pariſiis, 1530.

JOH. PARISIENSIS.

Ord. Prædic. Monachus atque Theologus Pariſienſis, famâ

& doctrinâ inclytus, circa annum 1290. Philippi Pulchri, Franco- rum Regis, Jura, adverſus Bonifacium VIII. P. R. maſcule defendit. Ipſe tamen ſub cenſuram vocatus, cum novum in S. Coena corporis Chriſti modum, excogitaſſet. Hinc Guilielmum Pariſienſem, Ægidium Bituricenſem, Bertrandum Aurelianenſem & Guilielmum Albianenſem, Epiſcopos, hoſtes habuit, atque à prædicandi pariter ac prælegendi munere ſuſpenſus fuit. Cauſam igitur Romæ pro ſe dicturus, ibidem, anno 1304. obdormivit. Extat ejus Tractatus *de Regia Poteſtate & Papali*, cum aliis, Paris. 1506. 4. & apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 107. *Determinatio de modo exiſtendi Corpus Chriſti in Sacramento Altaris, alio, quam ſit ille, quem tenet Eccleſia*, ex manuſcripto Codice S. Victoris Pariſienſis, cum prolixa & erudita præfatione, D. P. Allixii, *de dogmate transſubſtantiationis*, Londini, 1686. 8. Videas de illa *Acta Eruditorum Lipſ.* ann. 1687. p. 135. *Correctorium Doctrinæ S. Thomæ*, ſub Ægidii Columnæ nomine, editum, Venet. 1501. Colon. 1624. 8. *Determinatio de Secta Chriſtiana per teſtimonia Gentilium, aliaque de Confeſſionibus Fratrum*, manuſcripta Oxonii in Bibliotheca Lincolnienſi adſervantur. Alia ejus deperdita memorat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 518. Hic quoque alîus Johannis Pariſienſis meminit, P. II. p. 274. S. Victoris Pariſienſis Canonici Regularis, qui *Memoriale* ſeu *Flores Hiſtoriarum* ſcripſit, quod manuſcriptum in *Bibl. Cantabrig.* habetur. Quædam ex illo exhibent Launojus, *diſſert. de Brunone*, p. 79. ſeq. Andreas du Cheſne, *Collect. Veter. Hiſtor. Franc. Scriptor.* T. I. p. 128. Aub. Miræus, *Auctuar.* c. 403. & alii. Confer de noſtro, poſt Trithemium, Leandrum Albertum, Antonium Senenſem, Bellarminum, Aubertus Miræus, in *Auctuar. de Scriptor.* cap. 405. p. 263. Ambroſius de Altamura, in *Bibl. Præd.* p. 46. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 571. Theophylus Raynaudus, *de bonis & malis libris*, p. 122. Allix, in *Præfatione* ſuprà laudatâ, & alii.

JOH. PECKAM.

Anglus Suſſexienſis, Ordinis Franciſc. Provincialis, Oxonii atque Lutetiæ, publice prælegit. Poſtquam deinde Romam adpuliſſet, ibidemque non minus inclaruiſſet, Archi Epiſcopus Cantuarienſis conſtituitur, Sedique ab anno 1278. ad 1291. præfuit. Alia, quæ ipſi acciderunt, relata legimus apud Guil. Caveum, *Hiſt.*

Litt.

Litt. P. I. p. 512. Scripſit *Collectanea Bibliorum*, Pariſiis, 1514. Colon. 1541. *Conſtitutiones XLVII.* de variis argumentis, quæ apud Lindwodum, *in Provinciali.* *Perſpectivam communem*, cum figuris à L. Gaurico, emendatiorem & diſtinctiorem excuſam. Manuſcripta extant, referente Caveo, *de SS. Trinitate Liber: Collationes de omnibus Dominicis per annum: Meditatio de Corpore Chriſti: Diſputationes: Tractatus de Myſtica interpretatione numerorum in S. Scriptura*, & alia, de quibus Baleus & Pitſeus fuſe differunt. De Joh. Peckam, Henr. Willot, in *Athen. Franc.* Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Lucas Waddingus, in *Bibl. Præd.* p. 217. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p 562. Goodwinus, *de Præſul. Angl.* p. 142.

JOH. PICVS vide MIRANDVLA.

JOH. PINVS.

Patriâ Tholoſanus, Rivorum Epiſcopus, circa annum 1500. ſcripſit *Vitam Catharinæ Senenſis*, inter *foeminas illuſtres* editam, Paris. 1521. fol. & cum *Vita Philippi Beroaldi Bononienſis*, à Joh. ſcripta, Bononiæ, 1505. 4. *Vitam Rochi Narbonenſis & Allobrogicæ narrationis* Lib. II. Paris. 1516. 4. *De Vita & Laudibus Codri Vrcei*, cum *Vrcei Operibus*, Bononiæ, 1502. De eo conferas Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 319.

JOHANNES PHILOPONVS.

Grammaticus & Philoſophus Alexandrinus, Platonis atque Ariſtotelis Sectarius, circa annum 601. claruit. Hic cum naturam ac hypoſtaſin confunderet, varios profeſſus eſt errores, unicam in Chriſto, tres verò in Trinitate naturas, adſerens. Hinc Tritheitarum Autor non immeritò exiſtimatur. Mortuorum quoque reſurrectionem negaſſe dicitur, aliaque ſparſiſſe erronea, de quibus *σύγχρονοι* ejus teſtantur, qui eum ob aſſiduos labores, *Philoponum*, vocarunt. De Stylo audiamus Photium, *Cod.* 75. *Dictionis genere ſui ſimilis eſt, perſpicuus ſcilicet, nihilque intenſum habens aut grave.* Ejus, Svida teſte, ſunt quamplurima in Grammaticis, Philoſophia, Arithmetica, Rhetoricis, & in Litteris divinis opera. Lib. *in Hexaemeron*, ſeu *in caput I. Geneſeos* & *diſputationem* de *Paſchate*, gr. lat. ex Manuſcripto vetuſtiſſimo Cæſareo, Viennæ, 1630. 4. Balthaſar Corderius edidit. *De æternitate mundi contra Proclum* Liber, gr. Venetiis, 1535.

 Lug-

Lugduni, 1557. fol. prodiit. *De Dialecticis Græcorum* Liber, gr. Baſil. 1532. Paris. 1521. Venet. 1525. *Comment. in Ariſtotelis Analytica*, gr. Venet. 1534. *Comment. in Librum de Generatione & corruptione*, gr. Venet. 1527. *de anima*, gr. ibidem, 1535. Lugd. 1558. fol. *in Lib. V. de generatione animalium*, gr. Venet. 1526. *in Lib. I. Meteororum*, ibidem, 1551. *Comment. in IV. priores Lib. Phyſicorum*, gr. ibidem. 1555. *Comment. in IV. priores Acroamaticorum*, gr. ibidem, 1535. *De Reſurrectione opus: adverſus Synodum Chalcedonenſem Liber; adverſus ea, quæ de SS. Trinitate tradidit Joh. Scholaſticus: contra Jamblichi opus, de Simulacris opus: adverſus Procli opus contra Chriſtianos: contra Severum: de Unione Liber*, interierunt. *Contra Acephalos* cap. XVII. in *Bibl. Vindobon.* habentur. Operis ejus διαιτητὴς dicti, inſigne fragmentum, adhuc ineditum, ex Lib. IV. c. 7. manuſcriptum penes ſe habet Godefridus Olearius, Lipſienſis Theologus, Patruelis noſter honoratiſſimus. Plura de Joh. Philopono dabunt Nicephorus, Lib. XIIX. c. 47. Photius, *Cod.* 21. 43. 240. & alibi. Poſſevinus, in *Apparatu S.* Balthaſar Corderius, *in præfatione ad Comment. in Geneſeos caput I.* Caſimirus Oudin, *Suppl.* p. 159. ſeq. Jac. Gaddius, *de Scriptor. non Eccleſ.* T. I. p. 203. Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 311. & P. II. p. 126. *Acta Eruditorum Lipſienſium, Supplem.* T. II, p. 477. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 12.

JOH. PLVSIADENVS.

Archi-Presbyter, circa annum 1450. clarus, quem Leo Allatius cum Joſepho Pluſiadeno forſan confundit, ſcripſit *Dialogum* ſeu *diſceptationem pro Synodo Florentina*, quam gr. lat. inter *Græciæ Orthodoxæ Scriptores*, T. I. p. 583. idem Allatius exhibuit. Conf. Librum ejus *de Conſenſu*, L. III. c. 3. & vide, quid Henr. Wharton ei objiciat, *in Append. Cav.* p. 92.

JOH. POLEMAR.

Barcinonenſis Eccleſiæ Archidiaconus, Juriſque Pontificii in Gymnaſio Viennenſi Doctor, Concilio Baſileenſi, anno 1433. interfuit, ibidemque *Orationem* habuit contra quartum articulum Huſſitarum, *de civili dominio Clericorum*, quæ *Concil.* T. XII. p. 1364. ſeq. apud Bzovium, ad ann. 1433. §. 338. & Henr. Caniſium, *Antiq. Lect.* T. IV. P. II. p. 229. Hunc eundem eſſe arbitramur cum illo Joh. de Palomar, Barcinonenſe Archidiacono, quem anno 1420. vixiſſe & ad Joh. Abbatem Monaſterii Scot. Ord. Bened. Wienenſis, *de abſti-*

nen-

nentia carnium Lib. I. Sermones item, atque *quæſtiones* ſcripſiſſe, refert Simlerus, *Epitom. Geſneri*, f. 396. b. & ante hunc, Trithemius, *de Script. Eccleſ.* f. 132. a. Agit de Johanne noſtro Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 75. qui merita ejus in Concilio Baſileenſi prolixe enarrat.

JOHANNES I. P. R.

Natione Tuſcus, Conſtantii filius, Pontifex anno 523. conſecratus, obiit in carcere, in quem ipſum conjecerat Theodoricus, anno 526. Ei quidem II. *Epiſtolas* Binius, *Concil.* T. IV. p. 1603. attribuit, quas tamen naſutiores critici rejiciunt. Reliqua falso ipſi tributa vide apud Ludov. Jacobum à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 127. Confer, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 281.

JOHANNES II. P. R.

Cognomento *Mercurius*, ortu Romanus, Projecti filius, ex Eccleſiæ Romanæ, titulo S. Clementis, Presbytero, Papa, anno 532. coronatus, anno 535. obiit. Hic Phraſin iſtam, *Unus de Trinitate paſſus eſt*, ab Hormisda P. R. damnatam, Juſtiniani, Imperatoris rogatu, confirmavit. Habentur ejus *Epiſtolæ* VI. *Concil.* T. IV. p. 1741. quarum *prima* à Labbeo, & aliis reprobatur. De eo autores modo citati differunt, & quidem, Guil. Cave, P. I. p. 286. Lud. Jacob, *loco citato*, p. 128.

JOHANNES IV. P. R.

Natione Dalmata, Venantii, Scholaſtici, filius, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, anno demum 640. Pontifex Romanus electus, obiit anno 642. Extat ejus *Epiſtola* ad Scotos Epiſcopos, de Paſchate more Romano celebrando, & Hæreſi Pelagiana extirpanda, *Concil.* T. V. p. 1757. *Apologia pro Honorio Papa, ad Conſtantinum, Imperatorem*, ibidem, 1758. & inter *Collectanea Anaſtaſii Bibliothecarii* a Sirmondo, Pariſiis, 1620. edita. *Epiſtola ad Iſaacium, Syracuſanum Epiſcopum*, ibidem, 1772. Conf. poſt autores modò allegatos, Aubertus Miræus, in *Auct. de Scriptor. Eccleſ.* cap. 186. p. 217. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 169. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 19.

JOHANNES VII. P. R.

Gente Græcus, Platonis filius, Papa Romanus, anno 705. conſecratus, anno 707. ad plures tranſiit. Scripſit *Epiſtolam ad Ethel-*

re-

redum, Merciorum, & Alfridum, Deirorum, Reges, de Wilfridi, Eboracenſis Archi-Epiſcopi, cauſa, quam vide *Concil.* T. VI. p. 1390. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 337. & Lud. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 131. qui alia ejus memoravit.

JOHANNES VIII. P. R.

Ortu Romanus, patriæque Eccleſiæ Archidiaconus, Hadriano, P. R. in dignitate Papali ſucceſſit, anno 873. Poſt alia, quæ geſſit, notatu non indigna, haud præterfugimus, quod Photium, Patriarcham Conſtantinopol. in communionem recepit, atque Sacra Moravis, lingva vernaculâ, celebrare, anno 880. permiſit. Obiit anno 882. atque reliquit *Epiſtolas* 326. & *fragmenta* quædam, *Concil.* T. IX. p. 2. inſerta. *Sermo in electione Caroli Calvi, Imperatoris*, ibidem, p. 295. habetur. *Conſtitutio de jure Cardinalium*, quæ apud Baronium, T. X. *Annal. ad ann. 882 num. 8.* & *Concil.* T. VII. ſpuria videtur Eliæ du Pinio, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 193. Agunt de eo Guil. Cave, P. I. p. 394. Lud. Jacob, *loco citato*, p. 132. Elias du Pin, T. VII. à p. 183. ad 193. ubi prolixe de Johannis VIII. Scriptis diſſeruit.

JOHANNES IX. P. R.

Romanus Tiburtinenſis, Pontifex Romanus, anno 898. factus, anno 900. obiit. Extant ejus *Epiſtolæ* IV. *Concil.* T. IX. p. 483. De eo Guil. Cave, & Lud. Jacob & alii, quos excutias. His Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 15.

JOHANNES X. P. R.

Ex Eccleſiæ Ravennatis Presbytero, Epiſcopus Bononienſis, poſt Archi Epiſcopus Ravennas, & Epiſcopus Romanus, anno 915. ordinatus, anno verò 928. Maroziæ, meretricis, Theodoræ filiæ, inſidiis, carceri incluſus, atque in eodem ſtrangulatus eſt. Ejus *Epiſtolæ* III. vide *Concil.* T. IX. p. 574 *Vitam* vero *Concil.* T. IX. p. 569. Loquuntur de eo Guil. Cave, P. I. p. 405. Ludov. Jacob, p. 133. Du Pin, T. VIII. p. 17.

JOHANNES XII. P. R.

Romanus Patricius, *Octavianus* anteà dictus, Papa anno 956. juvenis 18. annorum conſecratus, homo libidinoſus, tyrannicus, ambitioſus, perfidus, anno 964. e vivis deceſſit, à Diabolo lethaliter ſauciatus. Scripſit *Epiſtolam* ad Dunſtanum, Archi-Epiſcopum Can-

Cantuarienſem, *de Pallio*, & *reſcriptum pro excommunicatione Iſuardi & ſociorum*, quæ *Concil.* T. IX. p. 641. habentur. Confer. de eo Baronius, *ad annum* 964. num. 17. *Concil.* T. IX. p. 640. Lud. Jacob. p. 134. Guil. Cave, P. I. p. 409. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII, p. 19.

JOHANNES XIII. P. R.

Itidem Romanus, Epiſcopus Narnienſis, anno 965. Papa coronatus, obiit, poſtquam a Rotfredo, urbis Præfecto, urbe ejectus, atque ab Ottone, Imperatore, reſtitutus fuiſſet, annô 972. *Epiſtolæ* ejus IV. extant *Concil.* T. IX. p. 663. Vide autores modò citatos.

JOHANNES XV. P. R.

Gente Romanus, qui Leonem, Presbyterum, Patrem habuit, anno 986. Pontifex conſecratus, anno verò 996. expiravit. Scripſit *Epiſtolas*, III. quæ *Concil.* T. IX. p. 741. habentur.

JOHANNES XXI. P. R.

Petrus Juliani anteà dictus, gente Luſitanus, ex Medico inſigni Cardinalis & Epiſcopus Tuſculanus, imò poſt Adriani V. obitum, annô 1276. Pontifex Romanus, anno 1288. obiit. Scripſit *Epiſtolam ad Eduardum I. Angliæ Regem, de non gravanda Hibernia*, quæ *Concil.* T. X. P. I. p. 1030. habetur. *Epiſtolam ad Francorum Regem*, ab Oldoino ad Ciacconium editam. *Epiſtolam ad Philippum Minoritam, hæreſeos in Marchia Tarvicina inquiſitorem*, apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. II. ad ann. 1277. *Epiſtolas* III. ibidem, in *Regeſt. Pontif.* p. 119. *Summulas Logicales*, Pariſiis, 1487. f. Venet. 1572. 4. *Parva Logicalia*, in partes ac capita diſtincta, Venet. 1593. 4. *Tractatus Logicales* VI, Colon. 1503. *Theſaurum Pauperum*, Lugduni, 1525. Paris. 1577. 16. Francof. 1576. 1578. 8. Plura alia ejus manuſcripta ſuppeditabunt Lud. Jacob à S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 138. Joh. Antonius van der Linden, *de Scriptoribus Medicis*, Lib. I. p. 526.

JOHANNES XXII. P. R,

Jacobus Oſſa ſeu *Deuſa* alio nomine dictus, Aquitanus, patriâ Cadurcenſis, non Cauponis aut Sutoris filius, ſed militari progenie natus, Caroli, Siciliæ Regis, Cancellarius, Roberti Vice Cancellarius, Epiſcopus Forolivienſis, Archi-Epiſcopus Avenionenſis, Cardinalis Epiſcopus Portuenſis & Pontifex Romanus, anno 1316.

Lugduni conſecratus, Avenione, anno 1334. obiit. Notari meretur poſt alia, ejus cum Franciſcanis de Chriſti & Apoſtolorum paupertate controverſia, quâ illis rerum mundanarum uſum pariter atque dominium adſcripſit. Sententiam ejus, de non videndo ante Reſurrectionem Deo, jam dudum notarunt Doctores Sorbonici. Plura litteris conſignavit, utpote *Epiſtolas* VI. *Concil.* T. XI. p. 1629. *Epiſtolas alias* LXIII. apud Bzovium, *Annal.* ad ann. 1317. *Epiſtolas alias LXXV.* apud Waddingum, *Annal. Minor.* ad ann. 1317. *Epiſtolas alias* CCXCVI. ibidem, T. III. in *Regeſto Pontif.* p. 52. *Conſtitutiones XX. Apoſtolicas,* ſive *Extravagantes,* quas tamen ei abjudicat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 13. Prodierunt autem Rothomagi, 1519. 12. Francof. 1586. 8. Venet. 1591. 8. Lugduni, 1584. fol. *Acta Inquiſitionis adverſus Petrum de Palude, & Epiſtolam,* exhibet Baluzius, *Miſcellan.* T. I. p. 165. *Epiſtolarum Regeſtum,* partibus V. diſtinctum, manuſcriptum adſervant Bibl. Vaticana, Barbarina, & aliæ. *Argumenta & Initia Epiſtolarum,* vide *Concil.* T. XI. p. 1643. *Retractationem de quæſtione, Num animæ Sanctorum non fruantur Dei viſione ante judicium extremum,* quæ apud Joh. Villanum, *Hiſtor. Florent.* Lib. II. c. 19. *Ars Metallorum transmutatoria,* ex latina in Gallicam linguam translata, prodiit Lugduni, 1557. 8. *Articuli contra Monachos,* Baſileæ, 1555. 8. *Bullæ & Epiſtolæ XIX.* apud Baluzium, *Vit. Patr. Avenion.* T. II. Plura ejus Scripta, in membranis quidem deliteſcentia, memorant Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 139. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 273. Joh. Pariſienſis, in *Vita Joh. XXII.* de qua ſupra, p. 397. diximus.

JOHANNES XXIII. P. R.

Seu juxta alios XXIV. *Balthaſar Coſſa* aliàs appellatus, patriâ Neapolitanus, Juris civilis & Canonici Doctor in Academia Bononienſi factus, poſt Bonifacii IX. Cubicularius, Archidiaconus Bononienſis, Protonotarius Apoſtolicus, Diaconus Cardinalis S. Euſtachii & Legatus Flaminiæ, anno demum 1410. Pontifex creatus poſtquam, Alexandrum V. veneno extinxiſſet, atque Cardinales pecuniâ partim, armorum partim ſtrepitu, in ſuas partes rapuiſſet. Papatum abdicare coactus, variorum criminum, utpote, negatæ animarum immortalitatis, Atheismi, Simoniæ, homicidii, veneficii, aleæ, adulterii, Sodomiæ, ſtupri & aliorum, in Concilio Conſtan-

ſtantienſi, accuſatus, poſt triennalem captivitatem, Florentiæ, 1418. obiit. Scripſit *Bullam convocationis Concilii Conſtantienſis*, quæ *Concil.* T. XII. p. 11. habetur. *Sponſionem de abdicando Papatu*, ibidem, p. 16. *Epiſtolas* quasdam apud Binium, *in Concilio Conſtantienſi*, T. VII. Epiſtolæ II. apud Bzovium, ad annum 1413. ſeq. Confer. de eo Geſnerus, *in Bibl.* Lucas Waddingus, in *Annal. Minor.* T. V. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 62. Lud. Jacob, *loco citato*, p. 140. ſeq.

JOHANNES de QVALEA

Patriâ Parmenſis, Ordinis Minorum Monachus, *Sec.* XIII. clarus, ſcripſit *Tractatum de Civitate Chriſti*, qui Rhegii, 1501 & Romæ, 1523. prodiit. Conf. de eo Lucas Waddingus, in *Bibl. Præd.* & Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 548.

JOH. de RAGVSIO.

Natione Dalmata, Ord. Præd. Monachus & Procurator Generalis, Concilio Baſileenſi anno 1433. interfuit. Poſt Epiſcopus Argentinenſis, aut Argenſis, & Cardinalis, titulo S. Sixti, factus creditur. Habetur ejus *Oratio de Communione ſub utraque Laicis non concedenda*, in Concilio Baſileenſi habita, *Concil.* T. XII. p. 1013. apud Bzovium, *ad annum 1433.* §. 99. & Henr. Caniſium, *Antiq. Lect.* T. III. P. II, p. 1. De eo poſt alios, Henr. Wharton, *Append. Cav* p. 74.

JOH. RAVLINVS.

Tullenſis, ex Doctore Theologo Pariſienſi, circa annum 1497. Cluniacenſis Monachus, Lutetiæ, anno 1514. obiit. Opera, quæ reliquit, Theologica, Antwerpiæ, 1612. 4. T. VI. prodierunt. *Sermones*, Pariſiis, 1642 8. Vol. II. Seorſim verò *Sermones de Adventu Domini*, Paris. 1516 1519 8. Venet. 1584. 4. *Sermones Quadrageſimales ſuper Epiſtolas & Evangelia* II. Voluminibus excuſa, Pariſiis, 1511. 1523. Venet. 1584. *Itinerarium Paradiſi* ſeu *Sermones de Poenitentia*, Paris. 1524. *Sermones de feſtivitatibus Sanctorum totius anni*, Paris. 1524. *Doctrinale de triplici morte, naturali, Culpæ & Gehennæ*, ibidem, 1520. & cum *Itinerario Paradiſi*, Venet. 1585. 4. *Volumen Epiſtolarum* LV. & alia, Pariſiis, 1520. 4. *Oratio de Reformatione Cleri ad Capitulum Generale*, edita primum Baſileæ, 1498. recuſa Dorſchei curâ, & ſubjuncta *Parallel. Monaſt. & Acad.* ab ipſo edit. Argentorati, 1644. p. 121. ſeqq. Meminit quoque Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 105.

105. *Commentarii in omnes Logicos Libros Ariſtotelis*, a Johanne Raulino ſcripti, atque typis excuſi, Pariſiis, 1500.

JOH. REVCHLINVS vide REVCHLINVS.

JOHANNES ROFFENSIS.

Cognomine *Fiſcherus*, natione Anglus, ex Eboracenſi dioeceſi oriundus, S. Theologiæ Doctor Cantabrigienſis, Roffenſis Epiſcopus, Cardinalis præterea, vir omnibus Epiſcopalibus virtutibus ſuffarcinatiſſimus; elogio Erasmi, apud Pitſeum, *de Scriptor. Angl.* p. 717. Ob improbatum tamen Henrici VIII. Angliæ Regis, cujus Præceptor fuerat, divortium, anno 1535. ſecuri percuſſus, una cum Thoma Moro, cui poſt paucos dies conſimile accidit, humanæ mutabilitatis exemplum orbi præbuit. Vide pluribus Boiſſardum, P. I. *Icon. illuſtr.* p. 115. Sixtum Senenſem, L. IV. *Bibl.* Pitſeum, *loco citato*, p. 717. ubi ſimul recenſita ejus opera omnia, Herbipoli, 1597. edita, legas. Sunt autem. *Aſſertio VII. Sacramentorum adverſus Lutherum : Ejusdem aſſertionis defenſio : contra captivitatem Babylonicam Lutheri cap. XII. Aſſertionis Lutheranæ confutatio : De Euchariſtia contra Oecolampadium Lib. V. Sacerdotii defenſio adverſus Lutherum : Contra Ulricum Velenum Minhonienſem, Petrum fuiſſe, Romæ Liber. Concio Londini habita vernaculè,* quando publicè combuſti ſunt Lutheri Libri : *De fructu Orationis* Liber : *Expoſitio Orationis Dominicæ : pro damnatione Lutheri* Liber : *De unica Magdalena*, Lib. III. *Commentarii in VII. Pſalmos Poenitentiales : Concio de Paſſione Domini : alia de juſtitia Phariſæorum & Chriſtianorum : Methodus perveniendi ad ſummam Chriſtianæ Religionis perfectionem : Epiſtola de Charitate Chriſtiana : De neceſſitate orandi : Pſalmi & precationes ſelectæ e Davide & Novo Teſtamento.* Aliam Joh. Roffenſis Operum editionem, Herbipoli, 1557. impreſſam, exhibet Labbeus, *diſſert. de Scriptor.* T. I. p. 602. ſeq. illa, quam modo ex Pitſeo repræſentavimus, longè imperfectiorem. *Librum contra XLI articulos Lutheri* à Joh. Roffenſi ſcriptum, germanicè vertit atque Lipſiæ, anno 1536. 4. edidit, Caſpar Meckenlor, Guardianus Arnſtadienſis.

JOHANNES de RVPESCISSA.

à Natali fortè loco, viculo ſcilicet, duobus circiter milliariis a Lugduno diſtante, ſic dictus, quod e Chiffletio colligimus, qui P. II. *Veſuntionis* c. 77. f. 294. alterius cujusdam, huic noſtro cognominis

minis, & Biſuntini, anno 1429. Archi-Epiſcopi, meminit, Epiſcopus Pariſienſis III. clarus, anno 1340. juxta Trithemium, quanquam Simlerus, Geſneri abbreviator, ad annum 1240. eum referat, niſi ſphalma reputare velis. Teſtibus Veritatis annumeratur, *Catalog.* f. 519. & Schöpfio, *Acad. Jeſu Chriſti*, f. 191. Henricus quoque Willotus, ubi inter Ord. Minor. Sodales recenſet, p. 216. refert, multa eum, cum Avinione incarceratus eſſet, vaticinatum fuiſſe, de adventu Anti-Chriſti, Eccleſiæ conculcatione & repurgatione, vitia etiam illius ævi acerrimè perſtrinxiſſe, ſcripſiſſe è vinculis *revelationum ſuarum* Librum: *ſuper ſententias*, Lib. IV. *Oraculum Cyrilli* Lib. &c. Ejus *de conſideratione quintæ eſſentiæ rerum omnium* opus, duobus libris diſtinctum, Baſileæ dicitur excuſum, 1561. Quædam ejus contra Cardinalium faſtum & avaritiam, in carcere Avinionenſi ſcripta, producit Adam Nachennoſer, *Prognoſt. Magn.* P. II. f. 33. *Concionem* verò *Joh. de Rupeſciſſa, contra Papam*, exhibet Innocent. Gentilettus, *Ant. Machiav.* p. 216 ſeqq.

JOH. RVSBROCHIVS vide RVSBROCHIVS.

JOHANNES SAPIENS.

Cypariſſiota cognominatus, gente Græcus, quem Henricus Wharton, ad annum 1360. collocat, ſcripſit *expoſitionem Materiarum earum, quæ de Deo à Theologis dicuntur*, decem decadibus partitam, myſticâ & ſymbolica Theologia refertiſſimam, quam lat. produxit Franc. Turrianus, Romæ, 1581. 4. exinde in *Bibl. Patrum Colon.* T. XI. f. 497. & *editionem noviſſimam*, T. XXI. p. 377. translatam. *Sermones II. Palamicarum transgreſſionum*, edidit gr. lat. Combefiſius, in *Auctuar. Noviſſ.* Paris. 1672.

JOH. SARISBVRIENSIS.

à Patria dictus, natione Anglus, ex Clerico, anno 1172 Epiſcopus Carnotenſis, anno 1179. Concilio Lateranenſi interfuit, atq; anno 1182. obiit. Vir erat eloquentiſſimus, morumque cenſor rigidiſſimus, græce & latine doctiſſimus, in quo matutinam ſtellam de ſuis theſauris Deum produxiſſe, ait Petrus, Abbas Cellenſis, Lib. VI. *Epiſtol.* 8. Multa ſcripſit quæ profert Pitſeus, *Angl. Script.* f. 248. Labbeus, T. I, p. 606. Ex his *Polycraticus* ſeu *de Nugis Curialium & veſtigiis Philoſophorum*, Lib. VIII. Pariſiis, 1513. 4. 1610. 8. Lugd.

Batav. 1595. 8. 1639. 8. & in *Bibl. Patr.* T. XXIII. prodiit. Ex hoc Polycratico ſatis conſtat, duriter ipſum inſectatum eſſe ſcelera Papæ, & Cleri Romani quam ob cauſam & dignum eum, quem Teſtibus Veritatis inſereret, habuit Flacius, fol. 645. *edit. Baſil.* anno 1556. *Metalogici Libri* IV. cum *Polycratico*, Pariſiis, 1610. Lugd. Batav. 1639. excuſi. *Vita S. Thomæ, Archi-Epiſcopi Cantuarienſis*, integra cum *Epiſtolis Joh. Sarisburienſis*, Paris. 1611. 4. mutila & imperfecta, Paris. 1495. 4. Bruxellis, 1682. 4. Recentiſſimè illam imprimi curavit Henricus Whartonus, *Angl. Sacr.* T. II. p. 149. *Epiſtolæ* 303. in *Bibl. Patr.* T. XXIII. *Epiſtolarum aliarum* Liber, Paris. 1611. 4. *Epiſtolæ* 93. Bruxellis, 1682. 4. *Commentarii in Epiſtolas Pauli*, Amſtelodami, 1646. 4. & alia, de quibus, poſt Pitſeum & Labbeum, Aub. Miræus, in *Auctuar.* c. 369. p. 251. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. II. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 476. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 229. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 440. qui Septem ejus *Epiſtolas hiſtoricas*, ab Andrea Du Chesnio, T. IV. p. 465. *Collectan. Hiſt. Franc.* Pariſiis, anno 1641. editas, commemoravit. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 167.

JOH. SCHOLASTICVS

à Profeſſione dictus, Syrus, ex Sirimi Cynegicæ Regionis in dioeceſi Antiochena vico oriundus, Presbyter & Apocriſiarius Antiochenus, & anno 464. Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 578. ad plures tranſiit. Hujus *Collectionem Canonum*, *Nomocanonem, Capita Eccleſiaſtica*, gr. lat. ediderunt Henricus Júſtellus & Guilielmus Voellius, in *Bibl. Juris Canonici*, Pariſiis, 1662. fol. T. II. p. 499. 603. 660. *Oratio Catechetica de Sancta conſubſtantiali Trinitate*, Photio, *Cod.* 75. memorata, interiit. Agunt de Joh. Scholaſtico, Baronius, in *Annal* ad ann. 554 num. 11. ſeq Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 122 Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P I. p. 298. Zieglerus, *præliminar. ad Comment. Jur. Canon.* p. 14. Gerhardus van Maſtricht *Hiſtoria Juris Canon.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 89. & alii.

JOH. SEGOVIENSIS.

Ab urbe patriâ dictus, natione Hiſpanus, Theologiæ in Academia Salmanticenſi Profeſſor, & Canonicus Toletanus, Concilio Baſileenſi interfuit, annoque 1440. maximè claruit, quo purpurâ S. à Foelice V. Antipapa ornatus, Foelice verò dignitate exuto, Mo-

Monaſticam vitam elegit. Laudat illum Æneas Sylvius, ut Theologiæ peritiſſimum, & ſumma Scientia virum, moribus & doctrinâ illuſtrem, cujus virtutem & ſummam bonitatem adverſarii vel inviti fuerint venerati. Scripſit *Concordantias biblicas vocum indeclinabilium*, ordine alphabetico diſpoſitas, ſeorſim à Joh. Frobenio Baſileæ, 1476. & inter *Majoris Concordantias*, excuſas. *Tractatus de immaculata B. Mariæ conceptione*, Bruxellis, 1664. fol. prodiit. *Acta Concilii Baſileenſis*, ſummâ fide ab Auguſtino Patricio Senenſi abbreviata, vide *Concil.* T. III. col. 1612. *Oratio* in Concilio Baſileenſi proclamata, extat apud Æneam Sylvium, *Comment. Baſil. Synod.* Lib. I. p. 34. Hic quoque Johannis Segovienſis *Verſionem Alcorani latinam & refutationem* memorat, *Europ.* c. 42. p. 44. Alius atque à noſtro diverſus eſt Joh. Sebonienſis, Operis *de Prædeſtinatione Evangelica*, in Lib. IV. diviſi, atque Compluti, 1573. Brixiæ, 1586. 4. impreſſi, Autor, cujus meminit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 308. De noſtro, poſt alios, conferas Nicolaum Antonium, in *Bibl. Hiſpan. Veter.*

JOH. TABIENSIS.

Seu *Johannes Cognatius*, natione Ligur, à Tabia, Caſtello natali ora occidentalis Liguriæ, vinis Apianis inclyto, Tabienſis dictus, unde & *Summa Caſuum Conſcientiæ*, ab eo conſcripta & Venetiis, anno 1569. edita, *Tabiana* vocatur. Floruit adhuc anno 1524. ſi fides Antonio Senenſi, apud Labbeum, T. I. p. 607.

JOHANN. TAMBACO.

Argentinenſis, Ord. Præd. in patriâ Monachus, poſt Studii Pragenſis primus Rector, Sacri Palatii Magiſter, anno 1384. floruit. Ejus *Speculum Patientiæ* ſeu *de Conſolatione Theologiæ* Lib. XV. Pariſiis, 1493. Colon. 1502. Norimbergæ, 1509. & alibi prodiit *De Culpa & Gratia*, & alia ejus manuſcripta referunt, Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 129. Antonius Poſſevinus, in *Appar.* S. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 663. De eo Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 44. Natalis Alexander, *Hiſtor. Eccleſ. Sec. XIII.* P. II. artic. 8. p. 819.

JOH. TARENTINVS.

Archi-Epiſcopus, Conciliis, Baſileenſi atque Ferrarienſi interfuit, annoque 1332. claruit. Ejus *Oratio* in Concilio Baſileenſi ha-

ſi habita, extat *Concil.* T. XII. p. 884. & apud Bzovium, ad annum 1432. §. 51. Loquitur de eo Henr. Wharton, *loco citato*, p. 74.

JOH. TAVLERVS vide TAVLERVS.

JOH. TRITHEMIVS.

Sive *Tritenheimius*, à vico natali ad Moſellam, fluvium, in Trevirenſi ditione ſito, dictus, natus, anno 1462. Patre quidem Johanne de Monte, matre verò Eliſabetha de Longovico. Treveris & Heidelbergæ ſtudiorum fundamenta jecit, pòſt Monaſtico Bened. Ord. in Spanhemenſi, Dioeceſis Moguntinæ, Coenobio, prope Crucenacum, anno 1482. dicatus, ejusdemque, anno ſequenti, Abbas, juvenis ſingulari & rara eruditione pollens Philoſophus, Mathematicus, Poeta, Hiſtoricus, & Theologus inſignis. Tandem in Herbipolitani ſuburbii Monaſterio Burzfeldenſi, ad quod regendum evocatus fuerat, piè defunctus, non anno 1499. uti quidam malè computant, cenſente Labbeo, T. I. p. 610. neque anno 1519. prout Bellarminus refert, ſed anno 1516. ipsô Luciæ die, ſicut ex ejus lapide ſepulcrali, in Abbatia Herbipolenſi erecto, comprobat Joh. Buſæus, *hiſtorica relatione*, præfixa *operibus Trithemii piis & ſpiritualibus*, Moguntiæ, 1604. à ſe editis. Magum fruſtra ex eo faciunt, qui eum criminis hujus, audacter nimis accuſarunt. Illis enim a Naudæo & aliis jamdudum fuit reſponſum. Ejus Bibliothecam eximiam & inſtructiſſimam, plusquam 2000. melioris notæ Codicum, in variis lingvis manuſcriptorum, laudat Lomeierus, *de Bibliothecis*, p. 167. Plurima ſcripſit Johannes Trithemius, quæ poſt Labbeum recenſent Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 113. ſeq. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 316. Seorſim *Chronologia Myſtica de Intelligentiis, Orbem poſt Deum moventibus*, Colon. 1567. 8. prodiit. *Compendium* ſeu *Breviarium primi Voluminis Chronicorum de origine Francorum*, Paris. 1539. f. *De origine Francorum* Liber, Baſileæ, 1547. cum præcedenti opere, & apud Schardium, *Rerum German.* T. I. p. 170. *Chronicon ſucceſſionis Ducum Bavariæ, & Comitum Palatinorum*, Francof. 1544. 1549. 4. *Catalogus Scriptorum Eccleſiaſticorum*, Moguntiæ, 1494. Paris. 1512. Colon. 1531. 1546. 4. Florent. 1593. Baſil. 1594. *Chronicon Hirſaugienſe*, Baſil. 1559. f. & ex Codice Sangallenſi, anno 1690. fol. Hæc & alia ejus *Opuſcula Hiſtorica*, Marquardus Freherus edidit, Francofurti, 1601. T. II. fol. *De viris illuſtribus Ord. S. Bened.* Lib. IV.

Co-

Colon. 1575. 4. excuſi ſunt. *Commentarius in Regulam S. Benedicti*, Valencenis, 1608. *Sermonum ad Monachos* Lib. II. Argent. 1486. f. Antwerp. 1574. 8. Florentiæ, 1577. 4. *Liber Penthicus* ſeu *lugubris de ſtatu & ruina Ord. Bened.* Florent. 1577. 4. Hæc cum aliis, Whartono & Labbeo memoratis, vulgavit Joh. Buſæus, Moguntiæ, 1604. f. *Curioſitas Regia ſeu Quæſtiones VIII. Theologicæ* à Maximiliano, Imperatore, propoſitæ & à Trithemio ſolutæ, Oppenheimii, 1515. Francof. 1550. 8. & alibi. *De Laudibus Ord. Carmelit.* Florentiæ, 1593. 4. Lugduni, 1639. Colon. 1643. 8. & alia, quæ junctim produxit idem Buſæus, Moguntiæ, 1605. 8. Colon. 1624. 8. *Vita S. Maximini Archi-Epiſcopi Trevirenſis*, habetur apud Surium, d. XVI. Novembr. *Vita S. Maximi, Epiſcopi Moguntini*, ibidem, d. XIIX. Nov. *Epiſtola ad Petrum, Abbatem Amerbachienſem*, apud Lambecium, *Comment. de Bibl. Vindob.* T. III. *Append.* p. 341. *Polygraphiæ* Lib. VI. cum *Clave*, - - 1518. f. Colon. 1571. 8. *Tractatus de Providentia Dei*, Altorfi, 1611. 8. *Tractatus Chymicus* - - - 1611. 8. Argent. 1613. 8 *Liber de Veneficis*, germanicè, Ingolſtadii, 1555. 4. *Steganographiam* autem *Trithemii*, quæ cum *Clave* ſeorſim prodiit, Francof. 1606. 4. & Darmſtadii, 1621. 4 averſati ſunt multi, multi etiam benignius illam tractarunt. Adamus Tannerus, S. J. *Oratione quâdam inaugurali*, Ingolſtadii, 1515. 4. edita, tentatis & conquiſitis, quæ habuit, omnibus, tandem p. 20. concludit, ab omni culpa, ob mali ſpeciem, Trithemium abſolvere ſe non poſſe. At Guſtavus Selenus, hoc eſt, Sereniſſimus Brunſuicenſium Dux, Auguſtus, ſub ingeniosè ficto nomine iſto latens, grandi volumine, Librisque IX. *Syſtematis Cryptographiæ*, anno 1624. f. Luneburgæ, editæ, illud Trithemii opus ab omni magicæ ſuſpicionis labe purgare auſus fuit. Quo ſucceſſu? vide Conringium, *de Bibl. Aug. ad Illuſtr. Boineburgium*, p. 151. ſeqq. Idem ferè tentavit Jo. Caramuel Lobkowitz, in *Vindiciis Steganographiæ Trithemianæ*, Colon. 1635. 4. Scripſit prætereà Trithemius *de Veterum Sophorum Sigillis & imaginationibus magicis* Librum, qui ex manuſcripto anno 1612. 8. prodiit. Aliis ejus, quæ in manuſcriptis deliteſcunt, non immoramur, quorum Catalogum ipſe Trithemius, *Epiſtol.* Lib. II. *Epiſtol.* 50. Joſ. Simlerus, *Bibl. Tigurin.* p. 421. Hieronymus Ghilinus, in *Theatro Viror. Litter.* p. 13. & Guil. Cave, *loco citato*, exhibebunt.

JOH. de TVRRECREMATA.

Hiſpanus, à natali oppido Torquemada, dioeceſeos Palentinæ, dictus, Ord Præd. Theologiæ & Juris Pontificii Doctor, Magiſter S. Palatii, Presbyter Cardinalis, titulo S. Sixti, Orenſanenſis, Albanenſis & demum Sabinenſis Epiſcopus, ab anno 1439. ad 1468. eruditione & vitæ Sanctitate claruit. Variis Conciliis, Baſileenſi, Florentino, atque Bituricenſi, interfuit. Scripta, quæ reliquit, Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 80. enumerat. Singula prodierunt Auguſtæ, 1471 T. VIII. Seorſim verò in *Decretum Gratiani Commentar.* T. V. Lugd 1555. Venet. 1578. *Summa de Eccleſia & ejus autoritate*, Lugd. 1496. Venet. 1561. *De Pontificis Conciliique Generalis Autoritate ad Baſileenſem Oratorem Reſponſio*, Venet. 1563. 4. & *Concil.* T. XIII. p. 1661. ſeqq. *Meditationes in figuras, Romæ in templo S. Mariæ de Minerva poſitas*, Romæ, 1467. 1473. fol. *Expoſitio omnium Pauli Epiſtolarum*, Baſil. 1490. *Quodlibeta*, Argent. 1490. *Comment. in Pſalterium Davidis*, Moguntiæ, 1474. Argent. 1487. Venet. 1485. fol. 1513. *Sermones de Tempore & de Sanctis*, Lugduni 1509. *Tract. de aqua benedicta*, contra Petrum Anglicum, Romæ, 1559. *De Veritate Conceptionis B. Virginis Mariæ*, Romæ, 1547. 4. *Comment. in Regulam S. Benedicti*, Pariſiis, 1494. Colon. 1575. *Expoſitio Regulæ S. Brigittæ*, Colon. 1628. *Defenſorium ſuper ejusdem revelationes*, inter *Brigittæ Opera*, Romæ, 1557. fol. *Salus animæ*, Londini, 1509. Tract. *contra principales errores Mahumedanorum*, Paris. 1465. 8. *Collectio omnium Quæſtionum Thomæ de P. R. authoritate*, Auguſtæ, 1496. Venet. 1562. Lugduni, 1496. *diſſertatio contra Græcos in Concilio Florentino*, habetur *Concil.* T. XIII. p. 1141. De eo Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan*, T. II. f. 228. Nicolaus Antonius, *in Bibl. Hiſpan.* Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 191. Labbeus, T. I. p. 615. Henricus Wharton, *loco citato.*

JOH. VETERAQVINAS.

Græco nomine *Palæonydorus*, Hollandus fuit, de oppido noto, Jacobi Arminii Patriâ, aqua veteri, dicto, oriundus. Ord. Carmelit. in Conventu Machlinienſi Monachus, & S. Theologiæ Doctor, Trithemio familiaris, unde conſtat, anno 1507. eum obiiſſe. Ejus Liber *trimereſtus*, uti inſcripſit, *anaphoricus, panegyricus, de principio & progreſſu Ord. Carmelit.* cujus fundatores S. Eliam & Eliſæum fuiſſe, vanè narrat, ut & *Manuale ejusdem Ordinis*, Moguntiæ, prodierunt. *Pro-*

pu-

pugnaculum Carmelitarum, Venet. 1570. 4. De aliis, quæ edidit, vid. Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* p. 547. Simlerus, *Bibl. Tigurin.* p. 402. Franc. Sweertius. *Athen. Belg.* p. 389. Anton. de Alegre, *Paradiſ. Carmel.* p. 370. Confer quoque de Joh. Veteraquinate, Dorſcheum, *Syllog. Semeſtr.* p. 84. 90. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 126.

JOH. VITALIS à FVRNO.

Vaſatenſis, Aquitanus, Ord. Minor. & Cardinalis Epiſcopus Albanus, ab anno 1310. ad 1327. juxta Labbeum, in *Chronologia*, floruit. Ejus *Speculum morale totius S. Scripturæ*, Lugduni, 1513. Venet. 1594. 1600. prodiit. *Poſtillam in Apocalypſin & Sermonem de Conceptione B. Mariæ*, manuſcripta memorat Caſimirus Oudinus, *Suppl. de Scriptor.* p. 586. Agunt de Joh. Vitali, Poſſevinus, in *Appar. S.* T. I. p. 953. & T. II. p. 532. Lucas Waddingus, *in Bibl. Minorum*, p. 330, & alii.

JONAS.

Incerti Monaſterii Abbas, Columbani diſcipulus, vixit circa annum 664. atque *de Vita & miraculis S. Johannis*, Abbatis Reomaenſis, Lib. II. condidit, quorum poſteriorem exhibet Mabillon, *Sec. Bened.* I. p. 637. De eo Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 132.

JONAS.

Aurelianenſis Epiſcopus, anno 821. ordinatus, Concilio Pariſienſi, anno 829. Senonenſi, anno 833. & aliis interfuit, annoq; 843. obiit. Scripſit Libros III. *contra Claudii Taurinenſis Apologiam pro Imaginibus*, quos caute legendos eſſe monent Pontificii, & ex iis præcipue Baronius, Bellarminus, Petavius, Mabillonius, Labbeus, Oudinus, eo, quod ad ornatum ſaltem & memoriam, non autem ſuperſtitioſam adorationem, imagines in templis tolerandas adſeruit. Extant illi in *Hæreſiolog.* Baſil. 1556. *in Orthodoxogr.* T. II. p. 1526. & in *Bibl. Patr.* Paris. *edit.* 2. T. IV. p. 688. Ejusdem *Libros* III. *inſtitutionis Laicorum*, primus publicavit Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. I. *De Inſtitutione Regia* Librum, idem, T. V. p. 57. *Hiſtoria translationis S. Hucberti, Epiſcopi Tungrienſis*, in Monaſterium Andaginenſe, in *Hiſtoria Hucberti*, Joh. Roberti, S. J. & apud Mabillonium, *Sec. Bened.* IV. P. I. p. 293. habetur. Aliqua etiam Jonæ iſtius *Carmina*, cum aliis Drepanii, Theodulphi & aliorum, Rivinus,

Lipſiæ, 1653. vulgavit. Differunt de Jona Aurelianenſi, Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. II. f. 139. Labbeus, T. I. *diſſertat.* p. 161. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script.* p. 236. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 366. & P. II. p. 159. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 3.

JONAS.

Natione Gallus, Fontanellæ, in Dioeceſi Rothomagenſi, Monachus, circa annum 729. floruit, atque *Vitam S. Wulframni, Senonenſis Epiſcopi,* ſcripſit, quam vide apud Surium, & Bolland. d. XX. Martii. Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. I. Confer, ſi lubet, Anton. Poſſevinum, in *Appar. S.* Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 618. Aub. Miræum, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* cap. 206. p. 220. & cap. 196 p. 219. & in *Scholio* ad Sigebert, caput 61. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 191. Guil. Caveum, *loco citato*, P. I. p. 339.

JONAS.

Ex Monacho Bobienſi & Luxovienſi, Abbas Luxovienſis, neque Anglus, neque Hibernus, aut Scotus, ſed Italus, haud procul Placentiâ oriundus, prout hanc litem digladiantium inter ſe pro eo ſibi vindicando Scriptorum Britannorum, Labbeus dirimit, T. I. p. 623. & Voſſium, Poſſevinum, aliosque aberrationis arguit, atque anno 662. floruiſſe docet. Scripſit *Vitam S. Columbani*, quæ apud Surium, d. XXI. Novembr. & Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 5. habetur. *Vitam Euſtaſii, Abbatis Luxovienſis*, apud Surium, d. XXIX. Martii, & Mabillonium, *Sec.* II. p. 115. *Vitam Attalæ, Abbatis Bobienſis,* apud Surium, d. X. Martii. *Vitam Bertulphi, Abbatis Bobienſis,* apud eundem, d. XIX. Aug. & Mabillonium *Sec. II.* p. 160. *Vitam S. Joh. Reomaenſis Monaſterii fundatoris,* quam Roverius, cum notis, Pariſiis, 1637. *Hiſtoriæ Abbatum Remoaenſium*, inſeruit. *Vitam S. Faræ ſeu Burgundofaræ, Abbatiſſæ Eboracenſis,* apud Surium, & Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 439. Vide, poſt alios modo citatos, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 318. & P. II. p. 130.

JORDANVS de QVEDLINBORCH.

Patriâ Saxo, nonnullis Jordanus de Saxonia dictus, S. Auguſtini Monachus & Lector Magdeburgenſis, juxta Caveum, P. II. p. 286. ab anno 1370. ad 1380. floruit, non autem anno 1410. ſicut Trithemius ſcripſit, ideò à Caveo notatus. Extat Jordani *opus Sermo-*

num

num de Sanctis, Pariſiis, 1500. 4. 1521. 4. *Opus Poſtillarum & Sermonum ſuper Evangelia Dominicalia*, Argentinæ, 1483. fol. *De Vitis fratrum Ordinis ſui*, Leodii, 1625. 8. *Vita S. Monicæ, S. Auguſtini Matris*, apud Bollandum, d. IV. Martii. *De quatuor Communionibus; locali, ſpirituali, temporali, portionali*, italicè edidit Fivizenus, Romæ, 1586. *Speculum Auguſtinianorum* manuſcriptum memorat Guil. Cave, *loco citato*. Ei quoque tribuit Caſimirus Oudinus, p. 639: *Chronica qualiter Romanum Imperium tranſlatum fuit ad Germanos*, Baſileæ, 1559. 8. cum Æneæ Sylvii Tractatu, *de ortu & autoritate Romani Imperii*, impreſſa. De eo Poſſevinus, in *Appar*. S. Aub. Miræus, de *Script. Eccleſ.* c. 471. p. 269. Joſephus Pamphilus, in *Chron. Auguſtin.* Elſſius, in *Encomiaſtico Auguſtin*, & alii.

JORDANVS de SAXONIA.

Ord. Domin. Monachus, poſt Lombardiæ Provincialis, & anno 1223. ſui Ordinis Generalis, anno 1236. obiit. Scripſit *Coronam Virginis Mariæ*, Placentiæ, 1599. 12. & alibi vulgatam. Librum *de Origine ſui Ordinis*, cum Maffæi notis, Romæ, 1587. *Hiſtoriam tranſlationis corporis S. Dominici*, apud Bzovium in *Annal.* ad ann. 1233. num. 5. *Jordani Vitam* a Leandro Alberto exaratam, vide apud Surium, d. XIII. Febr. Loquuntur de Jordano Saxone, Bollandus, *in Vitis Sanctorum*, d. XIII. Febr. Gerhardus Joannes Voſſius, de *Hiſt. Lat.* Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 6. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 526. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 494.

JORNANDES.

Qui *Jordanus* quoque dictus, Gothorum Notarius, deinde Monachus & Epiſcopus Ravennas, Gothicæ originis, anno 552. floruit. Ejus de *Rebus Geticis* Liber, Pariſiis, 1588. Hamburgi, 1611. Lugd. Batav. 1618. Amſtelodami, 1655. 8. prodiit. *De Regnorum & temporum ſucceſſione*, Francof. 1588. Lugd. Batav. 1595. 8. Utrumque cum notis Jani Gruteri, prodiit. Hanov. 1611. Vide quid de eo judicent, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 20. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 292.

IOSEPHVS.

Alexandrinus Archidiaconus, anno 869. Concilio Conſtantino-

nopolitano interfuit. Ejus *Oratio brevis Panegyrica ad Synodum*, habetur *Concil.* T. VIII. p. 1114. Pauca de eo Guil. Cave, P. I. p. 392.

JOSEPHVS

Theodori Studitæ frater, *Confeſſor* ideò dictus, quod Iconodulię cauſam ſtrenue propugnaret, Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, anno tamen 809. Sede pulſus, poſt annum 816. in exilio obiit. *Orationem ejus in exaltationem venerandæ & vivificæ crucis*, gr. lat. edidit Gretſerus, *de Cruce*, T. II. p. 1200. *Epiſtolam ad Simeonem, Monachum*, Baronius, ad ann. 808. num. 22. Conf. Aub. Miræus, in *Auctuar. de Scriptor.* c. 244. p. 229. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 226. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* p. 357. Elias du Pin, T. VII. p. 9.

JOSEPHVS.

Methonenſis Epiſcopus, anno 1440. ſcripſit contra calumnias Marci Epheſii pro Synodo Florentina *Apologiam* quæ gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 677. habetur. Vide de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 80.

JOSEPHVS.

Gente Græcus, ex Archi-Epiſcopo Epheſino, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab anno 1416. aut juxta alios, ab anno 1424. unionis ſanciendæ causâ cum Latinis Ferrariæ convenit, ibidemque eisdem ſubſcripſit, gravi tamen poenitentiâ ductus, anno 1439. poſt paucos dies e vita migravit. Extat ejus *Epiſtola* ad Concilium Baſileenſe, *Concil.* T. XII. p. 545. *Bulla plumbea ad idem*, ibidem, p. 157. gr. lat. *Oratio* ad Synodum Conſtantinop. apud Sguropulum, *Hiſtor. Concil. Florent.* Sect. II. c. 18. *Oratio ejusdem argumenti*, ibidem, c. 24. *Oratio alia*, ibidem, *Sect.* III. c. 16. Prolixè de eo dixit Henricus Wharton, *loco citato*, p. 65.

IRENÆVS.

Aſianus, Smyrnæus, S. Polycarpi diſcipulus, Lugdunenſis Presbyter, quem anno 97. natum, circa annum 167. floruiſſe exiſtimat Doodwellus, vix Martyr cenſendus, juxta Caveum, P. I. p. 30. Opera Irenæi prodierunt Baſileæ, 1526. 1534. 1548. 1560. f. 1571. Paris. 1563. 1567. 8. Genevæ, 1570. f. Paris. 1577. 8. Colon. Agripp. 1595. f. Paris. 1639. f. 1675. Noviſſime è Theatro Scheldoniano *opus adverſus Hæreſes* edidit Joh. Erneſtus Grabe, Oxon. 1702. f. De Ire-

Irenæo Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. I. p. 291. Baronius, & Labbeus, T. I. p. 639. Spizelius, *Academ. J. C.* p. 41. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 18. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 119. Stylo utitur Irenæus ſimplici & inelaborato, qui nullam perſvadendi vim oſtendit.

ISAACVS ARGYRVS.

Gente Græcus, profeſſione Monachus, Barlaami diſcipulus, circa annum 1373. floruit, atque ſcripſit, *Computum*, Heidelbergæ, 1611. 4. & cum Dionyſii Petavii notis, in *Doctrina Temporum*, T. III. p. 359. excuſum. *Computus alter* extat ibidem, p. 384. *Excerptum* alterius cum notis Joſ. Scaligeri, vide cum Hippolyti Canone Paſchali, Lugd. Batav. 1595. 4. p. 25. gr. lat. impreſſum. *Encomium in Demetrium Martyrem: Homiliam in verba illa Domini:* Hæc mando vobis ut diligatis &c. & alia ejus manuſcripta citat Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 286. qui Iſaacum Argyrum, à ſingulari, quâ polluit, Matheſeos peritia, præcipuè commendat.

ISAACVS.

Magnæ Armeniæ, juxta Combefiſium, Catholicus, circa annum 1150. Cujus *Orationes invectivæ II. adverſus Armenos, idem cum Eutychete, Dioſcuro, &c. ſapientes*, gr. lat. apud Combefiſium, *in Auctuar. Nov.* T. II. p. 317. ſeqq. habentur. Confer Guil. Caveum, P. II. p. 468. qui pauca de eo, ex eodem Combefiſio, ſuppeditabit, & Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 396. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 198.

ISAACVS.

Cognomento *Bonus*, Parduli, Laudunenſis Epiſcopi, Diaconus, anno 849. Concilium Cariſiacum frequentavit, poſt Eccleſiæ Remenſis Diaconus, Sveſſionenſe, anno 853. denique Epiſcopus Lingonenſis conſecratus, Tullenſe, anno 859. Piſtenſe, anno 862. Sueſſionenſe, anno 866. Vermerienſe, anno 869. Cabilonenſe, 875. Pontigonenſe, anno 876. Tricaſſinum, anno 878. Extat *Epiſtola* ſatis prolixa *de Canone Miſſæ*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. I. p. 345 ſub Iſaaci nomine, quam tamen eidem abjudicat Dacherius, *Collectio Canonum*, apud Sirmondum, *Concil. Gallic.* T. III. Baluzium, *Capitular.* T. II. & *Concil.* T. VIII. p. 598. De eo Flodoardus, *Hiſtor.* Lib. III. c. 21. Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. III. Natalis A-lexan-

lexander, *Sec. IX. T. I. c. 3. art. 22.* p. 146. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 264. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 390. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 152.

ISAACVS.

Gente Syrus, ex urbis Ninives Epiſcopo, circa annum 540. Epiſcopatu ſponte abdicato, Anachoreta & Abbas factus, *Junior* dictus, atque diſtinctus à Monacho & Presbytero Antiocheno, qui anno 440. claruit, cujusque Gennadius, de *Scriptor.* c. 66. meminit. Noſtro Juniori Iſaaco vulgo tribuitur *de contemtu mundi Liber*, inter *Orthodoxogr. Lat. Patr.* f. 1627. & in *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. V. f. 669. *Bibl. Colon.* T. VI. P. II. f. 688. & in *Bibl. Magn. edit. noviſſ.* T. XI. excuſus. Plura ejus manuſcripta exhibent, Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 126. & Guil. Cave, P. II. p. 110. Agunt de Iſaaco, Gregorius, Lib. III. *Dialog.* c. 14. Aub. Miræus, in *Auctuar.* c. 162. p. 211. & in *Scholio* ad cap. 66. Gennadii. Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* Elias du Pin, T. IV. p. 213.

ISCHYRION.

Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconus, Cyrillo familiaris, poſt ejus mortem a Dioſcuro variè vexatus, adverſum quem *Libellum accuſationis* Synodo Chalcedonenſi obtulit, qui gr. lat. *Concil.* T. IV. p. 400. habetur. Dicit de eo Guil. Cave, P. I. p. 252.

ISIDORVS,

Epiſcopus Cordubenſis, ab anno 420. ad 430. Guil. Caveo floruiſſe videtur. Scripſit juxta Sigebertum Gemblacenſem & Trithemium, aliosque, *Allegoriarum* ſive *Commentariorum in omnes Regum Libros IV.* qui forſan illi, qui inter *Iſidori Hiſpalenſis Opera* habentur. Plura de eo tradit Guil. Cave, P. I. p. 222. & quem allegat, Franciſcus Bivarius, *notis ad Dextri Chronicon*.

ISIDORUS HISPALENSIS,

Archi-Epiſcopus, ab anno 595. ad 636. quo vivendi inter mortales finem fecit. *Junior* ſæpè vocatur Iſidorus ad diſtinctionem alterius Iſidori Hiſpani, Cordubenſis Epiſcopi, de quo modò diximus. Laudant Iſidorum noſtrum Concilii Toletani VIII. Patres, quorum verba adſcribimus: *Noſtri ſeculi Doctor egregius, Eccleſiæ Catholicæ noviſſimum decus, præcedentibus ætate poſtremus, doctrinæ comparatio-*

ne

ne non infimus, & quod majus eſt, in Seculorum fine doctiſſimus, atque cum reverentia nominandus. Opera ejus, quæ extant, atq; deperdita exhibet Cave, P. I. p. 306. ſeq. Prodierunt autem Pariſiis, 1580 f. 1601. & Colon. 1617. Alibi editus *Liber de Scriptor. Eccleſ.* Colon. 1581. Antwerp. 1639. f. cum *Conciliis Hiſpanicis*, Caſpari Loyſæ, Madriti, 1593. & apud Schottum, inter Scriptores Hiſpaniæ illuſtratæ, T. I. Francof. 1603. Seorſim præterea extat ejus *Chronicon Gothorum, Vandalorum & Svevorum,* Hamburgi, 1611. Lugd. Bat. 1597. 8. Amſtelod. 1655. in *Hiſtoria Gothorum,* a Grotio edita, p. 707. & apud Labbeum, *Bibl. Nov. Manuſcript.* T. I. p. 61. Habetur quoque inter *Scriptores Goth. & Longobard.* Bonav. Vulcanii, 1618. 8. & apud Goldaſtum, inter *alios ejusdem argumenti Scriptores*, Francof. 1605. *Etymologiarum* Lib. XX. Venet. 1483. Paris. 1509. Baſil. 1489 fol. 1577. fol. *De Vita & morte SS. utriusque Teſtamenti,* Hagenoæ, 1529. 4. & in *Orthodoxogr.* p. 587. *De Eccleſiaſticis Officiis*, Paris. 1564 & alibi. *Contra Nequitiam Judæorum* Lib. II. Hagenoæ, 1529. 4. Venet. 1584. *De Summo Bono*, Lib. III. Taurini, 1593. 4. *Regula Monachorum*, apud Holſtenium, *in Codice Regularum*, Paris. 1663. 4. P. II. p. 116. *De ordine creaturarum* Liber, apud Dacherium, *Spicileg.* T. I. *Sermo de Nativitate J. C.* cum ejusmodi aliis, extat apud Daumium, p. 138. Plura de eo dabunt Labbeus, T. I. p. 643. ſeq. Guil. Cave, *loco citato.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 1.

ISIDORVS.

Natione Hiſpanus, Pacenſis in Luſitania Epiſcopus, anno 754. clarus, condidit *Chronicon Hiſpaniæ,* ab anno 610. ad 754 ſtylo barbaro & Gothico, quod Prudentius Sandovallius, Pampelone, cum aliis primus edidit, anno 1634. De eo Aub. Miræus, in *Bibl. Eccleſ.* Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 197. Guil. Cave, P. II. p. 147. Nicol. Antonius, *Bibl. Hiſp. Veter.* Lib. VI. c. 3. ubi ſeptem Iſidoros accuratè diſcernit.

ISIDORVS.

Presbyter Ægyptius, eò quod juxta urbem Ægypti Peleuſium, aut Abbas fuerit, aut Monaſticam vitam exercuerit, *Peleuſiotæ* titulo ornatus, Joh. Chryſoſtomi diſcipulus, anno adhuc 431. quantum ex ejus *Epiſtolarum* Lib. I Epiſtol. 311. conſtat, quô verò præcisè annô obdormiverit, non liquet. Prope Chiliadas X. Epi-

ſtolarum omnis generis divina & humana gratia refertarum exaraſſe dicitur Nicephoro. Ter mille Epiſtolas Sacræ Scripturæ Myſteria explicantes ab eo ſcriptas, Suidas tradit, quanquam hactenus bis mille ac tredecim ſaltem prodierint, gr. lat. Pariſiis, 1638. fol. *Tres verò priores* ex verſione Jacobi Billii, Pariſiis, 1585. Recuſi ſunt illi, addito *quarto Epiſtolarum Libro,* curâ & notis Conradi Rittershuſii, Heidelbergæ, 1605. fol. *Quintum* denique ex Bibliotheca Vaticana, Andreas Schottus, græcè Antwerpiæ, 1623. Lat. Romæ, 1624. gr. lat. Francof. 1629, edidit. Vide Labbeum, T. I. *diſſertat.* p. 650. Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 277. qui plura ejus deſiderata adducit. Denique notari meretur, quod Sixtus Senenſis, *Biblioth.* L. IV. ſcribit, ſe Venetiis in Bibliotheca D. Marci Volumen *Epiſtolarum Iſidori Manuſcriptum* vidiſſe, cujus prima Epiſtola & forſan reliquæ ab editis diverſæ. Diſſerit de eo Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 3. ſeq.

ISIDORVS RVTHENVS.

Natione Græcus, Ordinis S. Baſilii Monachus, & Coenobii S. Demetrii Conſtantinop. Abbas, Concilio Baſileenſi, anno 1435. interfuit. Poſt Metropolita Kiovienſis atque totius Ruſſiæ Patriarcha, conſecratus eſt. Concilium quoque Florentinum frequentavit, imò ad Latinos ipſe defecit, atque Presbyter Cardinalis, titulo S. Petri & Marcellini, conſtitutus. Denique Conſtantinop. Patriarcha titularis à Nicolao V. factus, Regiæ urbis excidio interfuit, vix ipſe elapſus, atque in Italiam reverſus, Epiſcopus Sabinenſis ac Cardinalium Collegii Decanus, ordinatus, Romæ, 1463. obiit. Ejus *Epiſtola Lugubris de capta à Turcis Conſtantinopoli,* inter *Epiſtolas Turcicas* a Reusnero vulgatas, L. IV. p. 104. habetur. Prolixe de Iſidoro Rutheno diſſerit Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 78.

ISO.

Coenobii S. Galli Monachus, anno 860. clarus, anno 871. obiit, atque *de Translationibus & Miraculis S. Othmari* Lib. II. ſcripſit, quos vide apud Goldaſtum, *Scriptor. Rerum Alemann.* T. II. & Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 1620. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 254. & Guil. Cave, P. II. p. 164. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 198.

JU-

JVLIANVS

Epiſcopus Coenſis, circa annum 457. floruit, Leoni, P. R. perquam carus, vir eruditus, pius & invictus pro fide Athleta, dedit *Epiſtolam ad Leonem Imperatorem adverſus Timotheum Ælurum & pro Synodi Chalcedonenſis confirmatione*, quæ lat. *Concil.* T. IV. p. 942. habetur. Conf. ſi lubet Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 254. Eliam du Pinium, *loco citato*, T. IV. p. 205.

JVLIANVS.

Italus, ex Apulia oriundus, Memoris, Epiſcopi Capuani, & Julianæ, filius, quanquam ſuppoſitus a quibusdam creditus, lucem adſpexit, ante annum 386. Pelagii & Theodori Mopſveſteni diſcipulus, Diaconus ſub Patre, & Lector, uxorem duxit, tandem Epiſcopus Eclanenſis apud Hirpinos, inter Campaniam & Apuliam, factus, ſede tamen ob Pelagiana dogmata pulſus, in Orientem profectus, inde ejectus, in Ciliciam ad Theodorum Mopſueſtenum iter ſuſcepit, ibique diu delituit. Cum autem anno 323. in Synodo damnaretur publicè, in Occidentem reverſus, exul in ignobili Siciliæ vico obiit, juxta Garnerii calculum, anno 354. cum epitaphio ſepultus: HEIC IN PACE QVIESCIT JULIANUS EPISCOPUS CATHOLICUS. De eo Legi meretur Guilielmi Cavei judicium, quod P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 220. inſeruit. *Erat vir audax & acris ingenii, græcè & latine doctus, in S. Scripturis valdè eruditus. Eloquentia & facundia mire pollebat, adeò ut Romanus Demoſthenes vulgò haberetur. Pietate etiam non incelebris, charitate imprimis erga pauperes eximiâ conſpicuus, Lingua tamen maledica per quam infamis.* Scripſit *Libellum fidei*, quem diſſertationibus tribus illuſtravit atque edidit Jo. Garnerius, Pariſiis, 1668. 8. & inter Opera Marii Mercatoris, P. I. p. 320. *Epiſtolam ad Rufum, Theſſalonicenſem Epiſcopum*, inter *Aug. Oper. imperf. Lib. II.* c. 178. *Epiſtolas II. ad Zoſimum P. R.* & alia, quorum ſaltem fragmenta apud Marium Mercatorem ſuperſunt, aut penitus interierunt. De eo Gennadius, *de Scriptor.* c. 45. Voſſius, *Hiſtor. Pelag.* L. I. c. 6. Arnoldus, *Hæreſiolog.* Elias du Pin, T. IV. p. 58.

JVLIANVS.

Hiſpanus Toletanus, Eugenii II. Epiſcopi Toletani, diſcipulus, ipſe Archi-Epiſcopus Toletanus, ab anno 680. ad 690. qui ei fa-

talis fuiſſe dicitur. Conciliis Toletanis XII. XIII. XIV. XV. interfuit, atque in ultimo cauſam adverſus Benedictum, P. R. pro ſe, ſuoque de tribus ſubſtantiis Libro, dixit. Hic quoque Julianus, *Pomerius* cognominatus, unde forte Poſſevinus unicum ſaltem adſeruit Julianum. Bellarminus econtrà tres conſtituit, quod & fecerunt *Collectores Bibl. Patr. Magn. Colon. in Indice Chronologico*, diſtingventes Julianum Toletanum Epiſcopum, a Juliano Pomerio Presbytero, & a Juliano Pomerio, Diacono. At reverà bini tantùm extiterunt, hic de quo modò, & alius, de quo infrà, T. II. p. 100. diximus. Scripſit autem Julianus Toletanus *Libros III. contra Judæos, de demonſtratione ſextæ ætatis*, quos vide inter *Orthodoxogr.* Lat. Patr. f. 1967. & Bibl. Paris. edit 2. T. IV. f. 209. *Commentarius in Naum, Prophetam*, extat T. I. *Bibl. Patr. Morell.* f. 583. Libri III. *prognoſtici de futuro ſeculo*, Bibl. Paris. T. IX. f. 1925. emiſſi olim Lipſiæ, curâ Joh. Cochlæi, anno 1535. Ἀντικειμένων Lib. II. ſive *Contrapoſitorum S. Scripturæ aut in ſpeciem contrariorum locorum V. & N. T.* Baſileæ, 1530. Colon. 1533. 8. & ex editione Colonienſi, 1540 ab Andrea Schotto recogniti, habentur T. XV. *Bibl. Magn. Colon.* f. 195. & cum hactenus enumeratis Juliani opuſculis, *Bibl. Patrum noviſſ. edit.* T. XII. p. 590. *Hiſtoria de Wambæ, Regis Gothorum, expeditione*, apud Andream du Chesnium, inter *Scriptor. Franc.* T. I. *Appendix ad Ildefonſum de Scriptor. Eccleſ.* extat ad calcem Ildefonſi. Opera ejus deperdita magno quidem numero recenſet Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 329. quem haud gravatim evolvas. Confer quoque Labbeum, T. I. *diſſert.* p. 652. ſeq. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 37.

JVLIVS AFRICANVS.

Sextus prænomine, Lybiâ oriundus, hinc Africanus, Origenis diſcipulus, primus Chriſtianorum Chronologiæ fontes recluſit, vide Voſſium, *Hiſtor. Græc.* L. II. c. 15. p. 236. Ad M. Aur. Anton. Elagabalum pro reſtauratione urbis Emmauntis, Nicopolis poſteà dictæ, legationem ſuſcepiſſe dicitur, vixitque ad annum circiter 232. Accuratiſſima ejus, quæ confecit ſcripta, cum aliis genuinæ antiquitatis interciderunt, præter fruſtula quædam, in Euſebiano Chronico, & inter Baſilii, Origenisque Opera, conſpicua. Huc autem referimus *de Chronographia Libros V. & Epiſtolam ad Ariſtidem. Epiſtola enim ad Origenem de Hiſtoria Suſannæ*, prodiit græcè cura David,

vid. Hoeſchelii, 1602. & Joh. Rod. Wetſtenii, gr. lat. cum quibusdam *Origenis Opuſculis*, Baſileæ, 1674. *Ceſti Julii Africani*, græcè cum aliis prodierunt, Pariſiis, 1693. quod tamen opus Julio noſtro abjudicare maluit Guil. Cave, P. II. p. 29. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 115.

JVLIVS FIRMICVS MATERNVS.

Sunt, qui hunc Scriptorem Eccleſiaſticum diverſum aſſerunt, a profano quodam Aſtrologo, Julio Firmico Materno, quem juniorem vocant, quod in Poſſevino, Simlero & Miræo reprehendit & omninò unum tantummodo eſſe edocet Labbeus, T. I. p. 660. utpote, qui nondum Chriſtianus inter annum 334. & 337. ſcripſerit *celebres Aſtronomicorum* Libros VIII. Venetiis, 1499. Baſileæ, 1591. & alibi excuſos. Poſteà verò converſus, Librum *de errore profanarum Religionum*, circa annum 340. ad 350. Extat ille Argentinæ, 1562. 8. Heidelbergæ, 1599. 8. Baſileæ, 1603. Paris. 1575. 1589. 1610. Lugd. Batav. 1652. 4. 1662. Paris. ad *calcem Cypriani*, 1666. & *in Bibl. Patr.* T. IV. Elegantem tamen Librum illum, mutilum & maculoſum admodum ad nos perveniſſe, conqueritur Carrio, L. II. *emendat.* c. 19. Agit de Julio Firmico Materno poſt Labbeum, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 110.

JVNILIVS.

Africanæ cujusdam urbis Epiſcopus, ad annum 440. falsò collocatus à Trithemio, Sixto Senenſi, aliisque, à Labbeo notatis, T. I. p. 664. rectius ad annum 550. referendus, ſicut colligitur e Libris II. *de Partibus divinæ Legis*, Primaſio inſcriptis. Prodierunt Baſileæ, 1545. 8. Francof. ad Oderam, 1603. 8. & in *Bibl. Patrum*, Paris. edit. 2. T. I. f. 2. & *edit. noviſſ.* T. X. p. 339. Confer Guil. Caveum, P. I. p. 292. ubi & *de Commentariolo in priora III. capita Geneſeos*, huic quoque Junilio, at falsò, cum Bedæ ſit, adſcripto. Videas illum, Colon. 1535. 8. Baſil. 1538. & inter *Orthodoxogr.* p. 925. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 81.

IVO vide YVO.

JVSTINVS MARTYR.

Philoſophus Chriſtianus, è Flavia Neapôli, Syriæ Palæſtinæ urbe, oriundus, Romæ, ſub M. Antonino, circa annum 164. Mar-

tyrium ſubiit. Hic ut ipſe tradit, ſectas quasque Philoſophorum illuſtriores, velut Odyſſæam, fruſtra pervagatus, in Chriſtiana demum Ethica conquievit. Dialogum habuit cum Tryphone, Judæo, atque alia notatu digna geſſit, de quibus autores undique teſtantur. Literas Hebræas plane ignoravit, ut poſt alios Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 27. edocuit. Laudat Juſtinum, ejusque ſcribendi genus, Photius, *Cod.* 125. *Eſt Vir ille ad Philoſophiæ, tum noſtræ, tum potiſſimum profanæ, ſummum evectus faſtigium, multiplicisque eruditionis & hiſtoriarum copiâ circumfluens. Sed Rhetorico artificio nativam Philoſophiæ ſuæ pulchritudinem colorare haud ſtudio habuit. Quam obrem etiam oratio ejus pollens alioqui, ac valida, ſcientificumque ſpirans ſtylum, rhetorica illa condimenta non ſpirat, nec illecebris aut blandimentis vulgus auditorum trahit.* Nævos tamen in Juſtino alii obſervant. Adſtruxit enim Chiliasmum: Paganos beatos deprædicat: Angelorum cum foeminis contubernium, & Liberum nimis Arbitrium in hominibus atque alia, docet. Opera Juſtini Martyris prodierunt gr. cura Roberti Stephani, Pariſiis, 1551. f. 1571. f. 1592. f. Lat. Baſileæ, 1528. 1551. Paris. 1554. 1565. 1578. Baſil. 1555. 1565. gr. lat. Heidelbergæ, 1593. f. Paris. 1615. 1636. f. Adde illam, quæ juxta Pariſinas Coloniæ, 1686. f. prodiit, editionem. Genuina a ſuppoſitis Scriptis accurate diſcernit Guil. Cave, P. I. p. 28. qui P. II. p. 18. *Librum adverſus Euphraſium, Sophiſtam, de Providentia & fide*, ab Euſebio, Hieronymo & Photio prætermiſſum, memorat, cujus fragmenta quædam S. Maximus & Euthymius Zigabenus exhibent. Seorſim prodiit *Liber, de quorundam Ariſtotelis dogmatum everſione*, Pariſiis, 1552. *Apologia pro Chriſtianis ad Imperatorem Antoninum*, Oxonii, cura Jo. Erneſti Grabii, 1700. *Apologiam ſecundam cum paræneſi ad Græcos, & Oratione ad Græcos*, & Libro *de Monarchia* H. Hutchin, Oxonii, 1703. edidit. De eo Spizelius, *in Acad. Vet. J. C.* p. 32. Labbeus, T. I. p. 665. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 27. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 57.

JVSTINVS.

Urbis cujusdam in Sicilia Epiſcopus, circa annum 484. cujus *Epiſtola ad Petrum Fullonem*, extat gr. lat. *Concil.* T. IV. p. 1103.

JVSTVS.

Ord. Ciſtert. Abbas, anno 1300. floruit, cujus *Sermonem in Abbatum multorum conventu habitum* vide, T. XIV. *Bibl. Magn. Colon.*

JU-

JUSTUS ORGELLITANUS.

Sive Urgellenſis in Catalonia Epiſcopus, cum Juſtiniano, Valentino Epiſcopo, fratre ſuo, claruit ab anno 529. annoque 540. obiit. Scripſit *Commentarium* brevem, ſed eruditum, elegantem ac pium, elogio Labbei, *in Cantica Canticorum*, reſtitutum atque in Lucem productum à Menrado Molthero, Hagenoæ, 1529. relatum poſteà inter *Orthodoxogr. Patr. Lat.* fol. 1058. & *Bibl. Patr. Paris.* 2. T. I. f. 737. & *edit. noviſſ.* T. IX. f. 731. Anno quoque 1617. Halæ Saxonum recudi illum curavit Georgius Roſtius, præmiſſâ *gemina Juſti Epiſcopi Epiſtola*, una ad Sergium, P. R. quæ ſpuria, altera ad Juſtum, Diaconum, cujus hortatu illud ſcriptum ſuſcepit, additô etiam p. 13. Prologo dicti commentatoris Juſti. *Alias Epiſtolas II.* exhibet Dacherius, *Spicileg.* T. III. Conf. Labbeus, T. I. *diſſert.* p. 670. Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. p. 184. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 284. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 74.

JUVENALIS.

Epiſcopus Epheſinus, poſt Hieroſolymitanus Patriarcha, anno 431. Concilio Epheſino & Chalcedonenſi, anno 451. interfuit. Extat ejus *Epiſtola Synodica ad Presbyteros, Archimandritas,* reliquosque Palæſtinæ Monachos, Lat. *Concil.* T. IV. p. 889. De eo Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 235.

JUVENCUS.

Gente Hiſpanus, Presbyter Hiſpanus, anno 329. genere & ingenio nobiliſſimus, Poeta omnium Scriptorum ſimpliciſſimus, qui plus in ſinu gerit, quam fronte pollicetur, judice Barthio, L. VIII. *adverſar.* c. 1. Dictus C. Aquilinus Veſtius Juvencus, ſicut à Pithoeo edoctus Labbeus annotat, T. I. p. 673. aitque in veteri exemplari Aremacenſis in Campania Coenobii haberi: *Gai Vecti Aquilini Juvenci Presbyteri Evangeliorum Lib. IV.* Continentur iſta *Evangelicæ,* quam ſcripſit, *Hiſtoriæ Poemata, Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* T. VIII. f. 435. & in *Collect. Bigneana,* Pariſiis, 1624. p. 619. inter *Poetas Chriſtianos,* cum notis Fabricii, Baſileæ, 1564. 4. Seorſim edita Baſileæ, 1541. 8. Novam Juvenci Hiſtoriæ editionem promiſerat quidem MagnusDaniel Omeis, in *Epiſtola* ad Jo. Fabricium Helmſtadienſem, anno 1708. transmiſſa, atque Altorfi, in 4. impreſſa, vix tamen mor-

te

te præmatura impeditus, abſolvit. Præſtitit tamen, poſtquam hujus & aliorum notas conſequutus eſſet, Erhardus Reuſch, qui Juvenci Hiſtoriæ Evangelicæ Libros IV. cum notis Mathiæ Koenigii, Omeiſii, Chriſtiani Schoetgenii, Jodoci Badii Aſcenſii, Georgii Fabricii, aliorumque, ſelectioribus, Lipſiæ, 1710. 8 edidit. De Juvenco Petrus Crinitus verè judicavit: *Quod majori diligentia uſus fuerit in ſervanda rerum hiſtoria, quam in demonſtranda ingenii ſui elegantia.* Conf. poſt Labbeum, Guil. Cave, P. I. p. 106. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 15. Adde Antonium, *in Bibl. Hiſp. Veter.* T. I. Lib. II. c. 4. qui Juvenci editionem ſine nota loci & temporis, literis Gothicis in 4to impreſſam, atque in Vaticana Bibl. adſervatam, memorat.

K

KAISERSBERGIVS.

Patriâ Alſatus monte Cæſaris, oppido Imperiali, natus, indeque *Kaiſersbergius* dictus, aut quod Kayſersbergæ, ab anno ætatis tertio, parentibus nimirum orbus, à proavo educatus fuerit, Schafhuſæ autem, anno 1445. ortum acceperit, prout docet Hallervordius, in *Bibl. curioſa*, p. 177. Alio nomine *Joh. Geilerus* dictus, Patrem habuit Joh. Geilerum; Matrem, Annam Zuberam. Friburgi primùm Philoſophiam excoluit, præmiumque honoris, Magiſterii Lauream, reportavit. Poſt Baſileæ Doctoratus inſignia cepit. Hinc Friburgi atque Herbipoli concionatoris muniere functus, Argentoratum vel invitus ſe contulit, ibidemque Summi Templi ultra 30. annos Concionator cordatus & Zeloſus, obiit, anno 1510. laudatus Trithemio, *Illuſtr. Script.* f. 168. a. & qui ejus *Vitam* anno 1510. edidit, Beato Rhenano. Idem in Epitaphio Geileri ait, hunc Pericle eloquentiorem, Socrate continentiorem, Numâ Religioſiorem & ob vitæ integritatem doctrinæque excellentiam à Cæſare, Maximiliano I. intimè adamatum fuiſſe. Fulminator Theologiæ, quo Argentina gloriari potuerit, qui cum tanta admiratione verba ſalutifera protulerit, ut illius dogmatis, tanquam oraculo, cuncti acquieſcerent, elogio Jacobi Biethenii, præfixo *Sermonibus de Tempore Kayſersbergii,* quos latinè ille edidit, Argentinæ, 1514. 1519.

Con-

Continentur autem *Sermonibus* iſtis diverſi integrique Libri, ſcilicet *de arbore humana, de arbore crucifixi, de XII. Spiritus S. fructibus, de morte gratiæ, de 23. mortis conditionibus, de diſpoſitione ad felicem mortem, de morte virtuali ſive gratiæ. Navicula fatuorum*, Argent. 1510. *Orationes variæ ad Clerum, Navicula Poenitentiæ*, ſeorſim Auguſtæ, 1511. & Argent. 1517. 4. *Peregrinatio, expoſitio Orationis Dominicæ, Fragmenta Paſſionis de communicandis his, qui ultimo ſupplicio afficiuntur, de amovendis Concubinis, Quod pueri non ſint inſtigandi ad Religiones in quibus Regula non ſervatur. Contra Statutum, quo Teſtamentum facere cives prohibentur, de VII. peccatis mortalibus, Epiſtolæ plures, Tropi &c.* quæ omnia hactenus memorata, Argentor. 1509. 1510. 1518. excuſa ſunt, teſte Poſſevino, *in Appar. S.* T. I. p. 880. Ejusdem Geileri *Liber Concionum ſuper Evangelia,* germanicè prodiit, ibidem, 1515. *Oratio in Synodo Argentinenſi habita,* Argent. 1482. *Sermones plurimi de Jubilæo,* Argent. 1513. & alius Liber, *Troſtſpiegel* dictus, Hamburgi, 1597. curâ David. Wolderi. Memorat hic *loco citato,* præfatione, prophetiam Kayſersbergii, de Reformatore Eccleſiæ venturo, quem tamen non vidit. Teſtibus veritatis eum annumerat Flacius, *Catalog.* f. 569. Molem quoque Juris Canonici quomodo perſtrinxerit, vide Zieglerum, *Præliminar. Jur. Canon.* p. 51. Inde conjicias, cur tanti viri, inter Eccleſiaſticos Scriptores Bellarminus non meminerit, qui tamen non paucos alios ætate & meritis iſthôc longè minores enarratione ſua dignatus eſt. Plura Geileri Scripta, Simlerus, Boiſſardus, *Icon. illuſtr. Viror.* P. II. p. 230. recenſent. Confer, quæ de Joh. Geilero exhibuit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 122.

CONRADVS KOELLIN.

Ulmenſis patriâ, & Colonienſis Prior, Ordinis Prædicatorum, anno 1536. defunctus, ſcripſit *in primam ſecundæ Thomæ,* Coloniæ, 1512. fol. excuſam, *Quodlibeta,* aliaque *in Lutherum,* quæ recenſent Poſſevinus, Bellarminus, Simlerus, & alii.

ALBERTVS KRANTZIVS.

Malè Bambergenſis à Bellarmino vocatus, Hamburgi quippe natus, Juris Canonici atque Theologiæ Doctor, Roſtochii quoque Theologiam atque Jus Pontificium profeſſus, Hamburgenſis deinde Canonicus atque Canonicorum Collegii Decanus, anno 1504. claruit, haud proletarii judicii Scriptor, Jo. Iſaaco Pontano,

Orig. Franc. p. 137. non malè de republica meritus, deſcriptis multarum gentium, Saxonum puta, Vandalorum, Gothorum, Danorum, hiſtoriis, & quidem optimâ fide, uti de hoc avunculo ſuo teſtatur Joh. Oldendorpius, Lib. II. *de Orig. Jur.* in fin. & T. I. p. 75. Ejus præſertim *Saxoniæ* Lib. XIII. Coloniæ, 1520. Francof. 1575. prodierunt. *Metropolis*, Baſil. 1548. Colon. 1574. 8. Francof. 1576. 1590. *Hiſtoriæ Vandalicæ*, Lib. XIV. Francof. 1575. *Chronicon aliarum Gentium Septentrionalium*, Argentor. 1546. & cum additionibus per J. Wolffium, Francof. 1575. Hæc omnia prohibentur in indicibus expurgatoriis. *Libellum de Officio Miſſæ*, Roſtochii, 1605. prodiiſſe, ex Miræo refert Labbeus, P. I. p. 25. & Henr. Wharton, *Append. Cap.* p. 133. Ipſe Caveus plurima Krantzii Scripta recenſet, *Cartophyl. Eccleſ.* p. 332. ibidemque adſerit, Krantzium lectis B. Lutheri contra Indulgentias Scriptis, dixiſſe. *Vera quidem dicis, bone frater, ſed nihil efficies, Abi in cellam tuam & dicito, Miſerere mei Deus.* Obiit Krantzius, Hamburgi, 1517. d. 7. Decembr. uti quidem Epitaphium, quod in ſummi templi coemiterio ibidem videre eſt, innuit, ubi vocatur, *S. Theologiæ ac Decretorum eximius Doctor, Eccleſiæ Hamburgenſis Canonicus, Lector, Decanus, morum & Virtutum ſpecimen & exemplar, patriæ decus.* Conf. de Alberto Krantzio Paulus Jovius, *Elog illuſtr.* Pantaleon, de *Vir. illuſtr. German.* P. II. p. 477. Adami, *Vit. Philoſoph.* Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* Mollerus, *in Iſagog. ad Hiſtor. Cherſoneſ. Cimbr.* P. I. p. 95. Kœnigius, in *Bibliotheca*, Bayle & Buddeus, *in Lexicis*, & alii.

L

L. CÆCILIVS LACTANTIVS FIRMIANVS.

à Patriâ Firmo, agri Piceni oppido, *Firmianus* forſan dictus. *Lactantius*, ab eloquentia lactea, Arnobii haud degener diſcipulus. An ex Germanis deſcenderit & ab eo Wimpfelingi adhuc tempore ſuperſtes propagata fuerit Firmianorum familia, in medio relinquimus. Ejus *Vitam* quadantenus attigit Hieronymus, *Tract. de Scriptor. Eccleſ.* Criſpi Cæſaris Præceptor aulicus, & Conſtantini M. Imperatoris, circa annum 303. Conſiliarius domeſticus, flu-

fluvius quaſi quidam Tullianæ eloquentiæ, juxta Hieronymum, *Epiſtola ad Paulin. de inſtitutione Monachorum*, Librorumque Ciceronis magis, quam S. Scripturarum peritus. Ex Africa quidem Nicomediam accitus, ut juventutem inſtrueret, at diſcipulorum penuriâ commotus, animum adpulit ad ſcribendum, ità tamen paupertate preſſus, ut neceſſariis quoque ſumptibus deſtitutus fuerit. Nævos in Lactantio animadvertimus varios. Erravit enim circa divinitatem, æternam filii exiſtentiam, animarum præexiſtentiam, futurum poſt hanc vitam ſtatum, finem ſeculi, millenarium Regnum, & alia, de quibus periculosè pariter atque incautè pro Seculi, quo vixit, ratione, loqvutus. In arte dicendi poſt Ciceronem facilè obtinuit Principatum, hincque *Cicero Chriſtianus* non immeritò adpellatus. Scripta, quibus ſupervivit Lactantius, prodierunt Romæ, 1461. 1465. 1468. 1470. 1474. 1650. fol. Pariſiis, 1500. 4. 1513. 4. 1563. 1589. Venetiis, 1472. 1478. 1483. 1490. 1497. 1502. 1509. fol. 1515. 1521. 1535. 8. Florentiæ, 1513. Baſileæ, 1521. 4. 1523. 1532. 1563. fol. Antwerpiæ, 1539. 1555. 1568. 1570. 8. 1579. 1587. 8. Lugduni, 1532. 1553. 1556. 12. 1567. 16. 1616. 16. Coloniæ, 1544 Genevæ, 1613. 16. Lugduni Batavorum, 1652. 8. 1660. 8. Oxoniæ, 1684. 8. Cantabrig. 1685. 8. Illa quoque produxit Chriſtophorus Cellarius, Lipſiæ, 1698. 8. notasque doctiſſimas adjecit. Sunt autem *Inſtitutionum Lib. VII. De Ira Dei Liber : De Opificio Dei : De Mortibus Perſecutorum : Carmen de Phoenice :* aliud *de Paſchate :* & *carmen de Paſſione Domini.* Seorſim prodiit *Liber de Mortibus Perſecutorum*, primùm quidem apud Baluzium, in *Miſcellan.* T. II. p. 1. deinde Oxonii, curante Jo. Fello, 1680. 12. Aboæ in Finnlandia, 1684. 8. Notas in hunc Librum, omiſſo Textu, publicavit Nicolaus Toinardus, Pariſiis, 1690. Elegantiſſimam hujus opuſculi editionem cum variorum atque ſuis notis emiſit Paulus Bauldri, Ultrajecti, 1692. 8. *Phoenicem Lactantii*, vel cujus tandem ſit, commentario illuſtratum, cum aliis ejusdem argumenti dedit Jo. Gryphiander, Jenæ, 1618. *Lactantii dictum* vel *vaticinium de delendo nomine Romano in terris, & imperio Occidentis in Orientem transferendo*, explicavit Math. Dreſſerus, ediditque Scriptum Rudolpho II. Imperatori Romano, dedicatum, Lipſiæ, 1593. Prodiit quoque Venetiis e manuſcripto, anno 1705. *Tractatus* ejus *de Spectaculis*, de quo *Nouvell. de la Republ. des Lettres Juillet*, 1705. p. 117. *Sympoſium, Grammaticus, Hodoeporicon, ad Aſclepia-*

dem Lib. II. *ad Probum Epiſtolarum* Lib. IV. *ad Severum Epiſtolarum* Lib. II. *ad Demetrianum Epiſtolarum* Lib. II. jam pridem interierunt. De Lactantio, videantur poſt Trithemium & Bellarminum, Labbeus, T. II. p. 3. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 81. P. II. p. 41. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 105. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 678. 709. 730.

LAMBERTVS.

Atrebatenſis Epiſcopus, ab ipſo Pontifice, Vrbano, anno 1094. conſecratus, ſcripſit *Epiſtolas II.* quas vide *Concil.* T. X. p. 468. *Epiſtola ejus ad Paſchalem Papam, de abſolutione Philippi, Francorum Regis*, extat ibidem, p. 742. De eo Guil. Cave, P. I. p. 439. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 72.

FRANCISCVS LAMBERTVS.

Avenionenſis, Minorita & prædicator Apoſtolicus, dein Lutheri diſcipulus & æſtimator, puriorisque Theologiæ Marpurgi Haſſorum Profeſſor, Wittebergæ quoq; docuit & ad S. Lucæ Evangelium notas legit, quas Argentorati, 1525. edidit. Vide Simlerum, *Epit. Geſn.* f. 203. ubi multa ejus Scripta ann. 1524. ſeqq. quibus floruit, publicata, recenſita leges, *Comment. in Canticum, in Prophetas XII. in Lucam, Acta, Apocalypſin, &c. de arbitrio, de coelibatu & conjugio, de cauſis rejecti Ordinis Minorium* &c. Adde egregium Librum *de cauſis excoecationis multorum Seculorum*, excuſum Noribergæ, apud Joh. Petrejum, anno 1525. & *Comment. in Regulam S. Franciſci*, Argent. 1525. impreſſum.

LAMBERTVS.

Schafnaburgenſis à patriâ dictus, Coenobii Hirſchfeldenſis in dioeceſi Moguntina, Buchoniâque Sylvâ, ab anno 1058. alumnus, *Hiſtoriam* ſcripſit ab Orbe condito ad annum 1077. a Monacho Erfordenſi ad annum 1472. minus tamen accuratè, continuatam. Prodiit illa ſeorſim Tubingæ, 1533. 8. & apud Piſtorium, Francof. 1583. fol. & inter alios Scriptores Germanicos, Argentorati, 1609. fol. Stylum Lamberti laudat Scaliger, *de emendatione temporum. Equidem miror*, inquit, *in ſeculo tam barbaro tantam hominis & in loquendo puritatem & in temporum putatione ſolertiam fuiſſe, ut Chronologis noſtri temporis pudorem aliquem exprimere poſſet, ſi aliquem ſenſum harum rerum haberent.* Huic adſentit Barthius, *Adverſar.* L. 49. c. 4.

Lam-

Lamberto Scriptor nemo politiùs inter veteres res Germaniæ Literis commiſit. Vide, ſi placet, Voſſium, Lib. II. *Hiſt. Lat.* c. 47. Labbeum, T. II. p. 5. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 433. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110.

LANFRANCVS.

Ex Beccenſi Monacho, Priore atque Abbate, Cantuarienſis Archi-Epiſcopus & Angliæ Primas, ab anno 1070. ad 1088. natione aliàs italus, patriâ Papienſis, cum Berengario coram Nicolao II. P. R. in Concilio Romano acerrimè diſputans, eumque ita convincens, ut Librum ſuum in ignem projecerit, referente Labbeo, T. II. p. 6. Ejus, quæ reperire potuit, Opera, Lucas Dacherius, Pariſiis, 1648. fol. excudi fecit. Sunt autem, poſt *Vitam* ejus, *Comment. in Epiſtolas Pauli: Liber de corpore & ſangvine Domini contra Berengarium: Annotatiunculæ in quasdam collationes Patrum Joh. Caſſiani: Decreta pro Ordine Benedictino: Epiſtolarum Liber: Pericope Orationis in Concilio Anglicano habitæ: de celanda confeſſione Libellus: item Appendix;* qua continetur *Chronicon Abbatiæ Beccenſis*, aliaque plura minutiora. *Sermonem Lanfranci*, hactenus ineditum, exhibet idem Dacherius, *Spicileg.* T. IV. *Comment. in Pſalmos, Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Vitam Guilielmi Conqueſtoris*, inter deperdita collocat Guil. Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 431. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 12.

STEPHANVS LANGTON.

Natione Anglus, Pariſienſis Academiæ Cancellarius, Canonicus Pariſienſis & Decanus Rhemenſis, poſt Cardinalis, titulo S. Chryſogoni, & anno 1206. Archi-Epiſcopus Cantuarienſis factus, anno 1228. apud prædium ſuum de Slindon in Suſſexia, obiit. Scripſit *Libellum de translatione Corporis B. Thomæ Cantuarienſis*, ad calcem *Epiſtolarum Thomæ Becket* expreſſum, Bruxellis, 1682. 4. p. 885. *Epiſtolam ad Joh. Regem*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. III. *Conſtitutiones* XLVIII. apud Lindvod. *in Provinciali Angliæ.* Alia ejus manuſcripta memorant Guil. Cave, P. I. p. 488. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 475. ſeq. ut ſunt, *Comment. in Octateuchum, in Tobiam, Judith, Eſther, Esdram & Maccabæorum Libros, in Eſaiam, Jeremiam, Ezechielem, Nehemiam, Jobum, &c.* de quibus fuſe, poſt autores modò citatos, diſſeruerunt, Baleus, Pitſeus, Carolus de Viſch, & alii.

JACOBVS LATOMVS.

Camberonenſis Hannonius, Lovanii Canonicus & Theologiæ Profeſſor, inter Papæos ſpectatiſſimus, Vir græcè & hebraicè doctus, purioris doctrinæ hoſtis ab anno 1519. ad 1544. quo diem ſuum obiiſſe notatur, & quidem miſerè deſperabundus. Opera ejus unô comprehenſa volumine Jacobus Latomus, Junior, ejus ex fratre nepos & hæres, Lovanii, 1550. edidit. Scripſit autem *de trium Linguarum & ſtudii Theologici ratione dialogos II. Apologiam eorum; de Primatu Pontificis: de Eccleſia & variis articulis in ea controverſis: de confeſſione ſecreta: de Legis humanæ obligandi ratione: de fide & operibus; de Monachorum inſtitutis, votis & obligationibus: de Matrimonio: de oratione pro defunctis: de interceſſione Sanctorum: de cultu imaginum: de ciborum delectu & jejunio* &c. Confer. de Latomo, Ghilinus, *in Theatro Litterat.* Wolffgang Krüger, in *Catalog. German. mille virorum illuſtrium*, p. 92. Franc. Schwertius, in *Athen. Belg.* Miræus, *Belg. Elog.* p. 27. 204. Valer. Andreas, *Bibl. Belg.* p. 416. Boiſſardus, *Icon. illuſtr.* P. II. p. 187. Bellarminus & Labbeus, T. I. p. 491.

JOH. LATTEBVRIVS.

Malè *Lathberius* à Baleo vocatus, gente Anglus, Ord. Franciſc. in Conventu Redingenſi Monachus, atque Theologus ſuo tempore inſignis, anno 1406. claruit. Ejus *Liber Moralium ſuper Threnos Jeremiæ*, anno 1482. f. prodiit. Alia ejus manuſcripta pariter atque deperdita, memorat Baleus, *Centur.* VII. c. 34. Pitſeus, *de Scriptor. Angl.* p. 582. & ex iis, Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 59.

LAVRENTIVS JVSTINIANVS.

Patricius Venetus, ex Ordine Canonicorum S. Aug. Regularium, non verò Coeleſtinorum, ſicut Poſſevinus tradit, Venetiarum Epiſcopus, tùm primus ejusdem civitatis, ab anno 1450. dictus Patriarcha, anno 1455. debitum mortalitati perſolvit. Vir fuit verè pius, Liberalis atque Zeloſus, in quo Auguſtini facundiam, Hieronymi elegantiam, Cypriani ſtylum mirabilem ſplendere ait Thomas de Trugillo, Ord. Præd. *Theſaur. Concionat.* P. I. c. 3. circa finem. Ejus Opera Baſileæ, 1560. fol. Lugduni, 1568. f. Venet. 1606. f. Colon. 1616. & 1675. fol. prodierunt. Scripſit autem *Lignum vitæ: de*

d ſci-

diſciplina & ſpirituali perfectione : de caſto connubio verbi & animæ : Faſciculum amoris : de triumphali agone Chriſti : de interiori conflictu : de complanctu Chriſtianæ perfectionis : Sermones de Feſtis Chriſti, Deiparæ & Sanctorum & de Euchariſtia : de vita ſolitaria opus : de contemptu mundi : de ſpirituali interitu animæ Librum : de ejusdem reſurrectione ſpirituali Lib. II. *de regimine & inſtitutione Prælatorum : de obedientia : de humilitate : de gradibus perfectionis : Epiſtolas varias : de incendio divini amoris Tractatum.* Dicunt de eo Labbeus, T. II. p. 9. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 73.

LAVRENTIVS.

Leodienſis ad S. Laurentium Ord. Bened. pòſt Virdunenſis Monachus, ab anno 1160. ad 1179. floruit atque *Opuſculum de Virdunenſibus Epiſcopis* exaravit, quod Dacherius, *Spicileg.* T. XII. inſeruit. Conf. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 437. Elias du Pin, *Bibl Nouv.* T. IX p. 195.

LAVRENTIVS MELLIFLVVS.

Novarienſis Epiſcopus, circa annum 507. de quo Sigebertus hæc pauca ſcribit: *Laurentius Mellifluus ſcripſit Librum de duobus temporibus, id eſt, uno ab Adam usque ad Chriſtum : altero à Chriſto usque ad finem Seculi. Declamavit etiam Homilias ore quaſi mellito, unde agnominatur Mellifluus.* Alii ex eo faciunt Mediolanenſem Archi-Epiſcopum, fundamentis tamen adſertionis ſuæ deſtituti. Laurentii *de Pœnitentia & Eleemoſyna Homiliæ II.* in *Bibl. Patrum* habentur. *Homilia de Muliere Cananæa,* apud Mabillonium, *Analect.* T. II. p. 18. Agunt de Laurentio, Sigebertus, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 120. Poſſevinus, *in Appar.* S. Aub. Miræus, *in Auctuar. de Script, Eccleſ.* c. 119. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 106. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 272. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 36.

LAVRENTIVS.

Presbyter Piſanus, ignotus quô tempore vixerit. Nil enim de eo reperimus, præter *Paradoxorum Theologicorum Enchiridion*, ad imitationem *Xyſti Pythagorici* ſcriptum, inter *Orthodoxogr. Lat.* f. 911. Videtur iſtas ſententias è græco quodam autore petitas, civitate latina donaſſe & pro ſuis orbi obtuliſſe, judicio Grynæi, ad *Orthodoxogr.* f. a. 8. b.

LAVRENTIVS VALLA, vide VALLA.

LAVRENTIVS.

Veronenſis, Petri II. Piſanorum Archi-Epiſcopi Diaconus, anno 1115. claruit, prout ipſe in fine Lib. VIII. *Carminis Heroici de Bello Bolearico & de rebus in Majorica à Piſanis geſtis*, quod apud Ughellum, in *Italia S.* T. III. p. 897. extat, teſtatur:

Tunc fuit à Chriſto tecto velamine carnis
Centenus quintus decimus milleſimus annus.

Stylum quidem ineptum rudemque vocat Ughellus, variâ tamen rerum cognitione nobilitatum. Conf. Guil. Caveum, P. II. *Hiſt. Litt.* p. 221.

CONRADVS LAVTERBERGIVS.

Italus, Autor Chronici Montis Sereni, ſive Divi Petri, ſecundo ab Halâ Saxonum lapide ſiti, ejusque Coenobii Presbyter, circa annum 1125. clarus, quo nomine citatur Georgio Fabricio, Petro Albino & Simlero, quos producit, qui anno 1665. 4. ex vetuſtis monumentis *Chronicon Lauterbergenſe* primus edidit Helmſtadii, Joach. Joh. Maderus, præfat. p. 21. Dubium tamen remanet, num is Conradus propriè ſit Autor hujus Chronici, an verò hoc ipſum ex eo tantùm ſit compilatum? Voſſius certè utriusque etiam diſtinctè meminit, de *Hiſt. Lat.* Lib. III. P. II. p. 699. & 732.

LEANDER.

Hiſpanus Carthaginenſis, Iſidori Hiſpalenſis frater, Hiſpalenſis Archi Epiſcopus, ab anno 583. ad 595. floruit. *Vir erat*, teſte Iſidoro, *cap. 28. ſvavis eloquio, ingenio præſtantiſſimus, vita non minus quam doctrina clariſſimus.* Multos ab Ariana Hæreſi ad fidem Catholicam convertit, hinc quoque *Gothorum Apoſtolus* dictus. Scripſit *Regulam de inſtitutione Virginum & contemptu mundi, ad Florentiam Sororem*, quam Lucas Holſtenius *Collectioni ſuæ Regularum*, Pariſiis, 1663. P. III. p. 89. inſeruit, exinde in *Bibl. Patrum*, T. XII. p. 999. translatam. *Homilia in laudem Eccleſiæ ob converſionem Gothorum Toleti, poſt finitam Synodum* III. *habita*, extat, *Concil.* T. V. p. 1016. Ejus quoque, *Miſſa Mozarabica*, peculiariter in Hiſpaniis uſitata, eſſe videtur. Erant autem Mozarabes Chriſtiani Arabibus mixti, & qui intereà dum Hiſpaniam Tyrannide ſuâ modis omnibus divexarent Sara-

ceni

ceni & Judæi, variis in Hiſpaniæ civitatibus patriæ dulcedine pellecti, habitaverunt tributarii & vectigales, eâque lege permiſſi in Religione Chriſtiana vivere usque ad Almohadum, Arabum, in Hiſpaniam adventum, qui nullos ſecum patiebantur Chriſtianos, ſed crudeliſſimè ad abnegationem cogebant. Venerunt autem in Hiſpaniam, Alphonſi VII. Regis temporibus. Vide Joh. Mariana, *Hiſp.* L. VII. c. 2. p. 3. Habetur *Miſſa Mozarabica*, in *Bibl. Patr.* Paris. 2. T. VI. p. 105. & *edit. noviſſ.* T. XXVII. Seorſim verò prodiit curâ Fr. Ximenis, Cardinalis, Toleti, 1504. Plura, quæ ſcripſit, Iſidoro memorata, interierunt. Vide, poſt Honorium Auguſtod. Lib. III. *de Script. Eccleſ.* c. 34. & Poſſevinum, *in Appar. S.* & Aub. Miræum, in *Bibl. Eccleſ.* Andr. Schottum & Nicolaum Antonium, *Bibl. Hiſpan.* Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 155. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 301. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 146.

LEIDRADVS.

Patriâ Noricus, vir doctus, Caroli M. Imperatoris, Bibliothecarius, una cum Theodulfo, Aurelianenſi Epiſcopo, Caroli, Regis, Legatus, qui & Caroli M. Teſtamento ſubſcripſit, anno 811. apud Eginhardum. Pontificatum Lugdunenſem, ab anno 798. geſſit, eundemque abdicavit, anno 813. atque in Monaſterium S. Medardi Sueſſionenſis ſeceſſit, ubi anno 814. ad plures abiit, teſte Adone Viennenſi, apud Sanmarthanos, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 301. Ejus *Librum de Sacramento Baptiſmi ad Carolum M.* exhibet Mabillonius, *Analect.* T. III. p. 1. *Epiſtolam ad eundem, de ritibus Baptiſmi & abrenunciationibus in eo fieri ſolitis*, ibidem, p. 28. *Epiſtolæ II.* ad calcem *Operum Agobardi* reperiuntur, & in *Bibl. Patrum*, T. XIV. p. 232. *Epiſtolam* quoque ad Carolum, Imperatorem, ſtatum Eccleſiæ Lugdunenſis ejus ævi indicantem, ſiſtunt Sanmarthani, *loco citato*, f. 300. & Paradinus, in *Hiſtoria Lugdunenſi*. *Carmen ejusdem conſolatorium ad Sororem, in funere filii & fratris*, cum aliis coætaneorum, Lipſiæ vulgavit Andr. Rivinus, 1653. De eo Aub. Miræus, in *Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* cap. 240. p. 228. Caſimirus Oudin, *loco citato*, p. 215. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 353. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 158.

LEO ACHRIDENUS

Archi-Epiſcopus, Cerularii tempore, circa annum 1053. clarus, ſcripſit cum Cerulario *Epiſtolam acerrimam adverſus Latinos, ad Joh. Tranenſem, in Apulia Epiſcopum*, quam vide apud Baronium, *ad annum* 1053. *Alias* quoque *Epiſtolas* exaravit, e quarum primâ excerpta exhibet Leo Allatius, *de Conſenſu*, L. III. c. 14. §. 4. Pauca de eo Guil. Cave, P. I. p. 425. & P. II. p. 199. ubi ejus *de tentationibus & Afflictionibus involuntariis, earumque utilitate capita L.* & *Epiſtolas II. contra Latinos de Jejunio Sabbathi & de Azymis*, manuſcripta in Bibliotheca Vindobonenſi adſervata, memorat.

LEO ATINENSIS.

In Italia Epiſcopus, ab anno 1044. ad 1072. compoſuit *Libellum de Translatione, corporis B. Marci, Martyris & Pontificis, & in eundem Marcum Sermones* aliquot, quæ cum *Charta donationis Eccleſiæ Atinenſi factæ*, apud Ughellum, *Ital. S.* T. VI. p. 541. & ſeqv. habentur. De eo Guil. Cave, *loco citato*, P. II. p. 198.

LEO.

Bituricenſis in Gallia Archi-Epiſcopus, anno 453. Concilio Andegavenſi præfuit, referentibus Sanmarthanis, T. I. *Galliæ Chriſtianæ*, f. 143. *Epiſtola ejus ad Epiſcopos Provinciæ tertiæ* ſcripta, ut Clerici non expetant Secularia judicia, extat *Concil.* T. III. p. 1420. Sunt, qui illam Leoni M. adſcribunt, atque numero 96. inter ejus *Epiſtolas* collocant. At reverà a Leone Bituricenſi ſcriptam illam eſſe iidem Sanmarthani docent, *loco citato*, & quidem ad Epiſcopos, non Thraciæ, ut inter Leonis Epiſtolas extat, ſed Tertiæ provinciæ, quo nomine Turonica provincia deſignatur, quæ eſt Tertia Lugdunenſis, uti Sirmondus ait, *not. ad Concil. Gall.*

LEO OSTIENSIS.

Natione Campanus, *Marſicanus* à patriâ forſan dictus, ex Monacho & Bibliothecario Caſſinenſi, Cardinalis Diaconus factus, poſt annum 1115. obiit. Scripſit circa annum 1110. *Chronicon Monaſterii Caſſinenſis*, Lib. III. editum, Venetiis, 1513. & Pariſiis, 1603 poſt Neapoli, anno 1616. 4. operâ & notis Mathæi Laureti, Hiſpani, Monachi Caſſinenſis, & cum annotationibus Auguſtini de Nuce, Pariſiis, 1668. fol. Aliorum ejus meminit Jo. Bapt. Marus, *in notis*

ad

ad Petrum Diaconum, de Vir. Illuſtr. Caſſinens. c. 30. p. 53. ut ſunt, *Sermones de Paſchate & de Nativitate : Hiſtoria Peregrinorum : Vita S. Januarii, Vita & Converſatio S. Mennatis, Confeſſoris &c.* Diverſus eſt à noſtro, Leo, Monachus Caſinenſis, Cardinalis Diaconus, cujus *Epiſtolæ* manuſcriptæ in Bibliotheca Vaticana adſervantur, de quo poſt Jo. Bapt. Marum, Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 443. De noſtro Labbeus, T. II. p. 18. Voſſius, *Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 48. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX p. 194.

LEO I. P. R.

Patriâ Romanus, *Magnus* dictus, ob excellentem eruditionem, & contra hæreticos diverſos vigilantiſſimum ſtudium. Sixto IV. in Pontificia Sede ſucceſſit, atque ab anno 440. ad 461. ſedit. Manichæos, S. Coenam ſub unâ ſaltem ſpecie celebrantes, prudenter exinde dignovit, quod calicem accipere recuſabant. Etychem quidem ab initio fovit, ſed cognita ejus hæreſi, publicè proſcripſit. De eo ejusque geſtis Baronius, cujus tamen impoſturam, Bellarmino notatam, vide apud Rivetum, *Critic.* Lib. IV. c. 22. Trithemius, Platina, Oſiander, *Centur.* V. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 243. Opera ejus, *Sermones* puta & *Epiſtolas*, Pariſiis, 1614. 1618. f. Lugd. 1633. 1651. 1671. & cura Paſch. Queſnelli, Pariſiis, 1675. 4. Tomis duobus edita, Labbeus & Caveus operoſe commemorant, atque Spuria à genuinis acuratè diſcernunt, quibus adde noviſſimam quæ Paſchaſii Queſnelli curâ, Pariſiis, 1700. f. prodiit, Leonis Operum editionem. *Epiſtolam* ejus ad Flavianum, Conſtantinopolitanum Patriarcham, miſſam, adverſus Eutychem conſcriptam, & *rectam fidei columnam* vocatam, gr. & lat. cum aliis antiquitatis monumentis ex officina Pernæ, Baſileæ, 1578. publicavit Jo. Leunclavius. Vide & *Orthodoxogr.* T. I. f. 41. *Trigam Sermonum ejus in Natal. Domini* communicavit Daumius, inter collectas meditationes ſimiles SS. Patrum, Cygneæ, 1670. 8. editas. Plura de Leonis Scriptis eorundemque editionibus variis, dabit Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 144. ſeq. Laudat Leonem Magnum poſt alios, Trithemius, dum ſcribit. *Leo M. Eccleſiaſticæ dictionis Tullius fuit, S. Theologiæ Homerus, rationum fidei Ariſtoteles, auctoritatis Apoſtolicæ Petrus, & in Chriſtiano pulpito Paulus.* Alia ejus elogia congeſſit Tho. Pope-Blount, in *Cenſur. celebr. autor.* Agunt de Leone M. poſt alios multos,

& autores jam citatos, Poſſevinus, in *Apparat. S.* Labbeus, *de Scriptor. Eccleſ.* T. II. p. 10. Natalis Alexander, in *ſelectis Hiſtor. Eccleſ. capitibus*, Sec. V. T. I. c. 2. p. 33. c. IV. art. 24 p. 620. Maimbourg, *Hiſt. de S. Leon.* Queſnellus, *diſſertat. I. de vita & rebus geſtis Leonis M.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 110. ſeq. Bayle & Buddeus, in *Lexicis*.

LEO III. P. R.

Romanus, ex patriæ Eccleſiæ Presbytero Pontifex, anno 795. factus, malè tamen habitus ab Hadriani P. R. nepotibus. Lites cum Epiſcopis Hiſpanis exercuit, quod Symbolo Niceno addidiſſent vocem: *Filioque*, quam in duabus tabulis argenteis, quibus Symbolum Nicenum, græce & latine inſcribi curaverat, in Baſilica S. Petri affixis, datâ operâ omiſit. Depoſuit mortalitatis exuvias, anno 816. Scripſit *Epiſtolas* XIII. quæ *Concil.* T. VII. p. 1111. habentur. Leonis III. ad Carolum M. ſcriptas quoq; *Epiſtolas* ex Bibliotheca Flacii amiſſas & in manus Conringii devolutas, edidit cum *Capitulari Caroli M.* Conringius, cum notis, Helmſtadii, 1647. & 1655. Conf. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 147. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 352. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 125.

LEO IV. P. R.

Romanus, Sub-Diaconus & Presbyter, titulo SS. Quatuor Coronatorum, demum Pontifex, anno 847. conſecratus, anno 855. obiit. Ejus *Epiſtola ad Prudentium Tricaſſinum*, & alia ad *Epiſcopos Britanniæ de Epiſcopis Simoniacis*, aliisque *Regulis Eccleſiaſticis*, habetur *Concil.* T. VIII. p. 30. *Homilia ad Presbyteros & Diaconos de cura Paſtorali*, ibidem, p. 33. Loquitur de Leone IV. Lud. Jacob, *loco citato*, p. 148. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 382. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 178.

LEO V. P. R.

Itidem Romanus, ab anno 936. ad 939. Epiſcopus, cujus *Epiſtolæ III. Concil.* T. IX. p. 594. exhibentur. Pauca de eo Ludov. Jacob, p. 149. Guil. Cave, P. I. p. 407. Elias du Pin, *loco citato*, T. VIII. p. 8. 18.

LEO IX. P. R.

Germanus, *Bruno* aliàs dictus, Comes Dagispurgenſis, ex Epiſcopo Tullenſi, ſive Leucorum urbis, Pontifex Romanus, electus,

ctus, anno 1049. mirè commendatus elogiis veterum & recentiorum, apud Mallinkrot, *Archi-Cancell.* 2. p. 141. Varias adverſus Simoniacos celebravit Synodos, Romanam, Remenſem, Moguntinam, de quibus & aliis loquitur Guil. Cave, P. I. p. 422. Obiit Leo IX. anno 1054. atque reliquit *Epiſtolas* XIX. quas *Concil.* T. IX. p. 949. reperies. *Sermones* ejus excuſi ſunt Lovanii, 1565. Colon. 1568. Antwerp. 1583. De Scriptis Leonis Trithemius, quem tamen correxit Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. VI. p. 112. Labbeus, T. II. p. 18. Ludov. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 150. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 9. 24. ſeq.

LEO X. P. R.

Antè *Joh. Medices*, ex Medicorum familia Florentiæ oriundus, Angeli Politiani & Bernardi Michelotii diſcipulus; græcè atque latinè eruditus, puer adhuc Archi-Epiſcopus a Galliarum Rege, Ludov. XI. & Cardinalis, titulo S. Mariæ in Dominica, anno ætatis tertio, ab Innocentio VIII. P. R. deſignatus eſt. Poſt alia deinceps fata, anno 1513. ætatis, 37. Pontifex creatus, Concilium Lateranenſe, a Julio P. R. inchoatum, ad finem perduxit, atque auctoritatem ſedis Romanæ ex voto, ſtabilivit. Hic ipſe Tezelium, Monachum Dominicanum, indulgentiarum nundinatorem famoſiſſimum, in Germaniam noſtram ablegavit, magnamq; vim pecuniæ exinde corraſit. Atheiſmi, perfidiæ, ſcortationis, aliorumque criminum vulgò accuſatur, de quibus vel ipſi Pontificii ingenuè teſtantur. Vitæ finem fecit, veneno extinctus, anno 1521. Scripſit *Epiſtolas* & *Conſtitutiones* XXIII. quæ *Concil.* T. XIV. p. 129. &c. habentur. *Aliæ* XLVIII. apud Bzovium, ad ann. 1513. *Aliæ* plures, apud Laërtium Cherubium, in *Bullario Magno*. *Epiſtolarum* Lib. XVI. a Petro Bembo, ejus nomine ſcripti, prodierunt Baſileæ, 1556. 8. De Scriptis ejus Michael Poccіantius, *in Bibl. Florentina.* Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 151. De Leone ipſo, poſt alios, Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 137. Varillas, *Anecdotes de Florence*, L. VI. p. 253. ſeq. Heideggerus *Hiſtor. Papat.* & Seckendorff, *Hiſtor. Lutheran.* fuſe diſſeruerunt.

LEO SAPIENS.

Sive *Philoſophus* vulgò dictus, patriâ Conſtantinopolitanus, Baſilii Imperatoris, aut juxta nonnullos, Michaelis Porphyrogen-

netæ filius, Photio, Patriarcha, Præceptore uſus, Philoſophiæ, Aſtrologiæ judiciariæ, Hiſtoriæ & Juris peritiſſimus, anno 886. Patri, in Imperio, ſucceſſit, annoque 911. ad plures abiit. De ejus Scriptis, quæ eò pluris æſtimanda, quo Auguſtiore ab autore profecta ſunt, vide Bellarminum, Voſſium, Labbeum, du Pinium, & Guilielmum Caveum. Eminent autem *Novem Orationes ſacræ,* ex Bibliotheca Bavarica gr. & lat. primò editæ, Ingolſtadii, 1600. à Jacobo Gretſero. *Oratio in Exaltationem S. Crucis*, extat, gr. lat. apud eundem Gretſerum, de *Cruce,* T. II. p. 1219. *Orationes X.* protulit Fr. Combefiſius, *Auctar. Bibl. Patr.* Pariſiis, gr. & lat. edito, 1648. T. I. f. 1605. *Oratio de S. Nicolao, Myrenſi Epiſcopo,* gr. lat. in lucem emiſſa à Petro Poſſino, Toloſæ 1644. *Canticum Compunctionis ex meditatione extremi Judicii,* Jacobus Pontanus, Ingolſtadii, 1603. lat. produxit. *Oracula & vaticinia XVII. de Conſtantinopoli,* cum figuris, Petrus Lambecius edidit, poſt Georgii Codini excerpta, Pariſiis, 1655. fol. *Tactita* ſive *de inſtituendis aciebus belliçoque adparatu*, latinè prodierunt Baſileæ 1554. 12. interprete Joh. Checo, Cantabrigienſi Anglo, & ibidem, 1595. Græcè verò & latinè, cum Joh. Meurſii notis, Lugd. Batav. 1612. 4. & cum interpretatione & animadverſionibus Sexti Arcerii, ibidem, 1613. *Opus Baſilicorum* ingens & Herculeum, ἑξηκοντάβιβλον dictum, in LX. Libros diviſum, ex parte vulgarunt Cujacius & Leunclavius, aliique, Latinè. Integrum verò VII. Tomis gr. & lat. edidit Carolus Annibal Fabrottus, Pariſiis, 1647. fol. *Synopſin* illorum gr. lat. edidit Jo. Leunclavius, Baſileæ, 1575. fol. & poſt illum, Carolus Labbeus, Paris. 1608. *Epiſtolam Leonis ad Omarum, Saracenorum Regem, de fidei Chriſtianæ Myſteriis & veritate,* Symphoriano Champerio, ex Chaldaico, interprete, vide T. XV. *Magn. Bibl. Colon.* f. 240. & *edit. Patr. noviſſ.* T. XVII. Alia, apud autores ſuprà citatos, quæras. Agunt de *Leone Sapiente,* du Freſne, *Famil. Byzant.* p. 141. Martinus Hanckius, *de rerum Byzant. Scriptor.* c. 23. p. 412. ſeqq. Voſſius, *de Hiſtor. Græc.* Lib. II. c. 25. p. 289. Labbeus, T. I. p. 19. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 396. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 196.

LEONARDVS JVSTINIANVS.

Chienſis, ab Inſula patriâ, Chio, dictus, Archi-Epiſcopus Mitylenus, anno 1453. clarus, in excidio Conſtantinopolitano, obiit.

Epi-

Epiſtola ejus ad Nicolaum V. P. R. *de capta a Turcis Conſtantinopoli*, cum Michaelis Rottingi *præfatione*, prodiit, Norimb. 1544. Baſil. 1556. 8. & inter *rerum Turcicarum Scriptores*, a Lonicerio vulgatos, Francof. 1578. T. II. p. 84. *Tractatum de vera Nobilitate contra Car. Poggium, Apologeticum*, protraxit, atque Leonardi *Vitam* præmiſit Michaël Juſtinianus, Abellini, 1657. 4. Conf. ſi placet, Guil, Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 309.

LEONARDVS de VTINO.

Bellunenſis aut Micenſis, natione Italus, Ord. Præd. S. Theologiæ Doctor & Gymnaſii Bononienſis Regens ac Profeſſor, Dominicanorum in Lombardia Provincialis, à Trithemio, f. 143. b. ad annum 1445. collocatus. Ejus *Sermonum de Sanctis Liber*, ſub ipſa Typographiæ incunabula, anno 1446. impreſſus, absque loci tamen mentione habetur in Bibliotheca Templi Mariani Hallenſis. Prodiit quoque Vlmæ, 1475. Spiræ, 1479. Lugduni, 1495. 4. *Sermones floridi de Dominicis & quibusdam Feſtis*, Lugduni, 1495. 1516. 4. T. II. *Tractatus de Locis communibus Concionatorum*, Vlmæ, 1478. *De Legibus Opus*, Venetiis, 1473. fol. Confer Simlerum, *Epitom. Geſner.* f. 452. Antonium Poſſevinum, *in Appar. S.* T. II. p. 20. ſeqq. qui tamen unicum in binos fruſtra diſſecuit. Antonium Luſitanum, & Ambroſium de Altamura, in *Bibl. Præd.* Caſimirum Oudinum, *in Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 706. Henricum Whartonum, in *Append. Cap.* p. 87.

LEONTIVS.

Natione Gallus, Arelatenſis Epiſcopus, Concilio Arelatenſi, anno 475. interfuit. Extat ejus *Epiſtola ad Hilarum, Papam*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. V. Pauca de eo exhibet Cave, *Hiſtor. Litter.* p. 255.

LEONTIVS BYZANTINVS.

Advocatus, vel juxta quosdam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Presbyter, poſteà Monachus in Laura S. Sabæ, propè Hieroſolymam, non ſcripſit ante V. Synodum Oecumenicam, ut Bellarminus, neque Juſtiniani Magni Imperatoris, ætate floruit, quod Baronius adſtruere conatus, ſed ad extrema Juſtini Junioris Tiberiique, forte etiam Mauricii tempora, prout Labbeus edocuit. Illum

ad

ad annum 590. ſeq. idcircò retulit Guilielmus Caveus. Ejus *excerpta* ſive *Scholas de Sectis*, ex ore Theodori Abbatis exceptas, in *Actiones X.* diviſas, cum aliis, Manuelis Comnemi &c. græcè & latine dedit Jo. Leunclavius, ex officina Pernæ, Baſileæ, 1578. 8. Inde verò *Bibl. Paris.* 2. T. IV, f. 91. & *Auct. Bibl. Patr.* Pariſiis, 1624. T. I. p. 493. Codicem manuſcriptum penes ſe habuit Voſſius, editis longè auctiorem. *Adverſus Eutychianos & Neſtorianos Lib. III. Adverſus fraudes Apollinariſtarum Lib. II. Solutiones argumentorum Severi: Dubitationes hypotheticæ, & definitiones contra eos, qui negant in Chriſto duas naturas*, habentur apud Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. IV. p. 1., & in *Bibl. Patr.* T. IX. p. 707. *Orationem in mediam Pentecoſtem & in coecum à nativitate*, gr. lat. apud Combefiſium, in *Auctuar. Nov.* T. I. p. 719. quæ Leontio, Presbytero Conſtantinopolitano, inſcribitur, probabiliter noſtro adjudicat Cave. *Liber de duplici Natura in Chriſto contra hæreſin Monophyſitarum* & *diſputatio contra Philoſophum Arianum; Homiliæ in Jobum, in Proditionem Chriſti, in Paſſionem Domini*, & alia, manuſcripta paſſim habentur, de quibus, Labbeus, T. I. p. 25. & qui eum penitus exſcripſit, Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 139. quem idcirco Plagiariis ſummô equidem jure, accenſuit Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 303. Confer ejus P. II. p. 114. & Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 85.

LEONTIVS CYPRIVS.

Neapoleos, vulgò Lemiſſa ſive Nemoſia, in Inſula Cypro, Epiſcopus, non verò Conſtantiæ ſive Salaminæ, modò Famaguſta dictæ, uti nonnulli tradunt, quos inter etiam deprehendimus *Collectores Magnæ Bibl. Patr. Colon.* in *Indice Chronolog.* notati à Labbeo, T. II. p. 25. qui ait, perveniſſe iſtum ad annum 620. & denuò corrigit Baronii, Poſſevini, &c. lapſum, quando hunc Leontium poſt Evagrium Scholaſticum, τὰς ςάλας, Turbationes ſive bella & ſeditiones ſui temporis ſcripſiſſe ajunt. Vide Voſſium, *de Hiſtor. Græc.* Lib. II. c. 23. p. 276. & Heriberti Rosweydi obſervationem; unde error iſte diſpaleſcet, inibi lege. Leontii fragmentum è *Libro contra Judæos*, exhibet Tomus *V. Caniſii*, P. I. p. 209. indeque T. VII. *Bibl. Magn. Colon.* f. 231. & *Concil.* T. VII p. 236. *Orationes binæ, de S. Simeone Dominum ulnis ſuſcipiente*, una, *in Feſtum mediæ Pentecoſtes* altera, gr. lat. apud Combefiſium, *Auctuar. Nov.* p. 681. & 702. habentur.

Vita

Vita Joh. Eleemoſynarii, Lat. apud Surium, d. XXIII. Januar. *Vita Simeonis Sali* ſeu *Stulti*, apud eundem, ad d. 1. Julii. Alia quoque ſcripſit, de quibus *Synodi Nicenæ II. Patres Act. 4.* & Guil. Cave, P. I. p. 305. P. II. p. 115. Leontii Cyprii mentionem habent, Sigebertus, in *Catalogo, de Scriptor. Eccleſ.* c. 57. Poſſevinus, in *Appar. S.* & poſt autores ſupra citatos, Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 162. ſeq. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 35.

LEPORIVS.

Monachus Maſſilienſis, ſeu juxta nonnullos, Aquenſis, poſt Presbyter circa annum 420. Pelagianus primò fuit, deinceps verò à Caſſiano & Auguſtino commonefactus, atq; ad ſaniorem mentem redactus, ſcripſit *Libellum emendationis* ſive *Satisfactionis ad Epiſcopos Gallos*, quem primus ex Codice Herivallenſi, inter *alia veterum Opuſcula Dogmatica*, Pariſiis, Jac. Sirmondus, 1630. 8. edidit. Extat quoque in *Bibl. Patr.* T. VII. p. 14. & *Concil.* T. II. p. 1678. & in *Append. ad P. I. Operum Marii Mercatoris*, a Garnerio editorum, *Diſſertat. II.* cap. 20. p. 225. Variè hic Libellus à veteribus inſcribitur. Joh. II. Papa, *Epiſtolam* vocat. Caſſianus, *flebiles confeſſionis & planctus literas.* Gennadius, *Libellum emendationis.* Facundus, *Libellum Satisfactionis.* Auguſtino quidem, non Leporio, hunc Libellum adſcribere conatur Paſchaſius Queſnellus, in *notis ad Leonis Epiſtolam* 134. p. 906. cujus argumenta nos penitus non movent. Dicunt de Leporio, Gennadius Maſſilienſis, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 59. & Aub. Miræus, *in Scholio ad idem caput.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 69. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 221. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 3.

LETALDVS.

Miciacenſis Monachus, circa annum 990. cujus *de Miraculis S. Maximini, Abbatis Miciacenſis, Liber* apud Mabillonium, *Sec.* I. p. 598. habetur. *Delatio Corporis S. Juniani in Synodum Karrofenſem*, apud eundem, *Sec.* IV. P. I. p. 434. Hic Letaldum noſtrum cum illo unum eundemque facit, qui *Vitam S. Juliani Cenomanenſis Epiſcopi*, expolivit, quem Monachum Cenomanenſem extitiſſe Poſſevinus tradit. Conf. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 314. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 190. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 52.

LIBERATVS.

Archidiaconus Carthaginenſis, trium capitulorum defenſor accerrimus, ab anno 534. ad 553. & ultra, clarus, ſcripſit *Breviarium* de cauſa Neſtorii & Eutychetis, *Conciliorum Tomis* inſertum, & Pariſiis cum notis & diſſertationibus Garnerii, anno 1675. 8. editum. Vide Bellarminum, *de Scriptor. Eccleſ.* Poſſevinum, *in Appar. S.* Voſſium, de *Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 20. Labbeum, T. II. p. 26. Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 293. & Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. V, p. 82.

LIBERIVS.

Poëta, incertæ ætatis. Ejus & Beliſarii Poëtæ, cujus quoque ætas ignota, *duæ Acroſtichides de Sedulio* habentur T. VIII. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 537.

LIBERIVS P. R.

Circa annum 352. præfectus. Arianis aſſentiri nolens, exilium prius paſſus, at ſcandaloſo lapſu priorem virtutem poſtea contaminavit, non puſillanimitate tantum, ſed & hæretica pravitate, quam argumentis validis, multisque veterum & recentiorum teſtimoniis, contra Gretſerum demonſtravit Conradus Danhauerus, *Act. II. Chriſteid. Phænomen. IV.* Patet hoc ex illa ipſa ad Conſtantium ſcripta Liberii *Epiſtola*, quæ extat, T. III. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 125. & apud Baronium, ann. 357. Nec diffitetur Bellarminus, cujus verba protulit Danhauerus. Confer ejus *Hodomor. Pap.* T. I. p. 520. & Dorſchæi *Collationem ad Concilium Sirmienſe*, cui Liberius quoque ſubſcripſit. *Dialogus* ejus cum Conſtantino, Mediolani habitus, extat apud Theodor. L. II. c. 16. *Epiſtolæ* XII. *Concil.* Tom. II. col. 743. *Epiſtola Synodalis ad Macedonianorum Epiſcopos*, gr. lat. apud Socratem, L. IV. c. 12. Obiit Liberius, anno 366. Plura de eo ejusque Scriptis dabunt Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 152. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 116. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 75.

LICINIANVS.

Carthaginis Spartariæ in Hiſpania Epiſcopus, anno 584. clarus, Conſtantinopoli, veneno ab æmulis extinctus, ſcripſit *Epiſtolas* III. quas Card. d' Aguirre, *Concil. Hiſpan.* T. II. p. 427. inſeruit. *Epiſtolam ad Gregorium P. R. de Libro Regularum*, edidit Dacherius,

Spi-

Spicileg. T. II. p. 368. De aliis Liciniani Scriptis, iisque deperditis, agit Iſidorus, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 29. Conf. Antonius, *Bibl. Hiſpan. Veter.* Lib. IV. c. 2. p. 211. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 302. & P. II. p. 114. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 147.

GVILIELMVS LINDWOOD.

Natione Anglus, Juris Pontificii Doctor, Henrici Chichleji, Archi Epiſcopi, ſummus Cancellarius, Henrici V. privati ſigilli cuſtos & Menevenſis Epiſcopus, anno 1446. obiit. *Provinciale*, quod ſcripſit, ſeu *Conſtitutionum Angliæ Lib. V.* prodierunt Pariſiis, 1505. f. Londini, 1557. 8. Oxonii, 1663. 8. & 1679. fol. Alia, quæ ipſi tribuuntur, memorat Pitſeus, *de Scriptor. Angl.* p. 610. & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 68.

LINVS.

Gente Italus, Patriâ Tuſcus, qui à multis piè creditur à S. Petro miſſus ad Sequanorum Metropolim, Veſontionem, inde re bene geſta Romam reverſus, ejusdem in Romano Epiſcopatu vel ſucceſſor vel ſaltem vicarius. Ita Sanmarthani T. I. *Gall. Chriſt.* f. 118. ſequuti Chronologiam Præſulum Biſontinorum Jo. Jac. Chifſletii, P. II. *Veſont.* f. 9. 12. 30. &c. Lini ſub nomine *Libri de Paſſione SS. Petri & Pauli*, extant in *Bibliothecis Patrum*, & alibi, at Pſeudepigraphos eſſe, poſt Baronium, Poſſevinum, Joh. Mariam Braſichallanum, Bellarminus, Labbeus, T. II. p. 28. & alii, fatentur. Conf. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 153. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* p. 13. Tho. Ittigius, *in Select. Hiſtor. Eccleſ.* Sec. I. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 18. Jo. Albertus Fabricius, in *Cod. Apocr.* N. T. Pearſonius & Dodwellus, in *diſſertat.* de primæva P. R. ſucceſſione, & alii.

PETRVS LOMBARDVS, vide PETRVS.

LONGINVS.

Alio nomine *Joh. Dlugoſſus* aut *Dugloſſus*, natione Polonus, Canonicus Cracovienſis, poſt Archi-Epiſcopus Leopolienſis, anno 1465. floruit, annoque 1480. obiit. Condidit *Hiſtoriam Poloniæ*, tribus partibus diſtinctam, quarum prima ſaltem Dobromili, 1615. fol. prodiit. *Vitas* quoque *omnium Poloniæ Epiſcoporum* ſcripſit, cujus operis manuſcriptum penes ſe habuit Tho. Treterus, qui *Vitas Epiſcoporum Poſnanienſium* exinde vulgavit, Brunsberg. 1604. 4. *Vita Stanislai, E-*

piſcopi Cracovienſis, habetur mutila apud Surium, T. III. integrior, apud Bollandianos, Menſe Majo. Longinum laudat Herburtus, qui ejus quoque Vitam Tomo I. præmiſit, *Hiſtoriæ Polonicæ* Lib. XVII. c. 10. ceu *Virum nobilem de Gente Vienavia, virtute & conſtantia ſumma, eruditione & facundia, ut illis temporibus, non vulgari & induſtria ac dexteritate in rebus gerendis ſingulari præditum.* Conf. Simon Staravolſcius, in *Elogiis Script. Polon.* p. 30. & in *Vit. Antiſt. Cracov.* p. 183. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. 6. Freherus, *Theatr.* p. 22. Guil. Cave, P. II. p. 314.

LVCAS.

Montis S. Cornelii Leodienſis, Ord. Præmonſtrat. neutiquam verò, ut Trithemius ſcripſit, Ord. Bened. Abbas, ab anno 1140. ad 1157. claruit, atque *Commentarium in Canticum* ex Aponii *Commentario* defloravit, Friburgi, 1538. excuſum & *Bibl. Patrum*, T. XIV. inſertum. De eo Henricus Gandavenſis, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 9. Trithemius, *de Scriptor.* Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 241. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 410. Guil. Cave, P. I. p. 463. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* Confer, quæ ſupra, p. 73. ad *Aponium* de eo diximus.

LVCAS CHRYSOBERGES.

Ex Monacho, Patriarcha Conſtantinopolitanus, juxta Baronium, ab anno 1148. ad 1167. floruit. Habentur ejus *Decreta Synodalia XIII.* gr. lat. in Leunclavii *Jure Græc. Rom.* Lib. III. p. 217. Aliorum ejus manuſcriptorum meminit Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litt.* p. 227. Conf. Elias du Pin, *loco citato*, T. IX. p. 201.

LVCAS.

Hiſpanus, patriâ Legionenſis, vir ardentis ingenii, qui Romam, Conſtantinopolim, Cyprum & Hieroſolymam præſens luſtravit, Tudenſis primò Diaconus, dein Epiſcopus, circa annum 1236. celebris, *Chronicon Iſidori* auxit, atque ad ſua usque tempora deduxit, quod Andreas Schottus, *Hiſpan. Illuſtr.* T. IV. edidit. Ejus de *altera vita fideique controverſiis Lib. III. adverſus Albingenſes*, vulgavit primus Jo. Mariana, Ingolſtadii, 1612. 4. exinde cum notis Marianæ, Gretſeri & Schotti, in *Magn. Bibl. Patr. Colon.* T. XIII. f. 221. & *edit. noviſſ.* T. XXV. p. 188. *Vita & Miracula S. Iſidori*, habentur apud Ma-

Mabillonium, *Sec. Bened.* II. & Bollandum, ad d. IV. Aprilis. Vid. Aub. Miræus, in *Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 390. p. 258. Jo. Mariana, Lib. XII. *de Rebus Hiſpan.* c. 12. Andreas Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. f. 346. Vaſæus, in *Chron. Hiſpan.* c. IV. Voſſius, de *Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 57. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 503. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 497.

LVCIANVS.

Byzæ Metropolita, ſcripſit anno 457. *Epiſtolam ad Leonem, Imperatorem, adverſus Timotheum Ælurum, & pro Synodi Chalcedonenſis confirmatione,* quam gr. lat. exhibet *Concil.* T. IV. p. 908.

LVCIANVS.

Eccleſiæ Caphargamalitanæ in Dioeceſi Hieroſolymitana, circa annum 415. Presbyter. Tunc etenim S. Stephani, Proto-martyris & aliorum quorundam Sanctorum reliquias inveniſſe dicitur Labbeo, T. II. p. 30. *Luciani hiſtoria inventionis,* ex Aviti interpretatione Latina, extat inter *Auguſtini Opera,* & apud Surium, d. III. Auguſti, & Baronium, ad annum 415. & alibi. *Duo* hujus Libelli *fragmenta Græca,* vide apud Euſtratium, *Libro de vitâ functorum ſtatu,* c. 23. & Photium, *Cod.* 171. De Luciano Presbytero, Gennadius, *de Scriptor.* c. 46. ſeq. Honorius Auguſtodun. L. II. c. 46. Bellarminus, Voſſius, Guil. Cave, P. I. p. 216. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 156.

LVCIFER CALARITANVS.

Sive Caralitanus in Sardinia Epiſcopus, Arianorum Adverſarius acerrimus, hinc exul factus, ann. 354. floruit. Homo fuit præfervidi atque vehementis ingenii, Sacrarum tamen Litterarum ſatis peritus atque in fide conſtantiſſimus. Scripſit ſtylo duro atque inculto, *ad Conſtantium, Imperatorem, Lib. II. De Regibus Apoſtaticis : de non conveniendo cum hæreticis : de non parcendo delinquentibus in Deum : Quod moriendum ſit pro filio Dei : Epiſtolam brevem ad Florentium,* quæ in unum collegit, atque cum aliis Athanaſii, Liberii & Florentii *Epiſtolis* edidit, Jo. Tillius, Pariſiis, 1568. 8. exinde in *Bibl. Patr.* T. IV. p. 181. tranſlata. Novam quidem meditatus operum Luciferi editionem, Jo. Bapt. Cotelerius, ut ipſe, *notis ad Patres Apoſtolicos* p. 177. ſcribit, ſed mortis præventu vix potuit præſtare. Conf. de eo Hiero-

ronymus, *de Script.* c 95. Bellarminus, *de Scriptor.* Labbeus, T. II. p. 30. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 118. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 99. & infrà, P. II. *Bibl. noſtræ*, p. 25.

LVCIVS II. P. R.

Antè *Gerhardus*, Bononienſis, Presbyter Cardinalis, titulo S. Crucis in Hieruſalem, & Eccleſiæ Romanæ Bibliothecarius, poſt Cancellarius, & denique, anno 1144. P. R. conſecratus, anno 1145. obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* X. *Concil.* T. X. p. 1035. Aliæ II. apud Baluzium, *Miſcellan.* T. II. p. 218. Dicunt de Lucio II. poſt alios, Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 155. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 465. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 44. ſeqv.

LVCIVS III. P. R.

Antea Hubaldus Alucingulus, Lucenſis patriâ, ex Eccleſiæ Romanæ Cardinali & Epiſcopo Oſtienſi, ab anno 1181. ad 1185. Pontifex, cujus *Epiſtolæ* II. & *Decretum* T. X. *Concil.* p. 1735. extant. Conf. Ludov. Jacob, *loco citato*, p. 155. & Guil. Cave, P. I. p. 478. Elias du Pin, *loco citato*, T. IX. p. 132.

LVDGERVS.

Friſius, in pago Virduno prope Doccomium natus, Gregorii Presbyteri diſcipulus, ob inſignem eruditionem pietatemque à Carolo M. conſtitutus, anno 802. primus Epiſcopus Monaſterienſis, teſte Suffrido Petro, *decad. VI. Script. Friſ.* n. 5. Albertus Krantzius *ab utero ſanctificatum virum & Saxoniæ Apoſtolum eum laudat*, Lib. I. *Metrop. Sax.* c. 5. Obiit Liudgerus anno 809. *Vitam* ejus L. II. contexuit Othelgrimus, de quo P. II. *Bibl. noſtræ*, p. 48. diximus. Ipſe verò Ludgerus ſcripſit *Vitam Gregorii, Ultrajectenſis Epiſcopi*, Præceptoris ſui, quam edidit, Monguntiæ, Chriſtoph. Browerus, 1615. Extat quoque apud Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 319. & Surium, d. XXV. Aug. *Epiſtola ad Rixfridum, Ultrajectenſem Epiſcopum, de Vita & Miraculis S. Suitberti Epiſcopi*, quæ apud Surium & Bollandum habetur, ſpuria videtur Carolo Cointio, *Annal. Eccleſ. Franc.* ad ann. 779. 749. 754. Vid. Aub. Miræus, in *Auctar. de Script. Eccleſ.* c. 231. p. 226. Poſſevinus, Bellarminus, Labbeus, T. II. p. 31. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 213. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 356. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 196.

LVDOLPHVS de SAXONIA.

Qui minus emendate Bellarmino aliisque ſcribitur *Landulphus*, notante Labbeo, T. II. p. 32. à patria ſic cognominatus, profeſſione Dominicanus, poſt Carthuſianus, Carthuſiæ Argentoratenſis Prior, anno 1330. clarens, *Vitam Jeſu Chriſti, Redemtoris*, ex Evangeliſtis & Eccleſiæ Doctoribus concinnavit, coeleſti quodam artificio, prout laudatur Hartm. Schedelio. Edita illa Argentinæ, 1483. Pariſiis, 1509. Venet. 1536. 1564. 1572. Paris. 1589. At præ manibus nobis eſt nitidiſſima editio, Venetiis, 1578. evulgata, cui acceſſit *Vita S. Annæ & B. Joachimi, Parentum Deiparæ Virginis*. Eſt etiam ad manus *Epitome quædam Vitæ Jeſu Chriſti* ab eodem Autore, Ludolpho Carthuſiano, conſcripta, 57. tantum capitibus conſtans, impreſſa, ut putamus, Baſileæ, anno circiter 1480. fol. Regal. *Commentaria ejus in Pſalmos Davidicos, juxta ſpiritualem præcipue ſenſum, ex Hieronymi, Auguſtini, Caſſiodori & Petri Lombardi ſententiis*, prodierunt, Pariſiis, 1506. & 1528. Venetiis, 1521. Lugd. 1540. *Celeberrimus & Sanctiſſimus Scriptor, Mundi totius Oraculum*, Henr. Engelgravio audit, P. I. *Panth.* p. 24. ubi locum quendam Ludolfi citat, quo is aſſeruit, beatos in coeleſti gloria ab ipſo Jeſu, Jeſuitas, ut hic à Chriſto, Chriſtianos, & à Salvatore, Salvatos dicendos. Vide Ludolfum, P. I. c. 9. f. 32. b. qui hæc ex Hugone Cardinali, in *Apoc.* II. hauſit. De eo poſt autores jam citatos, conferas, Trithemium, Sixtum Senenſem, Poſſevinum, Simlerum, *Epitom. Geſner.* p. 460. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 20.

LVITPRANDVS.

Italus Papienſis, juxta Trithemium, aut, ſi Fr. Bivario fides, Hiſpanus, domo Cordubenſis; ſaltem Boeticus, Cremonenſis, ex Ticinenſi Diacono, Epiſcopus, circa annum 950. Epiſcopatu tamen exutus, Francofurtum ſe contulit, atque poſt varias legationes, anno adhuc 970. ſuperſtes fuit. Vir erat græce & latinè eruditus, Poeta inſignis, cujus Opera omnia, anno 1640. f. Antwerpiæ, uno volumine, ediderunt Hieronymus de la Higuera, & Laurentius Ramireſias. *Legationem Luitprandi ad Nicephorum Phocam, Imperatorem*, anno 968. ſuſceptam, atque ab ipſo deſcriptam, cum aliis quibusdam, edidit Henr. Caniſius, Ingolſtadii, 1600. Opuſculum ei ſuppoſitum *de Vitis Romanorum Pontificum*, una cum *Abbonis Flo-*

ria-

riacenſis, de vitis eorundem epitome, ex Anaſtaſio Bibliothecario deſumta, prodiit Moguntiæ, 1602. curâ Joh. Buſæi. De cæteris vide Voſſium, *de Hiſt. Lat.* L. II. c.40. Guil. Caveum, P. I. p. 408. ſeq. & Labbeum, T. II. p. 33. ſeq. qui poſtremus, p. 36. ingenuè ait, omnia illa Luitprandorum, Dextrorum, Maximorum, Helecarum, Julianorumque Hiſpano Gothica Chronica, cum quisquiliis Joh. Viterb. in Utopiam releganda, & mirum eſſe, magnifieri iſta atque defendi, ab opiparè credulis, aut plus mendacis cujusdam gloriolæ, quam ingenuæ veritatis amantibus &c. Hic quoque Trithemium p. 33. notat, pro Luitprando, *Eutrandum*, ſcribentem. Confer, quæ de eo tradit Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 40. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 27.

RAYMVNDVS LVLLVS.

Seu *Lullius*, natione Hiſpanus, patriâ Majoracenſis, in civitate Palmâ natus, nobilique Barcinonenſium ſtirpe ortus, anno 1236. Juvenis mercaturam ſpe quæſtus coluiſſe, aut in Majorcæ Regis aula Seneſchallus extitiſſe, creditur. Libidinoſus ab initio fuit, ſingulari tamen caſu ad meliorem frugem converſus, ad Fratres Minores ſe contulit. Muhammedanos ad fidem Chriſti convertere ſummo quidem ſtudio intendit, ſed majori periculo, quàm ſucceſſu. Lutetiæ Latinam Lingvam addidicit itemque Arabicam. In eremum poſthæc ſeceſſit, ibidemque per menſes VII. commoratus. Protheus ingenio fuit, Dædalus arte, & Polycletus normâ judicii, ut de eo loquitur Mich. Majerus, *Symbol. aur. menſæ*, Lib. IX. f. 405. In Icone quodam vocatur *Philoſophus*, cum inſcriptione Schedæ in ore: *Lex mea eſt ipſe Dominus*, cumque diſticho:

Doctrinam pandit Raymundus Lullius omnem,
Cui Deus infudit ſcibile quicquid erat.

Plura, quam quatuor voluminum millia, compoſuiſſe refertur, *Journal des Scavans*, T. I. ubi notatum videas *Dialogum ejus de Conceptione Virginis Matris ſine Peccato Originali*, lat. & Hiſpan. Bruxellis, editum. *Liber natalis pueri Jeſu*, Pariſiis, 1499. prodiit. *Commentaria in Primordiale Evangelium Joh.* Ambianis, 1511. *Arbor Scientiæ* Venet. 1514. Lugd. 1515. & alia ejus quam plurima, de quibus Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 5. ſeq. & Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 296. Opera, quæ ad *inventam à ſe Artem univer-*

ſalem

ſalem *Magnam* pertinent, cum aliquot *Commentariis*, Laz. Zetzneri hæredes Argentinæ, 1617. 8. eleganti editione vulgaverunt. Ineſt ſimul *Tractatus Lullii de Articulis fidei & Legis Chriſtianæ*, ſeorſim quoque Coloniæ excuſus, quos rationibus neceſſariis demonſtrativè probare ſategit. Vid. f. 917. ad 968. SS. Trinitatis quoque Myſterium naturali demonſtratione docere & gentili probare conatus fuit, de quo tamen lege Joh. Adami Oſiandri, *Exercitat. I. de Trinitate, Theſ.* VI. & X. item de diverſis circa eum in Papatu judiciis, *Theſ.* IX. quorum aliqua hæreticum, Chemicum, atque Diabolo illuſum eum faciunt, aliqua eum plenis buccis deprædicant, imò & Martyrem, anno ætatis 80. anno 1315. in oris Mauritaniæ lapidibus oppetitum, memorant. Vide Labbeum, T. II. p 278. & quos ibi in utramque partem produxit Autores. Majerus autem ſuprà citatus, ex neſcio quo Penoto refert, Martyrio apud Mauros, cum centeſimum & quadrageſimum ætatis ſuæ annum ſuperaſſet, affectum fuiſſe. Sed de his alii, quibus vacat, litigent. *Vitam* Lullii ſcripſit Carolus Bouillus. De eo quoque conſulas, poſt Bellarminum, Andr. Schottum & Nicolaum Antonium, in *Bibl. Hiſpan.* Olaum Borrichium, *in Conſpectu Script. Chemicor.* p. 16. Morhoffium, *in Polyhiſtor.* Jo. Fr. Buddeum, *in Lexico*, qui vitam ejus prolixe narravit.

LVPOLDVS BEBEMBVRGIVS.

Qui Poſſevino & Voſſio *Ludolphus*, Gente Germanus, ex nobili Bebenburgiorum familia oriundus, Juris utriusque Profeſſor Bononienſis, Canonicus Moguntinus, Herbipolenſis, & Bambergenſis Epiſcopus, juxta Trithemium, cujus tamen ſententiam ceu falſam rejicit Labbeus, T. II. p. 37. anno 1340. floruiſſe dicitur. Scripſit *de Juribus Regni atque Imperii Librum*, Argent. 1508. 4. excuſum. Aliumque *de Zelo veterum Regum Galliæ, Principumque Germaniæ erga religionem*, qui in *Bibl. Patr.* T. XXVI. p. 88. habetur. Uterque prodiit Pariſiis, 1540. Colon. 1564. 8. Baſil. 1497. 1566. Argentinæ, 1603. 1609. Conf. Trithemius, Bellarminus, Pantaleon, *de viris illuſtr. German.* P. II. p. 328. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 25.

LVPVS SERVATVS.

Natione Gallus, Rabani Mauri diſcipulus, Ord. Bened. Monachus, poſt Abbas Ferrarienſis, ſive S. Petri ad Ferrarias Coenobii, in dioeceſi Senonenſi ſiti, & Bethlehem quoque dicti, anno

842. Abbas, poſt annum 861. obiit. Lupum Servatum à Ferrarienſi diſtingvunt poſt Trithemium, Aubertus Miræus, Poſſevinus, Spanhemius, aliique, quos tamen ſolide confutavit Baluzius. Scripſit autem Lupus varia, à Baluzio edita, Pariſiis, 1664. 8. & *Bibl. Patr.* inſerta, T. XIV. p. 1. ſeq. Sunt autem *Liber de tribus quæſtionibus, de Libero Arbitrio, de Prædeſtinatione bonorum & malorum, & de redemtione Chriſti usque ad Salutem impiorum, Collectaneum de iisdem tribus quæſtionibus, Epiſtolæ II.* una *ad Carolum Calvum,* altera *ad Hincmarum Rhemenſem,* quæ opuſcula hactenus enumerata; curâ Jac. Sirmondi, 1648. & apud Gild. Mauguinum, *de Prædeſtinatione & Gratia,* T. I. P. II. p. 9. prodierunt. *Librum Epiſtolarum, CXXX.* Pariſiis, annô 1588. 8. Papirius Maſſonus edidit, exinde Duchesnius, *Hiſtor. Franc.* T. III. & *Bibl. Patr. Colon. Magn.* P. I. f. 827. *Vita* verò, quam conſcripſit, *S. Wigberti, Abbatis Fritislarienſis,* extat poſt *Epiſtolas Hincmari* à Joh. Buſæo, Moguntiæ, 1602. editas. *Vita S. Maximini, Epiſcopi Treverenſis,* apud Surium, d. 29. Maj. Vide Labbeum, T. II. p. 39. Voſſium, *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 35. Aubertum Miræum, *Auct. de Scriptor. Eccleſ.* c. 247. & 268. & *in Scholio* ad cap. 94. Sigeberti. Antonium Poſſevinum, *in Appar. S.* Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. IV. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 242. Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 368. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 14. ſeq. & 170.

LVPVS TRECENSIS.

Nobilis Gallus, Tulli Leucorum natus, Vincentii Lirinenſis frater, Pimeniolam, Hilarii Arelatenſis Sororem, in matrimonio habuit. S. Honorato, Abbate Lirinenſi, uſus Præceptore, poſt anno 427. Epiſcopus Trecenſis factus, iter in Angliam cum Germano ſuſcepit, atque Pelagianos maſculè oppugnavit. Obiit demum, anno 479. poſtquam Epiſcopatus munere LII. annis functus eſſet. Scripſit *Epiſtolam,* ſui & Euphronii Auguſtodunenſis nomine, *ad Talatium, Andegavenſem Epiſcopum, de Clericis Bigamis,* quam vide *Concil.* T. IV. p. 1048. *Aliam ad Sidonium Apollinarem* exhibet Dacherius, *Spicileg.* T. V. Eum *Patrem Patrum, Epiſcopum Epiſcoporum, alterum ſui Seculi Jacobum, omnium toto, quà patet, orbe Pontificum procul dubio primum, normam morum, & columnam Virtutum,* appellat Sidonius Apollinaris, *Lib. VI. Epiſt. I.* Confer de eo Vincentius Barralis,

in *Chronico Lerinenſi*, Sanmarth. *Gall. Chriſt*. T. III. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 129.

MARTINVS LVTHERVS.

Islebii, anno 1483. natus, Patre, Joh. Luthero, Matre verò, Margaretha Lindemanna. Magdeburgum atque Iſennacum miſſus, litterarum tyrocinia poſuit, annoque 1501. Erfordiam, ſtudiorum cauſa, adpulit. Hic, poſtquam non exiguos ſtudiorum progreſſus feciſſet, Magiſterii gradu, anno 1503. cohoneſtatus, Philoſophiam publicè profeſſus eſt. Jurisprudentiæ quidem ab initio incubuit, poſtmodum verò poſt violentam condiſcipuli mortem, & fulmina terrifica, Ordinem Auguſtinianum, anno 1507. ingreſſus, renitentibus fruſtrâ amicis atque Parentibus. Anno 1508. Erfordia relictâ Wittebergam ſe contulit, ibidemque Logicam & Phyſicam Ariſtotelis, alios edocuit. Anno 1512. nomine Ordinis ſui Romam miſſus, annoque ſequenti Wittebergam reverſus, Doctoratus inſignia cepit, Lingvisque, Hebrææ & Græcæ, operam navavit. Annuente demum divina gratiâ, anno 1517. Tezelium, aliosque indulgentiarum nundinatores impios, fortiter oppugnavit, eoque ipſo Dux & Anteſignanus Religionis factus. Inſurgebant quidem in Lutherum, Eckius, Sylveſter Prierias, Jacobus Hocſtratus, aliique, ejus interitum atque ruinam minitantes. Hinc Heidelbergam, ab Auguſtinianis, & Auguſtam, a Cajetano, Pontificis Legato, accitus, dogmatum rationem reddit, ſuaque ex Scripturis S. aſſerta maſculè defendit. Cum autem omnes in eum animadverterent, Gallias abire decrevit, à Friderico tamen Electore, impeditus. Anno 1519. Lipſiæ, cum Eckio diſputavit. Anno 1520. anathemate eum percuſſit Leo, P. R. cujus minas floccipendit, Wittebergæ combuſtis Jure Pontificio atque Bullâ Leonis. Anno 1521. Wormatiam evocatus, fidemque ac doctrinam ſuam conſtanter adſeruit. Et quamvis, eodem ferè tempore, proſcriptus fuiſſet à Cæſare, atque Friderici, Electoris, juſſu, in arce Wartenburgenſi delituiſſet, inſcio Friderico Wittebergam repetiit, atque Religionis cauſam palàm egit. Hinc anno 1524. Cucullo depoſitô, miſſam abrogavit, & anno 1525. Catharinam Boram, nobilem foeminam, antè Monialem, uxorem duxit, è qua tres filios ſuſcepit. Anno 1529. Colloquium, Marpurgi convocatum,

frequentavit. Obiit tandem inclytus Thaumaſiander, ætatis 63. ſanctoque, in Islebia natalitiâ, fine quievit, inter complexum atque preces propinquorum & piorum, anno 1546. d. 18. Febr. Scriptorum Eccleſiaſticorum Coryphæus, Veritatis coeleſtis entheus planè & imperterritus vindex, Germaniæque Helias fuit, e cujus unico Scriptorum folio plus quam ex omnibus Thomæ Scriptis addiſci poſſe, Magnus quondam Eraſmus, ad Marinum Caracciolum, Legatum Pontificium, veriſſimè faſſus eſt. De quo Wolffgangus Severus, Auguſtiſſimi Imperatoris, Ferdinandi I. quondam Præceptor, parheſiaſticè cecinit:

Japeti de ſtirpe ſatum Doctore Luthero,
Majorem nobis nulla propago dedit.

Vitæ equidem Theandri periodum, ſicut & ejus elogia, non deſcribimus, aut exſcribendo iteramus, ne poſt Homerum Iliada. Memoria inclyti Herois ſit in benedictione! Videat, cui libet, Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr. Autor.* p. 540. ſeq. & Tobiam Magirum, *Eponymolog.* p. 538. ſeq. addatque Philippi Melanchtonis, Joh. Matheſii, Cyriaci Spangenbergii, Joh. Pellicarii, Conradi Portæ, Nicolai Selnecceri, Mathæi Dreſſeri, Adami, Conradi Danhaueri, Theodori Thummii, Viti Ludovici à Seckendorff, & aliorum de Luthero Labores, qui de eo ex profeſſo ſcripſerunt, atque memorantur Chriſtiano Junckero, in præfatione *Vitæ Lutheri numis illuſtratæ.* Vindicias contra Luthero-Maſtyges, Jo. Cochlæum, Jacobum Gretſerum, Conradum Vetterum, Florimundum Raymundum, Uhlenbergium, Nicolaum Serrarium, & alios, invictas pararunt, Laurentius Lodius, Joh. Foerſterus, Hoepffnerus, Heilbrunnerus, Zeæmannus, Müllerus, Thummius, Wagnerus, Danhauerus, Keslerus, Gerhardus, Chemnitius, Schertzerus, aliique. Laudatiſſima & ſaluberrima ejus Scripta, iteratis aliquoties editionibus, variis quoque ad illa directis indicibus, prodiere. Primùm quidem quædam ex iis, Baſileæ, 1520. fol. Poſt verò plura excuſa ſunt Wittembergæ, ab anno 1539. ab 1559. T. XIIX. fol. Jenæ quoque impreſſa Lutheri Scriptorum Tomi XII. ab anno 1555. ad 1558. quibus Tomi II. Islebii, anno 1564. & ſequenti acceſſerunt. Nec ignotum, quid Conr. Porta, quid Timotheus Kirchnerus & alii, circa illa præſtiterint. Cum his ipſis immortaliter meritus Joh. Chriſt-

fried Sagittarius, qui Altenburgi, Tomos X. Operum Lutheri anno 1661. concinnavit & Indicibus ampliſſimis, atque herculeo planè labore confectis, inſtruxit. Vix tamen omnia Lutheri Scripta in iisdem reperies. Multa enim, quæ in iis deſiderantur, ex Rudolphi Auguſti, Brunſvicenſium Ducis, Bibliotheca, tribus *autographorum Lutheri & coætaneorum* Tomis, quorum I. Brunſwigæ, ann. 1690. 8. poſteriores verò II. Helmſtadii, 1693. 8. prodierunt, vulgavit Herm. ad Hardt. Halæ quoque anno 1702. fol. alius Lutheri Scriptorum hactenus ineditorum Tomus prodiit, cum præfat. Joh. Fr. Buddei. *Supplementum Epiſtolarum Lutheri* ibidem produxit modò laudatus Jo. Fr. Buddeus, anno 1703. 4. *Commentarius in I. S. Joh. Epiſtolam* manuſcriptus diu delituit in familia noſtra, quem tandem Wilhelmo Erneſto Tentzelio donatum, ejusdemque nutu Bibliothecæ Wittebergenſi inſertum, e tenebris in lucem emiſit, qui aliquot ad Jacobum Sprengerum, Bremenſis Eccleſiæ Præpoſitum, Epiſtolas, maximam partem nondum editas, adjecit, B. Jo. Georgius Neumannus, Lipſiæ, 1708. 8. Stylus Lutheri duriuſculus quidem incomptus atque inelaboratus eſt, qui tamen pietatem atq; ingentem Zelum, ſpirat, vivida dictio, nec tam verba, quam res fundere videtur, judice Henrico Whartono, *Append. Cav.* p. 139. qui ingenium ejus ſagax, acre, præfervidum & ad magna quævis aggredienda factum, deſcribit. Nævos in eo varios quærunt, Richard Simonius, *Hiſtor. Crit. Veteris Teſtamenti,* L. II. c. 23. Lib. III. c. 14. & Arnoldus, *in Hæreſiologia,* quos evolvas cum judicio. Conferas quoque *Reſponſionem* ad quasdam *Conſiderationes in Martini Lutheri Genium,* Oxonii, 1687. 4. Anglicè excuſ. *Vitam Lutheri* poſt autores jam citatos, prolixe narrarunt Mr. Bayle, *in Dictionario.* Jo. Fr. Buddeus, *in Lexico,* Henricus Anshelmus a Ziegler & Klippenhauſen, *in Diurno,* f. 156. ſeqq.

M

MACARIVS ÆGYPTIVS.

Ex Thebaide provincia oriundus, Antonii diſcipulus, celebris Anachoreta, Scetenſis, à deſerto Scetes, quod incoluit, dictus,

& Senior, Presbyter anno ætatis 40. factus, ab anno 373. ad 391. doctrinâ & miraculis claruit. *Homilia ejus Spirituales L. de integritate, quæ docet Chriſtianos*, gr. lat. Pariſiis, 1559. 8. prodierunt. Easdem Zacharias Palthenius, Francof. 1594. 8. edidit, deinde cum *Operibus Gregorii Thaumaturgi*, Paris. 1622. fol. excuſas. Germanicè, cum aliis Macarii & aliorum monumentis, Goslariæ, 1699. vulgavit Godofredus Arnoldus. Græcè verò & Latinè Joh. Georgius Pritius, Lipſiæ, 1699. 8. Pluribus de eo Palladius, *Hiſtor. Lauſiac.* cap. 19. & Meurſius, *ad eundem*, p. 180. Labbeus, T. II. *diſſertat. de Scriptor. Eccleſ.* p. 40. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 145. & P. II. p. 47. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 69. ubi de aliis quoque Macariis ſequentibus prolixe diſſeruit. Adde Joh. Georgium Pritium, in *præfatione* ad *Homilias Macarii.*

MACARIVS ÆGYPTIVS.

Prioris σύγχρονος, Antonii auditor, ſcripſit *Opuſcula VII. de Cuſtodia cordis: de Perfectione in Spiritu: de Oratione: de Patientia & diſcretione: de elevatione mentis: de Charitate: de Libertate mentis*, gr. lat. in *Theſauro* Petri Poſſini *Aſcetico*, Tholoſæ, 1684. 4. excuſa. De eo Cave, P. I. p. 148. cujus tamen P. II. p. 48. conferas.

MACARIVS ALEXANDRINVS.

Junior, Antonii pariter diſcipulus, *Politicus* dictus, quod magnam vitæ partem in publica hominum luce tranſegit, præcedentis Macarii ferè coætaneus, Nitrienſis Abbas, circa annum 404. obiit. De Miraculis & virtutibus ejus idem dixit Palladius, *Hiſtor. Laus.* c. 20. Tribuitur ei *Regula capit. XXX.* comprehenſa & a Jeſuita Petro Roverio, in *Hiſtoria Coenobii Reomaenſis* edita, p. 14. diverſa quoque ab illa Serapionis & Macarii Paphnutii & alterius Macarii, aliorumque XXXIV, *Regulâ*, ad calcem Caſſiani exhibitâ ab Henrico Cuicquio, Antwerpiæ, 1578. de quibus prolixe Labbeus, T. II. p. 42. *Sermonem ejus de exceſſu ſtatuque animarum poſt hanc vitam*, gr. lat. P. I. *Hiſt. Litter.* p. 146. inſeruit Caveus, & Jacobus Tollius, *Inſignibus Itinerarii Italici*, Trajecti ad Rhenum, anno 1696. 4. editis, p. 192. ſeq.

MACARIVS.

Patriarcha Antiochenus, Monothelita, anno 680. ob aſſertam in Chriſto voluntatem unicam, in exilium miſſus, cujus *Confeſſio fi-*

dei, Concil. T. VI. p. 743. habetur. *Libri ad Lucam Monachum & Presbyterum Africæ*, & aliorum fragmenta exhibet, idem T. VI. p. 906. Conf. Baronium ad ann. 677. & 681. & Guil. Caveum, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 329.

MALACHIAS.

Natione Hibernus, Bernardi familiaris, Monaſterii Bangorenſis in Ultonia Abbas, poſt Epiſcopus Comerenſis, & anno 1134. Archi Epiſcopus Armachanus, Sede ſponte relictâ, Romam profectus, in itinere, anno 1148. obiit. Ejus *Prophetia de futuris Pontificibus Romanis*, cum expoſitione Ciacconii, apud Arnoldum Wion, in *Ligno vitæ*, L. II. c. 40. habetur. De aliis ejus Scriptis conferas Waræum, Lib. I. *de Scriptor. Hibern.* p. 55. & *Comment. de Præſul. Hibern.* p. 14. & Baleum, *Centur. XIV.* p. 239. & qui illos allegat, Guil. Caveum, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 461.

MALACHIAS.

Itidem Hibernus, Ord. Minor. Theologus Oxonienſis, Eduardo II. Regi à Sacris Concionibus, juxta Waræum, *de Scriptor. Hibern.* L. I. p. 65. circa annum 1310. floruit. Scripſit *Librum de Veneno Peccatorum mortalium, deque remediis ipſorum*, Pariſiis, 1518. excuſum. *Concionum* volumen manuſcriptum memorat Baleus, *Centur.* XIV. p. 242. & ex eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 10. *Vir* juxta Baleum, *inter inſigniores ſui Ordinis proceres numeratus, qui magnam ab eruditione laudem domi foriſque ſibi comparavit.*

JOH. MALALA.

Antiochenus, quem Guilielmus Caveus, ad annum 601. reponit, ſcripſit *Hiſtoriam Chronicam*, Lib. XVIII. ab Edmundo Chilmeado, Oxonienſi, latine verſam, vulgatam verò gr. lat. Oxonii, 1691. 8. curâ Humphredi Hodii. Plura de eo produxit idem Caveus, P. II. p. 127. qui de ætate Malalæ perdoctè diſſeruit.

FELIX MALLEOLVS.

Vulgò *Hemmerlin*, Tigurinus, patriæque Eccleſiæ Canonicus, Juris Utriusqve Doctor, anno 1454. clarus, ſcripſit *contra validos mendicantes: recapitulationem ejusdem contra Anachoritas, Beghardos, Beginasque Sylveſtres: Gloſſam bullarum per Beghardos impetratarum: de negotio monachorum: de plebanis & religioſis mendicantibus: de exorcismis*

&

& alia, de quibus poſt Trithemium atque Geſnerum, Simlerus, *Epitom.* f. 195.

CLAVDIANVS MAMERTVS.

Gallus, Mamerti, Epiſcopi Viennenſis, frater & ejusdem Eccleſiæ Presbyter, circa annum 462. Probe enim notandum, quod Jacobus Sirmondus & Joh. Savaro, Sidonii Apollinaris illuſtratores doctiſſimi, & noſter Caſparus Barthius, aliique, atque poſt illos Labbeus, & Sammarthani, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 192. accurate docuerunt, Alium eſſe Claudianum, Poëtæ prægorioſiſſimi titulo & ſtatua, ab Imperatoribus, Arcadio atque Honorio, mactatum, laudum gentilitiarum buccinatorem perpetuum, Auguſtino, Paulo Oroſio, Warnefrido, Sigeberto, Ottoni Friſingenſi, &c. paganum, infidelem, atque, ſi unquam de Chriſto ſcripſerit, aſſentatorem dictum, ut inter ducentos autores, quorum de eo judicia Barthius ampliſſimo ſuo in hunc Commentario, præfixit, præter Chriſtophorum Landinum vix aliquis, qui eum Chriſtianum aſſeruerit, inveniatur, vide tamen, quæ habet f. 1069. ſeq. & *Adverſar.* L. I. c. 7. & confer Tho. Bartholinum, *de Medicis Poetis*, p. 68. Porro alium eſſe Claudium, Archi-Epiſcopum Viennenſem, quem Ado & Beda Concilio I. Arelatenſi interfuiſſe, negante tamen Baronio, ajunt, circa annum 312. clarum. Unde error eorum promanavit, qui Claudianum Mamertum, Libri de anima, uti mox dicemus, autorem, Claudii nomine perperam impoſito, Epiſcopum Viennenſem faciunt. Alium deinde Mamertum, Claudiani noſtri fratrem, qui anno 462. Eccleſiam Viennenſem Archi-Epiſcopus adminiſtravit, uſum rogationum, ſacrarumque Litaniarum, cultu remiſſiore in Gallia neglectum, reſtituit, cum Viennenſis maximè urbs terræ motibus, aliisve prodigiis graviter quaſſaretur, teſte Gregorio Turonenſi, Adone, Baronio, & aliis, qui de Rogationibus ſcripſerunt, autoribus. Reſtat itaque quartus, de quo dicere coeperamus, præcedentis à Rogatione inſtauratâ clari Epiſcopi frater, *Claudianus Ecdicius* dictus, & *Mamertus* quoque cognominatus, cujus inſigne opus *de Statu Animarum* Lib. III. Barthius, Cygneæ, 1655. 8. edidit, & ampliſſimè exornavit. Vide de occaſione & ſcopo horum Librorum p. 234. ſeq. elogia verò Autoris, p. 540. ſeq. Nævos quoque, p. 261. 264. 269. 292. &c. Extat idem lipſanum inter *Or-*

tho-

thodoxographa SS. Patrum Lat. f. 1247. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. T. IV. f. 765. & alibi. Nonnulla alia hujus Autoris ſcripta & carmina recenſet Barthius, *Comment.* p. 458. eidemque cum Labbeo, Caveo, & aliis, tribuit Hymnum, *Pange lingva glorioſi*, eò, quod cultiorem ſtylum redoleat, quam Fortunati eſſe ſolet, cui tamen illum plerique aſſerunt. Carmen ejusdem contra varios errores ſeu vanos Poëtas, exhibetur T. IV. *Bibl. Patr.* f. 837. *Epiſtola ad Sidonium Apollinarem*, inter *Epiſtolas Sidonii* Lib. IV. *Epiſtol.* 2. Sunt etiam, qui ei adſcribant Damaſi *Carmen de Chriſto*, item aliud, *de collatione miraculorum utriusque Teſtamenti*, quod verius eſt Sedulii. *Vir fuit*, teſte Sidonio, *providus, prudens, doctus, eloquens, acer, & hominum ævi, loci, populi ſui ingenioſiſſimus : quippe indeſinenter, ſalvâ religione, philoſopharetur.* Elegans ei poſuit Epitaphium idem Sidonius, quod vide apud Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 256. Confer de Claudiano Mamerto, Jo. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 628. 634. & 711. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 224. ſeq.

MAMMAS.

Sive *Gregorius Meliſſenus*, gente Græcus, Hieromonachus, Poenitentiarius Conſtantinop. & Joh. Imperatoris Confeſſionarius, anno 1438. Concilio Florentino interfuit, atque ad latinos defecit. Poſt Proto-Syncellus & anno 1440. Patriarcha Conſtantinop. quidem factus, throno tamen, ob proditionem in Concilio Florentino, à Græcis ejectus. Scripſit *Apologiam pro Synodo Florentina, adverſus Marci Epheſii Epiſtolam encyclicam*, quam vide gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 739. *Oratio ſeu Epiſtola ad Alexium Comnemum, Imp. Trapezuntinum de Proceſſione* SS. demonſtrans, additione illâ ad Symbolum, Filioque, nihil immutatum eſſe, gr. lat. apud Leonem Allatium, *Græc. Orthod.* T. I. p. 419. habetur. Agit de eo Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 81. & Guil. Cave, P. II. p. 307.

MANASSES.

Gente Gallus, qui Sedem Rhemenſem Archi-Epiſcopalem malis artibus, anno 1068. obtinuit, Eccleſiæq; ſuæ ſupellectilem injuſte adminiſtravit, *Apologiam* ad Hugonem & Concilium Lugdunenſe miſit, quam Mabillonius, *Muſ. Ital.* P. I. p. 119. inſeruit. *Epiſtola* ejus *ad Gregorium VII. Concil.* T. X. p. 362. habetur. Plura de eo tradit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 430. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 60.

JANNOTIVS MANETTVS.

Florentiæ, anno 1396. natus, Manuelis Chryſoloræ diſcipulus, vir græcè & hebraicè doctus, Senatoria & Egveſtri dignitate cohoneſtatus, Neapoli, 1459. obiit. Refertur quidem inter Scriptores Eccleſiaſticos, eò quod Veteris Inſtrumenti partem ex hebræo, novum verò integrum ex græco in latinum convertit. *Ejus contra Judæos & Gentes opus*, in manuſcripto, Piſauri, deliteſcit. *Orationes* varias *Germanicarum Rerum Scriptoribus*, Hanov. 1611. fol. T. III. Marqv. Freherus inſeruit. *Vitam Fr. Petrarchæ*, Jac. Phil. Thomaſinus, *Petrarch. Rediviv.* Patavii, 1650. 4. *De dignitate & excellentia hominis*, Baſil. 1532. 8. Plura, quæ ſcripſit, dabit Poſſevinus, *in Appar. S.* T. I. p. 796. Guil. Cave, P. II. p. 307. Agunt quoque de eo Vigolinus Verrinus, Lib. II. *Florent. illuſtr.* Voſſius de *Hiſt. Lat.* L. III. c. 7. & alii.

MANSVETVS.

Archi-Epiſcopus Mediolanenſis, circa annum 680. cujus *Epiſtola ad Conſtantinum, Imperatorem, de fide Catholica*, è Synodo Mediolanenſi ſcripta, *Concil.* T. VI. p. 601. habetur. De eo Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 328.

MANVEL CALECAS.

Græcus, Ord. Præd. poſt annum 1360. floruit, juxta Bellarminum & Caveum. At Labbeus paulo antiquiorem facit, utpote qui Seculo XIII. circa annum 1250. vixerit, cui fucum fecit Petrus Galeſinius, *Vita S. Bonaventuræ*, qui eum Concilio Lugdunenſi II. anno 1274. interfuiſſe, mentitur. *Ejus Libri IV. de Proceſſione SS. adverſus errores Græcorum*, latinè verſi ab Ambroſio Camaldulenſi, atque ex Bavarica Bibliotheca, à Petro Stevartio, Ingolſtadii, 1608. 1616. 4. latinè publicati, extant cum Stevartii notis, T. XIV. *Bibl. Patr. Colon.* f. 257. & *edit. Lugd noviſſ.* T. XXVI. *Liber de Eſſentia & Operatione Dei adverſus Palamitas, & de principiis fidei Chriſtianæ ſecundum traditionem S. Scripturæ & Doctorum Catholicorum* Liber, apud Combefiſium, *Auctuar. Noviſſ.* Pariſiis, 1672. fol. Plura qui deſiderat, adeat Antonium Poſſevinum, *in Appar. S.* Aubertum Miræum, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 406. p. 263. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 634.

Henr.

Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 38, Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 284.

MANVEL CHARITOPVLVS.

Philoſophus appellatus, Patriarcha Conſtantinopolitanus, circa annum 1250. juxta calculum Cavei, P. I. p. 498. cujus *Solutiones quarundam quæſtionum* in Leunclavii *Jur. Græc. Roman.* L. III. p. 238. *Decretum* verò *de translatione Epiſcoporum*, ibidem, p. 240. & *Decretum de Jure Patronatus*, ibidem, p. 242. gr. lat. habentur.

GVALTHERVS MAPES.

Natione Anglus, ex Canonico Sarisburienſi, Lincolnienſis, Præcentor, & Archidiaconus Oxonienſis, anno 1210. floruit. Romæ fuit aliquando, & plusquam Luciferinum Papæ faſtum vidit, Cardinalium item & Prælatorum Ambitiones, avaritias &c. Hinc Satyrica metra plurima fecit, *Apocalypſin Goliæ Pontificis: ad impios Prælatos Librum: ad malos Paſtores: ad Chriſti Sacerdotes; Sermonem ad eosdem Prælatos impios; de malis Romanæ Curiæ*, quæ apud Joh. Wolffium, *Memorabilium Lect.* T. I. *Cent.* XII. à p. 430. ad 442. habentur. Loquuntur de Gualthero Mapo, Baleus, Lelandus, Pitſeus, *de Scriptor. Angl.* p. 283. ſeqq. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* c. 54. p. 439. Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 490.

MAPHÆVS VEGIVS.

Laudenſis, Primariæ ædis in urbe Canonicus, Papæ, Martini V. Datarius, Orator atq; Poeta inſignis, ab anno 1448. ad 1458. floruit. De eo Paulus Jovius, *Elog. Illuſtr. Viror.* num. 107. *Maphæus Vegius heroico ſpiritu Maronem feliciter æmulatus, omnes ferè à mille annis illuſtres Poetas, nec excepto quidem Petrarcha laureato, præclara cum laude ſuperavit.* Libri ejus VII. *de perſeverantia in Religione: de educatione liberorum & claris eorum moribus* Lib. VI. ſeorſim Baſil. 1541. excuſi: *Diſputatio terræ, Solis, & Auri de præſtantia diſceptantium:* & *Dialogus de miſeria & felicitate*, cum prioribus prodierunt, Pariſiis, 1511. *Dialogus Philalethes*, Lipſiæ, 1499. *Antonias* ſeu *de Vita S. Antonii* Lib. IV. carminicè, Antwerpiæ, 1559. *de IV. hominis noviſſimis Tractatus: Paraphraſis in VII. Pſalmos Poenitentiales*; quæ omnia *Bibl. Patr.* T. XXVI. p. 632. inſerta ſunt. *Officium Eccleſiaſticum S. Monicæ*, inter *Officia Eccleſiæ Romanæ* habetur. Conf. Sixtus Senenſis, *in Bibl. S.* Lib. IV. Antoni-

tonius Poſſevinus, *in Appar. S.* T. II. p. 43. Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor.* c. 473. p. 270. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 715. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 88. qui plura ejus Scripta commemorant.

MARBODVS.

Gente Gallus, patriâ Cenomanenſis, vel juxta alios, Andegavenſis, ex Canonico, Scholaſtico, & Archidiacono Andegavenſi, Epiſcopus in Britannia Redonenſis, ab anno 1096. ad 1120. coecus tandem factus in Monaſterium Andegavenſe, anno 1123. ſe contulit, eodemque anno obiit. Scripſit Marbodus *Commentaria in Canticum Canticorum.* item *Agonem S. Laurentii Martyris,* qui apud Surium, d. X. Aug. *Vitam S. Roberti, Abbatis Caſæ Dei Ord. Bened. in Gallia* Lib. II. apud Bolland. d. XXIV. April. T. III. p. 216 *Vitam S. Licinii, Andegavenſis Epiſcopi,* apud Bollandum d. XIII. Febr. *Epiſtola ad Rainaldum, Andegavenſem Epiſcopum,* extat inter *Epiſtolas Hildeberti, Cenomanenſis Epiſcopi,* num. 80. *alia ad Hildebertum, Cenomanenſem Epiſcopum,* apud Dacherium, *Spicileg.* T. XIII. *Alia ad Robertum de Arbriſello,* apud Natalem Alexandrum, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XII. P. II. *diſſert.* V. p. 619. *Tractatus de gemmarum lapidumque pretioſorum formis, natura & viribus,* Colon. 1539. *Dactyloteca,* Baſileæ, 1555. 8. Mentionem ejus habent Sigebertus, *de Scriptor.* c. 158. & Miræus, in *Scholio.* Baleus & Pitſeus, *de Scriptoribus Angl.* Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 44. Natalis Alexander, *Sec. XII.* P. I. cap. 6. p. 458. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. III. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 386. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX, p. 159.

MARCELLINVS.

Comes Illyricianus, Juſtiniani, Imperatoris, adhuc Patricii, Cancellarius, anno 534. clarus, *Chronicon Rerum ſub Orientali maximè Imperio geſtarum* ſcripſit, orſus ab anno 379. ubi Hieronymus deſierat, atque anno 535. finiens. Corruptum ac mutilum illud multoties olim evulgatum, à Schoenhofio puta, Onuphrio, Bignæo & Joſ. Scaligero, prodiit Pariſiis, 1546. 8. 1575. Heidelbergæ, 1588. & ad calcem *Chronici Euſebiani,* Lugd. Batav. 1606. Amſtelodami, 1658. at perfectiſſimè, Pariſiis, anno 1619. 8. una cum *Chronico & Faſtis Idacii Lemovicenſis,* curâ Jacobi Sirmondi, inde translatum in *Bibl. Patrum,* T. IX. p. 517. *Libri IV. de temporum qualitatibus & poſitionibus lo-*

corum

corum, ac totidem *de urbibus Conſtantinopoli & Hieroſolymis*, Caſſiodoro, c. 17. 25. *Divin. Lect.* memorati, non amplius extant. Dicunt de Marcellino, Voſſius, de *Hiſt. Lat.* L. II. c. 19. Labbeus, T. II, p. 48. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 287. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 37.

MARCELLINVS.

Anglus Brigantius, Presbyter & Monachus Eboracenſis, ab anno 755. ad 770. floruit, quo circiter è vita migravit. Habetur ſub ejus nomine *Vita S. Suitberti, primi Werdenſis Epiſcopi*, apud Surium, d. I. Martii, quam aut ſpuriam aut inſigniter interpolatam eſſe, prodit Caveus, P. I. p. 344. *Vita S. Willebrordi*, cujus pariter atque Suitberti in expeditione Chriſtiana ad Friſios comes fuit, jam diu interiit. Conf. Labbeum, T. II. *diſſertat.* p 46.

MARCVLPHVS MONACHVS.

Cujus *formularum Libros II.* e Bibliotheca Regia primùm edidit, Pariſiis 1613. 8. notisque perdoctis illuſtravit Hieronymus Bignonius, propterea laudatus Jacobo Gutherio, Lib. II. *de Officio domus Aug.* f. 265. Auctiores verò ibidem prodierunt, 1666. 4. Inde cum Bignonii & Baluzii notis, inter *Capitularia Baluzii*, T. II. p. 369. & in *Bibl. Patr.* T. XII. p. 767. Quis autem porrò fuerit ille Marculphus doctis pluribus paſſim celebratus, unde oriundus, nihil certè conſtat. In aliquo Pariſienſis dioeceſis Monaſterio regulariter eum vixiſſe & Seculo VII. eum floruiſſe, ex eo conjicit Bignonius, quod Landerico, Pariſienſi Epiſcopo, ſive Papæ, uti ait, Opus ſuum, inſcribat, circa annum 660. ſub Dagoberto, Rege, clarenti. Quicquid ſit, non contemnendus Scriptor eſt, cui permultas antiquitatum legumque ſacro-profanarum Origines eruditi acceptas ferunt, ſicut e Pithoeo, Briſſonio, aliisque, ſatis ſuperque conſtat. Conf. de eo Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* cap. 195. p. 219. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 179. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 326. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 36.

MARCVS.

Caſinenſis Monachus, Ord. Bened. de quo Petrus Diaconus, de *illuſtr. Caſinenſ.* c. 3. Joh. Bapt. Marus, *notis ad Petrum Diaconum*, p. 8. ait, floruiſſe anno 610. & ſcripſiſſe carmine venuſto Benedicti,

Magiſtri ſui, *vitam*, unde non pauca deflorarint Paulus Diaconus, & alii. Idem ſcripſiſſe fertur *Benedicti miracula*, a Gregorio Papa omiſſa, excuſa, volumine III. *Poemat.* Proſperi Martinengi, Romæ, 1590. Item *Gnomas*, impreſſas Hagenoæ, 1531. Conf. Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 715.

MARCVS EREMITA.

Qui & *Aſcetes* ſive *Exercitator* dictus, quem Miræus ad Theodoſii Senioris ætatem collocat, poſteà verò Bellarminum exſcribens, arguente Labbeo, T. II. p. 50. ad Leonis VI. Philoſophi, Imperatoris, tempora circa annum 900. reponit, contradictione turpiſſima. Satius ergò reputat Labbeus, *loco citato*, p. 51. Marcum hunc Joh. Chryſoſtomo coævum agnoſcere, cui quoque Guilielmus Caveus, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 201. adſtipulatur. Opuſcula ejus VIII. Lat. prodierunt Pariſiis, 1563. ex interpretatione Jo. Pici, inde in *Bibl. Patr. Paris. edit. 2.* f. 67. 135. 143. translata, & gr. lat. in *Auctuar.* Pariſiis, 1624. T. I. p. 871. Sunt autem *de Paradiſo & Lege ſpirituali: de his, qui putant ſe ex operibus juſtificari: de Poenitentia: de Baptismo: Præcepta ſalutaria: Capitula Temperantiæ ſeu de jejunio: diſputatio cum Cauſidico: & Conſultatio intellectus cum ſua ipſius anima.* De Stylo Photius, *Cod.* 200. ſic judicat: *Perſpicua eſt ejus dictio, quatenus verbis utitur communibus, & ſumma capita percurrat oratio: etſi quod ad Atticum ſermonem non ſatis accurate lingvam componat. Sicubi verò in his obſcuritas aliqua cernitur, ideò nimirum ab ea, quæ per verba ſit, clarâ explicatione recedit; quod hæc ejusmodi ſint, ut per actionem ipſam potiſſimùm percipi debeant, non quod difficulter eadem exprimi oratione poſſint.* De eo Sozomenus, Lib. VI. *Hiſt. Eccleſ.* cap. 29. Bellarminus, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 56. Guil. Cave, P. I. p. 201. P. II. p. 81.

MARCVS EVGENICVS.

Gente Græcus, Archi-Epiſcopus Epheſinus, circa annum 1436. Concilio Florentino, anno 1438. interfuit, atque pro Græcis conſtanter æque ac intrepidè pugnavit. Scripſit *Epiſtolam de Synodo Florentina ad omnes Chriſtianos,* quæ gr. lat. *Concil.* T. XIII. p. 677. habetur. *Epiſtolam circularem ad omnes ubicunque terrarum degentes de eadem re,* gr. lat. *ibidem,* p. 740. *Tractatum, quod divina dona ſanctificantur non ſolùm à verbis Dominicis, verum etiam à conſequentibus, oratione & benedictione Sacerdotis, virtute Spiritus S.* græcè, inter *Liturgias,* Paris. 1560.

p. 138.

p. 138. *Profeſſionem fidei*, cujus fragmentum, gr. lat. apud Leonem Allatium, *de Conſenſu*, L. III. c. 3. §. 4. Plura de Marco Eugenico ſuppeditabunt, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 76. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 304. Phil. Labbeus, *Nov. Bibl. Manuſcript.* P. II. §. 2. p. 88.

MARCVS.

Gazæ in Palæſtina Diaconus circa annum 403. ſcripſit *Acta S. Porphyrii, Gazenſis Epiſcopi & Martyris*, quæ poſt alios edidit lat. Surius, d. XXVI. Febr. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 61. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 206.

MARCVS.

Hieromonachus, Monaſterii S. Sabæ Præpoſitus, condidit *declarationem dubiorum in Typico occurrentium*, 95. capitibus diſtinctam, atque inſertam *Typico Græcorum*, Venetiis, 1643. fol. Alia, quæ ſcripſit, commemorat Guil. Cave, *diſſertat. I. de Scriptor. Eccleſ. incertæ ætatis*, ad calcem P. II. *Hiſt. Litter.* p. 12. Conf. Leonem Allatium, *de Symeonibus*, p. 109.

MARCVS.

Idruntis Epiſcopus, floruit anno 750. uti quidem vult Coccius, ſcripſitque *Hymnum in Magno Sabbatho*, qui latinè habetur T. VIII. *Bibl. Patr. Paris. edit. 2*, f. 717. & *Appendice Bigneana*, p. 715. & eſt Acroſtichis in Græco, quâ ſingularis aliqua ſententia præponitur, ſicut docet Georgius Fabricius, hymnum illum citans, *Comment. in Poetas Chriſtianos*, f. 2. a.

MARCVS VIGERIVS.

Ligur, Savonenſis, Ord. Minor. Monachus, Sixti IV. P. R. diſcipulus, Epiſcopus Senogallienſis, Cardinalis & Epiſcopus Præneſtinus, anno 1512. Concilio Lateranenſi interfuit, annoque 1516. obiit. Ejus *Decachordum Chriſtianum de præcipuis incarnati verbi Myſteriis*, Fani, 1507. Antwerpiæ, 1616. Norib. 1517. fol. prodiit. *Lucubratio de Excellentia Inſtrumentorum Dominicæ Paſſionis*, Romæ, 1512. Utrumque Hagenoæ, 1517. Pariſiis, 1517. *de Vita, Paſſione, Morte, Reſurrectione & Inſtrumentis Paſſionis D. N. Jeſu Chriſti*, cum præmiſſis operibus, Duaci, 1607. T. II. Dicunt de eo Antonius Poſſevinus,

in

in *Appar. S.* T. II. p. 62. Simlerus, *Bibl. Tigurin.* p. 475. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 136.

ANTONIVS MARGARITA.

Sanguine & Religione Judæus, at converſus Jeſu Salvatori fidem dedit, anno 1521. Lingvæ Sanctæ in Academia Lipſienſi Profeſſor, B. Luthero familiariter cognitus & laudatus, ſcripſit Librum *de Religione Judæorum*, Aug. Vindel. anno 1530. 4. germanicè excuſum. Conf. de hoc & aliis Chriſto dicatis Judæis, Mullerum, *Judaismo, præfat.* & noſtram *Coronidem Judæorum converſorum Hiſtoricam*, faſtuoſis vaniſſimorum Apoſtatarum turbinibus oppoſitam.

MARIANVS SCOTVS.

In Hibernia potius, quam Scotia Britannica, anno 1028. natus, anno 1058. in Germaniam profectus, Wirceburgi, anno ſequenti, Presbyter ordinatus, Fuldæ per annos decem vixit, inde Moguntiam conceſſit, ubi & anno 1086. obiit. Scripſit *Chronicon* ab Orbe condito, ad annum Chriſti 1083. inter *Scriptores Rerum Germanicarum*, Francof. 1583. f. & alibi, vulgatum. Alia Mariani Scripta, *Concordiam Evangeliſtarum, Univerſalem Computum, Emendationes Dionyſiani calculi*, &c. memorant Baleus, Waræus & alii. Conf. Lambecium, *Comment.* L. II. c. VIII. p. 749. Labbeum, T. II. p. 53. Fabricii *Gloriam Fuldenſem*, p. 104. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 429. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110. Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 349. Sunt, qui huic quoque Mariano tribuant eximium Librum, cui titulus: *Notitia Dignitatum Imperii Orientalis & Occidentalis*, quemque luculento explanatum Commentario Guido Pancirollus, Venetiis, 1593. publicavit. At, lubrico, ut nobis videtur, fundamento hi ſunt innixi. Magis ergò probatur Pancirolli opinio, qui autorem illius *Notitiæ* ſub Theodoſio Juniore vixiſſe aſſerit. Vide *præfationem*, f. 2. a. & Jo. Albertum Fabricium, *loco citato*, p. 753. *in notis*.

MARINVS vide MARTINVS II. P. R.

MARINVS SANVTVS TORCELLVS.

Patricius Venetus, totam ferè Orientem, non una vice, peragravit, atque ab anno 1312. ad 1329. & ultra, floruit. Ejus *Secreta fidelium Crucis ſuper terræ S. recuperatione & conſervatione* Lib. III. Jacobus

bus Bongarſius, Hanoviæ, 1611. f. *Geſtis Dei per Francos* inſeruit. *Epiſtola Marini* XXII, ad Joh. Papam & alios, ibidem habentur. Vide Anton. Poſſevinum, *in Appar. S.* Aub. Miræum, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* cap. 358. p. 249. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 588. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 10.

MARIVS.

Aventicenſis apud Helvetos Epiſcopus, Concilio Matiſconenſi II. anno 585. ſubſcripſit, atque *Chronicon* ab anno 455. ad 581. condidit, inſertum Andreæ Duchesnii *Scriptor. Francic.* T. I. p. 210. Agunt de Mario Aventicenſi ſive Lauſannenſi, Miræus, Sanmarthani, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 138. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 299.

MARIVS MERCATOR.

Laicus, qui neque Presbyter, neque Epiſcopus fuit, Campanus vel Apulus, juxta Garnerium, Afer verò juxta Gabrielem Gerberonium atque Guilielmum Caveum, ab anno 418. claruit. Vir græcè & latinè eruditus, fideique Catholicæ adverſus Pelagianos & Neſtorianos vindex fuit acerrimus. Scripta ejus repræſentat idem Caveus, P. I. *Hiſtor. Litter.* p 218. Prodierunt autem cum notis Rigberii, vel qui ſub hoc ipſo latet nomine, Gabrielis Gerberonii, Bruxellis 1673. 12. curâ & obſervationibus Jo. Garnerii, Pariſiis, 1673. fol. exinde in *Bibl. Patr.* T. XXVII. p. 129. & cum annotationibus Stephani Baluzii, Pariſiis, 1684. 8. *Commonitorium ſuper nomen Coeleſtii,* edidit quoque Labbeus, *Concil.* T. II. p. 1512. *Actionem VI. Concilii Epheſini, a Mario Mercatore in latinum translatam,* exhibet Baluzius, in *Nova Conciliorum Collectione,* Pariſiis, 1683. fol. Dicunt de Mario Mercatore, Natalis Alexander, *Hiſtor. Eccleſ. Sec. V.* T. I. p. 219. & 579. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p, 76. Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 218. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 53.

MARSILIVS FICINVS.

Florentiæ, anno 1433. natus, Lucæ Gyminianenſis & Commodi diſcipulus, Philoſophus, Medicus atque Theologus inſignis, vir græcè ac Latine doctiſſimus, Canonicus Eccleſiæ Florentinæ, anno 1480. claruit, obiitque in Villa Coregiana prope Florentiam, anno 1499. Jovius, *in Elogiis*, num. 43. tradit, eum fuiſſe puſillo

admodum corpore, ut vix ſemihominem æquaret, ſpiritus inuſſtati. Diram verò de Marſilii Ficini apparitione, in ipſo mortis horæ puncto, amico Michaeli Mercato, ex pacto anteà inito, factâ, narrationem Baronius, T. V. *Annal.* ad annum 411. refert, & Balthaſar Bonifacius, Lib. XV. *Hiſtor. Ludicr.* c. 5. *Marſilius Ficinus*, inquit, *animorum immortalitatis acerrimus defenſor erat, quam tùm vivus adſeruit, tùm mortuus etiam demonſtravit. Cum enim inter ipſum & Michaelem Mercatum arcta eſſet neceſſitudo ſtudiorum conſuetudine, pacti ſunt aliquando, utercunque ex hac vita prior decederet, ut alterum, ſi liceret, de alterius vitæ ſtatu redderet certiorem. Interlapſo autem haud brevis temporis ſpatio, ſummo mane, dum Michael Philoſophicis ſpeculationibus invigilaret, currentis equitis obiterque oſtium pulſantis vocem audivit, clamantisque:* O Michaël, Michaël, vera, vera ſunt illa! *Agnita voce, feneſtram aperiens prætervectum Marſilium candidatum proſpexit: neque ita multò poſt nunciatum eſt ei, Ficinum illa ipſa hora mortuum eſſe.* Epitaphium ejus non inelegans habetur apud Koenigium, *Bibl.* p. 303. *Hic ſitus eſt Marſilius Sophiæ Pater, Platonicum qui dogma culpa temporum, ſitu obrutum illuſtrans & Atticum decus ſervans Latio dedit, fores primus ſacras divino aperiens mentis actus numine.* Malè eum inter Magos retulit Leonardus Leſſius, prout adverſus illum Dietericus, P. I. *Antiqv. Bibl.* p. 119. propugnavit. Ejus Laudes Jovius, *Elog.* 33. Boiſſardus, *Icon. illuſtr.* P. I. p. 155. & quos collegit Tho. Pope-Blount, *Cenſura celebrior. Autor.* p 492. dabunt. Opera, quæ reliquit, enarrata leges, apud Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 112. Prodierunt autem Venet. 1516. Baſil. 1561. 1576. f. T. II. Paris. 1641. T. II. fol. Seorſim vero de Religione Chriſtiana & fidei Pietate Liber, Pariſiis, 1559. 8. & Bremæ, cum notis Lud. Crocii, 1617. 8. Huc quoque faciunt de immortalitate animorum ac æterna felicitate Lib. XVIII. Theologiæ Platonicæ: in Epiſtolas S. Pauli Commentarius & Aſcenſus in tertium coelum ad Paulum intelligendum: Conciones habitæ ad fratres. Reliqua, à foro noſtro aliena, refert modò laudatus Henricus Whartonus. Conf. de Marſilio Ficino, poſt autores modò memoratos, Michael Pocciantius, *Catalog. Script. Florent.* p. 123. *Vitam* Marſilii Ficini exaravit Dominicus Mellinus.

MARSILIVS ab INGEN.

Ingenus ſive Inghenius, Trajectenſis patriâ, Trithemio tamen

men & Baleo Anglus, Academiæ Pariſienſis Doctor, Canonicus & Theſaurarius Eccleſiæ S. Andreæ Colonienſis, Heidelbergenſis Gymnaſii fundator, primusque S. Theologiæ Doctor, Profeſſor ac Rector, floruit anno 1384. diemque obiit, anno 1396. Aberravit ergo Poſſevinus, ubi hunc Marſilium anno 1494. vixiſſe ſcripſit, aliosque fefellit. Orationem funebrem Magiſtro Marſilio de Inghem habitam à Nicolao Prowin, ſacræ paginæ profeſſore, anno 1396. in templo S. Spiritus Heidelbergenſis, exhibet Melch. Adami, in fine *Apographi Monumentorum Heidelbergenſium*, f. 125. ſeqq. Vide, quæ de hoc Marſilio habet Middendorp, Lib. V. *de Academ.* p. 216. ſeq. & 219. ſeq. ubi varia Marſilii Epitaphia leguntur. Claruit Marſilius *Commentariis in IV. Libr. Sententiarum* ſcriptis, atque Argentorati, 1501. excuſis. Alia ejus manuſcripta enumerat Baleus, *Centur.* VII. c. 5. Conf. quoque Trithemium, Bellarminum, Poſſevinum, *in Appar.* *S.* Valer. Andream, *Bibl. Belg.* Petrejum, *Bibl. Carthuſ.* & Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 44.

MARSILIVS PATAVINVS MENANDRINVS.

Italus Paduanus, in Aurelianenſi Academia Jurisprudentiæ fundamenta jecit, Philoſophus pariter atque JCtus inſignis, Guilielmi Occami æqualis, circa annum 1324. Ludovico Bavaro, Imperatori, à Conſiliis, apud Montemaltum, anno 1328. obiit. Librum edidit, cui titulus: *Defenſor Pacis* ſeu *de re Imperatoria & Pontificia adverſus uſurpatam Romani Pontificis jurisdictionem* Lib. III. quo Papam ſub Imperatore eſſe probavit, impreſſum Baſileæ, 1522. Francof. 1612. 1623. 8. & apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 154. Iſto Scripto pro Ludovico IV. Imperatore, ſtetit, ſicut & Occam, pravamque Papæ, Joh. XXII. cauſam improbavit, cujus propterea fulmen ſentire coactus. *De Jurisdictione Imperiali in cauſis Matrimonialibus*, apud eundem Goldaſtum, p. 1383. *de Translatione Imperii Tractatus*, ibidem, p. 147. & in *Antilogia Papæ* a Weiſſemburgio vulgata, Baſil. 1555. 8. recuſa, in *Appendice ad faſciculum Rerum expetendarum* Edoardi Brown, Londini, 1688. fol. p. 55. Conf. Jo. Henr. Otton *de Autor. Eccleſ. Roman.* Lib. III. c. 52. Zieglerum, *prælim. diſſertat. ad Jus Canon.* p. 49. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 16. Flacium, in *Catalogo Teſtium Veritatis*, p. 488. Natalem Alexandrum, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XIII. & XIV.

MARTIALIS.

Lemovicenſis Epiſcopus, unus ex Jeſu Chriſti diſcipulis, opinione vulgari, creditus, quod etiam Baronius contendit, at Gregorius Turonenſis, *Hiſtor. Franc.* L. I. c. 30. ſub Decio, hoc eſt anno 254. eum in Gallias miſſum refert. *De ejus misſione diſſertationem* ſcripſit Joh. Cordeſius, Canonicus, quam Franciſcus Bosquetus, Monſpelienſis Epiſcopus, ex Gallico latinam fecit, & *Hiſtor. Eccleſ. Gall.* T. I. inſeruit, ſicut referunt Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* f. 630. b. Labbeus, T. II. p. 59. Fucum verò faciunt ejus nomine veſtitæ *duæ Epiſtolæ,* quarum una ad Burdegalenſes, ad Toloſanos altera, primùm editæ, à Badio Aſcenſio, Pariſiis, 1521. Easdem Epiſtolis Ignatii & Polycarpi a ſe vulgatis annexit Guilielmus Morelius, Typographus Regius, Pariſiis, 1561. p. 107. ſeqq. Vide in fine earum, epilogum, quô iſtas quaſi obſignare voluit, tradiditque, eas in Sacrario Baſilicæ S. Petri Lemovicenſis urbis repertas, ubi hactenus latuerint defoſſæ in arcâ lapidea ſub terrâ, easque præ vetuſtate nimia vix legi potuiſſe. Sit autem fides penes autorem. Easdem *Epiſtolas cum Gennadii Maſſilienſis Libro de Eccleſ. dogmatibus,* Hamburgi, anno 1614. edidit, notasque addidit, Geuerhartus Elmenhorſtius. Circa editionem iſtam bis labitur Labbeus, T. II. p. 59. *Helmeſtadii,* quem errorem ex eo hauſit Elias du Pinius, & cum *Gennadii Catalogo Viror. illuſtr.* ab Elmenhorſtio 1614. evulgatam ſcribens. Sunt etiam inſertæ variis *Bibl. Patr.* editionibus. Rejiciuntur hæ quidem Epiſtolæ a Bellarmino, & tamen contra Conſcientiam ab eodem citantur atque evehuntur. Vid. Danhaueri *Chriſteid. Act. I.* p. 694. 887. Cocus, *Cenſur.* p. 51. Strenue illas propugnat Andr. Sausſay, *de Myſt. Gall. Scriptor.* p. 302. Reſpuunt poſt Bellarminum, & Poſſevinum, Miræus, Labbeus, & alii. Adde, quæ habet Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 16. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 2. qui Martialis Epiſtolas, riſu dignas, fabulis plenas, quæ legantur omninò indignas, merces Chriſtianæ fidei nocentes, appellat. Conf. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 183.

MARTINVS.

Natione Pannonius, Dumienſis Coenobii Abbas, poſt Bracarenſis Epiſcopus, circa annum 560. Concilio Bracarenſi II. anno 563. & Braccarenſi III. anno 572. interfuit. *Vir erat,* juxta Gregorium

rium Turonenſem, *Hiſtor.* Lib. V. c. 37. *per quam eruditus, quique adeò ſe literis imbuerat, ut nulli ſecundus ſuis temporibus haberetur.* Laudat eum pariter Venantius Fortunatus, *Lib.* V. Ejus *Collectio Canonum*, in *Bibl. Jur. Canon. Juſtell.* Pariſiis, 1662. T. I. *Append.* p. 7. & alibi habetur. *Sententiæ Patrum Ægyptiorum*, Lat. apud Rosweydum, *de Vitis Patrum*, Antwerpiæ, 1628. *Formula honeſtæ vitæ*, Senecæ falsò adſcripta, ſive *de differentiis IV. Virtutum Cardinalium*, extat Lipſiæ, cum Commentariis latinis & rhythmis germanicis, anno 1516. & Helmſtadii, 1691. 8. cum aliis. & T. V. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 1321. aliisq; editionibus. *Præfatio ad Mironem, Svevorum Regem*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. X. Conf. Iſidorus Hiſpalenſis, *de Scriptor.* c. 22. Labbeus, T. II. p. 60. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 296. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 366. 715. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 88.

MARTINVS MAGISTER.

Gallus Turonenſis, Baccalaureus, anno 1469. & Magiſter, anno 1473. factus, Collegium S. Barbaræ gubernavit, Ludovico XI. Regi, à Confeſſionibus & Eleemoſynis, anno 1482. obiit. Ejus *Quæſtiones morales de fortitudine*, Pariſiis, 1489. f. prodierunt. *Liber de Temperantia*, ibidem, 1490. *Expoſitio perutilis & neceſſaria ſuper Libro Prædicabilium Porphyrii*, ibidem, 1499. *Tract. Conſequentiarum in vera divinaque Nominalium via*, ibidem, apud Antonium Denidelum. *Quæſtio de Fato*, ibidem, apud Dionyſium Roccum. Vid. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 102.

MARTINVS I. P. R.

Patriâ Tudertinus, Pontifex anno 649. conſecratus, eodem anno Concilium Lateranenſe convocavit, annoque 655. exul obiit, poſtquam varios expertus eſſet fortunæ caſus. *Epiſtolas* XVI. reliquit, quarum XI. exhibet *Concil.* T. VI. p. 5. *Epiſtolæ* IV. extant in *Collectaneo Anaſtaſii, Bibliothecarii*, Sirmondi curâ, Pariſiis, 1620. edito. De eo poſt alios, Aub. Miræus, in *Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 489. p. 217. Anton. Poſſevinus, *in Appar. S.* Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 160. Natalis Alexander, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. VII. c. 1. art. 4. Godofredus Arnoldus, *Hæreſiol.* T. I. L. VII. c. 3. §. 9. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 175. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 324. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 20.

MARTINVS II. P. R.

Marinus aliàs dictus, natione Gallicanus, ex Eccleſiæ Romanæ Diacono, Epiſcopus a Joh. Papa creatus, mortuo Joh. P. R. in Sede ſucceſſit, anno 882. atque anno 884. e vivis deceſſit. Ejus *Conſtitutum de Privilegiis Monaſterio Solemniacenſi conceſſis*, extat *Concil.* T. IX. p. 366. De eo, poſt alios, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 396.

MARTINVS IV. P. R.

Antè *Simon de Bria*, Gallus Monpiſius, Canonicus Turonenſis, Cardinalis, titulo S. Cæciliæ Presbyteri, Legatus in Gallia Pontificius, anno 1281. Pontifex ordinatus, obiit Peruſii, anno 1285. *Acta* hujus Pontificis à Jordane quodam conſcripta, extant apud Papebrochium, *Catalog. Pontif.* P. II. p. 61. Martini verò *Epiſtolæ V. Concil.* T. II. P. I. p. 1143. *Sententia prolixa in Petrum, Arragoniæ Regem*, ibidem, p. 1187. *Epiſtolæ III.* apud Waddingum, ad ann. 781. 785. *Aliæ* X. ibidem, in *Append.* p. 151. Vid. Ludov. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 161. Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 515.

MARTINVS V. P. R.

Aliis III. dictus, *Odo Columna* antea vocatus, ortu Romanus, Urbani VI. Referendarius, pòſt Diaconus Cardinalis, titulo S. Georgii in Velabro, Concilio Conſtantienſi interfuit. Papa demum anno 1417. electus, obiit anno 1431. Habentur ejus *Epiſtolæ, Bullæ, & Conſtitutiones, Concil.* T. XII. p. 252. *Aliæ Epiſtolæ & Conſtitutiones*, XVII. apud Bzovium, ad an. 1419, *Aliæ* plures, apud Laertium Cherubinum, in *Bullario Magno*, T. I. *Sermo de translatione B. Monicæ, S. Auguſtini Matris, ab Oſtia ad Romam, in Hiſtoria Auguſtiniana*, Toloſæ, 1641. *Approbatio Regulæ Monachorum, Hieronymianæ*, inter *Hieronymi Opera*, T. IV. *Leges pro Cardinalibus*, Cotelerius, in *Vita Martini*. Conf. Heideggerus, *in Hiſtor. Papat.* Ludov. Jacob, *loco citato*, p. 161. Henr. Wharton, *Append Cav.* p. 65.

MARTINVS STREMPVS.

Ortu nobilis, patriâ Carſulanus, Polonus, Ord. Præd. neutiquam verò Ciſtercienſis Monachus, prout Poſſevinus, Jongelinus, & Carolus Viſchius aberrarunt, ex Poenitentiario & Capellano Apoſtolico, Archi-Epiſcopus Gneſnenſis in Polonia, deſignatus, quò

ten-

tendens Bononiæ, anno 1178. vel ſequenti, ſuccubuit. *Chronicon* ab ejus nomine *Martinianum* dictum, prodiit Baſileæ, 1559. Antwerp. 1574. 8. cum notis Suffridi Petri, & denique Joh. Fabricii Cæſaris, Monachi Præmonſtratenſis curâ, Colon. 1616. fol. *Sermonum de Tempore & de Sanctis* Lib. II. Argentor. 1486. 1488. Plura de eo ejusque Scriptis aliis, Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* ad an. 1279. p. 48. & in *Append.* p. 445. Carolus Viſchius, *de Scriptor. Ciſtert.* p. 239. qui eum Archi-Epiſcopum Conſentinum in Regno Neapolitano, malè fecit. Labbeus, T. II. p. 62. Voſſius, Lib. II. *de Hiſtor. Lat.* c. 60. Leander Alberti & Antonius Senenſis, *de Vir. illuſtr. Ord. Domin.* Staravolſcius, *de Scriptor. Polon.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 549. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 512.

MARTINVS TVRONENSIS.

Sabariâ Pannoniarum oriundus, anno quidem 319. Catechumenus, anno 329. factus, anno 337. baptiſatus, anno 356. honeſtam poſt 24. ſtipendia miſſionem impetravit, anno verò 360. revertentem in Galliam Hillarum proſecutus, tandem anno 375. ad Epiſcopem Turonenſem evectus, anno 400. ætatis 81. obiit. Ejus *Profeſſio fidei* extat in pluribus *Patrum Bibl.* editionibus. Res ejus geſtas decantarunt Venantius Fortunatus, Paulinus, ambo, ut perhibetur, ex oculorum morbo à S. Martino reſtituti, Severus item, Gregorius Turonenſis, & alii. Conf. poſt Baronium, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 152. De eo Cornelius a Lapide, *ad Ezech.* XIIX. f. 1070. b. ex Sulpitio Severo in *Vita ejus*, refert. *Is adhuc Catechumenus, Ambiani, pauperi, cum nihil aliud haberet, dimidiam Chlamidem ſuam dedit: & nocte ſequente Chriſtum vidit, Chlamidis illâ, quâ pauperem texerat, parte veſtitum, ad Angelorum multitudinem dicentem: Martinus adhuc Catechumenus hac me veſte contexit.* Conf. Fridem. Bechmannum, *in diſſertatione de S. Martino.*

MATHÆVS BOSSVS.

Veronenſis, B. Auguſtini Canonicus Regularis in Monaſterio Feſulano, ejusdem Coenobii, juxta quosdam, Abbas, anno 1490. clarus, Laurentio Medices a Confeſſionibus, anno 1502. obiit. Scripſit *Dialogum, de veris & ſalutaribus animi gaudiis,* Lib. III. Bononiæ, 1491. excuſum. *De inſtituendo ſapientiâ animo ſive de vero ſapientiæ cultu,* Lib.

Lib. VIII. ibidem, 1495. 4. *de tolerandis adverſis*, *dialogi II. de gerendo Magiſtratu, juſtitiaque colenda ; de immoderato mulierum cultu exhortatio*, Argentor. 1509. 4. Hæc & reliqua ejus opuſcula, Guilielmo Caveo, P. II. *Hiſtor. Litter.* p. 317. memorata; prodierunt Bononiæ, 1617. fol.

MATHÆVS CANTACVZENVS.

Joh. Cantacuzeni, Imperatoris Conſtantinop. & Irenes filius, anno 1354. coronatus, poſt varios adverſæ fortunæ caſus, in Montem Atho ſeceſſit, atque Cucullum induit. Prodiit ejus in *Cantica Canticorum* opus cum verſione ac notis, qui illud produxit, Vincentii Richardi, Romæ, 1624. fol. *Comment.* quoque *In Sapientiam Salomonis* & *Monita quædam Salutaria* ſcripſiſſe fertur Mathæus Cantucuzenus, ut de eo teſtatur Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 282.

MATHÆVS de CRACOVIA.

Polonus, Theologiæ in Pragenſi Gymnaſio Magiſter, ejusdemque urbis Presbyter, anno 1375. clarus, condidit Tractatum *de celebratione Miſſæ*, ſub hoc quidem titulo : *utrum expediat & deceat Sacerdotes continuare Miſſas vel Laicos frequenter communicare*, excuſum Memmingæ, 1491. & 1494. 4. Alia ejus Theologica, *de Prædeſtinatione, Sermones &c.* vide apud Trithemium, Simlerum & Poſſevinum. De Mathæo de Cracovia, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 643. & Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 286.

MATHÆVS PARIS.

Natione Anglus, Albanenſis Ord. Bened. Monachus, ab ann. 1240. ad 1259. floruit. Scripſit *Hiſtoriam Anglicanam*, ab anno 1066. ad 1259. quo vitæ curſum peregit. Continuavit illam usque ad 1273. alius quispiam, Guilielmus Rishangerus. Prodiit hæc *Hiſtoria* Londini 1571. Tiguri, 1606. & cum *Vitis duorum Offarum, Merciorum Regum, Abbatumque S. Albani & Additamentis* à Mathæo Pariſio ſcriptis, Londini, 1640. fol. Pariſiis, 1644. fol. Londini, 1684. fol. Conf. ſi lubet, Ant. Poſſevinum, *in Appar. S.* Aub. Miræum, *in Auctuar.* c. 403. p. 262. Bellarminum & Labbeum, *de Scriptor.* T. II. p. 66. Pitſeum, *de Scriptor. Angl.* p. 337. Voſſium, *de Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 58. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 498. & P. II. p. 249. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 529. & alios. Diverſus ab hoc eſt *Mathias Pariſien-*

ſienſis, familiæ quoque cognomine, ut ſuperior, ita dictus, natione Bohemus, qui circa ann. 1380. floruit & valde prolixum *contra Anti-Chriſtum* ſcripſit *Librum, quo jam tum veniſſe illum probavit.* Vide *Catalogum teſtium Veritatis*, f. 524. & Schopffium, *Academ. Jeſu Chriſti*, f. 191. ſeq. ubi quædam ex ipſius ſcriptis recitantur.

MATHÆVS VINDOCINENSIS.

Circa annum 1200. florens, *Hiſtoriam Tobiæ*, carminice conſcripſit, & Bartholomæo, Archi-Epiſcopo Turonenſi, qui ann. 1206. obiit, juxta Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 773. dedicavit, luci donatam, Lugduni, 1505. 4. 1538. 8. Argentor. 1510. Baſil. 1563. 4. Bremæ, 1642. 8. Conf. Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. IV. p. 336. Voſſium, *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 64. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 532. Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 487. Felibienium, *in Hiſtoria Abbatiæ S. Dionyſii*, Lib. V. Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 717.

MATHÆVS.

Weſtmonaſterienſis Monachus, Ord Bened. ſcripſit *Hiſtoriarum flores* ſeu *Annales* ab O. C. ad annum Chriſti 1307. ex Mathæo Pariſienſi maximam partem transſcriptos. Prodierunt autem Londini, 1567. fol. Francof. 1601. fol. Si Baleo fides, ad annum 1377. illos produxit. *Florilegus* a quibusdam vocatur, quod flores ex Hiſtoricis legit. Agunt de eo Baleus, *Cent.* XI. c. 31. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 515. p. 279. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. III. c. 2. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 573. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 43.

PETRVS MAVRICIVS de MONTE BVXERIO.

Gallus, ex Arvernis oriundus, cognomento *Venerabilis*, gente & virtute clarus, Militiæ ab initio dedit operam, poſt Cucullum induit, & anno 1123. Abbas Cluniacenſis, Ord. Bened. factus eſt. Petrum de Bruis ejusque dogmata fortiter oppugnavit, atque Petrum Abelardum ad ſaniorem mentem redegit. Obiiſſe innuitur anno 1156. Ejus Opera, *Epiſtolas, ſermones, proſas, hymnos*, variosque *Tractatus*, poſt editionem Ingolſtad. 1546. è Bibliotheca Cluniacenſi Pariſiis, 1614. ſtudiô Martini Marrier, Ord. Bened. & cum notis Andreæ Du Chesnii excuſa, Labbeus & Caveus recenſent. Habentur eadem, in *Bibl. Patr.* T. XXII. p. 813. *Epiſtolarum* Lib. VI.

 ſeor-

ſeorſim prodierunt Pariſiis, 1522. *Epiſtolas* II. hactenus ineditas, exhibet Mabillon, *Analect.* T. III. p. 481. Lib. II. *de miraculis ſui temporis illuſtribus*, Duaci, 1595. 12. Non pigebit e Sanmarthanis transſcribere elogium Petri Cluniacenſis, quo eum ornare voluit Petrus Pictavienſis, hoc modo ad illum ſcribens: *Quis unquam Plato ſubtilius, quis Ariſtoteles argumentoſius, quis Cicero pulcrius aut copioſius quicquam diſſeruit? Quis Grammaticus inſtructior, quis Rhetoricus ornatior, quis Dialecticus fortior, quis Arithmeticus numeroſior, quis Geometricus regularior, quis Muſicus Cantilenioſior* &c. *Sed &*, pergit, *ſi de SS. Patribus aliquid dicere audeamus, vos ab unoquoque quatuor fluminum Paradiſi, quæ poſt SS. Evangeliſtas totum orbem irrigant, aliquid ſimile reportaſtis, quia cum Hieronymo velox, cum Auguſtino profuſus, cum Ambroſio profundus, cum Gregorio clarus inceditis* &c. Vide Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. IV. f. 279. Labbeum, T. II. p. 193. Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 458.

MAVRITIVS de PORTV FILDÆVS.

Hibernus, *Flos mundi* vulgo appellatus, Ord. Minor. Artium & Theologiæ Profeſſor in Academia Patavina, Archi-Epiſcopus Tuamenſis, Concilio Lateranenſi, anno 1512. interfuit, atque in Patriam redux Gallovidiæ, anno 1513. vel ſequenti, mortalitati debitum perſolvit. Multa ſcripſit Mauritius, ex quibus *Enchiridion fidei*, Venetiis, 1591. 4. prodiit. Alia ad manus eſt ejusdem editio, Lipſiæ, 1517. 4. excuſa, cui *Compendium Veritatum* Lib. IV. *Sententiarum* metricè recollectum, in fine additâ *Practica pro cognoſcendo numero & ordine Librorum Biblicorum* & cujuslibet capitulorum, & *Præconium S. Deiparæ* metricum, acceſſerunt. *Theoremata de mente Scoti*, Venetiis, 1514 8. *Annotationes in ejusdem Quæſtiones in Porphyrium, Univerſamque Logicam*, Venet. 1500. fol. *Caſtigationes in Libros IV. Sententiarum ſcripti Oxonienſis*, Lugd. 1520. *Reportata Ejusdem recognita*, Pariſiis, 1518. *Notæ & Poſtillæ in univerſa fere Scoti Opera*, in poſtrema Scoti editione. *Dictionarium S. Scripturæ*, Venet. 1603. & alia, de quibus Waddingus, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 256. Henr. Willot, *Athen. Franc.* p. 267. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 132.

MAVRITIVS.

Archi-Epiſcopus Rothomagenſis, qui anno 1231. claruit, ſcripſit *Epiſtolas* V. quas vide apud Dacherium, *Spicileg.* T. II.

MAVRVS.

Ravennatenſis Epiſcopus, circa annum 649. dedit *Epiſtolam ad Martinum P. R. contra Monothelitas*, quæ gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 96. habetur. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 325.

JOH. MAXENTIVS.

Monachus & Presbyter Antiochenus, natione Scytha, anno 513. adhuc clarens, diverſus à *Joh. Jejunatore*, ſuprà p. 392. dicto, cum quo tamen aliqui eum confundunt, quos erroris arguit Labbeus, T. II. p. 593. poſtquam inſignem tribuerat hallucinationem Poſſevino & Maraccio, Gallum & Pictavienſem Abbatem Maxentium fuiſſe docentibus. Malè quidem habetur Maxentius à Pontificiis, Baronio, Binio, aliisque, quod adverſus Hormisdam, Apologiam ſcripſit, cujus tamen defendendi partes in ſe ſuſcepit Forbeſius, *Inſtruct. Hiſtor. Theol.* L. III. c. 21. *Oratio ejus*, judice Photio, *Cod.* 95. *clara eſt ac pura, verbisque utitur hiſtorico ſtylo accommodatis. Contra hæreſin prætereà neque langvidè pugnat, neque S. Scripturæ abutitur teſtimoniis* &c. Ejus Opuſcula extant Lat. in *Bibl. Patr.* T. IX. p. 533. utpote, *Epiſtola ad Legatos P. R. Conſtantinopoli agentes; Catholica de Chriſto profesſio in confesſione fidei ſuæ; Anathematiſmi XII. contra Neſtorianos; Alia profesſio fidei brevior: Ratio adunationis verbi Dei ad propriam carnem: Reſponſum Apologeticum ad Hormisdæ Epiſtolam; Lib. contra Acephalos; Dialogorum contra Neſtorianos* Lib. II. Pluribus de eo diſſeruerunt Gennadius, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 93. Bellarminus, de *Scriptor.* Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 280. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 34.

MAXIMIANVS.

Monachus ac Presbyter Conſtantinopolitanus, vitæ ſanctitate conſpicuus, anno 431. Epiſcopus, annoq; 434. obiit. Extat ejus *Epiſtola* ad Cyrillum, *Concil.* T. III. p. 1061. Conf. poſt alios, Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 234. & Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 70.

MAXIMINVS.

Anazarbi Epiſcopus, eodem tempore, anno 431. Eccleſiam valde turbavit, Neſtorio favens, Cyrillo autem ſtruens inſidias, cum quo tamen in gratiam rediit. Ejus *Epiſtolæ V.* habentur inter

Epiſtolas Lupi *Epheſinas*, num. 67. 109. 112. 113. 159. Vide eundem Guil. Caveum, P. I. *loco citato*, & Eliam du Pinium, T. IV. p. 119.

MAXIMVS.

Confeſſor, Martyrque, Conſtantinopoli, anno 580. natus, Heraclii, Imperatoris, Proto-Secretarius, pòſt aulicæ vitæ pertæſus, in Monaſterium Chryſopolitanum ſe contulit, ejusdemque Coenobii Abbas, circa annum 645. floruit. Cum autem Monothelitarum hæreſi ſe maſcule oppoſuiſſet atque Concilio Lateranenſi interfuiſſet, ab Arianis in exilium pulſus, anno 662. martyrii coronâ donatus perhibetur. Permultos eruditos conſcripſit Libros, quos gr. lat. in lucem miſit Fr. Combefiſius, Pariſiis 1675. T. II. fol. Recenſet illa Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 322. ſeq. Ex his ſeorſim & alibi prodierunt, *Liber aſceticus per interrogationem & reſponſionem, de vita piè inſtituenda, dialogi forma compoſitus*, cum aliis *Chryſoſtomi & Baſilii Opuſculis*, Romæ, 1578. *Capitula varia de Virtute & vitio*, Centuriis quinque diſtincta, interprete Jo. Pico, gr. & lat. apud Guil. Morellium, Pariſiis, 1560. 8. *Tractatus de duabus Chriſti Naturis* Capitibus X. diſtinctus, gr. lat. apud Combefiſium, in *Auctuar.* 1648. T. II. p. 443. quem quidem Timotheo, Presbytero Conſtantinop. adſcribere maluit. *Definitiones variæ*, gr. Heidelbergæ, 1561. 8. gr. lat. cum *Myſtagogia*, curante Hoeſchelio, 1599. 8. *Acta diſputationis de duabus Chriſti Voluntatibus cum Pyrrho in Africa habitæ*, gr. apud Baronium, *in Append.* T. VII. *Annal.* & gr. lat. *Concil.* T. V. p. 1784 *Myſtagogia*, ſive *Liturgiæ expoſitio*, gr. lat. Aug. Vindel. 1599. 8. & in *Auctuar. Duceano*, T II. p. 166. *Capita Theologica*, cum aliis, gr. lat. cura Conradi Geſneri, Tiguri, 1546. f. & ad *calcem Stobæi*, Francof. 1581. Aureliæ Allobrogum, 1609. fol. *Sententiarum de Caritate*, Centuriæ IV. quas poſt Tigurinam, 1546. & Baſileenſem, in *Micopresbytico*, 1555. illamque, quæ T. IV. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 1013. extat, editiones, Helmſtadii, anno 1616. gr. & lat. recudi fecit Jo. à Fuchten, quem, ut obiter hoc addamus, offendit fama ſive notitia quinque Maximi Centuriarum, *de Caritate*, ut putabat, à Morellio, anno 1560. Pariſiis editarum, at ſibi non viſarum: Hinc IV. tantùm à Maximo conſcriptas impenſè contendit, vide ejus ad Lectorem *præfationem*. Verum iſthoc non habuiſſet opus, ſi Morellianæ ad ejus perveniſſent manus. Vidiſſet mox, non de Caritate, ſed de Virtute & Vitio illas

las inſcriptas, *Opuſcula XIII. contra Monothelitas & Acephalos* Fr. Turriano interprete, Latinè duntaxat, Ingolſtadii, 1605. & 1615. &c. *Computus Eccleſiaſticus* Lib. II. gr. & lat. cum aliis, Pariſiis, curâ Dionyſii Petavii, 1630. *Ambigua* ſeu *Scholia in Gregorii Theologi locos difficiles*, ex latina Scoti Erigenæ verſione, cum Scoti de diviſione Naturæ Libris, Oxonii, 1681. fol. *Scholia in Dionyſii Areopagitæ Opera*, gr. Pariſiis, 1562. 8. gr. lat. inter *Dionyſii Opera*, Antwerpiæ, 1615. Pariſiis, 1633. 1644. fol. *Expoſitio in Cantica Canticorum*, ex Maximi, Gregorii Nyſſeni, & Nili Commentariis a Michaele Pſello collectis, gr. lat. in *Auctuar. Duceano*, T. II. p. 681. ὅροι διαφορῶ, cum nonnullis aliis, Gregorii Naz. & Libanii Sophiſtæ, cura Andr. Rechenbergii, Lipſiæ, 1678. 8. *Oratio S. Maximi*, juxta Photium, *Cod.* 192. *comprehenſionibus prudenter producitur, gaudetque hyperbatis, circumductionibus quoque invaleſcens: etſi propriè loqui minimè ſatagit. Unde per ſermonem ejus & obſcuritas & difficultas paſſim decurrit. Aſperitatem deinde tumidioris dictionis, quantum ad compoſitionem ceſſationesve, ſua in oratione ſectatus, ne auditu quidem jucundus eſſe ſtudet. Verborum inſuper translatio nequaquam ad gratiam conciliandam, lectoremque pelliciendum compoſita eſt, ſed ſimpliciter atque incurioſe aſſumitur.* Agunt de S. Maximo Bellarminus, Labbeus, T. II. *diſſert.* p. 72. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 180. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 322. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 23.

MAXIMVS PLANVDES.

Monachus Græcus, ab anno 1340. ad 1353. & ultra clarus, de quo Beſſarion, Cardinalis, ſcribit: *Non enim de te, Vir optime atque ſapientiſſime, male ſentirem, qui in omni diſciplinarum exercitatione verſatus es* &c. atque eum a doctrina pariter atque eruditione maximè commendat. Scripſit Maximus *de Proceſſione SS. contra Latinos Lib.* gr. lat. cum *reſponſionibus Beſſarionis*, & notis, inter *aurea Opuſcula* a Petro Arcudio, excuſum, Romæ, 1630. 4. p. 614. *Oratio in ſepulturam Chriſti & B. Virginis Lamentationem*, Pariſiis, 1639. prodiit. *Homilia* ἀκέφαλος *in SS. Petrum & Paulum*, ſub *Gregorii* nomine, græco-latine curâ Gretſeri Ingolſtadii, 1620. *Epigrammatum Græcorum* Lib. VII. Pariſiis, 1566. 4. gr. lat. alicubi per Lubinum, 1603. 4. & Francof. 1600. cujus ſaltem collector fuit Maximus Planudes. Alia ejus, quæ ſcripſit, & *verſiones* memorant Simlerus, p. 498. & Henr. Wharton,

Append. Cav. p. 23. Conf. Poſſevinus, *in Appar. S.* Voſſius, *de Hiſtoricis & Poetis Græcis*, & alii.

MAXIMVS REGIENSIS.

Natione Gallus, Lirinenſis Monachus & Abbas, poſt anno 433. Epiſcopus Regienſis in Gallia Narbonenſi, Concilio Regienſi, anno 439. & Auraſicano, anno 461. interfuit. Habentur ejus *Homiliæ* aliquot inter Euſebii Emeſeni ſive Eucherii Lugdunenſis *Homilias*, de quibus videatur Jo. Savaro, *notis in Sidonium Apollinarem*, Lib. IV. Oper. p. 232. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 237.

MAXIMVS.

Taurinenſis in ſubAlpinis Epiſcopus, florens ſub Arcadio, Honorio & Theodoſio Juniore, Imperatoribus, Seculo poſt Chriſtum natum quinto. Synodo Mediolanenſi, anno 451. & Concilio Romano, anno 465. interfuit, annoque ſequenti, ad coeleſtia tranſiit. Pereximias, easque non paucas, ſcripſit *Homilias*, excuſas Coloniæ, 1535. Romæ, 1564. atque cum *Leonis M. Operibus*, Pariſiis, 1614. 1623. Lugduni, 1633. cum *Homiliis Chryſologi*, Colon. 1678. 4. & *in Bibl. Patrum*, T. VI. p. 1. Repræſentat illas Guil. Caveus, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 223. qui alias quoque *Maximi Homilias* XII. a Mabillonio, in *Muſeo Italico*, T. I. P. II. p. 1. excuſas, recenſuit. In docendo tam promptus & perſpicuus fuiſſe traditur, ut ſua ætate, ſi Ambroſium & Auguſtinum exceperis, parem non habuerit. Plura de eo Gennadius, *de Scriptor.* c. 40. Oſiander, *Centur. V.* Baronius, Bellarminus, Labbeus, T. II. p. 71. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 13. Elias du Pin, *Bibl Nouv.* T. IV. p. 178. Diverſi ab hoc Maximo Taurinenſi, ſicut & à præcedenti Maximo Confeſſore, ſunt ſequentes: *Maximus, Philoſophus* dictus, quod tàm Philoſophiæ operam dediſſet, cujus Hieronymus, in *Catalogo*, meminit, quod Conſtantinop. Epiſcopus fuerit, indeque in exilium pulſus, inſignem *de fide adverſus Arianos Librum* conſcripſerit: Laudat eundem virum Gregorius Naz. eleganti quadam *Oratione*. Floruit autem, anno 380. juxta Trithemium. *Maximus*, CæſarAuguſtanæ urbis Præſul, quem Iſidorus Hiſpalenſis, *in Catalog.* multa verſu proſâque, item hiſtoriolam Gothorum tempore in Hiſpaniis actorum, ſcripſiſſe refert. Vixiſſe dicitur ſub Tyranno Phoca, anno 610. Vid. Jo. à Fuchten, *præfat. ad Maximi Centur.*

MECH-

MECHTILDIS.

Gente Germana, Ord. Bened. Monialis in Helfendenſi Coenobio, Soror Bernhelmi, Abbatis Spanheimenſis, ab anno 1280. ad 1290. clara, ſcripſit *Revelationem* ſeu *Spiritualis gratiæ Libros V.* germanicè, qui ſeorſim, Lat. verſi, Colon. 1536. & alibi, prodierunt, & cum aliis ejusdem argumenti, Pariſiis, 1513. fol. Alias latinas pariter atque italicas editiones, memorat Poſſevinus, in *Appar. S.* T. II. p. 100. Conf. quoque Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 554. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 515.

JOH. MEDER.

Germanus, Ord. Franc. Regularis Obſervantiæ Theologus, atque Baſileenſis Concionator eximius, anno 1501. floruit, atque *Parabolam filii prodigi* ſcripſit, excuſam Baſileæ, 1510. Pariſiis, 1511. 8. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 132.

MEFFRETH.

Autor *Hortuli Reginæ*, ſive *Sermonum Dominicalium*, quos ad manus habemus nitidè excuſos, duabus partibus, Monachii, in Nicolai Henrici Typographia, 1615. Alia quoque editio præ manibus, antiquo Charactere exſcripta & impreſſa T. II. in folio, abſque ullo loci & temporis veſtigiô. Prodierunt quoque *Meffrethi Sermones* Norimb. 1487. f. Baſileæ, 1488. fol. T. II. De hoc Scriptore nil conſtat, quam quod ipſemet *Parte Hyemali*, f. 1. ait, anno 1443. ſeopus dudum aggreſſum, de Sanctis Dei, conſummaſſe, & eodem anno ad honorem Dei, Virginis Mariæ &c. ob honorem denique Miſnenſium, cujus dioeceſis ſedem, uti loquitur, pro tunc Rev. in Chriſto Pater ac Dn. Johannes, Doctor egregius, feliciter gubernaret, opus hoc præſens de Tempore, adjutorio Spiritus S. confiſum, inchoaſſe. Hinc eſt, quod editor in fronte Libri, Meffrethum, fidei Catholicæ in Miſnia quondam celeberrimum Præconem vocitet. Claruit Meffrethus, anno adhuc 1476. prout ex ſermone ultimo, dilucidè patet. Valde tamen mirari ſubit, diligentiſſimum Miſniæ Antiquitatum perſcrutatorem, Geo. Fabricium, in *Annal. Miſnens.* circa illud tempus nihil de Meffretho commemoraſſe. Simlerus equidem Meffrethi Sermonum meminit, at de viri ætate vel loco, ubi vixerit, nil addit, forte, quia nil repperit. Trithemius ete-

etenim aliique plures de eo tacent. Vide quid de Meffretho nos moneat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 84.

MEGINFREDVS.

Natione Germanus, Magdeburgenſis Magiſter & Præpoſitus, ſicut ſemet ipſum vocat, titulô *Vitæ*, quam conſcripſit, *S. Emmerani, Epiſcopi Ratisponenſis.* Edidit illam Henr. Caniſius, P. II. *Antiqv. Lect.* p. 1. & hunc eſſe Meginfredum illum Monachum, anno 1010. Fuldenſem, à Trithemio, in *Chron. Hirſaug.* celebratum, conjicit, atque addit, fieri potuiſſe, ut Fuldâ ad Præpoſituram Magdeburgenſem adſcitus fuerit. Ejus *Hiſtoriarum Libros* XXIV. memorat Joh. Trithemius. De eo, poſt Henr. Caniſium, Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 42. Browerus, *in Antiqv. Fuldens.* L. I. c. 14. p. 61. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 321. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 107.

MELETIVS.

Armenus Melitinenſis, Euſtachii, Sebaſteæ Armenorum Antiſtitis, Succeſſor, poſt Antiochiæ Epiſcopus, Sede tamen ab Arianis iteratâ vice privatus, poſt reſtitutus, circa annum 360. claruit. Extat ejus *Sermo* apud Epiphanium, *Hæreſ.* 63. num. 29. 30. ſeq. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 12. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 236.

MELETIVS.

Mopsveſtenus, anno 428. Epiſcopus, Cyrilli hoſtis acerrimus, Neſtorii verò amicus integerrimus, hinc quoque in exilium pulſus, obiit. Habentur ejus *Epiſtolæ* X. inter *Epiſtolas Lupi Epheſinas*, num. 82. 119. &c. Vide, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 231. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 67.

MELITO.

Aſianus, Sardenſis in Lycia minoris Aſiæ Provincia, Epiſcopus, qui S. Scripturæ Canonem Eccleſiæ Orientis intimavit, floruit anno 170. *Librum de tranſitu Mariæ*, Lat. *Bibl. Patr. Paris. 2. edit.* T. VII. f. 1511. & *edit. Noviſſ.* T. II. legimus, ſed ſuppoſititium, fatentibus Adverſariis, Sixto Senenſi, Baronio, Braſichallano, Poſſevino, Bellarmino, Labbeo & aliis. Inter alia ejus ab Euſebio, Hieronymo & Trithemio, Caveo, recenſita Scripta, reperitur *Liber de Apocalypſi*,

qui

qui forſan ille ipſe *Commentator Apocalypticus*, qui nomine *Militonis* perantiquâ membrana ſcriptus in Bibliotheca noſtra Jenenſi habetur. Plura de Melitone Sardenſi dabunt Hieronymus, *de Script.* c. 24. Euſebius, *Hiſtor.* Lib. IV. c. 26. Sixtus Senenſis, *Bibl. S.* L. I. p. 5. Labbeus, *de Scriptor.* T. II. p. 86. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 32. P. II. p. 10. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 62.

MEMNON.

Epheſinus anno 431. Epiſcopus, Catholicæ fidei propugnator fortiſſimus, ſcripſit *Epiſtolam* ad Clerum Conſtantinopolitanum, quâ mala, ipſi a factione Neſtoriana Epheſi immiſſa, prolixe narravit. Extat illa *Concil.* T. III. p. 762. Agit de eo Guil. Cave, P. I. p. 233. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 70.

MENNAS.

Alexandrinus, Præpoſitus Xenodochii majoris, & anno 536. Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 552. obiit. Habetur ejus *Epiſtola* ad Petrum Hieroſolymorum Patriarcham, de depoſitione Anthimi, gr. lat. *Concil.* T. V. p. 277. Loquitur de eo Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 288.

MEROBAVDES.

Scholaſticus Hiſpanus, incertæ ætatis, autor *Carminis de Chriſto*, quod extat T. VIII. *Bibl. Patr. Par. edit.* 2. f. 982. Idem è Libro antiquo, ab Oporino communicato, transſcripſit & *Poetis Chriſtianis* inſeruit Georgius Fabricius, f. 763. vide *Comment.* f. 87. Prodiit quoque cum aliis, curâ Andreæ Rivini, Lipſiæ, 1652. 8. Conf. Sirmondi *notas ad Sidonium*, p. 235. ſeq. Joh. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 709. ſeq.

METELLVS.

Tegerſenſis ſive Tegerenſis, cujus *Quirinalia* ſive *laudem S. Quirini Martyris*, ad inſtar Odarum Horatii diverſo metri genere contextam, ex Marci Velſeri Codice manuſcripto edidit Henricus Caniſius, T. I. *Antiqv. Lect. Append.* p. 35. qui tamen præterquam, quod Monachum Ord. Bened. in Bavaria eum fuiſſe, & circa annum 1060. vixiſſe autumet, nil certi de eo retulit. Vide de Metello, Poſſevinum, in *Appar. S.* T. II. p. 105. Voſſium, *de Hiſt. Lat.* Lib. III. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 334. Guil. Caveum, *Hiſt. Litt.*

 P. I.

P. I. p. 429. Petrum Taſſinum, *de anno Seculari*, P. I. c. VIII. P. II. cap. ult. Jo. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 250. Eliam du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

METHODIUS.

Confeſſor ſive *Homologeta*, Gente Siculus, Monachus Conſtantinopolitanus, poſt Nicephori, Expatriarchæ Conſtantinop. Apocriſiarius, & tandem ipſe Patriarcha, anno 842. Conſtantinopolitanus, anno 847. obiit. *Encomium S. Dionyſii Areopagitæ* ſeorſim prodiit, gr. Florent. 1516. 8. 1562. 8. gr. lat. inter *Opera Dionyſii*, Antwerpiæ, 1634. T. II. p. 242. *Oratio in eos, qui dicunt, Quid profuit filius Dei crucifixus?* gr. lat. apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1667. & ex ejus editione T. XV. *Bibl. Magn. Colon.* f. 990. *Oratio de Occurſu Simeonis & Annæ in Templo & de Deipara*, item *Oratio in Ramos Palmarum*, gr. lat. ſeorſim Antwerpiæ, 1598. & inter *Opera Methodii Patarenſis*, à Combefiſio excuſa, Pariſiis, 1644. fol. Alia Methodii Scripta exhibet Guil. Cave, *Hiſt. Lit.* P. I. p. 375. & P. II. p. 160. Confer quoq; Aub. Miræum, in *Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 253. p. 230. Fr. Combefiſium, in *Appar. ad Bibliothecam Concionatoriam*, p. 50. Leonem Allatium *de Methodiorum Scriptis*. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 237. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 195.

METHODIUS.

Olympi Lyciæ primum, vel ut alii volunt, Patarorum, ac poſtea Tyri Epiſcopus, cognomento *Eubulius*, ſub Diocletiano & Maximiano, Martyrium paſſus, anno 303. *Vir erat*, teſte Epiphanio, *Hæreſ. 64. apprimè doctus, acerrimusque veritatis patronus*. Omnia, quæ reperire potuit, cum Amphilochii Iconienſis & Andreæ Cretenſis Operibus, Fr. Combefiſius, Ord. Præd. gr lat. anno 1644. f. cum notis in lucem emiſit, quæ enarrant Labbeus, T. II. p. 88. & Guil. Cave, P. I. p. 71. Seorſim prodiit *Sympoſium decem Virginum* ſeu *de Caſtitate*, curâ Leonis Allatii, Romæ, 1656. 8. & Petri Poſſini operâ, gr. lat. Pariſiis, 1657. fol. Extat quoque in *Auctuar. Combefiſii*, Paris. 1672. *Revelationum divinarum Liber*, Methodio falsò tributus atque ſeorſim, gr. & lat. Baſileæ, 1516. 4. excuſus, habetur quoque inter *Orthodoxogr. Baſil.* T. I. & in *Bibl. Patr.* T. III. Pluribus de hoc Methodio diſſeruerunt, Hieronymus, *in Catalog.* c. 83. Honorius Auguſtodun. *Lib. I. de Lumin. Eccleſ.* Caſimirus Oudinus, *Suppl.*

de Scriptor. Eccleſ. p. 22. ſeqq. Elias du Pin, *loco citato*, T. I. p. 195. Leo Allatius, *in Diatribâ de Methodiis* &c.

METROPHANES.

Patriâ Conſtantinopolitanus, Smyrnæorum Metropolita, Sede tamen, Photii cauſâ, excluſus, anno 880. Ejus *Epiſtola ad Manuelem Patricium*, lat. apud Baronium, ad ann. 870. num. 45. gr. lat. cum *Actis Concilii Conſtantinop. IV*. Ingolſtadii, 1604. 4. & *Concil.* T. VIII. p. 1385. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 389. & P. II. p. 163.

MICHAEL.

Patriarcha Alexandrinus, ſcripſit anno 869. *Epiſtolam* ad Baſilium, Imperatorem, de Unitate Eccleſiæ, quæ lat. *Concil.* T. VIII. p. 1111. gr. lat. conciſior, *ibidem*, p. 1361. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 391.

MICHAEL ANCHIALVS.

Patriarcha, circa annum 1167. Conſtantinop. Vir doctus & juxta Balſamonem, Philoſophorum ſummus, latinis infenſiſſimus, cujus *Decreta Synodalia V.* gr. lat. in *Jure Gr. Rom.* Lib. III. p. 227. habentur. *Dialogi ejus* cum Manuele Comnemo, Imperatore, unionis cauſæ habiti, fragmenta, exhibet Leo Allatius, *de Conſenſu Lib.* II. c. 3. §. 2. c. 5. §. 2. c. 9. §. 3. *Orationem in Imperatorem, Manuelem Comnenum*, græcè manuſcriptam in Bibliotheca Bodlejana adſervatam, memorat Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 228. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 204.

MICHAEL ANCRIANVS.

Sive Aignanus, Bononienſis, SS. Theologiæ Doctor, Ord. Carmelit. anno 1381. Ordinis ſui Generalis, obiit Bononiæ, ann. 1396. vel 1416. *Commentariorum in Pſalmos*, Libri V. ſub *Incogniti* autoris nomine prodierunt, Compluti, 1524. Lugduni, 1588. 1602. f. Autori vero reſtituti, Venetiis, 1603. Lugduni, 1652. 1673. *Commentarium Michaelis in Libros Sententiarum* Mediolani impreſſum, memorat Simlerus, *Bibl.* p. 503. Plura de eo Antonius Alegre, *Paradis. Carmelit.* p. 316. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 44. Confer, quæ habet Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 658.

MICHAEL CÆSENAS.

Italus, SS. Theologiæ Doctor, Ord. Minor. Generalis, multas cum Joh. XXII. P. R. de paupertate Chriſti & uſu ac dominio rerum, lites exercuit, atque *Tractatus III. contra varios errores & hæreſes Joh. XXII. P. R.* præcipue verò *de utili dominio bonorum Eccleſiaſticorum & abdicatione rerum temporalium in perfectione ſtatus Monachorum & Clericorum* ſcripſit, quos exhibet Goldaſtus, *Monarch.* T. II. p. 1236. *Epiſtola* ejus extat apud Waddingum, *Annal. Minor.* ad ann. 1317. *Aliæ II.* ibidem. *Literæ ejus ac Proteſtationes contra Joh. XXII.* excuſæ ſunt Lugduni, 1495. Alia profert Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 259. & ex eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 14.

MICHAEL CERVLARIVS.

Patriarcha, juxta Baronium & Curopalatem, anno 1043. Conſtantinopolitanus, Latinorum hoſtis acerrimus, anno 1058. mortalitatis exuvias depoſuit. Ejus *Decisio Synodica de Nuptiis in ſeptimo gradu* gr. lat. in *Jure Gr. Rom.* L. III. p. 206. habetur. *Epiſtolæ II. ad Petrum Antiochenum*, gr. lat. apud Cotelerium, *Monument.* T. II. p. 135. *Edictum Synodale adverſus Latinos, de Pittacia*, gr. lat. apud Leon. Allatium, *de Libris Eccleſ. Græcorum*, p. 161. Plura, quæ ſcripſit, memorat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 424. & P. II. p. 198. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 82.

MICHAEL ACOMINATVS CHONIATA.

Gente Phryx, Athenarum Metropolita, anno 1204. clarus, cujus *Oratio funebris in mortem fratris Nicetæ*, cum *Nicetæ Operibus* prodiit, Pariſiis, 1566. Francof. 1568. & in *Bibl. Patr.* T. XXV. p. 180. Fragmenta quædam gr. lat. profert Leo Allatius, *adverſus Hottingerum*, p. 197. *Tractatum de cruce & Sermonem* &c. manuſcripta adducit Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 487. P. II. p. 246.

MICHAEL FRANCISCVS.

Gallo-Flander, patriâ Inſulenſis, SS. Theol. Doctor, Ord. Domin. Philippi I. Confeſſionarius atque Conſiliarius, Epiſcopus Salubrienſis, Inſulis, anno 1502. obiit. Scripſit *Quodlibeticas deciſiones de*

de VII. doloribus B. Mariæ, Martyris Dei, Antwerpiæ excuſas. *Quodlibeticæ deciſiones de Confraternitate S. Roſarii B. Mariæ*, cum præcedentibus, Colon. 1476. Paris. 1518. 8. prodierunt. *Confraternitatem dolorum B. Virginis Mariæ*, à Philippo Auſtriaco erectam & alia, recitant Aub. Miræus, *de Scriptor. Sec. XVI.* cap. 8. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 124.

MICHAEL GLYCAS.

Siculus, anno 1120. floruit, illuſtris *Annalium* conditor, Operis non tantum Hiſtorici & Phyſici, ſed & Theologici, juxta Voſſium, *Lib. II. Hiſtor. Græc.* c. 27. Editi illi Baſileæ latinè interprete Jo. Leunclavio, 1572. 8. deinde gr. lat. cum verſione & notis Philippi Labbei, Pariſiis, 1660. fol. Ejusdem *diſputationes binas*, cum *Philippi Solitarii Dioptra*, Ingolſtadii, 1604. 4. produxit Jacobus Pontanus, exinde tranſlatas in *Bibl. Patr. Magn. Colon.* ex interpretatione Andreæ Schotti, una cum Jac. Gretſeri Scholio. *Epiſtolarum fragmenta* ſiſtit Allatius, qui reliqua Michaelis Glycæ Scripta, *de Conſens.* Lib. II. c. 18. §. 17. recenſet. Confer, ſi lubet, Antonium Poſſevinum, *in Appar. S.* T. II. p. 112. Aub. Miræum, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 312. p. 237. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 382. Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 456. P. II. p. 223. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 199.

MICHAEL de HVNGARIA.

Cujus *Sermones prædicabiles per totum annum*, licet breves, Argentinæ, 1494. 4. prodierunt. Ejusdem *Sermones XIII. Univerſales, cum Applicationibus Thematum perutilibus de Tempore & de Sanctis, omni tempore prædicabiles* habentur in vetuſto Libello, cui titulus: *Evagatorium*, impreſſo Argentinæ, anno 1516. 8.

MICHAEL de MEDIOLANO.

Mediolanenſis, Ord. Minor. anno 1480. claruit atque idem fuiſſe videtur, qui alias *Michael de Carcano* vocari ſolet. Scripſit autem *Confeſſionale*, Venetiis, 1513. 8. excuſum. *Quadrageſimale*, ibidem, 1476. 4. *Quadrageſimale* alterum, Venet. 1591. 4. *Sermo-*

nes de Adventu, Venet. 1487. 4. *Sermones XI in Decalogum,* Venet. 1492. & cum aliis, *de Sanctis, de Tempore, de Poenitentia,* &c. Baſileæ, 1479. Conf. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 108.

MICHAEL MONACHVS

à Vitæ Inſtituto appellatus, Eccleſiæ Conſtantinop. Presbyter ac Ignatii Patriarchæ Syncellus, anno 878. clarus, ſcripſit *Encomium Ignatii Patriarchæ,* quod mutilum produxit gr. lat. cum Actis Concilii VIII. Raderus, Ingolſtadii, 1604. 4. Habetur quoque *Concil.* T. VIII. p. 1260. *Vitam* quoque *Theodori Studitæ* exaravit, cujus excerpta, lat. exhibet Baronius, *Annal.* T. IX. Plura ejus manuſcripta dabit Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. II. p. 166.

MICHAEL PSELLVS.

Conſtantinopolitanus Patricius, qui, ut ait Voſſius, præfectus fuit Studii Michaelis Ducæ, Conſtantini Ducæ filii, circa annum 1050. claruit, atque aulâ relictâ cucullum induit. Laudes ei dixit Leo Allatius, *Diatribâ de Pſellis eorumque Scriptis,* p. 42. *Auſim dicere, neminem ea, vel ſubſequente ætate, græce vel inveniſſe acrius, vel ordinaſſe aptius, vel locutum eloquentius, vel profundius res pertractaſſe. Nulla fuit Scientia, quam ipſe vel notis non illuſtraverit, vel Compendio non tentaverit, vel optima methodo non expedierit.* Ex Scriptis ejus, quorum plurima hinc inde habentur, huc maximè ſpectant, *Carmina ſeu Paraphraſis metrica in Cantica Canticorum,* Lat. Venet. 1573. 4. Antwerp. 1615. 8. gr. Lugd. Bat. 1617. 4. excuſa. *Comment. in Cantica Canticorum,* Lat. inter *Theodoreti Opera,* & gr. lat. in *Auctuario Duceano,* T. II. p. 681. *Capita quædam de Trinitate & Perſona Chriſti,* gr. lat. Auguſtæ, 1608. 8. & 1611. *De Operatione Dæmonum Dialogus,* lat. Pariſiis, 1577. 8. gr. lat. ibidem, 1615. 8. *Oratio Panegyrica in Simeonem Metaphraſten,* lat. apud Surium, d. XXVII. Nov. gr. lat. apud L. Allatium, *de Scriptis Symeon.* p. 221. *Officium pro ejus commemoratione* gr. lat. ibidem, p. 236. Alia Michaelis Scripta, recenſet Guil. Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 424. Leo Allatius, *Diatriba modò dicta, de Pſellis eorumque Scriptis.* Conf. quoque Voſſium, *de Hiſtor. Græc.* L. II. c. 26. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 341. & Guil. Caveum, *loco cita-*

citato, P. I. p. 392. ubi de Michaele Pſello, eoque Seniori, loquitur. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 111.

MICHAEL.

Syncellus Thomæ Patriarchæ, & Presbyter Conſtantinop. Patriarcha quoque deſignatus, dignitatem iſtam reſpuit. Floruit Michael circa annum 830. magnasque pro Imaginum cauſa, quam ſtrenuè defenderat, ærumnas tulit. Extat *Encomium S. Dionyſii Areopagitæ*, ab ipſo ſcriptum, gr. lat inter *Dionyſii Opera*, T. II. p. 207. & *Encomium in SS. Dei Archangelos & Angelos*, gr. lat. cum notis, apud Combefiſium, *Auctuar. Nov.* T. I. p. 1525. De eo Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 368. & P. II. p. 159. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 195.

MICHAEL THESSALONICENSIS.

Magiſter Rhetorum & magnæ Eccleſiæ Protecdicus circa annum 1160. Bogomilorum Sectæ addictiſſimus, quam tamen ante mortem abrenuntiavit. Habetur ejus *Confeſſio brevis*, apud L. Allatium, *de Conſenſu*, L. II. c. 12. §. ult. Dicit de Michaele, poſt alios, Guilielmus Caveus, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 472. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 202.

MICROLOGVS.

Sive *Micrologi* autor, cui à quibusdam minus rectè *Johannis* nomen præfigi ait Labbeus, vixit circa annum 1085. unde patet erraſſe eos, qui vel Bernoni Augienſi, cum Claudio Eſpencæo, vel Guidoni Abbati, Librum de Obſervationibus Eccleſiaſticis, *Micrologi* titulo inſcriptum, tribuerunt. Vide iſtum, Venetiis, 1572. 8. excuſum & inter *Scriptores de Divinis Officiis*, Pariſiis, 1610. fol. & in *Bibl. Patr.* T. XVIII. p. 469. *Vitam* quoque *Caroli M.* conſcripſit, cujus *Prologum* exhibet Bollandus, d. XXVIII. Jan. De eo Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* T. II, p. 116. Bellarminus & Labbeus, T. II. p. 91. Guil. Cave, P. I. p. 434. Caſimirus Oudin, *Suppl.*

de

de Scriptor. p. 347. qui tamen Micrologum ad annum 1180. maluit referre.

MILO.

Monachus S. Amandi, Ord. Bened. circa annum 866. clarus, ſcripſit *Supplementum ad Vitam S. Amandi* à Baudemundo exaratam, atque *Hiſtoriam tranſlationis & elevationis Corporis S. Amandi.* Item *Vitam S. Amandi*, Lib. IV. metricè, quos vide apud Bollandum, d. VI. Febr. *Homilia ejus de S. Principio, Sueſſionenſi Epiſcopo*, habetur apud Surium, d. XXVII. Septembr. Milonis quoque *de Laude Pudicitiæ* & *Sobrietatis*, manuſcriptum in *Bibl. Cantibrig.* verſibus Hexametris, habetur. Obiit Milo, anno 871. in S. Amandi Monaſterio ſepultus. Conf. Sigebertus, *in Catalog.* c. 105. & Aubertus Miræus, *in Scholio.* Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 36. Ejus *Conflictum Veris & Hyemis* ex manuſcripto Codice dedit, atque *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* inſeruit Caſimirus Oudin, p. 257. ſeq. Conf. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 198.

MINVCIVS FELIX.

Inſignis Orator ſive Cauſidicus ac JCtus Chriſtianus, autor Aurei *Dialogi* Chriſtiani & Ethnici, diſputantium, qui *Octavius* inſcribitur. Scriptum omninò perelegans, in quo gentilium Scripturarum nihil intactum dimiſit, juxta Hieronymum. Ejus ætatem ad annum 230. collocat Trithemius, & cum eo ferè Guil. Caveus. *Octavium Minutii* inſcius publicavit Romæ, Fauſtus Sabæus, qui illum pro Arnobii Libro VIII. habuit, & poſt illum, Sigismundus Gelenius Baſileæ, 1546. 1560. Genuino tamen autori reſtitutus, prodiit, Heidelbergæ, 1560. Romæ, 1583. Baſileæ, 1603. Hanoviæ, 1603. Hamburgi, 1612. fol. Paris. 1613. 4. 1643. 1666. ad *calcem Cypriani* Lugd. Batav. 1652. 4. & 1672. 8. Cantabrig. 1707. 8. *Librum* quoque *de Fato vel contra Mathematicos* ſcripſiſſe fertur Hieronymo, qui tamen interiit. Conf. de eo Hieronymus, *de Scriptor.* cap. 58. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 48. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 569. 728. Tho. Ittigius, *in præf. Catenæ Patrum*, p. 37. ſeqq. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 117. Tho. Pope Blount, *Cenſur. Celebr. Auctor.* p. 189.

JOH.

JOH. PICVS MIRANDVLANVS.

Mirandulæ & Concordiæ Princeps, Mirandulæ, anno 1463. natus prodigioſi Vir ingenii, Græce, Ebraicè Arabice, Chaldaicè, doctus, Philoſophus pariter atque Theologus inſignis, ab Italis Seculi ſui *Phoenix* cognominatus, anno 1494. Florentiæ, ad plures tranſiit. *Vitam* ejus conſcripſit ex fratre Nepos, Joh. Fr. Picus Mirandulanus, operibus iſtius præmiſſam. Epitaphium ejus tumulo inciſum, tale eſt:

Johannes jacet hic Mirandula; cætera norunt
Et Tagus, & Ganges, forſan & Antipodes.

De Mirandulano Erasmus, *in Ciceroniano*, judicat: *Indoles planè divina & ingenium ad omnia factum: ſed hujus quoque dictionem nonnihil vitiavit Lingvarum ac Philoſophiæ atque etiam Theologiæ cura.* Plura ejus Elogia exhibet Tho. Pope-Blount, *loco citato*, p. 497. Scripta ejus recenſet Henr. Whartonus. Ea ſunt *Heptaplus: Quæſtiones* 900. *Romæ ad diſputandum propoſitæ*, ſeorſim Romæ, 1486. f. Norimb. 1532. Colon. 1619. 8. excuſæ. *Apologia adverſus Quæſtionum ſuarum calumniatores: de Ente & uno opus: de Hominis dignitate: Regulæ XII. ad Chriſtianæ Vitæ inſtitutionem: Comment in Pſalmum XV. de Chriſti Regno & vanitate hujus mundi: Expoſitio in Orationem Dominicam: Epiſtolarum Liber*, Jenæ quoque, 1682. 8. impreſſus: *in Apologiam Diſputationum Lib. XII. in Platonis Convivium* Lib. III. *Elegia ad Florentiam*, in laudem Hieronymi Benivenii. Hæc omnia Venetiis, 1498. Argent. 1507. Baſil. 1572. Mirandulæ, 1596. Baſil. 1601. f. prodierunt. De eo Boiſſardus, *Icon. illuſtr.* P. I. p. 183. Labbeus, T. II. p. 599. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 116.

MODOINVS.

Heduorum ſeu Auguſtodunenſium Epiſcopus, ab anno 816. ad 839. vel ultra clarus, cujus ad Theodulfum Aurelium *Epiſtolam*, elegiaco carmine ſcriptam, exhibet Henr. Caniſius, *Antiqv. Lect.* T. VI. Eandem cum aliis ejusmodi, Andreas Rivinus, Lipſiæ, 1653. 8. edidit. De eo poſt Sanmarthanos, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 235.

MONALDVS.

Juſtinopolitanus Dalmata, Theologus & JCtus, vulgò Archi-Epiſcopus Beneventanus, ex Ord. Minor. aſſumtus, anno 1330. claruit. Ejus *Summa Caſuum Conſcientiæ, Aurea & Monaldina* dicta, prodiit Lugduni, 1516. 8. *Summam Juris Canonici manuſcriptam* atque à *Summa Caſuum Conſcientiæ* diverſam quidem memorant Waddingus, atque Guil. Cave, quæ tamen una eademque Caſimiro Oudino videtur. Agunt de Monaldo, Lucas Waddingus, *Bibl. Præd.* Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Willotus, *Athen. Franc.* p. 271. Bellarminus; Labbeus, T. II. p. 95. Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 601. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 20. Tres Monaldos conſtituit Arturus du Montier, in *Martyrologio Franciscano,* ad d. 15. Decembr. Pariſiis, anno 1638. fol. excuſo.

MONTANVS.

Natione Hiſpanus, Toletanus Archi-Epiſcopus, Concilio ejusdem urbis anno 531. præfuit. Habentur ejus *Epiſtolæ II. una* ad fratres territorii Palentini: *altera,* ad Theoribium, Epiſcopum Palentinum, *Concil.* T. IV. p. 1735. & *in Martyrologio Hiſpanico,* ad d. 23. Febr. p. 225. De eo Ildefonſus Toletanus, *de Scriptor.* c. 3. Poſſevinus, *in Appar. S.* Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 110. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* p. 285.

MOSES BAR-CEPHA.

Syrorum Epiſcopus, rerumque in Seleucia Parthorum Curator, an 990. clarus, cui tribuitur *Comment. de Paradiſo,* qui ex Andreæ Maſii verſione latina, Antwerpiæ, 1569. 8. prodiit, exinde translatus, in *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2 T. I. f. 406. & *edit. noviſſ.* T. XVII. p. 456. Hinc patet quam longè aberrent, qui Moſen hunc Barcepham, cum *Moſe Mardeno,* Patriarcha Antiocheno, circa ann. 1550. legato, confundunt, ſicuti fecit Marg. Bignæus, *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. loco citato, reprehenſus ideò à Labbeo, T. II. p. 95. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 414. plura verò Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 4.

AL-

ALBERTINVS MVSSATVS.

Italus Patavinus, Poeta & Hiſtoricus ævi ſui inſignis, Clodii anno 1320. in exilio, mortalitatis exuvias depoſuit. Ejus *Libri XVI. de Geſtis Henrici VII. Imperatoris, Liber de Fato*, & alia, Venetiis, 1636. f. prodierunt. Dicunt de eo Aubertus Miræus, *in Auctuar.* Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 590. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 15.

MVTIANVS SCHOLASTICVS.

Quem Caſſiodorus, *Divin. Lect.* c. 8. virum diſertiſſimum vocat, circa annum 550. claruit, atque Caſſiodori rogatu, *Homilias XXXIV. S. Chryſoſtomi in Epiſtolam ad Hebræos*, latinè fecit, excuſas, Colon. 1530. Scripſit quoque *adverſus Occidentales Epiſcopos*, ſicut refert poſt alios, Guil. Cave, *Hiſtor. Litter*, P. I. p. 290.

BIBLIOTHECÆ SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM

PARTIS I.

FINIS.

ADDENDA ET CORRIGENDA IN PRIMA PARTE BIBLIOTHECÆ SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

ad pag. 55.

Angradus, quem hoc loco memoravimus, idem eſt cum *Aigrado*, de quo p. 21. diximus. Idem nobis accidit in *Achardo*, quem ab *Archardo*, cujus p. 74. mentio habetur, minime diſtinximus, neq; *Cyparisſiotam* à Joh. Sapiente, cujus, p. 185. & 407. iterata vice, meminimus.

ad p. 73.

PETRVS APOLLONIVS COLLATIVS.

Petri Apollonii Collatii Libri IV. *de Excidio Hieroſolymitano* ſeorſim Medolani, 1481. 4. Paris. 1540. Lugd. 1586. 8. ſtudio Adriani van der Burch, & in *Bibl. Patr.* T. XII. prodierunt. *Carmen Heroicum de David & Goliath* & *Carmen Epicum Chriſti Crucifixi ad Judæos querela* prænotatum, *Elegias* quaſdam & *Epigrammata*, Milani, 1692. 8. produxit Laz. Aug. Calla, qui ætatem Collatii, annum 1490. ſatis ex inde probavit. Conf. de Collatio Voſſium, *Hiſtor. Pelag.* L. II. P. III. p. 245. Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 120. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 317. Joh. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 723. Bayle, *Diction. Hiſtor. & Critiqv.* T. I. p. 948. *Acta Eruditorum Lipſ.* ann. 1692. p. 558. ſeq. & alios.

ad p. 194.

AVGVSTINVS DATHVS.

Patriâ Senenſis, inſignis Philoſophus & Orator, Æneæ Sylvii Σύγχρονος, Fr. Philelphi diſcipulus, ab anno 1460. ad 1479. claruit, quo

quo ipſo Senæ obdormivit. Opera ejus Senæ, 1503. & Venetiis 1516. fol. prodierunt, eo quidem ordine, quem Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 312. obſervavit.

ad p. 195.

PHILIPPVS DECIVS.

Mediolanenſis, Lancelotto, fratre, Jaſone Magno & Joh. Puteo, Præceptoribus uſus, ipſe anno ætatis 22 Doctor Juris creatus, atque Piſanus Profeſſor conſtitutus, ab anno 1508. ad 1535. floruit. Fata ejus adverſa prolixè narrat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 135. Scriptoribus eum Eccleſiaſticis annumeramus, quod *Conſilium pro Eccleſiæ Authoritate ſupra Papam in cauſa Synodi Piſanæ*, anno 1511. habuit. Vide illud apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1667. *Sermo ejus de eadem materia, pro juſtitia Concilii Piſani*, extat ibidem, p. 1677. Vtrumque verò, apud Richerium, *Hiſtor. Concil. General.* Lib. IV. P. I. c. 2. p. 167. Alia ejus Scripta Juridica exhibet modò laudatus Whartonus.

ad p. 262.

BERENGARIVS FREDOLIVS.

Ex Canonico & Succentore S. Nazarii, & Abbate B. Aphrodiſii Biterrenſis, Epiſcopus Biterrenſis, anno 1298. factus, poſt Cardinalis, titulo S. Nerei & Achillei, anno 1305. & Epiſcopus anno 1309. Tuſculanus, anno circiter 1323. obiit. Inter Juris Canonici Doctores ſuo tempore non poſtremus, quod ex auxilio in Libro VI. Decretalium condendo, Papæ Bonifacio VIII. cujus Capellanus extiterat, præſtito, conſtat. Ad Guilielmum de Mandagoto, Archidiaconum Nemauſienſem, à quo Libri *de electionibus Prælatorum* nuncupatione honeſtatus fuerat, volumen ſuper *Summam Oſtienſis* ſcriptum miſit, quæ cum *Summa Oſtienſis*, Baſileæ, anno 1573. fol. prodiit. Manuſcripta hujus operis memorat Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 566. Confer de Fredolio Sanmarthanos, T. II. *Gall. Chriſt.* p. 422. & citatum ibi T. I. *Italiæ S.* Franc. Ughelli. Adde etiam Trithemium, *de Scriptor. Eccleſ.* p. 97. Antonium Poſſevinum, *Appar. S.* p. 212.

ad p.

ad p. 315.

SYLVESTER GYRALDVS.

Cambrenſis ſive Cambro-Britannus, Archidiaconus primò Brechinienſis, poſt per decennium in aula Henrici II. Angliæ regis, cui à ſecretis & Joh. filii morumque formationi ac tutelæ præfuit, inde per invidiam multis impetitus conviciis, læſæque Majeſtatis accuſatus ab aula ipſa, & his omnibus liber evadens, Epiſcopus anno 1198. Menevenſis electus, vir undiquaque doctiſſimus, claruit jam ſeptuagenarius, anno 1210. Multa ſcripſit ſacra pariter & hiſtorica ingenii ſui monimenta, quæ vaſto agmine recenſent, qui modò dicta circa eam edocuerunt, Joh. Pitſeus, *Script. Angl.* f. 279. ſeq. & Baleus, *Centur. III.* c. 51. p. 529. quædam verò ex iis Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 486. *Topographia Hiberniæ: Expugnatio Hiberniæ. Itinerarium Cambriæ* Lib. II. & *deſcripto Cambriæ*, ad Stephanum Archi-Epiſcopum Cantuarienſem, ſeorſim quoque cum notis Dav. Powelli, Londini, 1585. 8. excuſa, inter *Hiſtor. Anglic. Normann.* Francof. 1602. fol. prodierunt. *Epiſtolam ad Guilielmum Verum, Herefordenſem Epiſcopum*, Vſſerius, *Hibern. Epiſtol. Syllog.* p. 114. inſeruit. *Epitomen Topographiæ Hiberniæ*, edendam curavit Richardus Stanihurſt, Antwerpiæ, 1584. cum ſuis *Commentariis de rebus Hibernicis.* De Sylveſtro Gyraldo, poſt Baleum, Pitſeum, Caveum, jam citatos, Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor.* c. 363. p. 250. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 460. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 54. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 192.

ad p. 318.

STEPHANVS HARDINGVS.

Anglus, variis in Scotiam, Galliam, Italiam peregrinationibus clarus, Ordinis Bened. Monachus, poſt Ciſtercienſis, anno 1109. Abbas, abdicato regimine anno 1133. placido fine quievit. Ejus *primæ Ordinis Ciſtercienſis Conſtitutiones*, quas *Chartam Charitatis* inſcripſit, habentur in *Menologio Ciſtercienſi*, Antwerpiæ, 1635. excuſo, ad d. V. Julii & *Annal. Ciſterc.* Angeli Manriquez, Lugduni, 1624. T. I. *Epiſtolæ II.* inter *Epiſtolas S. Bernardi* ad Ludovicum, Galliæ Regem. *Exordium parvum Ordinis Ciſterc.* in *Bibl. Ciſterc.* Tiſſierii, T. I. p. 1.

Sermo-

Sermonem in obitum S. Alberici, Manriquez, *loco citato*, exhibet: Conf. de eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 398. Guil. Cave, P. I. p. 446. Carolus du Viſch *Bibl. Scriptor. Ciſtert.* p. 301. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 158. qui plura ejus Scripta recenſent.

ad p. 319.

PHILIPPVS HARVENGIVS.

Abbas Bonæ Spei in Hannonia, Ord. Præmonſtr. Bernardi familiaris, *Eleemoſynarius* ab egregia erga pauperes liberalitate dictus, ab anno 1140. ad 1180. & ultra floruit. Varia ejus Opuſcula in publicum prodire fecit Nicolaus Chamart, Abbas Coenobii Bonæ Spei, Duaci, anno 1620. fol. Sunt autem *Epiſtolæ XXI. Commentarius Myſticus in Cantica Canticorum : Moralitates in eadem Cantica : de ſomnio Nabuchdonoſoris : de lapſu primi hominis : de damnatione Salomonis : de Clericorum dignitate* &c. *Vitæ*, *Carmina*, *Epitaphia*, *& Logogryphi*, quæ omnia ordine repræſentant Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 463. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 196.

Errata.

Pag. 11. lin. 2. l. quanquam pro quamqam. p. 20. l. 23. l. Ciceroniano. p. 27. linea ultima, dele hæc verba: *alumnus D. Bernardi.* p. 31. lin. 21. l. aut. lin. 30. Transſubſtant. p. 38. lin. 12. 162. pro 102. lin 14. Cordubenſis pro Cordubejenſis. p. 41. lin. 21. l. Eruditorum. item 1687. pro 1683. p. 5. lin. 24. l. *1460.* p. 54. lin. 28. l. Palæologus. p. *66.* lin. 16. l. Altamura pro Altumura. p. 75. lin. *26.* l. 298. pro 198. lin. 35. l. Hentenio Monacho. p. 77. lin. 29. l. Hæreſiolog. p. 96. lin. 20. l. Carthaginenſis. p. 99. lin. 17. l. Auberto Miræo, pro Cypriano. p. 105. lin. *19.* l. cui arcta pro arcta ipſi. p. 118. lin. 7. l. 494. pro 394. p. 180. lin. *15.* l. 1150. p. 186. lin. 13. l. Cordubenſis pro Cordubejenſis. p. *187.* lin. 33. l. Patrum. lin. *36.* l. Sororis pro Sorore. p. 188. lin. 12. deleatur, qui. p. 191. lin. 18. l. *1110* pro 1010. p. 196. lin. 10. l. Cadurcorum, pro Cadurciorum. p. 205. lin. 5. l. Biſuntinus pro Bizantinus. p. 207. lin. 24. l. Tarvanenſis, pro Teroanenſis. p. 237. lin. 28. dele, Toletanum. p. 249. lin. 8 l. Facundus pro Eacundus. p. 254. lin. 11. l. execratus pro execravit. p. 256. lin. *9.* l. Florentius pro

Eloren-

Elorentius. p. 258. lin. 22. l. Picæ pro Pici. p. 274. lin. 1. l. 495. pro 595. p 309. lin. 18. exercuit pro exeruit. p. 313. lin. 19. l Sec. I. pro Sec. IV. p. 320. lin. 18. l. 174. pro 374. p. 321. lin. 24. l. Tarſi pro Turſi. p. 325. lin. 8 l. Huntingdon pro Huntindon. lin. 10. Vergilio, pro Virgilio. p. 331. lin. 35. & 36. l. Burgidolenſis, pro Burdigolenſis. p. 353. lin. 11. l. 1140. pro 1340. lin. ult. Vdalricus pro Vdelricus. p. 371. lin. 23. l. Atinenſis pro Altinenſis. p. 385. lin. 4. l. 858. pro 885. p. 393 lin. 17. l. Vivaldus pro Vivadlus. p. 408. lin. 22. l. 564. pro 464. p. 409. lin. ult. l. 1432. pro 1332. p. 421. lin. 16. l. 423 pro 323. lin. 18. l. 454. pro 354. p. 438. lin. 28. l. Leo VII. pro Leo V.

Hæc & alia nunc quidem inter feſtinandum minus obſervata aut notata menda, æquus Lector haud gravatim corrigat.

VIGILIVS,

In fin. lib. 5. contra Eutych. confus. duar. Natur.

Si opere diſplicemus,
Saltem ſtudio placeamus.
Sit acceptum voluiſſe,
Si diſplicet non potuiſſe noſtrum.

SOLI DEO GLORIA.

JO. GOTTFRIDI OLEARII

BIBLIOTHECÆ SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

TOMVS SECVNDVS

N. — Z.

JENAE,
apud JO. FELICEM BIELCKIVM.
M DCC X.

NALGODUS.

CLuniacenſis monachus, non fuit S. Majoli, abbatis Cluniacenſis anno 994. defuncti diſcipulus, prout falſo adſeruit Godefridus Henſchenius, quem ideò notavit Caſimirus Oudinus. Referendus noſter Nalgodus ad annum circiter 1100. Condidit *Vitam S. Majoli*, abbatis Cluniacenſis, quam exhibent Bollandiani ad XI. Maj. *Vitam S. Odonis*, abbatis *Cluniacenſis*, a Johanne Cluniac. exaratam, in compendium retulit. Hanc e tenebris protraxit Mabillon *Sec. Bened.* V. p. 186. De Nalgado Henſchenius in *præludiis ad Vitam Majoli* Joh. Mabillon Sec. V. O. B. p. 125. & 760. Oudin. l. c. p. 352. Cave P. II. p. 219. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 110. Voſſius *de Hiſt. Lat. Lib.* III. p. 764.

NAUCRATIUS.

Monachus Conſtantinop. Coenobii Studienſis Alumnus, Theodori Studitæ diſcipulus, imaginum cultum perpetuò adſeruit. Multas exinde afflictiones perpeſſus eſt, modo in carcerem conjectus, modò verberibus adfectus. Epiſtolas ad Naucratium conſolatorias a Theodoro ſcriptas, videas apud Baronium. Floruit circa annum 813. Scripſit Naucratius *Epiſtolam*, in qua de perſecutionibus Iconolatrarum & Theodori Studitæ Laudibus egit. Extat illa Manuſcripta in Bibl. Paulina Lipſ. & penes Cl. Cavium, qui P. I. p. 361. ejus initium inſeruit. Quædam quoque ex illa habentur *Bibl. Patr.* T. XIV. p. 903. quæ Fr. Combefiſius latine reddidit. Illam autem indignam putat Cavius, quæ in publicum edatur.

NECTARIVS.

Tarſo Ciliciæ oriundus, ex Senatore Conſtantinop. ejusdem Eccleſiæ Archi-Epiſcopus electus anno 381. Hic ex ſententia Gregorii Nazianz. in obeundis Seculi negotiis dexter, in Eccleſiaſticis vero vivum præ ſe tulit cadaver. vid. Spondan. anno 381. n. 10. Obiit Nectarius anno 398. Scripſiſſe fertur *Homiliam de S. Theodoro* quam Joach. Perionius lat. reddidit & Aloyſius Lipomannus T. V. inſeruit teſte Labbeo p. 99. Ejusdem, ut & Joh. Chryſoſtomi, quem in ſede Conſtantinop. ſucceſſorem nactus, *Orationes ad populum* Pariſ. an. 1554. 8. prodiiſſe Simlerus & Poſſevinus notant; easdem a Perionio lat. redditas vidit Labbeus. *Sententia ejus Synodalis de Epiſcopatu Boſtrenſi* gr. lat. habetur Jur. Gr. Rom. l. 4. *Orationem de Jejunio* in Viennenſi Bibliotheca, ſicut & in Elect. Monachienſi haberi Spizelius *Arcan. Bibl.* p. 59. & 147. retulit. Conf. ſi placet Cave l. c. P. I. p. 160. *Du Pin. Bibl. Nouv.* T. II. p. 246.

NEMESIVS.

Ex Philoſopho Chriſtiano Emeſenus in Phoenicia Epiſcopus incertæ ætatis, ab aliquibus Sec. 4. ab aliis 5. adſcriptus. Ejus *liber de natura hominis* T. IX. Bibl. PP. Pariſ. edit. 2. f. 556. & alibi prodiit. Seorſim quoque editus gr. lat. ex Lud. Vallæ verſione Lugd. 1538. apud Sebaſt. Gryphium & Nicaſio Ellebodio interprete, apud Plantin. Antvverp. 1565. Denuò recognitus Oxonii 1671. 8. *Epiſtola* quædam Nemeſii inter Nazianzeni Carmina reperitur, quæ, an noſtro tribuenda, alii diſpiciant. Conf de eo Cave P. I. p. 159. & Labb. p. 100. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 280.

NENNIVS.

Natione Britannus, Elvodugo Probo & Beulano Presbytero uſus Præceptoribus, Coenobii Bannochorenſis Monachus & poſtea abbas juxta Voſſium, Baleum & Cavium anno 620. floruit. Ab aliis vocatur *Gildas Hibernicus.* Hic utrum cum Auguſtino monacho diſputaverit, eruditi diſcutiant. Baleum id affirmantem non absque rationibus amplectitur Cave P. I. p. 316. Idem alium notat *Nennium* noſtro antiquiorem, Regis Luddi fratrem, qui ex Bardorum cantionibus & Flaminum Scriptis rerum Britannicarum hiſtoriam patrio ſermone compoſuiſſe dicatur. Hiſtoriam ejus Nennius Banochorenſis latine vertit ac ad ſua tempora continuavit. Manuſcriptum illius extat in Bibl. Weſt-

mona-

monaſterienſi regia, Cantabrigienſi academica, Cottoniana, & alibi. De quo quid ſentiat Vsſerius vid. Caveus l. c. Primus Nennii *Eulogium Britanniæ*, ex corruptis licet exemplaribus extulit Tho. Galeus *Rer. Angl. Script. T. I.* p. 91. Adde errorem Balei & Pitſei, qui ex unico hoc opere ſex vel ſeptem libros plane diverſos faciunt.

NEOPHYTVS.

Presbyter Græcus, Monachus & incluſus, anno 1190. floruit. Scripſit *Librum de Calamitatibus Cypri ab Anglis anno 1191. captæ*, quem extulit græc. lat. Cotelerius *Monument. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 457. Evolve Cav. l. c. P. I. p. 479. Du Pin. T. IX. p. 103.

NEROPIVS.

Ignotæ ætatis autor, cujus aliquam *Epiſtolam* ex editione Lugdunenſi Galleti dederunt *Collectores Magnæ Bibl. Colon.* T. XV. f. 995.

NESTORIVS.

Germanicia Syriæ Euphrateſienſis oppido oriundus, in monaſterio S. Euprepii enutritus, Diodori poſtea Tarſenſis diſcipulus. Eccleſiæ cum factus eſſet Antiochenæ Presbyter, anno 428. Siſinnio Conſtantinopolitano Epuscopo in ſede ſucceſſit. Hæreticorum malleus in initio videbatur, dum Arianos, Quartodecimanos, Macedonianos, Manichæos & alios vel omnium maxime affligebat. Ipſe tamen Hæreſiarcha factus nulli ſecundus. Cum enim Anaſtaſius Presbyter Mariam vocari non poſſe Dei param pro concione diceret, a partibus ejus ſtare non dubitavit Neſtorius. Qui cum admonitus de ea re fuiſſet, nec mentem mutaret, erroris & blaſphemiæ accuſatus a Concilio Epheſino, anno 431. celebrato, damnatus atque in exilium miſſus eſt. Varia in locis variis adverſa perpeſſus, anno 436. lingua ejus vermibus eroſâ interiiſſe creditur. Si Socrati Lib. VII. c. 32. & 34. credendum, homo erat indoctus, naturali facundia præditus, atque arrogantia elatus. Varias ſcripſit *Epiſtolas*. Binæ extant græc. lat. Concil. T. III. p. 316. 321. quarum poſteriorem a Mario Mercatore verſam inter Opera ejus a Garnerio edita P. II. p. 57. *Alia* II. lat. ibid. p. 349. *Epiſtola* ad Cæleſtium hæreticum. *Alia* ad Cœleſtinum Papam lat. a Mercatore factæ. ibid. *Sermo* adverſus Pelagianos. ibid. *Anathematiſmi* XII. lat. Concil. T. III. p. 424.

Fragmenta XX. ex Libro Sermonum græc. lat. p. 520. & alia fragmenta, quæ exhibet Cave P. I. p. 230. qui plurima Neſtorii Scripta adduxit. Plura tamen ipſi tribuit Gennadius *de Scriptoribus Eccl. ſ.* c. 52. De Scriptis Neſtorii conferri quoque meretur Cl. Du Pin. Bibl. Nouv. T. IV. p. 61. ſeqq. Bayle & Buddeus *in Lexicis. Memoires de Trevoux* T. VIII. p. 140. Arnold. *Hæreſ.* paſſim. Aub. Miræus in Scholiis ad Gennadium cap. 53.

NICASIVS DE VOERDA.

Sive *Voerdanus*, Marchlinienſis, a tertio ætatis anno oculis captus, Lovanii Theologiæ Lauream adeptus, & Rom. Pontificis indulgentia Sacerdos factus, publice ad populum diſſeruit & Sacerdotis cætera fere munia dextre obivit. Coloniam profectus Jurisprudentiæ ſtudio totum ſe mancipans, leges nunquam lectas, ſed auditas ſaltem ſic mente tenuit & recitavit privatim ac palam, ut Juris Doctor Academiæ ſuffragio ſit renunciatus. Obiit Coloniæ anno 1492. prout teſtatur Fr. Schwertius *Athen. Belg.* p. 571. Scripſit præter *Comment. ad Inſtitutiones Juris, Sermones elegantes & doctos in Lib. IV. Sententiarum.* it. *Lecturam 3. arborum Conſanguinitatis, Affinitatis & Cognationis Spiritualis* Colon. 1506. 8. per Quentelium excuſam. In titulo hujus lecturæ vocatur optimarum artium nec non Juris Pontificii Doctor Conſultiſſimus, Sacræ quoque Theologiæ inſignis Palladii Lovanienſis Licentiatus profundiſſimus, Vir ingenii ſtupendi &c. in fine vero: Illuminatiſſimus piæ & in extinctæ memoriæ Vir, Philoſophus acutus, Theologus eminens, exin quod ſtupendum eſt, Antiſtii Juris, quod Canonum vocant, Doctor expertiſſimus.

NICEAS.

Aquilejæ ſub Chromatio Epiſcopo Sub-Diaconus, poſtea vero ejusdem in Sede Succeſſor. Floruit anno 420. Hieronymo familiariter uſus eſt Niceas, quem comitem habuit peregrinantem. Scripſit teſte Gennadio c. 22. ſimplici & nitido ſermone *Libellos VI. inſtructionis ad Neophytos* & *Libellum ad lapſam Virginem*, quam alii Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino falſo attribuunt. Vide nobis conſentientes Cl. Cavium P. I. p. 219. & II. p. 85. Cotelerium not. in l. II. *Conſt. Apoſt.* p. 186. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* P. III. p. 154.

NICE-

NICEPHORVS.

Monachus, qui ex ſententia Poſſini tempore Theodori Edeſſeni circa ann. 1101. floruit, ſcripſit Librum quem Cavius P. II. p. 219. præclarum & valde utilem vocat, eumque *de Cuſtodia Cordis*, quem extulit græc. lat. P. Poſſinus *Theſaur. Aſcet.* p. 404.

NICEPHORVS BLEMMIDA.

Presbyter & Monachus Monaſterii in Emathiis, aſperam & aſceticam vitam egit. Templum ſumptibus ſuis ædificavit, quod mira Sanctitate frequentavit. Patriarchatum Conſtant. ann. 1255. ſibi oblatum, recuſavit, *Vir* juxta Gregoram *Hiſt.* L. II. p. 33. *multis Virtutibus inſignis & ſapientia varia inſtructus, tum ea, quæ apud gentes in pretio eſt, tum ea, quam Eccleſiæ Antiſtites & Oratores in noſtram utilitatem prodiderunt.* Proceſſionis SS. dogma adverſus græcos vel ipſe græcus propugnabat, latinis plurimum favens. Conf. tamen Leon. Allatium *de Conſenſu* l. 2. c. 14. §. 4. qui dubia partim movet, illa partim diſcuſſit. Scripſit *de Proceſſione SS. Lib. II.* quos vid. græc. lat. apud Odericum Raynaldum *Annal. Eccleſ.* T. I. *in app.* & L. Allat. inter *Orthodoxæ Græciæ Scriptores* T. I. p. 1. *Epiſt ad plurimos data,* poſtquam Marcheſinam, Joh. Ducæ Imper. amaſiam, e foribus templi præcipitem dediſſet. græc. lat. ap. L. Allat. l. 2. c. 14. §. 4. *Epitome Logica & Phyſica* prodiit græc. lat. Aug. Vindel. 1605. 8. Reliqua in Manuſc. latent, ut ſunt: *Encomium in Joh. Evangeliſtam: Oratio de Anima: de Corpore: Enarrationes in aliquot Pſalmos. Opuſcula de Fide: de Virtute: Religione* & alia, quæ in Bibl. Vaticana, Vindobonnenſi, Pariſienſi & aliis aſſervantur, quorum initia exhibet Cave P. II. p. 249. Alia Opuſcula contra latinorum dogma de Proceſſione SS. Manuſcripta ſe vidiſſe teſtatur Allatius l. c. Conf. ſi placet, præter cit. Autores, Caſim. Oudin. p. 501. Ant. Poſſevinus in *app. S.* T. II. p. 138. L. Allatius *in not. ad Georg. Acropolit.* p. 244. Mallinkrot *Paralipom. de Hiſt. Græc.* n. 45.

NICEPHORVS BRYENNIVS.

Macedo, in Oreſtiade civitate natus, Nicephori Bryennii filius natu maximus anno 1118. claruit. Annam Comnenam, Alexii Comneni Imp. filiam in matrimonio habuit, à quo Panhyperſebaſtus

id eſt ſuper omnes Auguſtus, poſt vero Cæſar creatus eſt. Conſtantinopolim urbem adverſus Gothofredum Bullionæum defendit & alia præclare geſſit, quibus brevitatis cauſa ſuperſedebimus. Mortuus videtur anno 1137. Vir erat teſte Zonara *annal. Lib. III.* doctrina egregie inſtructus, atque ſcripſit *rerum Byzantinarum Hiſtoriam lib. IV.* ab anno 1057. ad an. 1081. quæ græc. lat. cum verſione & notis Poſſini prodiit Paris. 1661. fol. cum animadverſionibus Caroli du Fresne ad calcem Cinnami Paris. 1670. f. Plura ſuppeditat Martinus Hanckius *de rerum Byzantinarum Scriptoribus* P. I. c. 28. pag. 492. ſeqq. Du Pin. T. IX. p. 203.

NICEPHORVS CALLISTVS.

Calliſti Xanthopuli filius, profeſſione Monachus, Bibliothecam in S. Sophiæ Aſceterio repoſitam per plures annos uſurpavit. Floruit anno 1333. atque, cum nondum egreſſus eſſet annum 36. Hiſtoriam Eccleſiaſticam ex Euſebio, Socrate, Sozomeno Theodoreto, Evagrio & aliis contexere cœpit. Quo tamen ſucceſſu inſtitutum perduxerit, facile colligere licet ex fabulis, quibus repleta, putidiſſimis. Hinc judice Caſaubono, non pluris quam folia farfari, facienda eſt. Inſigne Nicephori ψεῦδος producit Arndius *notis* ad Franciſci Vavaſſoris *librum de forma Chriſti*, circa finem. Imo ipſe Vavaſſor, otioſus de forma Chriſti diſputator, Nicephoro in hoc negotio quaſi bellum indixit. Scripſit autem Nicephorus libros XIIX. a nato Chriſto ad mortem Phocæ nefandiſſimi & pernicioſiſſimi, ut eum l 18. c. 56. vocat, Tyranni. Hi adhuc ſuperſunt, reliqui vero quinque interierunt. Vnicum ejusdem exemplar ex Budenſi Bibliotheca in Bibl Vindobonenſem translatum eſt. Illos *XIIX. Hiſtoriarum libros* transtulit latine Joh. Langius, qui Baſil. 1553. Antw. 1560. Paris 1566. ibid. 1573. Francof. 1588. prodierunt. Græc. lat edidit Front. Ducæus 1630. II. Vol. fol. *Catalogum Meretricum Imperatorum Conſtantinop. & Seriem Patriarcharum Conſtantinop.* extulit Phil. Labbeus *in Protreptico de Scriptoribus Byzantinis.* Paris. 1648. p. 34. *Synopſis totius SS. Jambicis trimetris digeſta* una cum *oratione ad Deum deprecatoria* prodiit græce Baſil. 1536. 8. *Oratio de Origine, Structura & miraculis templi B. Virgini Sacri ad Fontem*, extat in Bibl. Vindob. & Vaticana. Plura Leo Allatius *de libris Eccleſ. Græcorum* Diſſ. I. p. 70. II. p. 115. ſeq. H. Wharton in app. P. I. Cav. p. 20. Cave P. II. p. 275. Vosſius L. II. Hiſtor. Græc. c. 29. Labbeus p. 102.

NICE-

NICEPHORVS CHARTOPHYLAX.

Conſtantinopolitanus, vixit Seculo VII. juxta Bignæum *Ind. Chron.* Bibl Patr. Paris. edit. 2. cujus T. III. f. 414. exhibet geminas illius *Epiſtolas*, diſcrepantes a fragmento Epiſtolæ Nicephori Chartophyl. quod Grynæus pridem dederat Orthodoxo gr. græc. lat. f. 74. Idem Grynæus Præſulem eum Conſtantinopolitanum à nonnullis habitum refert, & quidem anno 560. At Coccius eum ad annum 830. Cavius vero 801. reponit. Extant quoque Epiſtolæ vix adductæ græc. lat. *in Jure græc. Rom. lib. V.* p. 1341. lat. vero *in Bibl. Patr.* T. XII. Conſule Caveum P. I. p. 356.

NICEPHORVS.

Conſtantinopolitanus, ſublimis ingenii homo, Conſtantino Aug. & matri Irenæ a Secretis, in Concilio II. Niceno Imaginum cultum ſtrenue promovit. Vitæ aulicæ pertæſus in monaſterium ſe contulit atque anno 806. mortuo Taraſio in dignitate Patriarchali ſucceſſit. Cum autem Leonis Armenii edicto flecti non poſſet, atque Imaginum propugnare cultum pergeret, in exilium miſſus atque in Monaſterium a ſe extructum deportatus anno 828. deceſſit. Varia ſcripſit quæ ex aliis transſcribimus: *Breviarium Hiſtoriæ* quod græc. & lat. Pariſiis 1616. Dionyſius Petavius edidit, iterumque vulgavit 1646. T. I. *Corporis Hiſt. Byzant.* & ad calcem Theophylacti Simocattæ *Hiſtoriæ* Paris. 1648. f. *Chronologia Tripartita*, ſecundum rationem græcorum, quæ lat. primo prodiit ex interpretatione Anaſtaſii Bibliothecarii, deinde cum Commentario Joach. Camerarii Baſil. apud Oporin. 1561. iterumque cum notis Ant. Contii, ſicut & Margar. Bignæi Bibl. P. P. Paris. edit. 2. T. VII. f. 974. At græce eam primus edidit Joſ. Scaliger, in *Theſauro temporum* poſt Euſebium. Græc. verò & lat. ſimul cum Georgii Syncelli Chronico anno 1652. fol. typis regiis vulgavit Jacobus Goaz Ord. Prædic. *Confeſſionem fidei ſuæ*, quam anno 811. prolixa ad Leonem III. P. R. dedit epiſtola, exhibent græc. lat. *Acta Synodi Epheſinæ* anno 1591. Heidelbergæ & Paris. 1620. edita. Item *Concil.* T. VII. p. 1205. & Baronius T. IX. *Annal. Opuſcula IV. adverſus Iconomachos* lat. apud Caniſium *antiq. Lect.* T. XIV. p. 253. & *Bibl. Patr.* T. XIV. extant. *Canones breviculi XVII.* græc. lat. in Jure Græc. Rom. Lib. III. p. 195. apud Zonaram & alibi. *Canones alios XXVII.*

græc. lat. cum notis exhibet Cotelerius *Monument. Eccleſ. Gr.* T. III. p. 445. *Epiſtola* græc. lat. ibid. p. 453. *Indiculus Librorum Canonicorum, Eccleſiaſticorum, Apocryphorum,* ad calcem Chronographiæ expreſſus, quem tamen Nicephoro abjudicat Pearſonus *Vindic. Ignat.* Par. I. Fragmenta ſatis ampla ex III. Libris ejus adverſus Iconomachos ſcriptis ſiſtit Fr. Combefiſius Auct. Paris. 1648. & alia, de quibus Cl. Cave P. I. p. 357. Labbeus p. 106. Vosſius l. 2. Hiſt. Græc c. 25. & app. addendorum p. 539. Hanckius *de rerum Byzant. Script.* P. I. c. 12. p. 223. Stylum ejus maximopere commendat Photius Cod. 66. *Nihil* inquit, *ſtylus habet ſupervacaneum aut obſcurum; verborum delectu orationisque compoſitione, neque nimis diſſoluta, neque contra nimis adſtricta, anxie eſt uſus. Sed qualia adhiberet Rhetor quivis, vel conſummatisſimus Orator. Vitat enim recens ficta, neque antiquitate uſuque probata præterit. Jucunditas adhæc illi gratiam conciliat in dicendo.* Conf. CL. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 5. ſeqq. qui de Scriptis Nicephori prolixe diſſeruit. & CL. Buddeus in Lexico juxta cum aliis.

NICEPHORVS GREGORAS.

Byzantinus Joh. Glycy Patriarchæ, & Theodori Metochitæ diſcipulus, Andronico Imp. Charus, a quo Chartophylax Eccleſiaſticus creatus eſt. Barlaamum viriliter oppreſſit, ipſe tamen a Cantacuzeno ad tempus oppreſſus. Claruit autem Nicephorus anno 1345. Philoſophus & Hiſtoricus inſignis, artis etiam oratoriæ peritiſſimus. Scripſit *Hiſtoriæ Byzantinæ* lib. XI. qui in variis locis impreſſi ſunt. Prodierunt græc. & lat. interprete Hieronymo Wolffio, Baſil. 1562. f. Paris. 1567. f. Francof. 1568. 1587. f. Genev. 1615. f. Fragmenta quædam cum Nicephori Conſtantinop. Breviario primus protulit Dion. Petavius Paris. 1616. 8. Videas, de eo quid judicent Lipſius *Polit. Lib.* I. c. 9. §. 12. f. 17. & Card. Bona *Notit. autorum &c.* *Oratio in obitum Theodori Metochitæ* græc. lat. Lugd. Bat. 1618. ad calcem Metochitæ & ad calcem Glycæ Paris. 1660. *Comment. in Syneſium de Inſomniis* ad calcem Syneſii Operum græc. Paris. 1553. græc. lat. ibid. 1613. *Pasſio Cordati Corinthii aliorumque martyrum Achæorum* græc. lat. inter *acta SS.* Mart. X. ab Henſchenio & Papebrochio cum notis excuſa. *Diſputatio contra Palamam: Technologia Grammatica: Orationes II. Lib. X. contra Synodum, quæ pro Palama contra Barlaamum & Acindynum*

ſenten-

ſententiam tulit. *Demonſtratio de emendando tempore Paſchatis: Tractat. de Conſtructione Globi* & alia quam plurima, quæ memorat Cave P. II. p. 179. & Poſſevinus in *app.* S. Oudinus l. c. p. 622. ſeqq. Reſtat unica adhuc Epiſtola commemoranda typis excuſa & græc. lat. edita a Cl. Normanno Vpſaliæ 1693. 4. inter Theoduli Opera.

NICEPHORVS.

Philoſophus & Orator Patriarcha Conſtantinop. an. 895. claruit *Oratione Panegyrica* ſive *Vita Antonii Caulei Patriarchæ Conſtantinopol.* qui anno 891. obiit. Habetur illa lat. apud Surium T. I. d. XII. Febr. & Bolland. ad d. XII. Febr. Manuſcripta vero in Bibl. Vindob. adſervatur. De eo Cave P. I. p. 399. II. p. 168. Hanckius l. c. c. 20. p. 397. Voſſ. Hiſt. Gr. Lib. II. C. XXVI. p. 294.

NICEPHORVS VRANVS.

Magiſter Antiochiæ, S. *Symeonis Stylitæ Junioris Vitam* exaravit, quam expreſſerunt Bollandiani ad d. Maj. XXIV. Conf. Cave Diſſ. I. p. 13. ad calcem P. II. *Hiſtor. Litter.*

NICETAS.

Byzantinus, profeſſione Monachus, anno 1120. clarus compoſuit *Tractatum Apologeticum pro Synodo Chalcedonenſi adverſus Armeniæ Principem.* Extat illa græc. lat. *Græc. Orthod.* T. I. p. 663. Fragmenta vero apud L. Allat. *de Conſenſ.* L. I. c. 5. §. 3. p. 72. & lib. *de Purgatorio Eccleſ. Græc.* p. 314. Agit de Niceta Cave P. I. p. 456. Du Pin. T. IX. p. 199.

NICETAS.

Choniates a Patria, alias vero *Acominatus* dictus, magnus Logotheta Secretorum, Inſpector ac Judex Veli ac Præfectus Sacro cubiculo initio Sec. XIII. claruit, vir dignitate, uti dictum, in Imperio & aula Conſtantinop. illuſtris. Obiit Niceæ poſt ann. 1206. Scripſit *Hiſtoriam* ſive *Annales* Libr. XXI. ab anno 1118. ad 1205. græc. & lat. primo editos interprete Hier. Wolffio Baſil. 1557. f. Pariſiis deinde lat. 1566. Francof. 1568. f. Genev. 1593. 4. poſtremo cum Scriptoribus Hiſtoriæ Byzant. anno 1647. f. operoſa cura Caroli Annib. Fabroti. Præter iſtos annales ſcripſit *Theſaurum Orthodoxæ fidei* Lib. XXVII.

quos in Bibl. Bodlejana, elegantisſime deſcriptos ſe vidiſſe teſtatur Cave P. I. p. 488. Libros V. priores vertit & lat. extulit cum doctisſimis notis Petrus Morellus Paris. 1580. Genev. 1592. 8. & extant in Bibl. Patr. T. XXV. p. 54. ut & fragmentum ex libro XX. de Ordine, qui ſervatur, cum quis à Saracenismo ad Chriſtianiſmum tranſit T. II. *Bibl. Paris.* 2. f. 625. & inter Sylburgi *Saracenica* 1595. 8. p. 74. Scripſit quoque *Confutationem Legis Muhammedicæ: Comparationem hyemis & æſtatis: Epiſtolas VI.* Quæ omnia adhuc Manuſcripta adlegat Cave P. II. p. 247. Evolv. Buddeus, Oudinus, Labbeus, Vosſius. De Stylo Nicetæ conſulas Lipſium l. c. ita ſcribentem: *Jam inter infimos quoque græcos duo ſunt, quos non contemno. Prior eſt Nicetas Choniates. Is parum adhuc vulgo notus, fateor; ſed digniſſimus notitia: purum, rectumque ingenium, ſi aliud illo ævo. Stylus ejus operoſus Poetas & Homerum ſæpe reſipiens: ut res & narratio ipſa diſtincta, compoſita ſine vanitate, ſine ineptiis, brevis quod ſatis ſit & fida. Crebra apud eum & opportuna monita: judicia non libera ſolum, ſed ſana.* Plura exhibet Thomas Pope-Blount Cenſur. *Celebr. Autor.* p. 404.

NICETAS DAVID.

Paphlago dictus apud Voſſium l. c. c. 25. forte, quia natione Paphlago fuit, ut arbitratur Labbeus, p. 111. aut Dadybrorum in Paphlagonia ſub Metropolita Gangrenſi Epiſcopus extitit, prout conjicit Leo Allatius ad calcem T. I. *Græc. Orthodox.* Claruit Nicetas anno 880. Scripſit *Vitam S. Ignatii Patriarchæ Conſtantinop.* quæ gr. lat. inter Acta Concil. VIII. Ingolſtadii 1604. 4. edita & Concil. T. VIII. p. 1179. extat. *Apoſtolorum XII. Elogia XII. Orat. in Marcum, Evangelia in Nativitatem S. Mariæ: in Exaltationem S. Crucis. in S. Gregorium Theologum. In S. Hyacinthum Amaſtrenſem Martyrem* & alia, gr. lat. edidit Fr. Combefiſius in Auct. Pariſ. 1672. *Encomium in Euſtachium, Agapium, Theopiſtum & Theopiſtem* gr. lat. cum notis extulit idem in *illuſtrium Chriſti Martyrum Triumphis* Pariſ. 1660. 8. p. 45. Lib. pro *Synodo Chalcedonenſi adverſus Epiſtolam Regis Armeniæ*, gr. lat. ap. Leon Allat. *Græc. Orthod.* T. I. p. 663. quam tamen alii Nicetæ noſtro abjudicant. Conf. Cave P. I. p. 395. Oudin l. c. p. 177. Fr. Combefiſius in auctoribus recenſitis ante ſuam *Bibliothecam SS. Patrum Concionatoriam* p. 32 & alibi. Plura tamen Nicetæ Manuſcripta: *Carmen ad S. Angelum Hymnus in Mariam; Carmen ad S. Chriſtophorum Martyrem.* & alia extant in Bibl.

Vindob. ut nos erudit Cl. Cave P. II. p. 166. Conf. Du Pin. l. c. T. VII. p. 196. qui Stylum ejus ab elegantia & nitore, quin imò facilitate jucunda maximopere commendat. Conf. Voſſius H. G. L. II. c. XXV. p. 289. Hanckius l. c. c. XVI. p. 258.

NICETAS.

Ex Chartophylace Conſtantinop. Maroniæ Theſſalonicenſis Archi-Epiſcopus, latinis admodum favit, quibuscum uniri avide ſperavit. Floruit an. 1201. atque ſcripſit *Lib. VI. Dialogorum de Proceſſione SS.* quorum fragmenta exhibet L. Allatius *adverſus Hottinger.* c. 19. p. 467. *Reſponſio* ejusdem *ad interrogata Baſilii Monachi* extat gr. lat. in *Jure Gr. Rom.* l. 5. p. 345. De eo Cave P. I. p. 487.

NICETAS PECTORATVS.

Sive *Stethatus*, monachus & Presbyter in Coenobio Studienſi, an. an 1057. clarus, latinorum hoſtis infenſiſſimus, ſcripſit *Lib. de Azymis, de Sabbatorum Jejuniis & nuptiis Sacerdotum adverſus Latinos.* Hunc exhibet Caniſius T. VI. p. 4. Baronius in T. XI. appendice & alii. *Canon in S. Nicolaum*, ex quo quædam profert L. Allatius *libro adverſus Hottinger.* c. 11. p. 208. *Tract. de anima* ex quo idem fragmenta dedit *lib. de Octava Synodo Photianâ* c. 14. p. 545. *Carmen Jambicum in Symeonem Juniorem, Præceptorem* gr. idem Diatriba *De Symeon. Script.* p. 168. & alibi. Reliqua in Manuſcriptis deliteſcunt, quorum quædam, v. g. *Oratio invectiva contra blaſphemam. Armeniorum hæreſin*, & *Centuriæ III. capitum Asceticorum* in Bibl. Vindob. viſuntur, prout refert doctiſſimus Cave P. II. p. 199. Conf. Cl. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 78. & 111.

NICETAS.

Barianus de Placentia, Theologiæ Profeſſor, Ord. Erem. D. Auguſt. regularis obſervantiæ, Mediolani olim ſcripſit *Tractatum de monte Impietatis* anno 1494. ad Georgium Alban. Epiſcopum & Cardinalem. Impreſſus ille Cremonæ anno 1496, at recuſus & ſubjunctus *Montibus Pietatis Romanenſibus* Lipſiæ 1670. à D. Aſciano editis.

NICETAS SEIDVS.

Scriptor Græcus latinorum adverſarius qui juxta *Cavii* conjecturam circa ann. 1110. claruit. Scripſit adverſus Latinos, qui Dogmata & ritus ab Eccleſiæ Romanæ antiquitate commendabant, li-

brum, hoc argumento: *Non ſimpliciter antiqua novis venerabiliora, adeoque neque nova vetus Roma, nec ſedes ſede.* Ex hoc Opuſculo quædam transſcripſit Leo Allatius *de Conſenſ.* Lib. I. c. 14. §. 1. 2. L. II. c. 1. §. 2. L. III. c. 12. §. 4. de eo Cl. Du Pin. T. IX. p. 198.

NICETAS SERRON.

Ex Diacono & Magiſtro Conſtantinop. Heracleenſis Archi Epiſcopus factus anno 1077. claruit Scripſit *Comment. in Nazianzeni Orationes* XVII. qui inter Nazianz. opera extat. Hunc mutilum atque mancum olim edidit Jac. Billius. *Catenam in Jobum* quæ lat. prodiit Venet. 1587. 4. & cura Patricii Junii Londini 1637 fol. quam tamen Olympiodoro magis adſcribit Cl. Du Pin. T. VIII. p. 114. *Comment. in Nazianzeni Tetraſtica, Monoſtica, & Epigrammata* græcè excuſum ſub Nicetæ Davidis Paphlagonis nomine Venet. 1563. 4. *Reſponſa Canonica* ad Interrogationes Epiſcopi cujusdam Conſtant. gr. lat. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom. Lib. V. p. 310.* De quibus tamen Cl. Cave P. II. p. 202. erudite obſervat, quod ſex tantum numero ibidem habeantur, at in Vindobonnenſi Bibl. in Manuſcripto Codice novem capitula numerentur.

NICETAS.

Mytilenæus, Maroniæ ex magnæ Eccleſiæ Chartophylace Archi Epiſcopus Theſſalonicenſis anno 1101. clarus, ſcripſit *Reſponſiones ad interrogationes a variis* ad illum factas, quas vide gr. lat. *Jur. Gr. Rom.* Lib. V. p. 346. Lib. de *Miraculis S. Demetrii Martyris*, Manuſcriptus in Bibl. Bodlejana. Expoſit. *Canonum S. Damaſceni* & alia de quibus Cl. Cave P. II. p. 246. Hic Nicetas unus idemque videtur cum illo de quo p. 13. diximus.

NICETIVS.

Lemovicenſis Nobilis, Trevirenſis Monachus primum & poſtea abbas maximopere a Sidonio Apollinari & Gregorio Hiſtorico laudatus, L. X. Hiſt. c. 29. *Erat apud urbem Trevericam vir eximiæ Sanctitatis Nicetius Epiſcopus, non ſolum in prædicatione admirabilis facundia, verum etiam in operibus bonis ac mirabilibus celeberrimus habebatur in plebe.* Theodoricum Mediomatricum Regem & filium ejus Theodebertum vitiorum libere coarguit. Ob id veritus a Theodorico anno 527. Archi Epiſcopus Trevirenſis conſtituitur. Concilio Arvernenſi I. anno 549. Aurelianenſi V. & Arvernenſi II. 551. Pariſienſi II. Nicetius ſubſcripſit. Cum autem Clotharium Regem ob inceſtas nuptias ſæpius excom-

excommunicaret, ab eodem in exilium miſſus, a Sigeberto tamen Clotharii filio anno 565 revocatus ſedique priſtinæ reſtitutus eſt. Tranſiit ad Chriſtum anno 568. Illud in eo mirandum narrat Gregorius in Vitis Patr. c. 17. quod ad Clericatus ordinem natus videretur Nicetius, ut quidem cum Corona, quam Clerici tunc temporis geſtare ſolebant, infans inſtar attonſi rareſcentibus in orbem pilis ex matris utero prodierit. Scripſit Nicetius *de Vigiliis Servorum Dei Tract.* item *de Bono Pſalmodiæ* quem utrumque, Nicetæ Dacæo Epiſcopo alioqui ab Holſtenio & Sirmondo adſcriptum, noſtro vendicavit Luc. Dacherius *Spicileg.* T. III. *Epiſtola ad Juſtinianum Imper.* qua illum ab hæreſi revocat. & *Epiſtola ad Clodoſvvindam Clotarii filiam*, qua eam hortatur, ut maritum ſuum, Alboinum, Longobardorum Regem ad fidem Catholicam adducat. Vtraque extat Concil. T. V. p. 832. Plura videſis apud Gregorium. libr. *de Gloria Confeſſorum, Vitis Patrum & Hiſtoria Francorum.* Fortunatum *in Carminibus.* Surium *in Vitis SS.* Baronium & Spondanum in *annalibus.* Miræum in Faſtis belgicis. Browerum *in Not. ad Fortunatum.* Hadrianum Valeſium *in libris rerum Francic.* Sanmarth. Fratres *in Gall. Chriſt* Tom. I. f. 717. Cl. Cave P. I. p. 284. Oudin. l. c. p. 132. ſeqq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. p. 73.

NICODEMVS.

Æthiops, ſuæque gentis monachorum Hieroſolymis ad Sepulchrum Domini degentium Abbas anno 1440. clarus, ſcripſit *Epiſtolam* ad Eugenium P. R. qua obſequium, Romanæ ſedi a ſe præſtandum, prudenter declinavit. Extat illa lat. Concil. T. XIII. p. 1214. De eo H. Wharton in app. P. I. Cav. p. 81.

NICODEMVS.

Ex Phariſæo, Chriſti Diſcipulus, cujus mentio facta Joh. III. 1. 2. c. VII. 50. XIX. 39. claruit ab anno 34. Scripſiſſe fertur *Evangelium de Paſſione & Reſurrectione Chriſti*, quod ex Ebræo in latinum ſermonem tranſlatum exhibent *Orthodoxogr.* p. 643. Antwerp. 1522. Lipſ. 1516. 4. Saxonice quoque in Bibl. S. Benedicti Cantuar. illud extare nos docent Welochus *not. ad Hiſt. Bedæ* p. 77. ſeq. & Cave P. I. p. 9. Fides, quam meretur hoc ſcriptum nulla eſt, ſpurium quippe non immerito exiſtimandum, atque ſuppoſititium. Conf. Jo. Albertus Fabricius Cod. N. T. apocrypho, Ittigius de *Sec. I. Script.* p. 19.

NICOLAVS AVXIMANVS PICENS.

Italus Picenus O. min, ſodalis Bernardino Senenſi admodum familiaris, Vir pius atque pro Seculi ratione non indoctus, Vicarius Provinciæ S. Angeli Terræ S. Præfectus. circa ann. 1430. claruit. Scripſit *Summam Caſuum Conſcientiæ* Venet. 1484. impreſſam. *Supplementum ad Summam Piſanellam* Mediol. 1444. Venet. 1469. 4. *Interrogatorium Confeſſorum* Venet. 1489. 8. *Comment. in Regul. Fratr. minorum, Juris Canonici Epitomen, Sermonum Librum & Quadrageſimale* eidem tribuit Lucas Waddingus de Script. O. min. p. 263. quæ autem teſte Whartono l. c. p. 72. nondum excuſa ſunt.

NICOLAVS BARIANVS.

Italus Placentinus O. Erem. S. Auguſtini regularis obſervantiæ monachus, Theol. & Juris Pontificii Doctor. claruit anno 1494 In defenſionem ordinis ſui ſcripſit *Cauſam Vitalianam, & præcedentiam Eremitarum & minorum*, *Cremonæ* 1500. *Quadrageſimale quodlibeticum* LXXVII. *quæſtionum prædicabilium*. Bonon. 1501. 4. De *Montibus Pietatis* Lib. ad Georgium Cardinal. Albanenſem Cremonæ 1496. & ad calcem *Libri de Montibus pietatis Romanenſibus* Lipſiæ 1670. 4. Conf. H. Wharton l. c. p. 121. Cave P. II. p. 318.

NICOLAVS CABASILAS.

Græcus, Scriptor doctisſimus, Rom. Eccleſiæ hoſtis acerrimus, Sacelli primum curator, tum Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis Sec. XIV. circa ann. 1350. floruit. Scripſit *Liturgiæ expoſitionem*, quæ græco lat. in auct. Patr. Pariſ. 1624. T. II. p. 200. Lat. Venet. 1545. Antw. 1560. *De Vita in Chriſto* Liber ex interpretatione Jac. Pontani Ingolſt. 1604. 4. *Oratio contra Foeneratores* ab eodem Pontano lat. facta ibidem græce vero Aug. Vindel. manca licet atque mutila, integra vero Samoscii 1604. Hæc omnia Nicolai opuscula habentur lat. Bibl. Patr. T. XXVI. *Encomium S. Theodoræ viduæ* gr. lat. apud Henſchenium d. April. V. Comment. in *Librum tertium magnæ Conſtructionis Ptolemæi*. Baſil. 1530. *Schemata quædam Aſtrologica, Obſervationes in viſionem IV. animalium Ezechielis, Lib. de Proceſſione SS. & alia* quam plurima exhibent H. Wharton l. c. p. 30. Leo Allatius *Diſſertatione de Nilis*. c. 14. Spizel. arc. Bibl. reteƈt. p. 114. doctisſimus Cave P. II. p. 280. qui eruditisſime

me obſervat, quod in Bibl. Vindobon. *de Vita Chriſti Libri* VII. reperiantur manuſcripti, quorum ſex tantummodo priores ediderit Pontanus. Idem addit cauſam, cur doctisſima Nicolai ſcripta in membranis deliteſcant, atque tenebris damnata ſint, quod latinorum placita multo acumine expugnaverit. De eo Anton. Poſſevinus *in app. S.* Aub. Miræus in auct. c. 439. p. 262. Phil. Labb. T. II. *Diſſ.* p. 114 Bellarminus, Mallinckrot, aliique complures.

NICOLAVS.

Arremarenſis primum Ord. Benedicti, poſt Claræ vallenſis Ord. Ciſterc. Monachus, S. Bernhardo a ſecretis Epiſtolis, præcipue circa annum 1152. clarus, ob pesſimam tamen verſationem in officio ſuo, in Italiam aufugit atque S. Bernhardi hoſtis acerrimus factus eſt. Scripſit *Volumen Epiſtolarum ad diverſos*, quod ſtudio Joh. Picardi in auct. Bibl. Veter. Patr. 1610. primum prodiit, dein T. XII. Bibl. Colon. P. I. f. 645. & alibi. Lib. *Sermonum Henrico Campaniæ Comiti* dicatus reperitur in Bibl. Ciſterc. T. III. p. 193. *Epiſtolas II.* primus extulit Baluzius. *Miſcell.* T. II. p. 234. Conf Labb. p. 116. T. II. Cave P. I. p. 469. Oudin. p. 435. ſeq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 91.

NICOLAVS de CLEMANGIS.

Origine Gallus, in pago Clemange, ſito in Campania, ejusdemque Provincia, Catalaunia, natus. Præceptoribus uſus Petro Nongentino, Gerhardo Macheto & Joh. Gerſone. Inſignis proinde Theologus factus atque Orator eloquentiſſimus. In academia Pariſienſi ſcribendis Epiſtolis primum adhibitus, poſt Benedicto XIII. a ſecretis fuit. Poſt varias demum fortunæ viciſſitudines Theſaurarius apud Lingones, imo hoc abdicato officio, Cantor, nunquam vero Archidiaconus Bajocenſis Eccleſiæ factus eſt. Claruit anno 1416. Obiit circa ann. 1440. & ſepultus eſt in Sacello Navarrici Collegii ſub Lampade, quæ coram magno altari de tholo pendet. Ibidem hoc ejus Elogium:

Qui Lampas fuit Eccleſiæ ſub Lampade jacet.

Epitaphium quoque ibidem adjectum exhibet Oudinus p. 700.

Belga fui, Catalaunus eram, Clamengius ortu:
Hic humus oſſa tenet, ſpiritus aſtra petit.

Fuit Nicolaus, Vir pius, Scriptor nitidiſſimus, Schiſmatum & vitiorum Eccleſiæ cenſor accerrimus. Opera ejus aliquot prodierunt Pariſ. 1521. & a Margarino Bignæo in prima Bibl. Patr. editione repræſentantur. Plurima vero ex antiquiſſimis editionibus atque Manuſcriptis deſcripta, notisque illuſtrata & Gloſſario Latino-Barbaro aucta, elegantiſſima editione produxit Joh. Martinus Lydius, Veteraqu. Verbi Dei miniſter, Lugd. Bat. 1613. 4. Eorum ſeriem, quia rarum carumque volumen eſt, recenſere non pigebit. Lib. *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* cum ampliſſimis Lydii notis. Inde hunc librum cum ſequenti carmine ſeorſim recudi fecit Helmſt. 1620. Joh. a Fuchten & ante illum Leonhardus Hutterus Witteb. 1609. qui etiam Nicolai defenſionem adverſus Gretſerum ſuſcepit edit. ibidem 1613. 4. *Deploratio calamitatis Eccleſiaſticæ per Schisma nefandiſſimum, cum exhortatione Pontificum ad ejus extirpationem*, carmine heroico. De *Lapſu & reparatione Juſtitiæ*. ſeorſim. Viennæ 148 . 8. *Diſputatio habita per Scriptum, ſuper materia conncilii generalis, cum quodam Scholaſtico Pariſ.* ſeorſim Viennæ 1482. 4. *De Annatis non ſolvendis*, quem tamen ſtyli barbaries Nicolao abjudicare videtur, extat in Faſciculo rerum Expetend. Colon. 1553. f. 189. *De filio prodigo. de fructu eremi: De fructu rerum adverſarum. de novis celebritatibus non inſtituendis. De Præſulibus Simoniacis. Oratio ad Galliarum Principes*, qua eos a bello civili dehortatur. *Epiſtola ad Gerhardum Machetum, quod tam corpore, quam mente e Babylone ſit fugiendum.* Epiſt. III. *ad Gregor. XII. ſcriptæ nomine Bened. XIII. pro extirpatione Schiſmatis & unione Eccleſiæ. Scripta quædam nomine academiæ Pariſienſis. Volumen Epiſt.* CXXXVII. cum notis Lydii. *Fragmentum Deſcriptionis Vitæ Tyrannicæ cum deteſtatione ac reprehenſione*, carmine heroico. *De Anti Chriſto, ejus ortu, Vita, moribus & operibus.* Tantum. Poſt hæc Librum *de Studio Theologiæ* extulit Dacherius *Spicil. T. VII. Epiſtolas aliquot hactenus* ineditas idem T. VI. *Carmen de Vitæ ruſticæ felicitate*, quære apud Camerarium Meditat. hiſtor. T. III. Manuſcripta alia Nicolai opuſcula, *Comment. in Eſaiæ capita LX. Sermones de Innocentibus: Epiſtolas IX.* & plura dabit Launojus *Hiſt. Gymnaſ. Navarr.* P. II. p. 578. H. Wharton. p. 64. Oudinus p. 698. Poſſev. appar. S. T. II. p. 146. quos conſule. Miranda cæterum parrheſia, qua cordatus ille vir, in mediis deſperati ævi turbis, circa Concilium Conſtantienſe ſcilicet, cujus Patres carnales beſtias vocare auſus, vid. Lydium, *Epiſt. Dedic.* & Nicolai Epiſt. 102. p. 290. ſeqq. calamum tam aperte contra βδελύγματα ſtringere non fuit veritus. Cæteroquin e-

volve

volve Cl. Colomeſium *in Paralip. ad Script. Eccleſ.* pag. 705. inter Opera ejus a Fabricio edita.

NICOLAVS CVSANVS.

Sive de Cuſa, a vico Natali, Dioeceſis Trevirenſis, ita dictus, pauperculi piſcatoris filius, ex Canonicorum regularium, juxta Pennotum, Sodali, Monaſterii Woltsbergenſi Præpoſito, Archidiacono Leodienſi & Decano S. Florini, Brixinenſis Epiſcopus atque Cardinalis. Vir fuit profundæ ſcientiæ, parum tamen ſibi conſtans. Concilii enim Baſileenſis autoritatem fortiter primo propugnabat, poſtmodum vero ad Eugenii partes deficiens. Floruit ab anno 1448 ad 1464. quo obiit. Opera ejus, quæ Pariſ. 1514. Baſil. 1565. T. III. fol. prodierunt, ſunt ſequentia. *De docta ignorantia* Lib. III. *Apologia ejusdem Tract. de Conjecturis*, quas ſeorſim explicatas germanice dedit Leonh. Krentzheim Goerlicii 1588. *De filiatione Dei*; *de Geneſi*: *De Viſione Dei*: *de pace Dei Dialogus*: *De dato Patris Luminum*: *De quærendo Deum*: *De Veneratione Sapientiæ*: *de Deo abſcondito Dialogus*. *De annunciatione*; *de Catholica Concordantia Lib. III. De die Noviſſimo* & alia Cl. Whartono & Labbeo memorata, quæ, cum huc non faciant, ſponte noſtra prætermittimus. Quam libere compilationem antiquarum decretalium Pſeudo Iſidori perſtrinxerit, ex ejus de *concordantia Catholica* Lib. 3. c. 2. D. Zieglerus oſtendit, quem vide Prælim. ad Jus Canon. p. 51. Conf. Voſſius de *Hiſt. Lat.* II. p. 563

NICOLAVS DINCKELSPIEL.

Natione Svevus, Viennenſis Rector anno 1420. clarus, qui anno 1431. Concilio Baſileenſi interfuit. Scripſit *Sermones X. de dilectione Dei & Proximi*: *de Præceptis Decalogi*: *de Oratione Dominica*: *de tribus partibus poenitentiæ*: *de VIII. Beatitudinibus*: *De VII. Peccatis mortalibus*: *Confeſſionale Peccatorum*: *De V. ſenſibus*, quæ ſingula prodierunt Argentinæ 1516. fol. Plura Manuſcripta memorat Henr. Wharton *app. Cav.* p. 68 ut ſunt, *Tract. de donis SS. gratitudine & Ingratitudine*: *de Communione Sacramentali*, quæ in Bibl. Auguſtana adſervantur. Conf. Simler. *Biblioth. Tigur.* p. 518. Poſſevin. *app. S.* T. II. p. 147. Theoph. Spizel. *Arcan. Bibl. retect.* p. 246.

NICOLAVS DIONYSII.

Aliis *de Nyſe*, natione Gallus, Ord. minor. Theologus celebris,

Conventus Rothomagenſis Præpoſitus, Provinciæ Franciæ Vicarius & Miniſter Provincialis, anno 1501. clarus, Rothomagi anno 1509. obiit. Scripſit *Reſolutionem Theologorum*. Venet. 1568. 1574. *Sermones plures* Baſil. 1508. Brixiæ 1585. *Sermones æſtivos & hyemales : de adventu duplices : de Quadrageſima:* Rothomagi 1508. Argent. 1510. *Sermones de tempore a Dominica II. poſt Paſcha ad Adventum.* Pariſ. 1510. *Speculum mortalium* Pariſ. 1518. Evolv. Henr. Wharton l. c. p. 133.

NICOLAVS EVBOICVS.

Epiſcopus Saguntinus, anno 1439. clarus græcæ & latinæ linguæ peritiſſimus, hinc Patrum in Concilio Ferrarienſi & Florentino interpres omnium ſuffragiis cooptatus. Extant ejus *Orationes* in Concilio dictæ, inter *Acta Concil. Diſſertatio Juliani Cardinalis, de Symbolo fidei*, ejusdemque additione, a Nicolao græce facta, viſitur manuſcripta in Bibl. Vindob. Lib. *de Origine & rebus geſtis Turcorum* Baſil. 1565. f. prodiit. *Epiſtolam* manuſcriptam ad Andronicum Calliſtum, Philoſophum, memorat Labbeus Bibl. manuſcripta p. 101. Alia exhibet Cave P. II. p. 306.

NICOLAVS EVMERICVS.

Catalaunus Gerundenſis, Ord. Præd. Inquiſitor Generalis per totam regis Aragoniæ ditionem ab Innocentio VI. P. R. 1356. ordinatus. Poſt Capellanus & ſummus cauſarum Judex a Gregor. XI. conſtitutus eſt. Obiit Gerundæ 1399. Scripſit *Directorium Inquiſitorum*, quod cum Comment. Fr. Pegnæ prodiit Venet. 1595. f. Romæ 1578. 1587. Barcinone antea excuſum 1503. Plura Manuſcripta vide apud Ambroſium de Altamura *Bibl. Præd.* p. 142. & Oudin. l. c. p. 667. ſeq. Conf. Wharton l. c. p. 32. Anton. Poſſevin *appar. S.* T. II. p. 149. Anton. Senens Luſitanum in *Bibl. Fratrum Prædicatorum.*

NICOLAVS.

Gallus, in Orcitanis natus, Carmelitarum VII. Prior generalis in Gallia, ſub Gregorio X. anno 1271. floruit, Autor Libri, cui titulus: *Ignea Sagitta*, vid. Lydius ad Clemang. f. 23. b.

NICOLAVS DE GORRAM.

Patria cognomine, Provinciæ Hartfordienſis in Anglia oppido, natus, circa ann. 1400. floruit. Erat Ord. Prædic. ſuique ordinis in

Gal-

Gallia Provincialis. Plura de eo diſceptent alii, prout operoſe effecit Labbeus T. II. p. 119. Scripſit *Comment. in IV. Evangel. excuſa* Colon. 1537. *Comment. in Acta Apoſtolorum & omnes Pauli Epiſtolas*, Hagenoæ 1502. Paris. 1521. f. *Comment. in Epiſtolas Canonicas* ſub Thomæ Wallenſis nomine ſæpius edita *Comment. in Apocalypſin. Sermones de Tempore & SS.* qui cum Comment. in Epiſt. Pauli prodierunt. Singula Gorrami Opera extulit Joh. Keerberg. Antwerp. 1617. & 1630. f. T. II. Manuſcriptos Gorrami labores vide apud Baleum, Pitſeum, Altamuram, Simlerum Bibl. Tigur. p. 519. De ipſo quoque conferas H. Wharton. l. c. p. 49. Poſſevin. *app.* S. Aub. Miræum l. c. Oudinum l. c. p. 661. Bellarminum & alios.

NICOLAUS.

Grammaticus dictus, ex Monacho Patriarcha Conſtantinopol. anno 1089. juxta Baronium factus, Vir mediocriter doctus, juxta ejusdem Baronii calculum, anno 1117. obiit. Scripſit *Decreta Synodalia II. de Nuptiis patrui avunculive*, quæ extant Jure Græc. Rom. Lib. III. p. 215. a Leunclavio edito. *Decretum de Præſtatione Canonicorum*, Lib. IV. p. 269. *Epiſt. Synodalis* p. 271. *Reſponſiones Synodicæ ad varias Quæſtiones* inter Theodori Balſamonis Opera, Paris. 1620. p. 227. Sed in fine mutilæ, prout ex Lambecio erudite obſervat Cl. Cave P. II. p. 203. qui *Carmen ejus de Jejuniis & Feſtis totius anni* it. *Reſponſa Eccleſiaſtica* ad Joh. Monachum Sinaitam, & alia manuſcripta ejus Opuſcula, ex eodem Lambecio memorat. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 114.

NICOLAUS HANAPUS.

Gente Gallus, a patria cognomine, Diœceſis Rhemenſis oppido, ita dictus, Ord. Dom. Monachus, Sedis Apoſtolicæ Pœnitentiarius, ob inſignem pietatis & prudentiæ laudem, Patriarcha Hieroſolymitanus a Martino P. R. & primus in Syria & Palæſtina fidei Cenſor, a Nicolao III. P. R. renunciatus eſt. Floruit 1270. Obiit Ptolomaide anno 1288. Scripſit *Biblia pauperum* cap. 134. ex univerſa SS. decerpta, Bonaventuræ falſo adſcripta, quæ primus edidit Michael Zinſerus, Riedlingenſis, Tubingæ 1533. poſt recuſa Venet. 1537. Paris. 1547. 8. Baſil. 1555. Dum hæc ſcribimus, reperimus inter Baſileenſis Bibl. Manuſcript. Theol. a Spizelio arc. Bibl. p. 22. communicata, Nicolai de Hanapis, Patriarchæ Conſtantinop. *Applicationes*

totius Bibliæ ad quamlibet materiam, aſſervari. Et omnino conjicimus, easdem illas cum ſupra dicto *Exemplorum Libro* ſive *Enchiridio*, a Zinſero luci publicæ datas. Conf. de Nicolao Cave P. I. p. 509. Aub. Miræus l. c. c. 448. p. 294. & qui illum adlegat, Oudinus, p. 556.

NICOLAVS HYDRVNTINVS.

a Patria dictus, anno 1201. clarus, Benedicti, Cardinalis, qui ab Innocentio III. P. R. ad reſtituendam inter latinam & græcam, Eccleſias, unionem, Conſtantinopolin miſſus fuerat, interpres fuit. Scripſit græce varios adverſus Latinos Tractatus, utpote *de Proceſſione SS. de Pane fermentato diſcipulis a Chriſto in cœna dato. De Jejunio Latinorum in Sabbato. Conjugio Sacerdotum*, & alia, quorum fragmenta exhibet L. Allatius de Conſenſu & libro adverſus Hottingerum locis a Caveo P. I. p. 487. citatis.

NICOLAVS.

S. Lamberti Leodienſis Canonicus, floruit 1120. Scripſit *Geſta S. Lamberti, Pontificis & Martyris.* Vide illa T. I. *Geſtorum Pontif. Tungr. Traj. & Leod.* Joh. Chapeavilli f. 371.

NICOLAVS DE LYRA.

Normanniæ, in Diœceſi Ebroicenſi, oppido, quo prognatus fuit, ita dictus. Non enim Brabantinus fuit, quod Druſius, aliique ajunt, a Valer. Andr. *Biblioth. belgica.* citati p. 690. neque Anglus, quod Trithemius, Baleus, cum aliis adſeruit, ſed uti dictum Lyra, Normanniæ vico ortus ſicut clare docet Epitaphium, ejusque inſcriptio laminæ æreæ inciſa, Pariſiis, ubi, poſtquam in magno conventu Fratrum ſuorum. Ord. minor per plurimos annos docuerat, anno 1340. d. 23. Octobr. vivendi finem fecit. Tale habet exordium,

Lyra brevis vicus Normanna in gente celebris
Prima mihi vitæ janua ſorsque fuit.

Vide ſi libet, integrum relatum ab Henr. Willoto *Athenis. Franciſc.* p. 283. ex parte vero ex Fr. Schweertii deliciis a Valerio Andrea l. c. qui etiam ſuppoſititium aliquod Epitaphium, quo Brabantinus traditur Lyranus. addit atque rejicit, & Labbeus p. 120. Ex Judæo ad Chriſtianam fidem converſus vulgo creditur. Verum nihil dicamus de ſilentio Abarbanelis, Pauli Burgenſis, Lutheri, ipſiusque Lyrani, aliorumque complurium, neque memorabimus Franciſci

Miſe-

Miſenenſis, Theodori Bibliandri, Davidis Chytræi, Rolfinckii, Richardi Simonis & cæterorum, de ortu ejus Judaico dubitationes, hoc ſaltem inculcabimus, neminem ante Sixtum Senenſem extitiſſe, qui ejus Judaismi fecerit mentionem. Imo hunc reticet Epitaphium & alia, quibus pro ſuus dimicat ſententia Michael Henr. Reinharda in *Pentac. Conatuum Sacrorum* Lipſiæ 1709. 8. edit. p. 158. ſeqq. Scripſit Lyranus *Poſtillas perpetuas ſive brevia Commentaria in Vniverſa S. Biblia* Lib. LXXXV. quæ poſt alias editiones Baſil. 1508. Lugd. 1529. VI. Volum. fol. emendatius, quam antea factum fuerat, anno 1590. Lugduni emiſerunt Fr. Feurardentius, Joh. Dadræus, & Jacob de Cuillii. Cæterum quot modis hoc Lyræ opus modo impugnatum, modo propugnatum & expolitum ſit, Calovius T. I. Bibl. Illuſtr. f. 9. edocuit. Et vel ex ſolo pretioſo *Bibliorum Gloſſatorum Duacenſium* Opere, anno 1617. edito & 1634. Antwerpiæ cura Leandr. Benedict. recuſo, abunde conſtat. Præter namque Strabi Fuld. *Gloſſam Ordinariam*, novis Patrum græc. & lat. Scholiis auctam, nec non Anshelmi Laudunenſis interlinearem, exhibentur iſthoc Nicolai Lyrani *Commentationes* una cum additionibus P. Burgenſis, qui anno 1430. cenſuras quasdam in Lyrannum ſcripſit, atque Matthæi Dœringi, Saxonis, replicis, quas 1440. pro Lyra adornaſſe traditur. Adde Joh. de la Haye *Biblia Maxima*, quibus in iterata equidem editione Paris. 1660. Nicolai de Lyra annotationes præfixit. *Poſtillæ majores ſive Enarrationes in Epiſtolas & Evangelia Dominicalia.* Venet. 1516. 1588. 8. *Tract. de idoneo miniſtrante & ſuſcipiente SS. Altaris Sacramentum*, qui cum Thomæ libello ejusdem argumenti prodiit. Diſput. *contra perfidiam Judæorum*, Venet. 1483. Tract. *contra Judæum quendam* Lugd. 1529. *Contemplatio de Vita & geſtis S. Franciſci.* Antwerp. 1623. 4. *Tractatus de Differentia* noſtræ translationis ab Hebr. litera in V. T. Rothomagi. *Præceptorium* verò Lutetiæ in ipſis Typographiæ primordiis prodiit. *Tract. de Animæ Clauſtro : De Viſione Divinæ Eſſentiæ ab animabus ſeparatis*, manuſcriptos memorat CL. Cave P. II. p. 274. *Probatio adventus Chriſti per SS. a Judæis receptas*, Francof. 8. *Humilis Confeſſio* poſt peractum ejus opus Biblicum, quam vide apud Waddingum *Bibl. Minor.* p. 265. & Baluzium. *Not. ad Vit. P. P.* Aven. T. I. c. 808. Alia exhibent Bellarminus, Baleus, Waddingus, quos conſulas. Hæc de Nicolao Lyrano qui *Doctoris plani & utilis* titulum olim obtinuit, teſte Willoto l. c. cui etiam debitam non derogavit

gavit laudem B. Lutherus, vide loca a Thoma Pope-Blountio *Cenſ. Celebr. Aut.* p. 424. ſeqq. adducta, atque inde Pontificiorum convitia reprime.

NICOLAVS.

Methonenſis Epiſcopus, Græcus atque Schiſmaticus, prout audit *Collect. Magn. Bibl. Patr. Colon. Ind. Chronol.* Exhibent illi, ſicut & Bignæus, Tract. ejus *de S. Euchariſtia*, ad eos, qui hæſitant, ajuntque conſecratum panem & Vinum non eſſe corpus & ſanguinem DN. noſtri J. C. vid. T. VI. *Bibl. Patr. Paris edit. 2.* f. 1146. Illi, ni fallimur, ad Sec. XII. ejus ætatem collocant. Hic vero, Bignæum puta, *Indic. Chronol.* ad XIV. refert. CL. Cave ad annum 1190. probabiliter eum reponit. Scripſit quoque *Tract. III. de Proceſſione SS.* quorum tamen vel tertium Juniori adjudicant alii. Alium Nicolai laborem ſuper addit Oudinus p. 468. *Diſcuſſionem Theologicæ inſtitutionis Procli, Platonici Philoſophi, ne quis probabilitate deceptus a fide deficiat.* Qui Codex Manuſcriptus in Bavarica Elect. Bibl. aſſervatur. Conf. de eo Ant. Poſſevin T. II. p. 152. *appar.* S. CL. Du Pin. l. c. p. 113.

NICOLAVS.

Eò, quod Secretioris Conſilii apud Conſtantinop. Senator erat, juxta nonnullos dictus *Myſticus*, circa annum 892. clarus, quo Patriarcha Conſtantinop. factus eſt. A Leone, cujus quartum improbaverat matrimonium, anno 903. in exilium miſſus, ex quo tamen poſt Leonis mortem ab Alexandro revocatus, ſedique reſtitutus eſt. Obiit anno 924. Extant *Epiſtolæ* II. *altera* ad Anaſtaſium P. R. *altera* ad Joh. X. Concil. T. IX. p. 1264. *Decretum de Literis Patriarchalibus gratis concedendis* græc. lat. *Jure Græc. Rom.* L. IV. p. 249. *Epiſtola* ad Simeonem Bulgariæ Principem græc. lat. apud Baronium ad ann. 917. atque *aliæ* V. ad Armenorum, Saracenorum, Longobardorum, & Amalphitanorum principes & ad Epiſcopos extra communionem exiſtentes, Lat. ibid. Hæc & alia tradit Cave P. I. p. 398.

NICOLAVS DE ORBELLIS.

Andegavenſis, Ord. minor. Provinciæ Turonenſis ſodalis, Theol. & Philoſophiæ Scholaſticæ in Pictavienſi Gymnaſio profeſſione nulli ſecundus, Scoti vindex acerrimus, claruit circa ann. 1455. teſtibus

Trithe-

Trithemio, *Illuſtr. Script. Eccleſ.* f. 146. H. Willoto *Athen. Franc.* p. 274. & Simler. Epit. Geſn. f. 518 H. Whartono *app.* Cav. p 94. Oudino p. 716. Ibidem quoque ejus Scripta enarrata videas. E quibus huc ſpectat *Compendium ſuper Sententiam P. Lombardi, ſecundum Doctrinam & elegantiora Joh. Scoti, Doctoris ſubtilis dicta, huc applicata concinnatum*, editumque Hagenoæ 1503. 4. Paris. 1511. 1517. 8. 1520. 8. *Sermones in omnes Epiſtolas Quadrageſimales, Lugduni 1491.* Conf. Luc. Wadding. *in Bibl. Ord. min.* f. 268 Antonius Poſſev. *appar. S.* T. II. p. 153. Boſius *de Signis Eccleſiæ* L. VI. cap. 4. poſt alios.

NICOLAVS OREM.

Gente Gallus, patria Normannus, Theologus Pariſienſis, Collegii Navarrici Majoris Magiſter, Caroli V. Galliæ Regis, cognomento Sapientis, Præceptor, ex Decano Epiſcopus Rothomagienſis, Scientiæ Theol. & profanæ in Schola Paris. ſua ætate, Coryphæus, uti eum depingunt Sammarth T. II. *Gall. Chriſt.* f. 650. Ejus opera uſus Carolus V. qui Gallicam S. Bibl. Verſionem curavit. Cui & aliis cum incumberet rebus, Epiſcopatum Lexovienſem præmii loco accepit. Obiit circa ann. 1384. Scripſit Nicolaus Tract. *de Mutatione Monetæ*, qui in Bibl. Patr. editionibus paſſim extat. Tract. *de Sphæra*, gallicè Paris. 1546. *Politica atque Ethica Ariſtot.* & alia ab eo in Gallicum translata, Lutet. 1486 1488. 1534. Et hic omnino eſt Nicolaus ille Orem, qui memorabilem admodum orationem anno 1364. in vigilia Feſti Nativ. quæ fuit quarta Dominica adventus, Avenione, coram Vrbano V. P. R. ejusque Cardinalibus, ſuper dicto Eſaiæ LVI. *Juxta eſt Salus mea* &c. habuit, illaque auditoribus ſuis, totique adeo Clero exitium de proximo imminens, conteſtatus, ſigna prædictionis ex illorum ſceleribus ingenue & acriter indicavit. Primus eandem ex Vetuſto Manuſcripto codice produxit Flacius, & *Catalogo Teſtium Veritatis* inſeruit. Poſt illum & alios Salomon Geſnerus, cum alia quadam Luciferi ad P. R. ex antiquitate profecta Epiſtola, a Flacio 1549. Magdeburgi primo edita, & Oremio quoque in veteri Codice adſcripta, Wittebergæ recudi fecit lat. 1604. & mox Germanice 1605. Quædam ex illa ſiſtit Lydius ad Clemang. p. 27. a.

NICOLAVS PLONIUS.

Aliis *Blonius*, Polonus, Doctor Decretorum, Capellanus &

Epiſcopus Poſnonienſis, anno 1434. clarus, *cujus Sermones de Tempore & de SS.* impreſſi, Argentinæ 1495. conſcripti ab eo anno 1438. uti videtur capi ex Sermone 11. circa 1 membri medium. Tract. *Sacerdotales de Sacramentis & divinis officiis.* Paris 1514. 4. *De Excommunicationibus: de Horis Canonicis dicendis: de Interdicto Eccleſiaſtico: de Irregularitate: de Sacramentis & eorum adminiſtratione: de Sacrificio Miſſæ.* Hi VI. Tract. excuſi ſunt Argent. 1593. & in *Tract. Tract.* Juris, Venet. 1584. T. XIV. ſeq. *Opus de Sacramentis & Cenſuris Eccleſ.* Paris. 1551. 8. Lugd. 1565. Paris. 1586.

NICOLAVS I. P. R.

Hujus nominis, patria Romanus, cognomento Magnus, præfuit Sedi ab anno 858. ad 867. calculo Labbei p. 122. & Cavei P. I. p. 387 qui plura de eo retulerunt. Photium odio habuit Nicolaus, eumque excommunicavit. Scripſit *Epiſtolas* complures, quæ in Concil. Tomis hinc inde repræſentantur. Seorſim vero prodierunt Romæ 1542. fol. Si cuipiam vacat, aut volupe eſt, legat, quæ de ejus autoritate Monarchica, Tyrannide, variisque pro augenda ſedis Romanæ potentia conatibus, graviſſime diſſeruit Zieglerus *Prælim. Jur. Canon.* p. 17. Conf. Dieterici *Brev. Pontif.* p. 157. ſeqq. & quid de Scriptis ejus obſervet Cl. Du Pin. T. VII. p. 81. 84. 85. & 179.

NICOLAVS II. P. R.

Gerardus antea appellatus, Burgundus, ex Epiſcopo Florentino, Pontifex conſecratus, anno 1059. Berengarium ad Palinodiam redegit atq; Conſtitutionem adverſus Conjugium & concubinatum Clericorum edidit. Obiit Florentiæ 1061. Habentur *Epiſtolæ* VIII. Concil. T. IX. p. 1091. de eo Cave P. I. p. 428. Du Pin. T. VIII. p. 27. ſeqq.

NICOLAVS IV. P. R.

Hieronymus antea dictus, Patria Picenus, domo Aſculinus, Monachus Franc., poſt Epiſcopus Præneſtinus & S. Sabinæ Presbyter Cardinalis. Anno demum 1288. Pontifex Rom. coronatus eſt. Fidem Chriſtianorum inter barbaros promovere allaboravit. Obiit Romæ 1292. Epitaphium, ejus inconcinno carmine ſcriptum, exhibet Wadding. ad ann. 1292. qui nobiliorem inſimul inſcriptionem eodem adduxit loco Scripſit *Conſtitutionem pro Benedictinis* Paris 1519. 8.

Epiſto-

Epiſtolas quam plurimas, quarum aliquot Bzovius & Waddingus, locis a Caveo adductis P. I. p. 517. ſiſtunt. *Comment. in aliquot Libros SS. in Magiſtrum Sententiarum Lib. IV. Sermones de Tempore: Conſtitutiones Eccleſiaſt. adverſus hæreticos*, & alia, exhibet Manuſcripta, Lud. Jacob. a S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 165.

NICOLAVS V. P. R.

Thomas Sarzanus antea dictus, patria Genuenſis, vel juxta Platinam, Lucenſis, Vir magni ingenii, multæque eruditionis, ab Eugenio in Germaniam miſſus, ut Schisma comperet. Hinc expeditionis ſatis proſperæ mercedem, Cardinalitiam dignitatem & Epiſcopatum Bononienſem tulit. Poſt 1449. Eugenio in Sede Romana ſucceſſit. Felicem Antipapam, Friderici Imper. ope a Sede depulit. Obiit ann. 1455. Vir litteratiſſimus, primusque litterarum in Italia reſtaurator atque Patronus maximus. Extant *Epiſtolæ VI.* & *Aviſamenta Oratoribus ſuis data, pro extingvendo Schismate.* Concil. T. XIII. p. 1321. *aliæ plures Epiſt.* apud Bzovium ad ann. 1447. Waddingus *in annal. min. T. V.* & alibi. Evolv. H. Wharton. l. c. p. 88.

NICOLAVS DE SCHONBERG.

Theodorici filius, Cardinalis, natus in Suevis Misnenſibus, ſicut loquitur Epitaphii inſcriptio, Romæ, ubi anno 1537. Obiit, in Templo Minervæ poſita. Vid. Schneideri *Chronicon Lipſ.* l. I. p. 8. ubi ejus Epitaphium extat & Mallinkrot *de Archi Cancell. S. R. J.* p. 159. Vitam illius deſcripſit plenius, qui Cardinalium omnium vitas & res geſtas T. V. proſequutus fuit, Antonius Auberius. Fuit autem Schonbergius ab Italis, *Nicolaus de Alemannia*, nuncupatus, Prædicatorum Ordinis Theologus, inde Archi-Epiſc. Capuanus, tandemque Cardinalis Presbyter Titulo S. Chriſti creatus, vir omnino, gente Zeloque illuſtris, Coram Julio II. P. R. totoque Cardinalium cœtu *Orationes V. de admiranda Chriſti cum Diabolo in deſerto pugna* ſolenniter, ſummaque cum laude, habuiſſe fertur, quas Joh. de Sleiniz, Canon. Miſnenſis dicti, Nicolai Conſobrinus, Lipſiæ anno 1511. typis exſcribi curavit. Recuſas edidit Adamus Rechenbergius Lipſ. 1684. Porro, cum juſſu Pauli III. P. R. qui unacum LXX. aliis Schonbergium purpuræ honore donarat, novem Cardinales & Epiſcopi ad deliberationem Reformationis Eccleſiæ Rom. cum in doctrina, tum in moribus,

 ſingu-

ſingulari er delectu eſſent, *libroque peculiari morbos ac nævos Eccleſiæ* dictæ conſcripſiſſent; hunc verò plurimi ſuppreſſum maluiſſent, Nicolai Schonbergii tamen opera & niſu ille emanavit, ſeorſim editus ſub hoc titulo: *Conſilium delectorum Cardinalium & aliorum Prælatorum de emendanda Eccleſia.* Vid. Thummius *de Reform. Luth.* f. 130. Dieter. *Brev. Pontif.* p. 380. & huic cit. Vergerius P. Venet. Conf. Wolffg. Mayer *de Vulneribus Eccleſ. Rom.* edit. Baſil. p. 89. Et hunc librum de cunctis Sacerdotum vitiis & morbis, vidiſſe ſe, magnamque ſpem melioris Eccleſ. rerum conditionis inde hauſiſſe, fatetur aperte, Joh. Geneſius Sepulveda, Cordubenſis, *Lib. de Correctione ann.* Venetiis editi 1546. Epiſt. dedicat ad Cardin. Caſparum Contarenum, qui non tantum interfuerat dictæ deliberationi, ſed Libellum cum aliis collegerat, ſuaque ſubſcriptione, primo loco facta, eundem muniebat. vid. Geneſium atque Dietericum l. c.

NICOLAVS SIMONIS.

Batavus Harlemenſis, Ord. Carmelitani in Cœnobio Harlem. Monachus, poſt in inferiori Germania Provincialis, atque Theologus ſuo tempore maximus, floruit ab anno 1495. ad ann. 1511. quo Harlemi obiit. Scripſit *Sermones de Tempore & SS. Repetitiones & Diſput. Venet.* 1497. Vnica harum ſeorſim prodierat Venet. 1487. *Comment. in Librum II. Decretalium Mediol.* 1505. 1510. *De Poteſtate Papæ, Imperatoris & Concilii Lib IV.* cum præced. opere prodierunt. Alia quam plurima ejus Opuſcula, hactenus inedita, exhibent Simlerus *Bibl. Tigur.* p. 525. Fr. Sweertius *Ath. Belg.* p. 582. Antonius Alegrius *Paradiſo Carmelit. Decor.* Sec. XVI. c. 350. Adde H. Wharton. p. 125. Voſſ. de *Hiſt. Lat.*. Lib. III. p. 639.

NICOLAVS.

Sveſſionenſis Monachus, anno 1120. clarus, ſcripſit ad Rohardum, Sveſſionenſis Eccleſiæ Decanum, *Vitam S. Godefridi, Ambrianenſis Epiſcopi,* qui anno 1118. obiit. Extat illa apud Surium T. VI. d. VIII. Novembr. De eo Du Pin. T. IX. p. 196. & Voſſius de H. L. L. II. p. 402.

NICOLAVS TRIVETHUS.

Anglus Norfolcienſis, S. Theol. D. Ord. Domin. ejusque Conventus Londin. Prior, floruit anno 1310. Obiit 1328. Scripta & laudes

ejus

ejus extollunt Baleus, Pitſeus, Alramura, Wharton, Oudin, Poſſevinus, Trithemius, Bellarminus; Aub. Miræus, Labbeus aliique innumeri. Vix unicum tamen atque alterum inter eſt in lucem publicam editum, ſcilicet *Comment. ſuper Auguſt. de Civitate Dei*, Baſileæ unà cum Comment. Thomæ Valois in idem de Civitate Dei opus. anno 1479. Tholoſæ 1488. Venet. 1489. *Chronicon Angliæ*, ab anno 1135. ad 1307. quod Lucas Dacherius extulit, *Spicil.* T. VIII. reliqua ejus opuſcula Manuſcript. videas apud autores modo citatos. Adde Sandium *in not. ad Voſſium* n. 199.

NICOLAVS TVDESCHVS.

Siculus Catanenſis, O. B Monachus, & S. Agathæ abbas, deinde Archi-Epiſcopus Panormitanus, Canonici Juris ea ætate princeps, Lucerna Juris vulgo dictus. Fr. Zabarella & Antonio Butrio, Præceptoribus uſus. Magnam in Concilio Baſileenſi ſibi famam paravit, atque Cardinalitiam dignitatem, virtutis præmium, a Felice V. accepit. Claruit ab anno 1428. ad an. circiter 1443. quo fertur peſte correptus obiiſſe. Scripſit *Comment. in V. Lib. decretalium*, Venet. 1492. Lugd. 1586. ibid. 1524. excuſa. *Comment. in Clementinas. Conſilia 117. Quæſt. ſubtiliſſimas, quæ cum Conſiliis Lugd.* 1584. 1586. prodierunt. *Repetitionem in caput, per tuas, de Arbitris. Practica: Theſaurum ſingularium in Jure Canon. Deciſionum: Tract. de ſuperioritate Concilii ſupra Papam*, qui omnino Nicolao debetur. Hæc omnia prodierunt Lugduni 1547. f. Vol. V. Venet. 1592. f. T. VIII. ibid. 1617. f. T. IX, Conſule Cl. Wharton. l. c. p. 71.

NICON.

Armenus circa an. 691. clarus, puer adhuc inſtitutum monaſticum diligenter excoluit. Mortuus poſt varias peragrationes an. 998. Res ejus geſtas conſignavit abbas quidam, quas in latinum tranſtulit Jacobus Sirmondus. Plurima ex illis transſcripſit Baronius, quem conſule. Scripſit Nicon *de Impia peſſimorum Armeniorum Religione* Tract. quem mutilum antea editum, ex codice integro gr. & lat. vulgavit, Jo. Cotelerius *not. ad Patr. Apoſt.* p. 152. Plura ſuppeditabit erudite obſervata, Cl. Cave P. II. p. 186.

NIERSES.

Ghelajenſis Armenus, Patriarcha Armeniæ anno 1166. factus, Vir

pacis concordiæque ſtudioſiſſimus. Cum Manuele, Græcorum Imperatore litterarum habuit commercium Nierſes, qui de quibusdam non ſatis caute dictis admonitus, mentem mutavit, concordiamque inter græcos & Armenos, quovis promovere modo allaboravit. Præmatura tamen morte abreptus, ſuccubuit 1173. *Colloquium ejus cum Theoriano, Manuelis Legato*, de utraque Chriſti natura, extat gr. lat. excuſum a Joh. Leunclav. Baſil. 1578. 8. recuſum in auct. Duceano Pariſ. 1624. T. I. p. 439. Hunc Dialogum tranſtulit in linguam Armenam & cum Leunclav. Verſione vulgavit, Galanus, *Conciliat. Eccleſ. Arm.* P. I. a. p. 242. ad 322. *Epiſtolaris fidei Profesſio ad Manuelem, Imper.* ex qua plura producit Galanus P. II. T. I. Qu. I. Sect. V. p. 136. *Liber Canticorum* Venetiis prodiit, quo utuntur adhuc Armeni. *Carmen Elegiacum*, quo Patriæ calamitates deplorat, cujus amplum ſpecimen armenice & lat. exhibet idem Galanus, P. I. c. 10. p. 94. Loquitur de Nierſe Guil. Cave P. II. p. 228.

NIERSES.

Armenus Lampronenſis, Oſciuni Armeniæ Principis filius, Epiſcopus, gente & pietate clarus, floruit anno 1175. Ob miram atque eximiam pietatem in Sanctorũ numerum relatus eſt. Interfuit Concilio Tarſenſi anno 1177. ubi præclaram *de Eccleſiæ Concordia orationem* habuit, quæ magnam partem Armen. & lat. apud Galanum l. c. P. I. c. 22. p. 326 extat. Vertit e græco in Armenum *Hiſtoriam Gregorii M. Dialogum* nempe, *de Vitis Patrum, & Regulam S. Benedicti.* Scripſit *Expoſitionem fidei*, ex qua quædam adducit Galanus P. II. T. I. Qu. III. §. 1. p. 101. Librum *de Traditionibus Patrum*, ex quo nonnulla profert idem Galanus T. II. Qu. 3. ſ. 7. p. 70. Qu. 9. §. 2. p. 198. Alia quoque opuſcula exaravit Nierſes, quibus teſte Caveo l. c. p. 229. Synodi Chalcedonenſis fidem viriliter propugnavit.

ERNOLDVS NIGELLVS.

Abbas, ſub Ludovico Imper. anno 834. clarus, a quo in exilium miſſus eſt. Vt autem ex eo revocaretur, ſcripſit *Lib. IV. de Geſtis Ludov. Imp.* carmine elegiaco, eoque ex ſententia Cl. Cavei P. II. p. 159. non plane ineleganti, qui in Bibl. Vindob. adſervantur. Prooemium, Principium & finem exhibuit Lambecius, *Comment.* Lib. II. c. 5. n. 25. p. 359. ſeq. 427. ſeq.

NIGELLVS DE WIRECKER.

Anglus, Eccleſiæ Cantuarienſis Præcentor & Monachus Ord. Bened. an. 1200. clarus, quem a multa lectione & acri judicio commendat Baleus *Cent. III.* c. 50. p. 645. Scripta ejus adhuc inedita memorant Baleus, & Pitſeus. Illud vero, quod Coloniæ 1499. 4. prodiit, *Brunellum*, ſive *Speculum ſtultorum*, carminice exaratum, inſcribitur. In hoc Cleri Papæi abuſus & ſcelera vehementer taxat, unde Teſtibus Veritatis annumerari meruit Flacio, Wolffio & aliis. Recuſum illud *Speculum* Francof. 1602. & Wolferbyti 1662. 8. quæ tamen editio ſubſtituit pro Nigello, *Vigellum*. De antiquioribus editionibus Jac. Thomaſ. *peculiari Diſſert. de hoc Nigello*, Lipſiæ habita §. 13. & §. 61. Vid. poſt Baleum, Pitſeum, Flacium, Hallervordium *Bibl. Curioſ.* p. 292. Henr. Oræum *Nomenclat. eccl. Doct.* p. 106. Lydii *Analect.* ad Clemang. f. 9. b. f. 25. a. Cl. Joh. Albert. Fabricium Bibl. Lat. Lib. I. p. 277.

NILVS CABASILAS.

Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, magnus latinorum hoſtis anno 1340. clarus, ſcripſit Lib. II. quorum alter *de cauſis diviſionum in Eccleſia*, alter *de Primatu Papæ* gr. prodierunt, Londini. 4. gr. lat. Baſil. 1544. 4. Francofurti 1555. 8. cum notis Salmaſii Hanov. 1608. 8. itemque cum Salmaſio, de Primatu Papæ, Lugd. Batav. 1645. 8. Scripſit Nilus quam plurima, Leoni Allatio *Diſſ. de Nilis* c. 14. p. 49. & Cl. Caveo p. II. p. 277. memorata, quæ inter Lib. XLIX. *de Proceſſione SS. adverſus latinos*, quibus tantam apud ſuos exiſtimationem obtinuit, ut in Synodo Conſtantinopolitana, cum Patres græci, quibus modis contra latinos diſputandum, deliberarent, Cabaſilæ opera diligentius uſurpanda eſſe, decreverint.

NILVS.

Monachus Conſtantinopolitanus, poſt Macarii Mortem anno 1378. Patriarcha factus, anno 1386. obiit. Scripſit *Orationem Supplicem ad Deum contra Barbarorum incurſionem, bellum inteſtinum, famam, peſtem & mortem ſubitam*, quam in lat. vertit Jo. Sambucus & edidit Patav. 1555. 4. gr. extat manuſcripta in Bibl. Vindob. teſte Caveo P. II. p. 287.

NILVS DAMYLA.

Italus, Hieromonachus Cretenſis, anno 1400. clarus, latinorum hoſtis acerrimus, compoſuit Opus *de ordine in Trinitate & de Proceſſione SS.* quod manuſcriptum in Vaticana Bibl habetur. Fragm. ejus adducit L. Allatius, idque gr. lat. Lib. *adverſus Hottinger.* c. 19. p. 441. *Collectanea* ad Maximum, Monachum, ex *Scriptura de Proceſſione SS.* Tract. II. *de Damaſo Papa & fide antiquæ Romæ: de Synodis duabus Photianis*, quorum fragmenta locis a Caveo adductis exhibet idem, Leo Allatius, quem conſule.

NILVS DOXOPATRA.

Eccleſiæ græcæ Archimandrita, anno 1043. floruit, atque ſcripſit, rogatus per litteras a Rogerio, Siciliæ Rege, Tract. *de Majorum Patriarcharum Sedibus*, ex quo ampliſſima produxit fragmenta Leo Allat. de *Concord. Eccleſ. Orient.* & *Occid.* L. I. Integrum vero librum gr. lat. excudi fecit Stephanus Moynius *Varior. Sacr.* T. I. p. 211. De eo Cave P. I. p. 422. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 111.

NILVS.

Metropolita Rodius, Latinis infenſiſſimus, Gregorii Palamæ Sectarius, circa annum, ut conjicit Cl. Wharton app. Cav. p. 33 1360. vixit. Scripſit *enarrationem Synopticam de SS & Oecumenicis Synodis IX*, *quæ* extat ad calcem *Nomocanonis Photiani* a Juſtello, Patre, editi Pariſ. 1615. 4. & a filio, *in Bibl. Juris Canon.* ibid. 1661. f. T. II. p. 1155. *Orationem in S. Matronam* gr. lat. Leo Allatius vulgavit.

NILVS.

Patria Conſtantinopolitanus, nobili genere ſatus, Conſtantinop. primo præfectus, dein Monachus & Presbyter, S. Joh. Chryſoſtomi diſcipulus, circa annum 440. floruit. Multa ſcripſit Opuſcula, quæ maximam partem collegit, atque gr. lat. edidit, Joſephus Maria Suareſius, Romæ 1673. Hæc ordine repræſentat Cave P. I. p. 241. ſeq. & alii Hoc ſaltem addimus, quod *Præceptiones Sententioſæ* ſeu *Capita Parænetica*, ſeorſim quoque prodierint, Lugd. Bat. apud Fr. Raphelengium, 1590. *Sententiæ vero Morales* e græco in lat. verſæ, juxta tenorem Codicis pervetuſti e græcia elapſi, editæque Argentorati, ex ædibus Schurerianis, a Bi-

a Bilibaldo Pircheimero, Norinbergenſi, interprete, hoc quidem elogio præfixo:

His paucis redolet, quicquid cecinere Prophetæ,
Et Lex, & quicquid Sacra Sophia docet.

Sed hæ ſententiæ, ab illis Paræneticis a Neandro, Grynæo, & aliis, editis, ordine non nunquam haud leviter, numeroque differunt. *Epiſtola* Nili num. 355. gr. lat. a Poſſino editæ Pariſ. 1657. 4. auctiores recuſæ ſunt, cura Leonis Allatii, Romæ 1668. f. quibus Differt. de Nilo affixit. *Sermones* autem, quorum fragmenta exhibet Photius Cod. 276. dubio procul interierunt. Epiſtolæ complures, a prioribus diverſæ memorantur in Actione IV. Synodi VII. ubi fragmenta reperies. *Liber adverſus Gentiles*, Nicephoro Hiſt. Eccl. L. 14. c. 54. memoratus non extat. *Tetraſticha ejus Parænetica, verſibus heroicis & elegiacis*, cum Anonymi Scholiis habentur in Bibl. Vindob. & alia ejus opuſcula manuſcripta, quorum cum impreſſis Nili Laboribus collationem neceſſariam commendat doct. Cave P. II. p. 86. Confer. ſi placet Cl. Du Pin. Bibl. Nouv. T. IV. p. 26. ſeqq. Voſſium L. II. de Hiſtor. Gr. p. 259.

NITHARDVS.

S. Angilberti, Palatini Regis Pipini, Abbatis S. Richarii & Berthæ Caroli M. filiæ, ex Hildegarde natæ, filius, relicto Seculo, vitæque genere militari, præfectus fuit abbas Monaſterii S. Richardi in Centulâ, juxta Sanmarth. T. IV. Gall. Chriſt. f. 786. Claruit 843. Obiiſſe fertur 853. Scripſit *Lib. IV. de diſſidiis Lotharii, Ludovicii, & Caroli fratrum, Ludovici Pii filiorum*, editos a Pithoeo anno 1588. 8. Pariſ. inter *Script. coætan.* Francof. 1594. 8. p. 433. *inter Script. Francicos* ab Andr. Ducheſnio T. II. p. 359. & in Collectione Script. rer. Germ. Jo. Schilteri Argentor. 1702. f. Plura de eo dabit Voſſius Lib. II. Hiſt. Lat. c. 34. & Cl. Cave P. I. p. 376. quos conferas.

NONNVS.

Ægyptius Panopolitanus, quem Sixt. Senenſis inter Græcos Chriſtianos Poetas Principem numerat, floruit circa ann. 410. Extat ejus *Paraphraſis S. Joh. Evangel.* quam varii interpretes ediderunt. Prodiit gr. Romæ 1508. Francof. 1541. gr. lat. Pariſ. 1578. 8. Heidelb. 1596. cum notis Nanſii Lugd. Bat. 1598. 8. Pariſ. 1623. gr. a Dan. Heinſio ibid. 1627. 8. gr. lat. in app. Bignean. Pariſ. 1624. f. *Collectio Hiſtoriarum* gr.

prodiit,Etonæ 1610. 4. cura Richardi Montacutii. Lat. edit. illam Jac. Billius,inter opera Nazianz. Pariſ. 1583. & 1609. T. II. Διονυσιακῶν *Lib.48.* ab eo adhuc gentili conſcripti, prodierunt cum lectionibus Falckenburgi & Canteri gr. Antwerp. 1569. 4, gr. lat. Hanov. 1605. 8. inter *Poetas Heroicos græcos* Genev. 1606. f. P. II. p. 307. cum notis Scaligeri & Cunæi Hanov. 1610. Hæc & alia de Nonno exhibet Cave P. I. p. 213. Stylus Nonni in quibusdam obſcurus videtur Borrichio *Diſſ. academ. de Poetis* p. 18. qui plura quoque profana, quæ gentiliſmum ſapiunt, non rarò obſervat. de Nonno agunt Poſſevin *app. S.* & *Bibl. Select.* Aub. Miræus. *auct.* Oudinus & ex antiquis, Suidas *in Lex.* aliique. Conf. Du Pin. l. c. p. 77.

NORBERTVS.

Natus eſt Xanthis Cliviæ oppido, Heriberti & Hadewigis filius, ex aula Friderici, Archi Epiſcopi Colonienſis, in Imperatoriam accitus, e qua in monaſterium Sigebergenſe tranſiit. Hic, poſtquam a Gelaſio P. R. prædicandi facultatem obtinuiſſet, Ordinem Præmonſtratenſium condidit. Poſt anno 1127. Archi Epiſcopus Magdeburgenſis conſecratus, Concilio Remenſi anno 1131. celebrato, interfuit. Obiit anno 1134. Magdeburgi. ætat. fere 52. Cæterum corporis Nortberti in Bohemiam translationem anno 1626. factam, atque in Narratione Pragenſi falſo adſertam, adverſus fratres Strahovienſes *peculiari Diſquiſitione* ſcrutatus eſt Cl. Barthol. Chriſt. Richardus, Bibl. Jenenſis, Fautor noſter æſtumatiſſimus, quæ Jenæ 1709. 4. prodiit. Quod ſuper eſt, Jo. Launoyus Pariſiis 1658. edidit *Inquiſitionem in Privilegia Ord. Præmonſtr.* cui *Reſponſionem* oppoſuit Norbertus Callieu. ibid. 1661. Conf. & Cornelius Polycarpus de Hertoghe *Relig. Can. Ord. Præmonſtr.* p. 288. ſeqq. Scripſit Norbertus *Sermonem exhortatorium ad fratres*, quem habes *Bibl. Patr.* T. XXI. p. 118. Ei quoque *tres libri Viſionum* tribuuntur ut & *diverſæ Homiliæ.* De eo præter cit. autores Aubertus Miræus in *Chronico Præmonſtratenſi a p. 14 - 91.* Huc facit *Diſſertatio Epiſtolica* cariſſimi fratris, Jo. Chriſtophori Olearii, ad Cl. Krauſium Hallenſem, *de Numis Norberti bracteatis*, Arnſtadii anno 1704. 4. excuſa. Compendium *Vitæ & Inſtituti S. Norberti* Guid. Bentivolo, Cardinalis Romæ 1632. 8. imprimi curavit, ut teſtatur Leo Allatius, *Apibus Vrbanis.* p. 76.

NOTKERVS.

Qui Sigeberto *Rogerus* ſcribitur, Germanus, Sueviæ Ducis filius,

lius, Epiſcopus Leodienſis anno 971. ordinatus, anno 1007. e vivis deceſſit. Scripſit *Hiſtoriam Epiſcoporum Leodicenſium*, quam cum aliis vulgavit Joh. Chapeaville Leodii 1612. *Vit. S. Landealdi, Eccleſiæ Romanæ Presbyteri*, apud Surium d. XIX. Mart. *Vit. S. Remacli Epiſcopi Trajectenſis, ad VVeinfridum abbatem.* ibid. d. III ſept. *de miraculis S. Remacli* Lib. II. ibid. qui tamen ad ſeniorem quendam Notkerum pertinent. *Vit. S. Hadalini*, apud Bollandum Febr. III. T. I. & Mabillon *Sec. Bened.* II. p. 1013.

NOTKERVS BALBVLVS.

S. Galli Monachus & Presbyter, qui à Trithemio, Sanmarthanis, Miræo & aliis male cum Leodienſi confunditur, atque teſte Cl. Caveo P. I. p. 411. Sec. IX. floruit, Scripſit *Martyrologium*, quod vide apud Caniſium T. VI. *Lect. antiq.* f 759. *Hymnos* etiam Notkeri hujus, Sequentiarum autoris, aliquot cum aliorum non paucis T. V. P. II. f. 715. idem exhibuit, & inter illos memorabilem quandam *Dilucidationem*, amico Lantberto a Notkero ſcriptam f. 739. qua explicare conatus fuit, pro inſigni, quam in Muſicis habuiſſe viſus fuit, peritia, *Literas Alphabeti integri, Antiphonis tunc ſuperſcriptas*, a Romano quodam Muſico, qui Petrus dictus, ab Adriano P. R. ad inſtantiam Caroli M. miſſo, ut Galliarum Eccleſias atque monachos in cantu aberrantes, ad primævum modum Gregorianum reduceret, ſicut refert Eckehardus, in *Vita Notkeri* c. 8. 9 apud Goldaſt. T. I. *Rerum Alemann.* f. 227. & Canis. T. VI. l. c. f. 933. Conf. quæ de diverſis Diſſonantiarum Gall. reformationibus ſive emendationibus diſſeruit Calviſius, Lib. de Initio & Progreſſu Muſicæ. Carol. du Fresne *Gloſſar.* T. I. f. 1. *Vitam quoque Caroli M.* a Notkero Sangallenſi ſcriptam, allegat, atque inde aliquem de *Organis Muſicis* locum adducit Barthius, ad Claud. Poet. f. 179. b. Cæterum obſerves, varios fuiſſe Notkeros, de quibus, cum eorum non extent ſcripta, hic non diſſerimus, ſed potius ad Jodoci Mentzleri Epiſt. ad Goldaſtum, quæ inter Goldaſti Epiſtolas, numero X. extat, Lectorem cupidum, remittimus. Pariter quoque Cl. Caveum commendamus, qui Metzlerum in compendio exhibuit. T. II. p. 187.

NOVATIANVS.

Stoicæ Sectæ Philoſophus, poſt Chriſtianus, Presbyter ac per varias artes Epiſcopus Rom. factus, circa an. 251. vixit. Vivis eum colo-

ribus depingit Cyprianus *Epiſt.* 67. ad Cornelium: *In perniciem fratrum lingva ſua perſtrepit, & facundiæ venenata jacula contorquet, magis durus Philoſophiæ ſecularis pravitate, quam Philoſophiæ Dominicæ lenitate pacificus, deſertor Eccleſiæ, miſericordiæ hoſtis, interfector pœnitentiæ, Doctor ſuperbiæ, veritatis corruptor, perditor Charitatis.* Ejus eſt error de lapſorum pœnitentia, nunquam in Eccleſia toleranda. Scripſit Novatianus *Epiſtolam ad Cyprianum*, quæ inter Cyprian. num. 30. habetur. *Lib. de Trinitate & Epiſtola de Cibis Judaicis* inter Tertulliani, cui adſcribebantur olim, Opera. *Lib. de Paſchate: de Sabbatho: de Sacerdote: de Oratione: de Animalibus mundis & immundis: de Inſtantia: de Attalo: de Circumciſione* & alia deperierunt. Extat inter Hieronymi Opera T. IV. *Lib de Vera circumciſione*, cujacis autem ſit ille, an Hieronymi, an Novatiani, nos plane fugit. Conf. Cl. Cav. P. I. p. 66. Arnold. *Hæreſiol.* & Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. I. p. 181. Hieronymus in Catalogo.

NOVATVS.

Non ille quidem famoſus hæreticus, qui anno 254. virus ſuum ſpargere cœpit, ſed Monachus quidam Catholicus, quem Seculo IV. vixiſſe tradit Margar. Bignæus, ejusque *homiliam de humilitate & Obedientia atque calcanda ſuperbia* edidit, T. II. Bibl Patr. Paris. 2. f. 446.

O.

ODDO.

S. Remigii apud Rhemos abbas anno, 1135. clarens. Anno 1136. ex Italia redux conſtruendæ Montis Dei Carthuſiæ fundamentum dedit. Scripſit Epiſt. *De miraculo quodam S. Thomæ Apoſtoli*, quam habet Mabillon *Analect.* T. I. p. 334. Conf. Cl. Du Pin. T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 196.

ODILBERTVS.

Sive *Odelbertus*, cognomento *Craſſus*, Mediolanenſis Archi-Epiſcopus ann. 804. creatus, Bernhardum, in Italia Regem, coronavit, obiit 814. Jubente Carolo M. anno 811. ſcripſit Librum *de Sacramento Baptiſmi & ejus Ceremoniis.* Hic manuſcriptus extat in Bibl. Augienſi, & ſpecimen ejusdem cum Epiſtola Caroli M apud Mabillon *Analect.* T. IV. p. 317. De eo Ferd. Ughellus *Ital. S.* T. IV. p. 106. *Ca-*

pitula.

pitularia Regum Francorum Steph. Baluz. Cave P. II. p. 158. Du Pin. T. VII. p. 158.

ODILO.

De Mercorio, vetuſta in Arvernis proſapia genitus, ordinatus anno 994. Abbas Cluniacenſis, S. Majolo, Præceptori defuncto, ſuffectus, ſicut etiam docent verſus, de quinque memorandis Abbatibus Cluniacenſibus, quos è Chronico Alberici produxerunt Sanmarth. T. IV. f. 277.

Ordine *Berno* prius, ſtat honore beatior *Odo*,
Surgit ab his Sanctus *Majolus* fama Virorum,
Igneus ardentem vix cohibens animum.
Poſt fuit Arverius *Odilo* miſſus ab oris,
Mitior ingenio, quam ferus imperio.
Primus *Hugo* veniis diſcretis uſus Habenis,
Ordine poſterior, utilitate prior.

Primus feſti omnium animarum autor, Odilo traditur, juxta P. *Damianum*, in ejus Vita. Conf. autorem *Apiarii Rom. Phil. Marnixium Sanctaldegondium* p. 2. c. 8. Propter Virtutes, inſignem comprimis erga Pauperes liberalitatem, *Archangelus Monachorum*, audit Alberico & Fulberto Carnotenſi. Obiit autem anno 1048. calculo gallis per ea tempora uſitato, & relato Sanmarth. l. c. Labb. p. 127. Caveo P. I. p. 414. qui plura de ejus geſtis conſignavit. Scripſit *S. Majoli*, prædeceſſoris ſui, *Vitam*, quæ habetur apud Surium XI. Maj. *Hymnos* IV. de eodem. *Epiſtolas ad Fulbertum*: *Vitam Adelheidis*, Lotharii primum, Italiæ Regis, dein Othonis M. Imper. Conjugis, anno 999. defunctæ, evulgatam quoque T. V. H. Caniſii P. II. p. 395. & ſub finem *Annal. Heremi Helvet.* Chriſtoph. Hartmanni Ord. Ben. it. *de ejusdem miraculis*: *de Feſtis Domini*, *B. Virginis ac Script. Sermon. XIV.* unde Sermonem de Nativ. Salvatoris, cum aliis ejusdem argumenti, ſeorſim exhibuit Daumius, & *Statutum de defunctis*. Edita extant hæc Odilonis Opuſcula anno 1614. in *Bibl. Cluniacenſi*, ſtudio Martini Marrier, & Andr. Duchesnii, inde relata in *Bibl. Patr.* T. XVII. p. 653. *Epiſtolas aliquot.* vid. apud Dacherium *Spicileg.* T. II. De eo poſt cit. aut. evolv. Vincent. Barralium *Chron. Lerin.* P. I. f. 39. II. f. 151. qui Odilonem, Lerinenſis quoque monaſterii gubernacula anno 997. gubernaſſe, ſcribit. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 49.

ODILO.

Gallus S. Medardi apud Sueſſionenſes Monachus, anno 930. clarus, ſcripſit Lib. *de translatione reliquarum S. Sebaſtiani Martyris & S. Gregorii M. Papæ in ſuum S. Medardi Monaſterium, anno 626.* factæ, eundemque *Ingranno*, Decano Medardenſi, inſcripſit. Extat ille anonymus *apud* Bolland. d. XX. Jan. integer *apud* Mabillon. *Sæc. Ben.* IV. P. I. p. 383. *Hiſtoriam de Translatione SS. Tiburtii, Marcellini ſeqq. Petri & Sociorum*, in idem S. Medardi Cœnobium anno 828. factam, quæ reperitur. *Sec. IV. Bened.* T. I. p. 411. De eo dixit Cave P. II. p. 183. Oudin. p. 301. *Suppl. de Script. Eccleſ.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 52.

ODO.

Aſtenſis, Ord. Bened. Monachus, Autor *expoſitionis in Pſalmos per contemplationem, ad Brunonem Signienſem Epiſcopum*, circa ann. 1120. florentem, exaratæ. Habetur illa appendicis vice T. II. Opp. *Brunonis Aſtenſis, Epiſcopi Sign.* edit. Venet. 1651. De quo ſupra ſuo loco. Conf. Labb. T. I. *Diſſ.* p. 213. Du Pin. T. IX. p. 159.

ODO.

Qui & *Odoardus*, Aurelianenſis Scholaſticus, primus abbas S. Martini Tornacenſis, poſtea Epiſcopus Cameracenſis, anno 1105. inde Aquiscinctum relegatus, ubi & 1113. exul, obiit. De eo Molanus *in natal. SS. Belg.* Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 704. Sanmarth. T. I. f. 237. Labbeus T. II. p. 128. Cave P. I. p. 445. Du Pin. T. IX. p. 180. aliique. Opera ejus Trithemius recenſet atque Bellarminus, *Lib. Script Eccleſ.* edit. Paris. 1617. exinde in *Bibl. Patr.* transſcripta T. XXI. *De Myſterio Dominicæ incarnationis; Dialogus contra Leonem Judæum; de Peccato Originis: de Blaſphemia in SS. de Villico iniquitatis; Collationum Lib. &c. Expoſitio in Canonem Miſſæ*, quæ ſeorſim prodiit cum Fr. Titelmanni libro, ejusdem argumenti, Antwerp. 1530.

ODO.

Anglus Cantianus, Cœnobii Cantuarienſis Prior, Ord. Bened. & juxta Pitſeum *de Script. Angl.* p. 226. Monaſterii de Bello abbas. claruit anno 1160. Scripſit *Epiſt. ad Adamum Igniacenſem, quendam fratrem Novitium*, quam vid. *apud* Mabillon *Anal.* T. I. p. 349. Blaſphemam illam

lam judicat Cave P. I. p. 471. eò quod Benedicto illa adſcribat, quæ Chriſto ſoli juxta Scripturæ ductum, competant. Conf. Du Pin. T. IX p. 187.

ODO.

Cluniacenſis vulgo dictus. Hic ex Francorum nobilibus oriundus, Remigii, Antisſiodorenſis Monachi, auditor, è Canonico & Archi-Cantore S. Martini Turonenſis Monachus, atque poſtea Abbas II. Cluniacenſis, Bernonis Succeſſor, porro tertius Aureliaci, inde XVIII. Floriacenſis Cœnobii abbas, tandemque abbatiæ quoque S. Juliani præfectus, ſicut colligimus ex illis, quæ diverſis locis de eo habent Sanmarthani T. IV. f. 117. 275. 406. & 546. Mortuus traditur Sigeberto anno 937. Labbeo vero 942. Silv. Marulo ann. 943. Sanmarth. anno 944. Vitam ejus ſcripſit *Johannes*, Diſcipulus, quam quære *apud* Surium d. XIIX. Novembris. Scripſit Odo *Vitam Geraldi, Comitis Aurel. Lib. IV.* Tract. *de Reverſione S. Martini Turonenſis à Burgundia.* Tract. *quod B. Martinus par dicitur Apoſtolis*, quæ tria Opuſcula, unacum Salviano, prodierunt, Paris. 1511. *Sermones IV. Collationum Lib. III. Antiphonæ XII. de S. Martino Verſus & Hymni*, quæ omnia edidit Andr. Du Chesne in *Bibl. Cluniac. Paris.* 1614. p. 65. *Moralium in Job. Lib. XXXV.* ex Gregorii Moralibus excerpti, Pariſiis, cura Martini Marrier 1617. 8. Omnia hæc Odonis Opuſcula continet T. XVII. *Bibl. Patr.* p. 252. ſeq. *Chronicon Succinctum*, idque manuſcriptum aliaque Odonis Opuſcula, quæ quidem interierunt, vid. ap. Cavium l. c. Du Pin. T. VIII. p. 49.

ODO DE DIOGILO.

Vel Deuil, primus abbas S Cornelii Compendienſis, poſt abbas S. Dionyſii in Francia, anno 1152. factus, ſcripſit *de Profectione Ludovici VII. Regis Francorum in Orientem*, quod extat in Opere Chiffletii, anno 1660. 4. Divione vulgato, cui titulus: *S. Bernhardi Claravallenſis abbatis Genus illuſtre aſſertum.* Floruit Odo ad ann. 1168. quo obiit, ut teſtantur Sanmarth. *Gall. Chriſt.* T. IV. & qui ex illis transſcripſit, Oudinus Suppl. p. 429.

ODO.

Gallus, Monachus & poſtea Glannafolienſis atque Foſſatenſis anno 868. abbas, autor Libri *de Miraculis S. Mauri*, apud Mabillon.

billon. *Sec. Bened.* IV. P. II. p. 165. extantis, memoratus Sanmarthanis l. c. f. 627. Caveo P. II. p. 164. De alio quodam Foſſatenſi Odone, Monacho, noſtroque multo recentiore, Conf. Voſſ. H. L. l. 3. c. 6. pag. 768.

ODO RIGALDVS.

Ordinis Seraphici Fratr. minor., poſt Theol. Magiſter atque Orator parum vehemens, demum conſecratus Archi Epiſcopus Rothomagenſis ab Innocentio IV. P. R. anno 1247. Obiit 1275. Scripſit *Regulam vivendi*, apud Petrum Rudolphum, in Hiſt. Seraphica. *Comment. in IV. Libros Moſis: in Pſalmos & Evangelia*, quæ in manuſcript. adhuc latent. De eo Sanmarth. T. I. p. 581. Oudin. p. 540. ſeq. l. c.

ODO SOLIACENSIS.

Antiquæ Proſapiæ, Philippi Auguſti Franciæ & Henr. II. Angliæ, Regum, conſanguineus, juxta Petrum Bleſenſem ad Epiſcopem Pariſienſem evectus, anno 1197. anno vero 1208. extinctus, annotantibus Sanmarth. T. I. f. 439. *Ejus conſtitutiones & Præcepta Synodalia* de VII. Sacramentis, eo ſcilicet Seculo confictis, videas T. VI. *Bibl. PP. Paris. edit. 2.* f. 629.

ODO.

Canonicus Regularis S. Auguſtini, claruit circa ann. 1160. & ſcripſit *Literas VII. de Officiis Canonicorum Regularium*, quas exhibet Lucas Dacherius *Spicil. Patr.* T. II, Evolv. Du Pin. T. IX. p. 186.

ODORANNVS.

Monachus S. Petri Vivi Senonenſis, Ord. Ben. ſcripſit *Chronicon rerum in orbe geſtarum* ab anno 675. ad ann. 1032. qui floruit. Extat illud in *Collect. Franc. Script.* anno 1636. Pariſiis ab Andr. Du Chesne edito. De eo Cl. Du Pin. T. VIII. p. 108.

ODORICVS.

De Portunaono, quod oppidum in Foro Julii, Italus, Ord. min. anno 1320. clarus, anno 1331. Vtini deceſſit. Scripſit poſt peragratam majorem Aſiæ partem, *Itinerarium de mirabilibus Orientalium Tartarorum*, quod exhibet Bollandus, cum Odorici vita T. I. ad d. XIV.

XIV. Jan. Verum, illius autorem, vix fuiſſe credit Baluzius, Odoricum, *not. ad Vit. Pap. Avenion.* T. I. p. 141. ſeq. Vide ſi placet, quid Cl. Cave de illo moneat P. II. p. 274. Reliqua *Odorici* Scripta exhibet Simlerus atque Poſſevinus, eademque, *Sermones atque Epiſtolas.* Evolv. Luc. Waddingum *in Bibl. Ord. min.* p. 270.

OECVMENIVS.

Scriptor Græcus, cujus ætas ad ann. 800. vel 900. imò & 1000. rejicitur. Opera ei adſcripta prodierunt græc. Veronæ 1561. Lat. Venet. 1556. 8. græc. lat. Paris. 1631. f. duobus diviſa Tomis, cum Aretæ Cæſareenſis in Apocalypſin Explanationibus edita, extant, interprete *Joh. Hentenio*, emendatore vero & prælectore illius editionis *Federico Morello.* Habentur in iſta, recenſente Labbeo, p. 133. & Caveo P. I. p. 414. *Enarrationes in acta Apoſt. Comment. in Epiſt. S. Pauli*, præmiſſa enarratione de D. Pauli peregrinatione & Euthalii Diaconi Prologo; *Comment. in Epiſt. S. Jacobi, aliasque Canonicas.* Commentationem iſtarum catenas e Chryſoſtomo, aliisque P. P. confecit. vid. Labb. l. c. p. 132. & Meelfuhrer. *Centur PP.* p. 221. ubi & de Theoduli Cæleſyriæ Presbyteri Catena in Epiſt. ad Rom. maximam Partem ex Oecumenio hauſta, quam vide T. I. *Bibl. Patr. Paris.* edit. 2. f. 1157.

OGERIVS.

Abbas de Lucedio Ord. Ciſterc. in Sabaudia circa annum 1150. clarus, ſcripſit Opus inſigne Sermon. XV. *de Cœna Domini*, quod absque autoris nomine inter *Bernardi Opera* habetur, Prologus incipit: *Paſchalibus dapibus ſatiati.* Hæc ſcribit Oudinus l. c. p. 419. Conf. Du Pin. T. IX. p. 91.

ERICVS OLAI.

Svecus, Theol. D. Vpſalienſis, & Eccleſiæ Metropolitanæ ibidem Decanus, anno 1464. clarus, ſcripſit *Hiſtoriam Svecicam & Gothicam*, Libris VI. ab Erico Rege ad Caroli Canuti tempora, quæ prodiit cura & notis Meſſenii, Holmiæ. 1615. 4. cura Joh. Loccenii inter alias Sveciæ antiquitates, Vpſaliæ, 1654. 8. & in Svecicum Sermonem translata 1678. Conf. Joh. Scheffer. *in Svecia Litterata* p. 14. ſeq. & Joh. Mollerus *in Hypomnem. Hiſt. Crit.* pag. 358.

OLAVS M.

Lincopenſis, Præpoſitus Stregnenſis, Joh. Fratris in exilio Comes atque Secretarius, atque Succeſſor a Paulo III. P. R. anno 1544. in Archi-Epiſcopatu quidem deſignatus, nunquam tamen eundem obtinuit, Concilio tamen Tridentino interfuit. Scripſit Lib. *de Gentibus Septentrionalibus*, Antwerp. 1558. Francof. 1618. 8. lat. German. extant ex Verſione Iſraelis Achatii. Argent. 1567. 8. Joh. Baptiſtæ Fuckleri, Baſil. 1567. f. Anglice Londini 1658. Belg. Amſtelod. 1665. 8. *Epitome* prodiit cura Corn. Scribonii Graphei, Antwerp. 1562. 8. 1586. 16. Ambergæ 1599. 8. Lugd-Bat. 1652. 12. Judicia de hoc libro pro utraque collegit ſententia Cl. Mollerus l. c. p. 369. ſeq. *Tabula Terrarum Septentr.* prodiit, Venet. 1539. Conf. de illa Simler. *Bibl.* p. 531. *Epitome Revelationum Birgittæ*, Romæ vulgata eſt, teſte Joh. Meſſenio, *in Chron. Epiſcop. Svec.* p. 44. Conf. Schefferus, *Svecia Litterata* pag. 26.

OLBERTVS.

Belga, Monachus Lobienſis, poſt abbas Gemblacenſis, vel juxta nonnullos primus S. Jacobi abbas Leodicenſis, anno 1010. clarens, ſcripſit juſſu Reginerii, Hannoniæ Comitis, *Vitam S. Veroni Confeſſoris*, quæ cum Scholiis *Georg. Galopini* prodiit, 1636. Montibus. Plures SS. Vitas Olbertum ſcripſiſſe, Bucelinus *in Germania S.* fidem facit. Quod Olbertus noſter cum Alberto Monacho Lobienſi atque ábbate Gemblacenſi, idem extiterit, clarè nos docet Voſſius de H. L. l. 2. c. 41. p. 352. c. 44. p. 369. Conf. præter hunc, Cave P. II. p. 197. & Cl. Du Pin. T. VIII. p. 52

OLIVERIVS.

Scholaſticus Colonienſis, Vir pietate atque facundia inſignis, à Pontif. R. ad crucem prædicandam, in Brabantiam, Flandriam, Friſiamque miſſus, ſcripſit *Epiſtolam de Expugnatione Damiatæ ad S. Engelberium, Colon. Archi Epiſcopum*, quam T. I. *Geſtorum Dei per Francos*, Jac. Bongarſius exhibuit. Conf. Du Pin. T. IX. p. 193.

OLIVERIVS MAILLARDVS.

Armoricus, aliis Pariſienſis, Ord. min. Provincialis atque Vicarius Generalis; Pariſienſis Theologus atque Concionator, anno

1494.

1494. clarus, Toloſæ an. 1502. ad cœleſtia tranſiit. Scripſit *Contemplationem in Salutationem angelicam*, Paris. 1507. edit. *Quadrigeſimalia II. Sermones de adventu, Pariſiis 1506. Sermones de Tempore* Lugd. 1498. 4. *Sermones de SS. & communi SS.* Lugd. 1507. Argent. 1514. *De Peccati Stipendio & gratiæ præmio.* Quæ omnia Lugduni cum *pulcherrimis Juris Quæſtionibus* 1499. prodierunt, & Argentinæ apud Joh. Parvum recuſa ſunt. Conf. de Scriptis H. Wharton. *in app. Cav.* p. 124. Simler. *epit.* f. 531. b. & de ipſo Oliverio H. Willot. *Athen. Franc.* p. 288.

OLYMPIODORVS.

Ex Philoſopho Peripatetico, ſicut quidam referunt, Monachus græcus, vel juxta alios Conſtantinop. Diaconus, a nonnullis ad Eccleſiam Alexandrinam relatus, vid. Labb. p. 133. ſeq. Hujus quoque ætas æque ut Oecumenii, incerta eſt. Cave tamen P.I. p. 414 illum ad ann. 490. reponit. Scripſit *Comment. in Eccleſiaſten*, qui extat gr. lat. in auct. Patrum Duceano T. II. p. 602. Lat. 1511. 4. Baſil. 1536. 1551. & in Bibl. PP. T. XVIII. *Comment. in Jobum.* Lat. Venet. 1587. 4. græc. lat. Londini, 1637. fol. *Comment. in Threnos Jeremiæ*, qui impreſſus Romæ cum Origenis Comment. 1598. 4. Vide de Scriptis Olympiodori Caveum l. c. Labb. l. c. atque Simlerum. Fuit etiam alius *Olympiodorus Thebæus*, iſto antiquior, cujus quædam Excerpta ab anno 407. ad 425. a Photio ſervata, Cod. 80. Tomo. vero I. *Hiſt. Byzant.* a ſe editæ, notisque illuſtratæ, memorat Labbeus l. c. p. 134. Imo ſi P. Comitolo credimus, Olympiodorus Diaconus *Catenna in Jobum* concinnator, plane diverſus eſt ab Olympiodoro Monacho, genere græco, e Peripateticorum Schola, non ignobili autore *Comment. in Ariſtot. Meteora*, quos reliquiſſe & *Eccleſiaſten* quoque ſuccincte enucleaſſe dicitur. Vid. Comitolus *Præf. ad Lect. præmiſſa Olympiodori Catenæ in Jobum*

OLYMPIVS.

Natione Hiſpanus, Epiſcopus, ſcripſit *Librum fidei adverſus eos, qui naturam & non arbitrium in culpam vocant, oſtendens non creatione, ſed in obedientia inſertum naturæ natum*, prout refert Gennadius de Scriptor. c. XXIII. Fragmentum ex Sermone quodam Eccleſiaſtico de Pec. Orig. adducit Auguſtinus Lib. I. *contra Julianum.* Cœterum antiquior paulo videtur Cl. Cypriano, quam a Caveo ad ann. 430. collocatus, quem proinde in *notis ad Gennad.* p. 100. evolvas.

OPTATVS.

Afer, Milevitanæ Eccleſiæ in Numidia Epiſcopus, ſub Valentiniano & Valente, Imperatoribus, circa annum 368. florens, ſurgentis Donatiſtarum Sectæ refutator doctiſſimus. vid. Baron. ad ann. 368. Scriptor acutus, quamlibet ſimplex, Barthio *Claud. Mammert.* p. 413. pius, elegans, ſummus argumentandi artifex. vid. *Adverſ.* l. 29. c. 16. Ejus *ad Parmenianum Epiſcopum, Donati Succeſſorem, libros,* quorum VI. tantum Hieronymo, VII. vero aliis numerantur. vid. apud doctisſ. Cav. P. I. p. 131. ſeq. Eosdem cum obſervationibus & notis Gabrielis Albaspinæi, Carolus Paulinus Aurelianenſis, edidit. Paris. 1631. fol. & eodem anno Londini cum notis Caſauboni. 8. prodierunt Pariſienſis iſtius edit. ordinem Labbeus ſiſtit p. 137. de Londinenſi vero adeas Riveti Crit. l. 3. c. 5. De aliis edit. conf. Simler. Bellarm. & alios. Adde, quæ Pariſiis 1679. fol. cura Philippi Priorii excuſa eſt, editionem, quam inſigniter commendat Cave l. c. Librorum contenta exhibet Cl. Du Pin. T. II. p. 109. ſeqq. Hic ipſe Du Pin. nuperrime *VII. Optati Libros* Pariſiis excudi fecit 1700. fol. quos prolixe enarrant Cl. Act. Erud. editores. ann. 1701. menſe majo.

ORDERICVS VITALIS.

Angligena, Ord. Bened. Monachus, Uticenſis ſive S. Ebrulfi in Normannia, anno 1140 clarus, ſcripſit *Hiſtoriam Eccleſiaſticam*, *Collectioni Hiſtor. Normann. Paris.* cura Andr. Du Cheſne 1619. editæ, inſertam p. 324. vid. eundem *in prolegom.* de Orderico & Cl. Du Pin. T. IX. p. 189.

ORESIVS.

Oreſii, cujusdam abbatis, *libellum de VI. cogitationibus Sanctorum,* Henricus Caniſius e manuſcript. Codice Melch. Goldaſti lat. edidit T. V. *antiq. lect.* p. 950. Sed quando vixerit, dicere noluit, imo nec divinare.

ORIENTIVS.

Hiſpanus Tarraconenſis, Epiſcopus Eliberitanus anno 516. clarus, ſcripſit *Commonitorium fidelium metro heroico,* ut mulceat legentem ſvavi breviloquio, uti habet Sigebertus Catal. c. 34. Edidit illud Mart. Delrio, cum notis Antwerp. 1600. recuſum Salmant. 1644. 4. & exinde in Bibl. Patr. relatum T. VIII. p. 875. Prodiit quoque

cura

cura Andreæ Rivini emendatum, & Scholiis quibusdam enarratum, Lipſiæ, 1651. 8. & in *Collectione nova Veterum Scriptorum & Monumentorum*, quam Edmundus Martene Paris. 1700. 4. vulgavit. Agunt de eo Cave, P. I. p. 278. Aub. Miræus *Schol.* ad c. 9. Gennadii *de Script. Eccleſ.* Anton. Poſſevinus *app. S.* qui tamen illum multo antiquiorem, absque prævia ratione, facit. Conf. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. p. 38. *Memoires de Trevoux* T. I. p. 20. T. II. p. 112. ubi variæ ejusdem editionis correctiones, reperiuntur. Adde Act. Erud. ann. 1701. p. 154.

ORIESIS.

Ægyptius abbas ſivê Monachus Theodori & Pacomii, celeberrimorum Sec. IV. Abbatum, æqualis aut collega; ſicut e Gennadio c. 9. & Honorio Auguſtod. refert Labb. p. 138. Scripſit, teſte Gennadio, Libr. *divino conditum ſale, totiusque Monaſticæ diſciplinæ inſtrumentis conſtructum, in quo totum pene V. & N. T. compendioſis diſſertationibus juxta Monachorum duntaxat neceſſitatem inventum fuerit expoſitum*, ſed illud jam pridem periit. Extant adhuc *Orieſis Regulæ de Inſtitutis Monaſticis* Bibl. Patr. T. IV. p. 92. ad calcem *Proſperi de Vita contemplativa*, Colon. 1536. 8. & in *Collect. Regularum Holſteniana.* Floruit juxta Cav. P. I. p. 112. anno 344. Confer. Du Pin. T. II. *Bibl. Nouv.* p. 68.

ORIGENES.

Clementis Alexandrini non tantum, ſed & Ammonii, auditor, ſub Alexandro Severo usque ad Gallum & Voluſianum Imperatores, florens, ordinatus anno 218. Presbyter, anno verò 254. ætatis 69. denatus. *Adamantius* dictus, ob animum plus quam adamantinum; utpote, quem nec vitæ auſteritas, nec perpetui labores (ultra ſena millia namque librorum ſcripſiſſe fertur Epiphanio,) nec dura paupertas, nec æmulorum improbitas, nec ſuppliciorum terror, a ſancto inſtituto vel tantillum dimovere potuit, (quanquam Epiphanius hæreſi LXIV. n. 2. Lapſum ejus vel ſolus teſtari voluerit, quem ideò poſt alios confutat Arnoldus, *Hæreſiol.* T. I. p. 94.) ſicut loquitur Erasmus; vita Origenis, ejus Operum T. I. editionis Baſileenſis, 1571. præfixa, qui addit, nomen hoc ei non tantùm a moribus, ut aliis, inditum, ſed ab ipſo vitæ exortu & providentia divina in præſagium futurorum, datum. De ejus Vitæ ortu & progreſſu, Scriptis item, genuinis & ſuppoſititiis, ſervatis & deperditis, deque illius radiis & deli-

deliquiis, veterum atque recentiorum teſtimonia & Judicia, alia bona, alia rigida, quædam etiam media, ſi legere juvat? evolve, quæ prolixe congeſſerunt, Thomas Pope-Blount in *Cenſura Celebr. autorum*, p. 197. ſeq. & Cl. Petrus Daniel Huetius, *in Vita Origenis, Operibus Origenis*, de quibus modo dicendum, præmiſſa. Et in compendio Natalis Alexander, *in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus*, Sect. III. P. I. p. 100. art. 12. & cap. 4. art. 2. p. 132. Nimis verum eſt illud Caſſiodori: *Ubi bene Origenes, nemo melius: ubi male, nemo pejus.* Utinam Senior & honoratior non dediſſet maculam in gloriam ſuam! Nihilominus tamen apologias pro Origene non pauci conſcripſerunt. Præprimis autem Petrus Halloix, Jeſuita, in *Origene defenſo*, Leodii 1648. edito, & Innocentio X. nuncupato, fuſiſſime illum tutari auſus, quanquam exiguâ ſuorum gratiâ, vide Labb. p. 140. Ita Petrus Cunæus quoque Origenis errores palliare tentavit Lib. III. *de Rep. Hebr. c. 3.* p. 398. & Jacobus Merlinus, in *Apologia pro Origene.* Joh. Horbius *in Hiſtoria Origenianismi* multa quoque notatu digna adduxit. Aſt dogmata Origenis cum Philoſophia Platonica rigide comparavit, atque perſtrinxit, Paganinus Gaudentius, Theologus & JCtus Piſanus, cujus Liber prodiit Florentiæ, 1639. 4. Summam graviſſimorum Origenis errorum ſiſtit Cl. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 56. qui cauſas eorum varias ex prolixis aliorum ſcriptis ſummatim quoque recenſet. Opera Origenis aliquoties edita extant. Prodierunt autem Pariſiis 1512. 1522. 1530. 1536. Baſileæ 1536. auctiora vero ibidem 1545. 1571. Paris. 1574. 1604. 1619. *Singula ejus in Sacras Scripturas Commentaria,* quæcunque græce reperiri potuerunt, Petrus Daniel Huetius, græca ex antiquis codicibus manuſcriptis primus maxima ex parte in lucem edidit, quæ jam extabant, varias editiones inter ſe contulit; Latinas interpretationes partim a ſe, partim ab aliis elaboratas, græcis adjunxit, univerſa notis & animadverſionibus illuſtravit. Rothomagi 1668. Pariſiis 1679. f. T. II. & Colon. recuſum 1685. f. Ibidem præfixit *Origeniana*, Tripartitum Opus, quo Origenis narratur Vita, doctrina excutitur, ſcripta recenſentur. Seorſim vero prodierunt, *Protrepticus ad Martyrium*, cum notis Wetſtenii, Baſil. 1674. 4. *Epiſtola ad Julium Africanum de Hiſtoria Suſannæ*, gr. lat. cum præcedenti opuſculo, & jam ante Aug. Vindel. 1602. 4. *Contra Celſum Lib. VIII.* græc, lat. Aug. Vindel, Hœſchelius edidit. 1605. 4. & cum

cum notis doctiſſimis, Spencerus, Contabrigiæ 1658. 4. *De Oratione* Liber, diverſus ab illo, quem Morellius, ſub Origenis nomine, Pariſiis, 1601. extulit, excuſus eſt Oxonii, 1686. 12. Recuſus a Wetſtenio Amſtelod. 1695. 4. *Philocalia*, ſive de obſcuris Scripturæ locis a Baſilio M. & Gregorio Naz. ex Origenis Comment. excerpta, græce & lat. prodiit, Pariſiis, 1618. 4. cum Joh. Tarini notis. Cum *Commentariis Baſilii M. & Gregorii Naz.* Lutetiis, 1624. & cum *Libro de Oratione*, ab Oxonienſibus excuſo. *Dialogum contra Marcionitas*, edidit Wetſtenius Baſil. 1674. 4. Agunt de Origene poſt citatos autores omnes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores, quibus Buddeum, Baylium, aliosque Viros Clariſſimos adjungas.

PAVLVS OROSIVS.

Hiſpanus, Tarraconenſis Presbyter, circa ann. 416. clarus, ad Auguſtinum ab Eutropio & Paulo, Epiſcopis, anno 413. miſſus, ut illi Priſcillianiſtarum & Origenis errores in Hiſpaniam propullulare, denunciaret. Hieronymum quoque adire juſſus eſt, ut mentem ejus de animarum origine, exquireret. Pelagio maſcule obſtitit, ejusdemque errores rejecit. Criminis quidem blasphemiæ apud Joh. Hieroſol. accuſatus, illud tamen *Apologetico contra Pelagianos, de arbitrii Libertate*, diluit, quæ prodiit Lovanii, 1558. & ad calcem Hiſtor. Colon. 1572. Pariſ. 1639. & in Bibl. Patrum T. VI. p. 448 Hunc Librum interpolatum eſſe ad oculum monſtrat, Cave P. I. p. 217. *Libr. VII. Hiſtor. adverſus Paganos ab O. C.* ad annum 416. quod opus *Hormeſta Oroſii*, paſſim audit, atque Auguſtini hortatu conſcriptum, adverſus infamatores Chriſtiani nominis, qui dicebant defectum Romanæ Reipubl. à Chriſti Doctrina profectum. Paſſim illud prodiit Coloniæ & Pariſiis, ordine a Caveo obſervato. Celebratur autem editio Mogunt. 1615. cum notis Latii & Schotte. *Conſultatio Oroſii ad S. Auguſtinum de errore Priſcillianiſtarum & Origeniſtarum* præfixa eſt *Auguſtini Libro adverſus Priſcillianiſtas.* De eo Labb. p. 174. T. II. Voſſius l. 2. H. L. c. 14. Andr. Schott. *Bibl. Hiſp.* T. II. f. 206. Du Pin. l. c. T. III. p. 156. Bayle *Dict. Hiſt. & Critiqu.*

OSBERNVS.

Anglus, Cantuarienſis Præcentor & monachus, Lanfranco Archi-Epiſcopo Cantuar. percharus, anno 1070. clarus de quo Wilhelmus

mus Malmeſburienſis in Lib. de Regibus Angl. cap. 8. ubi de Dunſtano: *Plura & non contemnenda de Viro volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus, qui ejus vitam Romana eloquentia compoſuit, nulli noſtro tempore ſtylo ſecundus, Muſica certe omniũ ſine controverſia primus*, & Bolland. T. IV. p. 659. Extat *Dunſtani Vita* Lib II. apud Mabillon Sec. V. p. 654. Scripſit præterea *Vitam S. Odonis.* ibid. p. 287. Vitam S. Elphegi in compendio apud Surium d. XIX. April. integram Bolland. eodem die T. II. *Vitam S. Bregvvini: Vitam S. Odonis Lib. I. Dunſtani Lib. I. Vit. S. Elphegi* videas apud Cl. Wharton. T. II. p. 73. *Angl.* S. qui tamen Vitam S Bregwini Eadmero, genuino autori, reſtituit. Plura te monebit Cave P. II. p. 201. Poſſevin. *app. S.* Baleus, Pitſeus, atque Oudin. p. 323. qui Osbernum noſtrum cum ſequenti Osberto confundere, vetat, quem tamen eundem cum noſtro eſſe, nonnulli contendunt.

OSBERTVS.

Anglus, Cantuarienſis Monachus, anno 1120. clarus, ſcripſit *De Vita & Miraculis S. Dunſtani Lib. II.* apud Surium d. XVI. Maj. Fragmenta exhibet Mabillon *Sec. Ben. V.* p. 701. Vid. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 107.

OTHELGRIMVS.

Monachus Werthinenſis, Socius S. Liudgeri, Monaſterienſis Epiſcopi, qui mortuus eſt anno 809. Scripſit ejusdem *Vitam Lib. II.* quam edidit Browerius in *Syderibus ſuis Germaniæ.* Mabillon *Sec. IV.* T. I. p. 15. Bolland. d. 26. Martii. Plura de hoc opuſculo litigat Oudinus *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 255.

OSMVNDVS.

Epiſcopus Aſturienſis, anno 1059. clarens, ſcripſit ad Idam, Comitiſſam, Euſtachii Comitis Bononienſis uxorem, templum in B. Virginis honorem extruentem, *Epiſtolam de Capillis B. Mariæ,* quam exhibet Mabillon. Anal. T. I. p. 287.

OTHLONVS.

Fuldenſis Monachus, circa ann 1101. clarus, cujus nomen tunc primo inventum adſerit H. Caniſius, cum ederet, eique aſſereret *Lib. II. de Vita S. Bonifacii Martyris,* Germanorum Apoſtoli, Archi-

Archi-Epiſc. Moguntini T. IV. *Lect. Antiq.* p. 2. f. 391. Extat quoque apud Surium d. V. Junii. Mabillon. *Sec. Ben. III P. 2.* p. 28. Nota, quæ Cave contra Browerum, hoc opuſculum Othlono abjudicantem, afferat, P. II. p. 218. Atque, quid Oudinus, p. 353. roboris ſuæ addat ſententiæ, qua Othlonum, Fuldenſem extitiſſe Monachum inficiatur, eundemque S. Bonifacii Socium fuiſſe exiſtimat. Conf. Voſſ. *de Hiſt. Lat.* l. 2. c. 41. Du Pin. T. VIII. p. 110.

OTHMARVS LVSCINIVS.

Argentinus, Juris Pontif. D. & Autor *Allegoriarum Plectrorum & Scruporum Pſalterii Davidici,* edit. Auguſtæ 1524. 8. eodem tempore floruit. Idem *Haymonis Comment. in Epiſt. Pauli* editionem Argentinenſem anno 1519. *Epiſtola* quadam ad Sixtum Hermanni Parochum D. Thomæ, nobilitavit.

OTHO de S. BLASIO.

A Monaſterio S. Blaſii Ord. Bened. in Diœceſi Conſtantienſi ita dictus, natione Germanus, complevit *Chronicon Ottonis Friſingenſis* usque ad ſua tempora 1190. quod cum Ottone Friſing. extat in *Collect. rerum Germ.* Chriſt. Urſtiſii cura publicata, Francof. 1585. fol. typis Wæchelianis, ibid. recuſa 1670. f. Conf. Anton. *Poſſev. app.* S. T. II. p. 204. Alia quædam elucubravit Otho, prout ex Joh. Heroldi *Epiſt.* ad Caſparem, primum S. Blaſii abbatem, ſcripta, pateſcit. Pervenit ad manus noſtras liber hoc titulo: *Ottonis a S. Blaſio Chronica prima.* Libri ſeries omnes S. Hiſtoriæ Genealogias, ad Timotheum Titumque, Pauli Diſcipulos usque, figuris pulchre diſtinguit. Opus ſane & elegans & non contemnendum. Exordium ejus ſic ſonat: *Conſiderans Hiſtoriæ S. prolixitatem, nec non & difficultatem.*

OTTFRIDVS.

Cœnobii Wizanburgenſis in Alſatia, nunc ad Spirenſem Epiſcopatum ſub Præpoſituræ titulo pertinentis, Ord. Bened. Monachus, anno circiter 900. ut Cl. Lambecius T. II. *Bibl. Vindob.* p. 416. egregie monſtravit. Scripſit eo tempore, quo Franci primo nomen Chriſto dederunt, *Evangeliorum Librum,* Francico, h. e. Theotiſco rythmo, adeoque primus fuit, qui perdifficilem Germanorum Sermonem literis tractare aggreſſus eſt. Librum iſtum, quem

inſignem, egregiumque antiquitatis theſaurum prædicat Rhenanus, *Rerum German.* L. 2. f. 112. ab ipſo tempore Comitiorum Auguſtanorum Friſingæ in turri, inventus fuit. Joh. Iſaac. Pontanus rarum quoque librum vocat *Orig. Franc.* p. 582. & cum non ſit in omnium manibus, nonnulla inde exſcribit, quædam etiam explicat. Conf. p. 578. 588. Eundem & quidem manuſcript. Mœno-Francof. an. 1658. cum ibi circa Aug. Imper. Leopoldi Electionis tempus degerem, in Bibl. publica mihi oſtenſum, recordor. Nunc vero typis impreſſum exemplar teneo, evulgatum Baſileæ 1571. 8. cura Matth. Flacii, Illyrici, ejusque Præf. & Indice illuſtratum. Sed & *Marquardi Freheri* emendationes an. 1631. Wormatiæ ſuper illum editas eſſe, non ignoro. Extat & in Bibl. Vindobonenſi, ex quo Codice lacunam non exiguam explevit paulo ante laudatus Lambecius. Pleniorem operam promittit Vir egregie eruditus, Diedericus von Stade, in *Specimine Lectionum antiquarum Francicarum ex Otfridi libris Evangeliorum*, Stadæ, 1708. 4. edito, quæ, ut propediem edatur, avide expectamus. Promiſerat jam ante Vir de Litteratura Francorum meritiſſimus, Schilterus, hunc librum rariſſimum, eumque ex manuſcript. Codice Viennenſi a Cl. Joh. Philippo Schmidio, Argentoratenſi, deſcriptum, vulgare, quod morte quidem præpeditus, inſtitutum vix adimplevit. Exhibuit tamen Schilterus Dedicationem Ottfridi ad Regem Ludovicum Germanicum, cum interpretatione latina. Colloquium vero Chriſti cum Samaritana, antea a Lambecio editum, recudi fecit Cl. Joh. Phil. Palthenius, ad calcem *Harmoniæ Evangel. Tatiani*, Gryphiæ, anno 1706. 4.

OTTO.

Illuſtris heroum ſanguine Scriptor, utpote qui Parente Leopoldo, Marchione Auſtriæ, matre Agnete Henr. IV. filia, quæ Friderico Sveviæ Duci nupta prius fuerat, prognatus, nepos autem Henrici V. Imper. ex Sorore, & Conradi præterea III. Cæſaris, Sveviæque Ducis Friderici, uterinus frater extitit. Ordinem Ciſtertienſem ingreſſus, abbas Morimundenſis, in Lingonienſi Diœceſi monaſterii, creatus, in quo, poſtquam Friſingenſi Bavariæ Epiſcopatu a Conrado III. Imper. donatus eſſet, fatis etiam conceſſit, an. 1159. ſicut pluribus docet ejus continuator *Radevicus*, Trithemius item, Voſſius

l.2. H. L. c.53. Labbeus p.149. & Chryſoſtomus Henriquez *faſcic. Ciſtert.* huc citatus a Sanmarth. T. 4. f. 674. Claruit *Lib. VIII. Chronicorum*, ab O. C. ad ſua usque tempora diductorum & *de geſtis Frid. I. Imper. Lib. II.* Extant illi Argent. 1515. Baſil. 1569. & auctiores in *Hiſt. German.* Vrſtiſii, Francof. 1585. & 1670. T. I. p. 1. Scripſit *Hiſtoriam Auſtriacam*, quam quidem manuſcript. penes ſe habuit, Wolffgangus Lazius, ut Cave P. I. p. 465. teſtatur, quæ tamen nunquam evulgata eſt. Conf. de eo Cl. Du Pin. T. IX. p. 189.

OTTO.

Aroſienſis Epiſcopus ab anno 1487. factus, in carcerem Holmienſem, anno 1521. a Chriſtierni II. Vicario conjectus, e vivis exceſſit. Publicavit anno 1504. 8. Aroſiæ, *Breviarum ſecundum ritum almæ Eccleſiæ Aroſienſis.* De quo Hallervord *in Bibl. Cur.* Scheffer. atque Mollerus l. c. p. 369.

P.

PACHOMIVS.

THebaide in Ægypto ortus, ex Gentili milite factus Monachus, dein Tabennenſium in Ægypto abbas & auctor, anno 340. clarus, circa ann. 350. vel 360. obiit. Ejus Vitam deſcripſit Simeon Metaphraſtes, quam exhibet Surius ad d. XIV. Maj. *Regula Monachorum* ſupereſt, quam æneæ tabulæ inſcriptam, ab Angelo accepiſſe fertur, Pachomius. Extat illa *T. IV. Bibl. Patr. Colon.* & poſt *Caſſiani Operum* plerasque editiones. Vide quid circa eam moneat Cave P. I. p. 113. Eadem, ſed brevior, habetur apud Palladium in *Hiſtor. Lauſiaca* edit. Meurſii f. 89. 189. Nonnulla ejusdem *Monita Spiritualia* latinè edidit Gerh. Voſſius, *append. ad Opera Gregorii Thaumaturgi.* Mogunt. 1606. 4. Extant quoque in *Bibl. Patr.* l. c. *Epiſtolas V. ad Monachos* ſcriptas enumerat Gennadius *de Script.* c. VII. quæ tamen deperierunt. Conf. Elias Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. II. p. 68.

PACIANVS.

Hiſpanus, in Pyrenæi Jugis Barcilonæ Epiſcopus, caſtitate & eloquentia, tam vita, quam ſermone clarus, elogio Hieronymi & Freculphi. Claruit circa ann. 370. Filium, Flav. Dextrum, ex legitimo thoro ante Epiſcopatum accepit. Obiit ſub Theodoſio, circa ann. 389. Extant ejus *Epiſtolæ III. contra Novatianos, Parænet. ad Pœnitentiam*, & *Libell. de Baptiſmo ad Catechumenos*. Paris. edit. a Tilio 1538. 4. a Paulo Manutio, Romæ 1564. fol. & *in Bibl. Patr.* T. IV. p. 305. 315. *Exhortationem ad Pœnit.* vide quoque poſt *Claud. Mamertum*, *Hermaque Paſtorem*, Barthii, p. 233. *Cervulus* Liber, quem ſcripſit, deperiit. Conf. de eo Cave P. I. p. 132. Hieronymus *de Script. Eccleſ. c. 106.* Colomeſius *in Paralipomenis de Scriptoribus Eccleſ.* quæ nuper ex edit. Joh. Alb. Fabricii 1709. 4. cum reliquis *Colomeſii Opuſcula*, Hamburgi, prodierunt. Vid. p. 705. ſeq. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. II. p. 101.

PACIFICVS.

Ord. min. frater, quem Novarienſem vocant Poſſevinus & Waddingus, eique tribuunt *Summam Caſuum Conſcientiæ*, ab eo *Pacificam* dictam, atque a Fr. Tarviſino, Carmelita, Italice redditam, Venetiisque anno 1574. & 1580 editam. Bellarminus ad ann. 1480. eum collocat, & Cl. Wharton *app. Cav.* p. 106. An ſit ille idem *Pacificus Minorita* Picens, H. Willoto *Athen. Franciſc.* p. 289. memoratus, Franciæ primus Provincialis, ab ipſo Franciſco deſignatus, in pangendis verſibus adeo felix, ut *Rex Verſuum* nuncuparetur? Non liquet. Ejus namque nec ætatem nec Scripta tetigit Willotus.

PALLADIVS.

Galata, Helenopoleos primum in Cappadocia, tum Aſponitanus Epiſcopus, Evagrii Pontici diſcipulus, Ruffini æqualis, circa ann. 401. claruit. Vide quæ de ejus Vita prolixe tradit Cl. Cave P. I. p. 204. Palladio tribuitur *Hiſtoria Lauſiaca*, quam poſt multas editiones latinas gr. extulit Joh. Meurſius, Lugd. Bat. 1616. 4. græc. lat. extat cum notis Fronto-Ducæi in *Auct.* 1624. T. II. p. 893. Supplementum vide apud Coteletium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. II. p. 341. & Fragmenta XI. T. III. p. 117. 158. Manuſcript. Codicem aſſervavit olim Cl. Voſſius editis duplo auctiorem. *Dialogus* it. *de Vita S. Joh. Chryſoſtomi inter Palladium, Epiſcop. Helenop. & Theodorum Eccleſ. Rom. Diaconum.*

Vide

Vide, quæ circa hujus Dialogi autorem diſceptent alii, apud Cl. Caveum l. c. Prodiit Lat. ex Verſione Ambroſii Camaldulenſis Venet. 1533. 8. & cum Chryſoſtomi Operibus, paſſim. Græce vero per Emericum Bigotium, Paris. 1680. 4. *De Gentibus Indiæ & Brachmanibus Liber*, quem edidit græc. lat. Edoardus Biſſæus, Londini 1665. 4. Hunc pariter fœtum, neque Palladio firmiter adjudicari poſſe, exiſtimamus. Vid. eruditiſſimam Cavei animadverſionem. P. II. p. 82. contentam. Cæterum Meurſius præfatione ad Lectorem, *Hiſt. Lauſiaca*, ſcripſerat, in Bibliotheca ſua eſſe ejusdem Palladii διήγησιν περὶ τῶν καθ' Αἴγυπτον διαλαμψάντων ἁγίων πατέρων, cujus quoque communicationem promiſerat. An præſtiterit, prorſus nos latet. Neque Valerius Andreæ, quando *Bibl. Belg.* p. 536. & ſeq. Meurſii Scriptorum Syllabum exhibet, iſtius Opellæ meminit. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. III. p. 92.

PAMPHILVS.

Abydorum Epiſcopus, anno 484. juxta Cl. Caveum P. I. p. 262. clarus, ſcripſit *Epiſtolam ad Petrum Fullonem, adverſus Clauſulam Triſagio additam*, quam habes græc. lat. *Concil. T. IV.* p. 1117.

PAMPHILVS.

Ortu Phœnicius, anno 294. clarus, Pierii Alexandrini diſcipulus, ipſe tandem Presbyter Cæſareæ conſtitutus, Vir æque munificentiſſimus atque S. Litterarum Cultor ſtrenuus, qui magnam librorum copiam Cæſareæ comparavit, Martyr factus anno 309. Deſcripſit Pamphilus ex Origenis Hexaplis, *Verſionem LXX.* atque in Eccleſias Palæſtinæ, hinc *Palæſtinam* dictam, introduxit. Extat manuſcripta penes Claramontanos Patres, teſte Huetio *Origen.* l. 3. c. 2. §. 4. Scripſit quoque, dum in carcere includeretur. *Libr. V. Apologeticos* pro Origene, quibus VI. addidit Euſebius, poſt ejus interitum. Primus eorum Latine factus a Ruffino, extat inter Origenis & Hieronymi Opera. Reliquorum verò fragmenta videas apud Photium Cod. 118. Conf. Cl. Cave P. I. p. 76. qui illorum, qui Pamphilum nihil unquam ſcripſiſſe autumant, ſententiam confutat. Adde Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. I. p. 200.

PANADORVS.

Ægyptius Monachus, Aniani Synchronus, circa an. 401. floruit ſub Arcadio Imperatore. Scripſit teſte Syncello, *Chronographiam*, cujus fragmenta, ex eodem Syncello, ampliſſima exhibet Scaliger, *in animadverſionibus Euſebianis*. De eo Cave P. I. p. 202.

PANDVLPHVS.

Piſanus, Cardinalis, anno 1184. clarus, exaravit *Vitam Gelaſii II. P. R.* quæ cum notis Conſtantini Cajetani prodiit, Romæ, 1638. 4 Scripſiſſe quoque fertur *additiones ad Chronica Damaſi Papæ*, prout obſervat Cl. Cave P. II. p. 232. & Caſim. Oudin. p. 377. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 196.

PANTALEON.

Magnæ quondam Eccleſiæ Dei Diaconus, prout ſemet vocat, *Sermone de Luminibus S.* Salvatore puta ejusque Præcurſore, qui habetur gr. & lat. *inter Orthodoxogr. SS. Patr. græc. Grynæi* f. 396. & in auct. Combefiſii, quod Pariſ. 1648. f. prodiit. Lat. tantum T. II. *Bibl. Patr. Pariſ. edit.* 2. f. 1165. Idem cum alio quodam *Sermone in Exaltationem S. Crucis* extat, T. VII. *Bibl. Colon.* & apud Gretſer. *de Cruce* T. II. col. 1233. *Orationes II. in Domini transfigurationem glorioſam* gr. lat. apud Combefiſiũ *Auct. Nov.* T. I. col. 1579. quarum tamen poſtremam Pantaleoni abjudicat. *Laudatio S. Michaelis, Archangeli*, apud Lipomannum, & Surium, aliosque. Tract. *de Proceſſione SS.* adverſus græcorum errores, lat. in *Bibl. Patr. edit. Lugd.* 1677. T. XXVII. & apud Petrum Stevartium *auctar.* 1616, 4. Ingolſtadii vulgato p. 535. Cæterum cum Caveo *Diſp. I.* poſt P. II. p. 15. & Oudino p. 529. Combefiſii amplectimur ſententiam, qui noſtrum Pantaleonem Diaconum, cum Pantaleone Presbytero pro uno eodemque agnoſcunt. Ætatem ejus quod attinet, Bignæus ad VII. Sec. eum retulit, ad annum verò 850. Coccius. Oudinus eum reponit ad annum 1252. Grynæus & Cl. Cave l. c. ingenue ſcripſerunt: non liquet.

PAPHNVTIVS.

Ortu forſan Ægyptius, Anachoreta, circa annum 370. floruit, cujus Vitam prolixe deſcribit Palladius, *Hiſt. Lauſiaca*, cap. 62. ſeqq. Scripſit *Vitam S. Onyphrii, Anachoretæ celeberrimi & aliorum eius temporis*

Patrum

Patrum Eremitarum, quam vide apud Surium d. XII. Jun. & Rosweydum, de *Vitis Patrum*. Lib. I p. 99. Manuſcriptum græcum adſervatur in *Bibl. Vindob.* Conf. Cl. Cave P. II. p. 45. qui illam a Simeone Metaphraſte interpolatam eſſe, ſuſpicatur.

PAPIAS.

Aſianus, Epiſcopus Hieropolitanus, S. Joh. Auditor, Polycarpi familiaris, teſte Irenæo, & Euſebio, cujus elogio vir erat *imprimis diſertus ac eruditus & Scripturarum* peritus, Lib. III. c. 38. Quod autem Euſebius illum alio loco, fuiſſe mediocri admodum ingenio, adſerat, ad myſticos quosdam Scripturæ Sacræ ſenſus reſtringendum videtur. De Chiliaſmo, quem fovit, aliisque ejus erroribus, Conf. Gerhard. *Chiliaſmo deſtructo*. p. 184. 306. ſeq. Auguſtus Pfeiffer. *Antichiliaſm.* p. 104. ſeq. Martyrem ipſum facit Steph. Gobarus, apud Photium, Cod. 232. qui ſub M. Aurelio, Pergami, fuerit paſſus. Scripſit Papias *Lib. V. Explanationum Oraculorum Dominicorum*, quorum ſaltem fragmenta, *de Millenio, de Matthæo & Marco, apud Irenæum*, L. 5. c. 33. Euſebium l. 3. c. 39. Andream Cæſareenſem *Comment. in Apocal. Serm.* 12. & apud Oecumenium *in cap. 27. Matthæi* extant. Cæterum obſerves, minus probabile nobis videri illud Du Pinii adſertum, quo Libros V. Papiæ, Trithemii adhuc tempore ſuperfuiſſe, fruſtra fuit perſuaſus. Solide hanc litem diremit, Vir de antiquitatibus meritiſſimus, Guil. Cave P. II. p. 15. Conf. quoque eundem Du Pin. *Bibl. Nouvelle*, T. I. p. 53. Arnoldum *Hæreſiolog.* P. I. p. 45. quem tamen cum judicio legas.

PARATVS.

Scripſit Sermones *de Tempore & Scriptura Sacra*, Argent. 1487. Hagen. 1510. 4. Conf. Simler. f. 541. a.

PARDVLVS.

Abbas Dervenſis, ex Vice Domino Eccleſiæ Remenſis, Laudunenſis Epiſcopus, circa ann. 847. factus, anno 848. Synodo Cariſiacenſi 849. Pariſiacenſi. 852. Vermerienſi 853. Sveſſionenſi & Vermerienſi II. interfuit. Obiit poſthæc anno 856. *Epiſtola ejus ad Hincmarum Remenſem* ſcripta, extat inter *Hincmari opera*, T. II. p. 838. de eo Cave P. I. p. 379.

PASCHA.

PASCHALIS. P. R. I.

Ortu Romanus, Eccleſiæ Rom. Presbyter, S. Stephani abbas, & anno 817. P. R. conſtitutus, Iconoduliæ Patronus, & propugnator, anno 814. ad plures tranſiit. Scripſit *Epiſtolas III. Concil.* T. VII. pag. 1502. & 1869. contentas. Vid. Cave P. I. p. 365. Lud. Jacob. à S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 168. ſeq. Baronius *annal.* T. IX. Joh. a Boſco in *Bibl. Floriac.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 177.

PASCHALIS II. P. R.

Rainerius vel *Ragingerius* antea dictus, natione Tuſcus, Bledâ, Flaminiæ oppido oriundus, Presbyter & Cardinalis, titulo S. Clementis, a Gregorio factus, abbas item SS. Laurentii & Stephani, Vrbano anno 1099. in Sede Romana ſuccesſit. Res, quas habuit cum Henrico Imperatore, ejusque perfidiam & Superbiam, exacte deſcribit Cl. Cave P. I. p. 440. Obiit anno 1118. *Epiſt.* CVII. & *fragmenta* plura decretorum vid. *Concil.* T. X. p. 622. *Epiſt.* VI. apud Baluz. *Miſcellan.* T. II. *Epiſtol.* ad Norigandum Epiſcop. Auguſtodunenſem, apud eundem in *append. ad Reginonem* p. 651. Conf. Lud. Jacob. a S. Carolo l. c. p. 169. Du Pin. *Bibl. Nouv.* p. 38. ſeqq.

PASCHASINVS.

Lilybetanus in Sicilia Epiſcopus, Cyrilli, & Leonis P. R. familiaris, vixit circa ann. 443. qui proinde alius ab illo, qui ſub Genſerico martyrium obiit, Proſpero memoratus, eſſe videtur. Anno 451. a Leone P. R. ad Concilium Chalcedonenſe miſſus, primus ejus decretis, Leonis nomine, ſubſcripſit. Extat ejus *Epiſtola de Paſchatis obſervatione ad Leonem* Papam, inter *Leonis Epiſtolas*, & emendatior apud Bucherium, *de Doctrina Temporum.* p. 75. Alia ad eundem *Epiſt. de damnatione Dioscuri*, in Conciliorum Tomis *Acta Concilii Chalcedonenſis* Paſchaſino quidem tribuit Trithemius, quem tamen ob id notavit Cave, P. I. p. 247. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

PASCHASIVS.

Eccleſiæ Romanæ Diaconus, ab anno 501. ad 512. floruit, quo ipſo e vivis decesſit. Lepidam de Paſchaſii anima, Purgatorii flammis

mis exuſta, vid. apud Gregorium, *Dialog.* L. IV. c. 40. Scripſit Paſchaſius *Epiſtolam ad Eugyppium*, quæ apud Surium d. VIII. Januarii & Baronium, ad ann. 496. Libr. II. *de Scriptur. S. contra Macedonium*, Colon. 1539. 8. Helmſtad. 1613. cura Joh. a Fuchten, prodierunt. Inſerti etiam *Bibl. Patr.* T. IX. Pariſ. edit. 2. f. 741. & *edit. noviſſ.* T. VIII. p. 806. Hos quidem Paſchaſio abjudicat Caſimir. Oudinus. l. c. p. 107. a quo tamen prægnantiores ob cauſas recedit Cl. Cave P. I. p. 271. quas ibidem evolve. De eo Labb. *de Script. Eccleſ. Diſſ. II.* p. 154. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 273.

PASCHASIVS RADBERTVS.

Ortu Gallus, ex Monacho Corbejenſi ad Samonam in diœceſi Ambianenſi, non vero Corbejenſi ad Viſurgim, in inferiori Saxonia, Monaſterii, abbas ab anno 844. ad 851. quo obiit. Synodum Cariſiacenſem adverſus Goteſchalcum anno 848. frequentavit, primus autor juxta Bellarminum, Sirmondum & alios, qui copioſe & ſerio de Veritate corporis & Sanguinis Domini in S. Cœna ſcripſit. Vide, quæ ex ipſo Paſchaſio adduxit Cl. Cave P. I. p. 376. Scripſit *Comment.* Lib. X. in *Matthæum. Expoſitionis* L. III. *in Pſalmum* XLIV. *Expoſit. in Threnos Jerem. Lib. V.* quæ Baſil. 1502. Colon. 1532. prodierunt. Lib. *De Sanctorum Cœna ad Placidum*, quem tamen multi Rabano Mauro vendicant, cujus ſub nomine Coloniæ 1551. 8. prodiit. Hagenoæ antea editus, 1528. & genuino autori reſtitutus, Lovanii, 1561. Helmſtadii 1616. cura Joh. a Fuchten. Argumenta, quibus hunc Paſchaſio librum reſtituit Cave, evolve P. I. p. 376. *Epiſtola de Corpore & Sangvine J. C. ad Frudegardum* & alia, habentur in Comment. ad Matthæum. *Vita S. Adelhardi abbatis Corbejenſis* apud Surium & Bollandum d. 2 Jan. *Paſſio Sanctor. Ruffini & Valerii Martyrum:* quæ omnia junctim prodierunt Pariſiis 1618. f. cura Jac. Sirmondi. Extant quoque in *Bibl. Patr.* T. XIV. p. 356. *Vitam S. Walæ, Abbatis*, ſub titulo: *Epitaphii Arſenii*, ſcriptam exhibet Joh. Mabillon *Sec. Bened.* IV. P. I. p. 453. *Lib II. de partu Virginis*, ſub Ildefonſi Toletani nomine hactenus vulgatos, Paſchaſio reſtituit Lucas Dacherius, *Spicil. T. XII.* p. 1. Conf. Labbeus. T. II. p. 155. Oudin l. c. p. 241. Sanmarth. *Gall. Chriſt.* T. IV. *de Abbatibus Corbejenſibus.* Sirmondus in *præludiis ad Opera Paſchaſii.* Du Pin. l. c. T. VII. paſſim, juxta cum aliis.

PATERIVS.

Notarius, & Secundicerius Romanus, circa ann. 601. & deinde juxta Arnoldum Wionum *l. 2. de ligno Vitæ* c. 38. Epiſcopus Brixienſis. Collegit ex Gregorii M. Præceptoris ſui, Operibus, Lib. III. *Explanationum in obſcuriora utriusque Teſtamenti loca*, excuſos Romæ, 1553. f. & inter Opera Gregorii, ibidem, 1591. & editionibus aliis. Codices manuſcript. plures ſe vidiſſe quidem teſtatur Caſimirus Oudin. l. c. p. 156. vel unicum tamen integrum in Bibliotheca Cœleſtinorum Pariſiis extantem, Librisque tribus omnibus abſolutum. Idem Oudinus, quem poſtea Cl. Cave P. I. p. 373. ſequitur, memorat, Libros ſaltem duos hucusque eorum prodiiſſe, medium autem nunqnam fuiſſe publicatum, prout ex diligenti manuſcripti hujus cum impreſſis collatione res ipſa comparuerit. Conf. Cl. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. V. pag. 146.

PATRICIVS.

Succat quoque dictus, patria Nemthurienſis, quæ hodie *Kirkpatrick* dicitur, Angliæ oppido inter fretum Dunbrittonæ & urbem Glascuenſem ſito, oriundus circa ann. 371. Hibernorum Apoſtolus & Archi-Epiſcopus a Cœleſtino conſtitutus, Chriſtianam Religionem longe lateque diſſeminavit. Obiit anno 493. ætatis 122. Vide quæ de ejus geſtis poſt alios fuſe exhibet, Armachanusde *Britan. Eccleſ. Primord. c* 17. & quæ in Compendio ſiſtit Cl. Cave P. I. p. 236. Opera ejus, ibidem recenſita, produxit Jacobus Waræus, Londini, 1656. 8. *Sermonem*, quem Patricio affinxit Ricardus Stanihurſtus *in Vita Patricii* Lib. II. Antw. 1587. edit. & Meſingamus ad finem *Florilegii ſui Hibernici*, Paris. 1624. tanquam ſpurium, prætermiſit Waræus. it. *Epiſtolam de miſſione ad Hibernos* a Gerardo Voſſio excuſam, & *Bibl. Patr. Colon.* 1618. inſertam, eamque ſuppoſititiam, pariter omiſit. *Lib. de Abuſionibus Seculi*, inſeruit quidem Waræus, dubiam tamen non immemerito illam pronuncians. Plura ſuppeditant Baleus, Pitſeus, & alii.

PATRICIVS ARARSIVS.

Ignotæ gentis, ætatis, & conditionis Scriptor, de quo omnes ferè Scriptores ſilent. Vnicus nobis conſtat Cave, qui P. I. p. 389. illum Sec. IX. antiquiorem facit. Scripſit Patricius Librum, *Oceanum*

num dictum, cujus præclarum de Meletio & Ario fragmentum, apud *Libelli Synodici*, a Pappo editi, autorem, habetur.

PAVLINVS.

Aquilejenſis ſive Forojulienſis Eccleſiæ Patriarcha, anno 776. creatus. Auſtriacum natione fuiſſe, ſunt qui aſſerant. Vir cœteroquin eruditus, qui Elipandi & Fœlicis dogmata ore & Scriptis exagitavit. Obiit anno 802. juxta Bellarminum, rectius 804 ex mente Cavei P. I. p. 348. inque majori urbis Forojulienſis Baſilica tumulum invenit, teſte Labbeo p. 159. Ejus Liber *de SS. Trinitate anno 798. adverſus Elipandum & Fœlicem* ſcriptus, habetur, Concil. T. VII. p. 1022. & *Bibl. Patr. edit. 2. Paris.* T. IV. f. 4'3. & poſt *Alcuini Opera*, ab Andrea Duchesnio Paris. 1617. edita. Idem Duchesnius primus protulit ejusdem *Paulini adverſus Fœlicem* Lib. III. cum *Epiſtola ad Carolum M.* & *regula fidei metro exarata*, prout docet Labbeus l. c, qui ſimul oſtendit, *Libros VII. contra Fœlicem*, ſub Paulini nomine evulgatos, non ejus, ſed Alcuini fœtum eſſe genuinum. *Epiſtola ad Heiſtulfum increpatoria*, Concil. T. VII. p. 1064. *Epiſt ad Carolum M.* ibid. p. 1187. Lib. *de Salutaribus Documentis* reperitur in noviſſima *Operum Auguſtini* editione Pariſienſi. *Fragmenta* quædam vid. apud Baluz. *Miſcell.* T I. p. 361. *Hymni S.* de quibus Walafridus Strabo *de rebus Eccleſ.* c. 25. loquitur, ſine dubio interierunt. Conf. Aubertus Miræus *Auct. de Script. Eccleſ.* c. 225. p. 223. Oudin. *Supplement. de Script. Eccleſ* p. 209.

PAVLINVS.

Biterrenſis in Gallia Epiſcopus anno 410. clarus, cujus Epiſtolam *de ſignis terrificis* memorat Miræus, quam vide apud Baronium *Annal.* ad ann. 418. Ejus eſſe *Martyrium S. Geneſii*, Paulino Nolano vulgo adſcriptum, innuit Rosweydus *in notis*. De eo Miræus *Auct.* c. 63. & Cave P. I. p. 213. Oudinus l. c. p. 62.

PAVLINVS.

S. Ambroſii Mediolanenſis Diaconus, Notarius & Presbyter, ann. 420. clarus, ſcripſit *Vitam Ambroſii*, ejus operibus præfixam. *Libellum*, quo Zoſimo P. R. gratias agit ob damnatos Pelagium & Cœleſtium Concil. T. II. p. 1578 Liber vero *de Benedictionibus Patriarcharum*,

qui Rufini Aquilejenſis eſt, falſo ab Iſidoro Hiſpalenſi, *de Script.* c. 4. Paulino tribuitur. Evolv. Cl. Cav. P. I. p. 221. Oudinum l. c. Iſidorum Hiſpal. *de Viris Illuſtribus* l. c.

PONTICVS PAVLINVS NOLANVS.

Ortu Romanus, Auſonii diſcipulus, Conſulatum Romæ geſſit anno 375. baptiſatus in Patria Burdigaliæ 391. Dein Presbyter ordinatus, Natali Chriſti anno 393. Hiſpania vero relicta, cum nulli ibidem Eccleſiæ manciparetur, Italiam petiit, atque S. Ambroſio ſalutato, Nolam venit, ejus Eccleſiæ Epiſcopus factus. Obiit Vir admodum pius, an. 431. Ejus Eruditionem, Poeſeos & Oratoriæ peritiam alii prædicent. Vide pluribus *Vitam Paulini*, à Franciſco Sachino, Societatis JEſu, concinnatam, & Antwerpiæ absque autoris nomine, anno 1622. publicatam ab Herib. Rosweido, qui etiam omnium Paulini Operum editionem, anno dicto, typis Plantinianis, una cum ſuis atque Frontonis Ducæi notis, emiſit. Attingemus hac occaſione breviter varias illorum editiones. Prima prodiit Paris. 1516. Colon. 1560. Antwerp. 1622. 8. Optima non immerito habetur, Pariſiis 1685. 4. T. II. excuſa. Extant quoque inter *Orthodoxo gr.* T. II. p. 75. & in *Bibl. Patr.* T. VI. p 163. Enumerata iſta lege apud Labbeum p. 162. ſeqq. Caveum P. I. p. 169. & alios. Singularia reperies in Chiffletii *Paulino illuſtrato*, qui Divinione 1662. 4. prodiit. Adde quod *Paulini Poemata quatuor hactenus anecdota*, quorum priora tria Natali S. Felicis conſecrata ſunt, ultimum autem adverſus Judæos & gentiles directum, eorum errores ſolide ac eleganter confodit, ex Codice vetuſtiſſimo primus produxit, Ludovicus Antonius Muratorius, *in Anecdotis*, quæ ex Ambroſianæ Bibliothecæ Codicibus, Mediolani, vulgavit. 1697. 4. Vide omnino, quid hac de re commoneant Actorum Lipſienſium editores Clariſſimi, ad annum 1698. p. 58. De memorata toties & plane extraordinaria ejus charitate, quam poſt Auguſtinum l. 1. *de Civit. Dei* c. 10. Gregorius & Baronius quoque celebrant, vide criſin D. Nic. Hunnii, *Pelle Ovin.* §. 749. & Dannh. P. II. *Lact. Catechet.* p. 474. Hiſtoriæ veritatem dubiam facit Oſiander, *Cent. V.* p. 388. De eo ex antiquioribus Gennadius Maſſil.

Maſſil. & poſt illum Aub. Miræus *in Schol.* ad c. 48. Joh. Alb. Fabricius *Bibl. Lat.* paſſim. Elias Du Pin *Bibl. Nouv.* T. III. p. 146.

PAVLINVS.

Gallus Petricordius, anno 461. floruit, non vero 480. ut in Labbeo & Oudino notat, Cl. Cave P. I. p. 256. Ejus ſunt *de Vita S. Martini* Libr. VI. carmine heroico deſcripti, quos ſub Paulini Nolani nomine prodiiſſe videas, Paris. 1585. & in *Bibl. Patr.* & *app. Bigneana.* p. 852. Noſtro Paulino vendicarunt *Collectores Bibl. noviſſ.* T. VI. p. 297. & Cl. Daumius, qui illos cum Fr. Jureti, Caſp. Barthii, Joh. Fr. Gronovii, ſuisque notis, Lipſiæ 1686. 8. recudi fecit. Prodierat ante Paris. 1684. 4. teſte Oudino. Ad Calcem hujus carminis aliud, *de Viſitatione Nepotuli* ſui reperias. Reliqua, Gennadio memorata, jam pridem deperierunt. Conf. Gennadius *de Script. Eccleſ.* c. 68. Aub. Miræus *in Bibl. Eccleſ.* Bellarminus, Labbeus, Oudin, Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 222.

PAVLVS.

A patria *Anglicus* dictus, Decretorum Doctor, circa ann. 1404. vixit, cujus *aureum Speculum*, ſive *Dialogum inter Petrum & Paulum,* quo vitia Curiæ Romanæ detegit, extat apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1517. Conf. Cl. H. Wharton *app. Cav.* p. 54.

PAVLVS.

Benridienſis Canonicus & Præpoſitus Canonicorum Regularium D. Auguſtini, circa ann. 1086. ſcripſit *de rebus geſtis Gregorii VII. P. R. & Vitam S. Herculæ Virginis,* quæ extulit Jac. Gretſerus Ingolſtad. 1610. 4. & poſt ipſum Bollandiſtæ. Conf. Caſimir. Oudin. p. 347. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

PAVLVS CARTHAGENA a S. MARIA.

Hiſpanus Burgenſis, e Judæo Chriſtianus ex D. Thomæ Lectione factus, Trevigni Archidiaconus, Carthaginenſis & Burgenſis Epiſcopus, Regnorum Caſtellæ & Legionis Archi-Cancellarius,

ac demum Patriarcha Aquilegenſis conſecratus, claruit. 1415. Obiit 1435. De eo præter Trithemium, Sixtum Senenſem, Bellarminum, Labbeum, Caveum, Confer quæ habent Joh. Mariana, *Hiſp. rerum* Lib. 19. c. 8. Schottus *Bibl. Hiſp.* T. II. f. 191. 225. Voſſ. *Hiſt. Lat.* l. 3. c. 7. Joh. Lucidus Samotheus *Chron* f. 187. a. Reuchlinus *Rudiment. Ebr.* f. 321. *qui eum Sacrarum Litterarum expoſitorem litteratiſſimum & Doctorem doctiſſimum* vocat. Scripſit Paulus *additiones morales ad Poſtillas Nicolai de Lyra in totam Script. S.* Lugd. 1590. & alibi editas. *Scrutinium Sanctor.* Lib. II. Mantuæ 1474. f. Burgis 1591. f. *Quæſtiones XII. de Nomine Tetragrammato*, cum notis Joh. Druſii, Franekeræ, 1604. 8. *Diſcurſum ejus de Celebratione Paſchatos* notis illuſtravit & edidit D. Joh. Behmius, Regiomonti, 1610. 4. *Vitam Pauli* Chriſtophorus Sanctoriſius, qui Scrutinum Sanctorum Burgis 1591. extulit, eidem præmiſit.

PAVLVS.

Monotheletarum Patronus, Pyrrhi in Patriarchatu Conſtantinop. Succeſſor, vixit anno 642. Obiit anno 651. Extat ejus *Epiſtola ad Theodorum P. R.* de recipiendo edicto Imperatorio gr. lat. Concil. Lateran. act. 4. Concil. T. VI. p. 221. Fragmentum *Epiſtolæ ad Theodorum Pharanitam*, Concil. T. VI. p. 839. De eo Cave P. I. pag. 322.

PAVLVS CORTESIVS.

Italus, Protonotarius Apoſtolicus, anno 1500. clarus, commentatus eſt *in IV. Libros Sententiarum*, atque in *eosdem Diſputationes edidit*, Paris. 1513. fol. & inter *Savanarolæ Opuſcula*, Baſil. 1540. f. *De Cardinalatu* Lib. X. Cortes. 1510. f. *De Script. S. omniumque diſciplinarum ſcientia*, Baſil. apud Henr. Petri. Libros VI. *de Principe*, quos ipſe in *præf. ſua* ad *Sententiarum* Lib. memorat. Hæc & alia Cl. Cave P. II. pag. 319.

PAVLVS CYRVS FLORUS.

Nobili gente conſpicuus, ab officio *Silentiarius* dictus, claruit circa ann. 555. Erat Poeta admodum illuſtris, & deſcripſit *Templum S. Sophiæ* prolixo carmine, quod primus in lucem cum doctiſſimis notis græc. lat. protraxit Carolus du Freſne, ad calcem *Hiſt. Cinnami* Paris

Paris. 1670. f. Inſigniter hoc Carmen collaudat Agathias, de rebus Juſtiniani. Lib. V. & cum eo citatus du Fresne & Cave P. I. p. 294. Plura, Paulo ab Agathia tributa, Carmina, procul dubio interierunt.

PAVLVS.

Diaconus Eccleſiæ Neopolitanæ, quem Labbeus ad an. 640. retulit, in *Chronol. Script. Eccleſ. Vitam S. Mariæ Ægyptiacæ* a Sophronio Hieroſolymitano græc. ſcriptam, e Græco in Latinum vertit. Vide illam apud Continuatores *Bollandi* d. IX. April. Conf. de eo Sigebertus *Lib. de Scriptor.* c. 96. Henr. Gandavenſis *Catal.* cap. 5. Oudin. l. c. p. 168.

PAVLVS EMERITENSIS.

In Hiſpania Diaconus, juxta Labbeum anno 610. clarus, ſcripſit *Lib. de Vita & miraculis Patrum Emeritenſium*, editum a Thoma Tamajo, Antwerpiæ, 1635. 4. De eo Baronius ad ann. 589. Loaiſa *in not. ad Concil. Toletanum.* Ambroſ. Morales Lib. II. *Chronol. Hiſt.* c. 71. Mariana Lib. V. c. 13. Bernhard. Britto L. VI. *Monarchiæ Luſitanicæ* c. 19. ſeq. Aub. Miræus in *Auct. de Script. Eccleſ.* c. 174. p. 214. & qui hos omnes adlegat, Caſim. Oudin. p. 157.

PAVLVS EMESENVS.

Epiſcopus, qui concilio Epheſino anno 431. interfuit, Neſtorii Patronus, Cyrilli vero inimicus, cum quo tandem amicitiæ fœdus pepegit. Ejus *Libellus de fide* & *Homiliæ II.* Alexandriæ habitæ, extant græc. lat. Concil. T. III. p. 1089. 1096. *Epiſtola ad Anatolium*, militiæ præfectum, inter *Lupi Epiſtolas Epheſinas* lat. habetur, num. 107. Conf. omnino Cl. Cave P. I. p. 234. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 66.

PAVLVS MIDDELBVRGIVS.

Familiæ nomine carens, more gentis a natali ſolo cognomentum mutuatus, Italiam transgreſſus Foro Semproniensis factus Epiſcopus, Concilioque Lateranenſi interfuit, anno 1513. Laudes ejus vide penes Aub. Miræum, *Elog. Belg.* f. 18. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 716. & Labb. p. 173. Edidit *de Paſchali obſervatione ad Leonem X. P. R. Libros XIV.* impreſſos Foro-Sempronii 1513. quod opus

Pauli-

Paulina de Paſchate, dici ſolet. Item, *de die Paſſionis Dominicæ*, ad Maximilianum I, Imperatorem, Libr. XIX. Ibidem & eodem anno excuſos.

PAULUS.

Gente Perſa, Neſtorii diſcipulus, & Diaconus juxta alios, quem proinde Cl. Cave P. II. p. 85. ad ann. 436. repoſuit. Libri ejus *de Judicio*, quo Neſtorii cauſam defendit, fragmentum, exhibet S. Maximus in Tomo dogmatico contra Monotheletas, inter *Opuſcula Theol. & Polemica* T. II. p. 91. & *Concil.* T. VI. Col. 320. idem habetur. Scripſerit quoque *de Vero Bono*, cujus libri fragmentum extat, inter *excerpta Miſcell. Bibl. Vindob.* f. 104. Caveo memorata.

PAULUS PERUSINUS.

Sive de Peruſio, Carmelita, anno 1344. ſub Clemente VI. clarus, juxta Trithemium *de Script. Eccleſ.* f. 110. & Simler. f. 547. qui tradunt, eum ſcripſiſſe in *Libros Sententiarum & Quodlibeta.* An alicubi illa lucem viderint, preli beneficio, & quando, non conſtat, Dorſcheus tamen *Syllog. Semeſtr.* p. 92. Gabrielem Barlettam allegat, e comment. Peruſini in Lib. Sentent. nonnulla producentem.

PAULUS I. P. R.

Gente Romanus, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, anno 757. Fratri Stephano in Sede Romana ſucceſſit. Obiit anno 767. Habentur ſub ejus nomine *Epiſt.* XII. *Concil.* T. VI. p. 1672. quas tamen ſuſpectas & ſuppoſititias eſſe, exiſtimat Papebrochius, obſervante Caveo, P. I. p. 345. Conf. Lud. Jacob a S. Carolo *in Bibl. Pontif.* p. 170.

PAULUS II. P. R.

Petrus Barbus alias vocatus, Venetus, mercaturæ primum, poſt Litterarum ſtudioſus, Jacobi Ricionii diſcipulus, Archidiaconus Bonon. Epiſcopus Cerviæ, Protonotarius Apoſtolicus, & Cardinalis, titulo S. Marci, Pontifex demum anno 1464. conſecratus. Hic primus autor galeri coccinei, quem Cardinales geſtant. Obiit Apoplexia 1471. Scripſit varias *Epiſtolas*, quas vide *Concil.* T. XIII. p. 1434. *in Collectione*, Romæ, 1579. edit. & in *Cherubini Bullario magno*, ibid 1638.

Conf.

Conf. ſi placet Wharton, *app. Cav.* p. 100, Bartholomæus Platina, Rodericus Sancius, Ludovicus Jacob & alii.

PAVLVS SVEVVS.

Wilenſis, floruit circa finem Sec. XV. donec poſt exilium triennale, quod pro veritate Catholica paſſum tradit Willotus, *Athen. Franciſc.* p. 291. Keiſersbergam reverſus, fatis conceſſit, anno 1504. Edidit *Lecturam & explanationem in I. Sentent. Scoti*, impreſſam Tubingæ, 1498. Simlero, cœterisque ignoratam aut præteritam.

PAULUS WANN, vide WANN.

PAULUS WARNEFRIED, vide WARNEFRIED.

REGINALDVS PAVO.

Anglicè *Peacock*, Anglus Cambrobritannus, SS. Theol. Doct. Epiſcopus Aſaphenſis atque Ciceſtrenſis circa annum 1443. floruit. Ejus doctrinas, fata, & alia notatu digna refert H. Wharton l. c. p. 84. ſeqq. Scripſit *Lib. II. de Fide*, quorum poſterior integer, è priore autem excerpta prodierunt, Londini, 1688. 4. Integrum Opus manuſcript. extat in Bibl. Collegii SS. Trinit. Catabrig *Repreſſorem Nimiæ Cleri reprehenſionis Lib. V.* quorum contenta enumerat doctiſſimus Wharton l. c. qui reliqua Peacockii Scripta ex Baleo & aliis exhibuit. Collectanea quædam ex Peacockii Scriptis edidit Joh. Foxus, Argentorati, 1554. 8.

PELAGIVS.

Ex citeriore Britannia oriundus, *Morgan* ſive *Marigena* dictus, Monachus, nunquam vero Bannochorenſis abbas, prout Ranulphus Ceſtrenſis, Joh. Tinmuthenſis, Nicolaus Cantilupus, Cajus, Baleus, ob id à Cavio notati, ſomniarunt. Romam anno 405. profectus, hæreſeos ſuæ ſemina ſpargere cœpit. Hujus quidem criminis accuſatus, diverſis Orthodoxos vicibus, fraudulenter decepit. Poſt vero anno 418. a Concilio Carthaginenſi & Milevitano publice damnatus. Docebat autem Pelagius, Peccatum Originis eſſe nullum, neque baptiſmum

mum ea de cauſa neceſſarium. Liberum hominibus in Spiritualibus arbitrium, tribuebat, cauſamque Salutis in bonis Operibus ponebat. Alios quoque fovebat errores, quos in præſenti non attingimus. Scripſit *Expoſitionum in Epiſtolas Paulinas* Lib. XIV. de quibus Cl. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 208. docte diſſeruit. *Epiſtola ad Demetriadem, de Virginitate: Libellus fidei ad Innocentium P. R.* Hieronymo & Auguſtino hactenus falsò adſcripta, inter illorum opera extant. *De fide Trinitatis* Lib. III. *Liber Teſtimoniorum: Epiſtolæ II. ad viduam.* Lib. IV. *de libero Arbitrio: de Natura Liber: Epiſtola ad Paulinum & alia ad Conſtantium,* juxta cum aliis, quorum ſaltem fragmenta vel memoria ſupereſt, memorantur Baleo, *Centur.* V. c. 18. de eo Gennadius Maſſil. & Aub. Miræus, *in Scholio* ad c. 42. Conf. Arnold. *in Hæreſiologia.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. III. p. 153. & Cl. Buddeus *in Lexico.*

PELAGIUS.

Gente Hiſpanus, Ovetenſis in Hiſpania Epiſcopus, ann. 1109. claruit. Scripſit *Chronicon Hiſpaniæ*, quod cum aliis Prudentius Sandovalius 1615. produxit. Alteram quidem editionem promiſit Card. d' Aguirre, *Notit. Concil.* p. 363. quam tamen non vidimus. *Commentarium* item *de præcipuis Hiſpaniæ urbibus*, manuſcriptum memorat Antonius, *Bibl. Hiſp. Vet.* T. II. Lib. VII. c. 3. p. 9. qui admodum erudite de hoc & priori Scripto diſſeruit.

PELAGIVS. I. P. R.

Patria Romanus, Eccleſiæ Romanæ Diaconus, ex Agapeti, Silverii ac Vigilii, Pontificum Rom. Apocriſiario, & poſtquam præclarè multa geſſisſet, anno 555. P. R. factus, anno 559. e terra migravit. Extant *Epiſtolæ XVI.* Concil. T. V. p. 788. T. I. *Epiſtolarum Pontif.* & T. VII. *Annal. Baron.* Aliarum *XII. Epiſtolarum* fragmenta primus extulit Lucas Holſtenius, quæ hinc translata videas *in Concil.* T. V. pag. 805. Hic idem Pelagius in latinum transtuliſſe ſcribitur Librum, *de Vitis Patrum* anonymum, qui in Plantiniana editione, ann. 1615. & 1628. ordine quintus eſt. Conf. Heribertus Rosweydus *in ſuis ad Vitas Patrum Prolegomenis.* Aub. Miræus Auct. c. 156. & in *Scholio ad Hieron. Catalogum*, Cap. ultimo p. 38. Add. Cl. Cave P. I. p. 293. Oudin.

Supplem. de Scriptor. Eccleſ. p. 126. Platina, Duchesne, Gesnerus, Du Pin, & alii. Epitaphium Pelagii ſatis elegans ſiſtit Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 175.

PELAGIVS. II. P. R.

Gente Romanus, Papa conſecratus anno 579. Obiit anno 590. tabe inguinaria confectus. Extant ſub ejus nomine *Epiſtolæ* X. & *Decreta VI. Concil.* T. V. p. 931. apud Baronium & inter *Epiſtolas Pontif.* T. I. & alibi. Primam tamen epiſtolarum, ſecundam, octavam & quintam, ſpurias eſſe, lubentes agnoſcunt ipſi Conciliorum editores. Plura dabunt Cave, Gesnerus, & Ludov. Jacob a S. Carolo l. c. p. 176. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 92.

PELBARTUS OSWALDUS.

Hungarus Temiswarienſis, Ord. Minor. anno 1501. clarescens, ſcripſit *Aureum S. Theologiæ Roſarium*, ex Bonaventura, aliisque confectum, quod, cum mortis præventu vix abſolveret, ejus perduxit diſcipulus, Osvaldus a Lasco. Prodiit autem Hagenoæ, 1504. 1508. Vol. 2. fol. Venet. 1586. 1589. T. IV. Brixiæ, 1594. *Sermones de Tempore & de Script. S.* Pariſiis excuſi ſunt. *Quadrageſimale triplex & Stellarium B. Virginis*, junctim prodierunt, ſub titulo: *Pomœrium Sermonum*, Hagenoæ, 1475. 1498. Venet. 1586. 4. 1596. *Stellarium Coronæ B. Virginis*, impreſſum quoque Venet. 1587. *Comment. in Pſalmos*, Hagenoæ, 1504. Conf. Cl. H. Wharton *Cav. append.* pag. 132. Henr. Willot. *Athen. Franc.* p. 300.

PERDICCAS.

Protonotarius Epheſinus, cujus *expoſitionem Spectaculorum Dominicorum & memorabilium*, quæ Hieroſolymis videntur, edidit Frider. Morellus, Pariſienſis, & poſt illum multo accuratiorem, eamque græce & latine, Leo Allatius, *Symmict. P. I.* p. 65. De eo Cl. Cave *diſſert. I.* P. II. *Hiſt. Litt.* annexa, qui illum inter ignotæ Scriptores ætatis, collocavit.

PEREGRINVS.

Laureacenſis, ex Pictavienſis Eccleſiæ Præſule, Archi-Epiſcopus; circa annum 970. ſicut ex Caſpari Bruſchii Libro, *de Veteri*

Laureaco, Bignæus retulit, *Bibl. Patr. Indice Chronologico*, qui & ejus *Symbolum, ſive fidei confeſſionem*, communicavit. T. IV. *edit.* 2. f. 1175. *Epiſtolam* vero integram, ad Benedictum VII. P. R. ex qua Symbolum eſt decerptum, exhibet, *Concil. T. IX.* p. 716. emendatiorem Cl. Lambecius, *Comment.* l. 2. c. 8. p. 641. Agit de hoc Peregrino Guil. Cave P. I. l. c. p. 411.

PEREGRINUS.

Bononienſis, Minorita, circa annum 1249. *Chronicon Ordinis* ad Gondiſalvum, Generalem, ſcripſit, teſte Willoto, *Athen. Franc.* p. 291. Excuſum illud Simlerus tradit *Epitom.* f. 549. locum tamen non addidit, forte, quia ignoravit.

PERPETUUS.

Natione Gallus, Parentibus, Senatoriâ dignitate conſpicuis, oriundus, Eutochii anno 461. in Sede Turonenſi ſucceſſor, anno 490. vel ſequenti e vivis deceſſit. *Teſtamentum & Epitaphium* ejus exhibet Dacherius, *Spicileg.* T. V. *Ordinem* ab eo inſtitutum vide apud Gregorium Turonenſem, *Hiſtor. de Geſtis Franc.* Lib. X. c. 30. Conf. omnino Cl. Cave P. I. p. 256.

PETILIANUS.

Conſtantinianenſis in Numidia Epiſcopus, Donatiſtarum Anteſignanus, qui anno 399. vixit, homo audax & ſui plenus, in diſſerendo promptior, quam eruditior, prout illum Cl. Cave P. II. p. 61. depingit. Scripſit *Lib. de unico baptiſmo*, quem Auguſtinus peculiari tractatu, *de baptiſmo unico adverſus Petilianum*, confutavit. *Epiſtolam* item *Encyclicam* ad ſuæ partis Presbyteros & Diaconos, quam cum *Auguſtini confutatione*, quæras inter ejus Opera, nuper a Mabillonio producta.

FRANCISCUS PETRARCHA.

Florentinus, Patre Florentino, aut Aretii in Tuſcia, aut juxta Voſſium, circa Anciſam, Florentini agri vicum, Majorum ſuorum ſedem, anno 1304. natus, anno 1374. denatus. Dantis Aligerii quondam diſcipulus, inde & Poëta ingenioſiſſimus, primus Poëta Laureatus, Romæ factus, die Reſurrectionis Dominicæ, anno 1341. ætatis

ſuæ

ſuæ 37. pro avorum memoria Bibliothecas in 200. annos clauſas, primus reſeravit. Conf. Vives *de trad. Diſcipl.* l. 3. Lomeier. *de Biblioth.* p. 196. Parmæ quoque Archidiaconus, atque demum Canonicus Patavinus. Imò Cardinalis a Benedicto XII. creandus, modo Sororem, elegantiſſimæ formæ virginem, ab eo ſtuprari paſſus fuiſſet, prout equidem ex Hieron. Sqarziaficho, qui Petrarchæ quoque vitam ſcripſit, Matth. Berneggerus, *Idol. Lauret.* p. 120. ſeq. refert, quod tamen refellit Thomaſinus, nullam Petrarchæ ſororem, fuiſſe, adſtruens, *in Petrarcha Redivivo*, p. 7. Scripta, quæ reliquit Petrarcha, Labbeus non memorat, forte ob diſplicentes floſculos, quales quoque collegit Lydius, *epiſt. dedicat.* ad Nicolaum Clemangem. p. 4 quibus, in Rythmis maximè Ital. Romam, errorum Scholam, hæreſium Templum, Babylonem falſam, malam &c. appellitat. Prodierunt autem plurima Fr. Petrarchæ Opera. Baſil. 1496. f. & auctiora, ibidem. 1554. 1581. T. IV. H. Whartono ordine enumerata. Adde ſaltem, aliam ejus, *de Remediis utriusque fortunæ*, Libri, editionem, quæ cum præfatione Sebaſtiani Brand, & cum 254. figuris, ligno artificioſe inciſis, germanice prodiit, Francof. ad Mœnum 1559. fol. Librum item Petrarchæ, *de Republica optime adminiſtranda*, & *de officio ac Virtutibus Imperatoriis*, qui Genevæ 1617. 12. extant. Hæc a Cl. Whartono omiſſa, ſupplere voluimus. *Itinerarium Petrarchæ ad ſepulchrum Domini*, Lib. *de Vitis Cæſarum & Pontif.* Rom. L. XV. *Artem ejus Punctuandi*, maximam partem manuſcript. exhibet Whartonus p. 29. l. c. De eo præter Bellarminum, Poſſevinum, Trithemium, Poggium, P. Jovium Raph. Volaterranum, Philippum Bergomenſem, Lilium Giraldum, Leandrum Albertum, Voſſium, Whartonum, Oudinum, Cl. Buddeum, aliosque innumeros, Andreas Schrœteren, *in Vita Petrarchæ*, 1622. 4. edita. Thomaſinus quoque *Petrarcham Redivivum* edidit, hoc eſt, integram Poëtæ Vitam, Jconibus ære cælatis ornatam, una cum hiſtoria nobiliſſimæ fœminæ, Lauræ, addita præterea *vita* per Paulum Vergerium, Leonhard. Aretinum, aliosque deſcripta, Patavii, & quidem altera vice, 1650. De Laudibus ejus prolixè diſſerit Thom. Pope-Blount *in Cenſura celebriorum autorum* pag. 432.

PETRONIVS.

Italus, Sexti Anicii Petronii Probi, Prætorio Præfecti filius, & ipſe Prætor primum, poſt Bononiæ Epiſcopus, anno 440. clarus, ante annum 450. expiravit. Ejus eſt Liber *de Ordinatione Epiſcopi*, quem alii Parenti ejus perperam attribuerunt. Adſcribuntur quoque Petronio *Vitæ Patrum Monachorum Ægypti*, quæ, an cum illis, quæ hodie circumferuntur, coincidant, non immeritò hæſitat, Cl. Cave P. I. p. 246. Conf. de Petronio Gennadius, *de Scriptor.* c. 41. & Aub. Miræus, *in Scholiis.* Elias Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 212. Multos Petronios alios memorat Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 386.

PETRVS ALEXANDRINVS.

Epiſcopus Alexandrinus, ſub Diocletiano & Galerio Maximino martyr circa annum 311. Divinum Epiſcoporum decus, atque Chriſtianæ Religionis Doctor eximius, vocatur ab Euſebio L. IX. c. 6. Scripſit *Librum de Pœnitentia*, ex quo ſuperſunt *Canones XV.* græc. lat. *Concil.* T. I. Lib. *de Divinitate*, cujus fragmenta videas *Concil. Epheſ. Act. I.* p. 508. *Act. VII.* p. 8 6. *Concil.* T. III. *Concil. Chalced. Act. I.* p. 286. & alibi. *Diatriba de Paſchate*, quæ in Scoriolacenſi & aliis Hiſpaniæ Bibliothecis, adſervatur, teſtibus Du Freſnio, *Præfatione ad Chron Paſch.* n. VII. Petavio, *in Uranologio*, Paris. 1630. p. 396. Vide tamen, quid de eo obſervet Cl. Cave P. II. *Hiſt. Litt.* p. 41. & adde Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 32.

PETRVS.

Alexandrinus ſub Athanaſio Archi Presbyter, atque individuus ærumnarum Comes, hinc ejusdem Eccleſiæ, poſt Athanaſii mortem, Epiſcopus anno 371. factus eſt. Cum autem Ariani prævalerent, a ſede detruſus, Romam aufugit, mox tamen a Damaſo P. R. eidem reſtitutus. Tanti fuit habitus a Theodoſio, Imperatore, ut eum juxta cum Damaſo, Orthodoxæ Veritatis normam, conſtitueret, eumque, Apoſtolicæ pietatis virum, appellitaret. Scripſit *Epiſtolam Encyclicam*, de vi ſibi ab Arianis illata, quæ principio ſaltem & fine truncata, apud Theodoritum l. 4. c. 22. habetur. Alterius *Epiſtolæ ad Epiſcopos Ægyptios, fidei causâ exules*, fragmenta duo exhibet Facundus

l. 4.

l. 4. c. 2. & l. ii. c. 2. Hæc & alia exhibent Cl. Cave l. c. P. I. p. 144. Du Pin. l. c. T. II. p. 132.

PETRUS de ALLIACO.

Compendii alias, Piccardiæ oppido, ad Iſaram, 1350. natus, Philoſophiæ ac Theologiæ Doctor inſignis, Academiæ Paris. Cancellarius, Magnus Regiæ Domus Navarræ Magiſter, ac S. Capellæ Palatii Theſaurarius, Regis item Caroli Eleemoſynarius. Ex Archidiacono porrò Cameracenſi, Epiſcopus Anicienſis, ſive Vellavenſis, inde & Cameracenſis creatus, tandemque Cardinalis 1411. titulo S. Chryſogoni. Ita deſcribitur Sanmarth. T. I. *Gall. Chriſt.* f. 243. Piſano Concilio ann. 1409. pariter, atque Conſtantienſi 1414. interfuit. Obiit Avenione, anno 1425. inde verò Cameracum corpus ejus relatum, & hoc nobili Epitaphio in Choro Eccleſiæ conſpicuo honoratum, juxta Sanmarthanos l. c.

Mors rapuit *Petrum, petram* ſubiit putre corpus,
Sed *Petram* Chriſtum, Spiritus ipſe petit.

Scripta quam plurima reliquit, quæ tamen in unum corpus nondum redacta, neque omnia typis hactenus vulgata, fuere. Potiſſima, eaque excuſa, enarrant, Bellarminus, Labbeus, Valerius Andreæ, & Henr. Wharton. *append. Caveana*, p. 48. Huc faciunt comprimis Theologici Tractatus XVII. quos Leander a S. Martino collegit, & Duaci, 1634. 8. edidit. Sunt autem, *Speculum Conſiderationis* XII. capitibus abſolutum. *Compendium Contemplationis* Tract. III. *De IV. gradibus ſcalæ Spiritualis: Epitome quadruplicis exercitii ſpiritualis: De Oratione Dominica.* Tractatus II. *Expoſitio Salutationis Angelicæ: Verbum abbreviatum ſuper Librum Pſalmorum: Meditationes in Pſalmum XXX. In VII. Pſalmos Pœnitentiales. Meditationes in Cantica Zachariæ, Deiparæ & Simeonis: Expoſitio in Cantica Canticorum*, & cetera. Alia Argentorati prodiit collectio, anno 1490. f Comprehendit illa *Quæſtiones in IV. Libros ſententiarum: Recommendationem Scripturæ S. Principium in Curſum Bibliorum: Quæſtionem Veſperiarum, utrum Petri Eccleſia lege reguletur? Quæſtio de Reſumpta, Vtrum Petri Eccleſia Rege gubernetur, lege reguletur, fide confirmetur, & jure dominetur.* Seorſim prodierunt *Commentarii breves in Libros IV. Sententiarum*, 1500. 4.

Tracta-

Tractatus de Anima, Paris. 1494. 8. 1505. *Sacramentale*, Lovanii, 1487. *Vita S. Petri de Morono*, ſive *Cœleſtini V. P. R.* Paris. 1539. 4. & apud Surium d. XIX. Maj. *De Emendatione Eccleſiæ* Liber, extat *in Faſciculo Rerum expetend. Colon.* 1535. p. 203. & apud Wolfium, *Lect. Memorab.* T. I. p. 756. *De Eccleſiæ & Cardinalium autoritate* Liber, habetur inter *Gerſonis Opera*, Paris. 1606. T. I. p. 895. Plura Petri de Alliaco Opuſcula exhibet Henr. Wharton. Cœterum, ut ille in libro ſuo, *de Concordia Hiſtoriæ & Aſtrologiæ* divinatricis etiam, Diluvium Noæ, Natalem Domini & miracula ejusdem, omniaque prodigia, ex Aſtrologia præſciri ac prædici potuiſſe, arbitratus eſt; ita in eodem tractatu annum 1789. obtrudit, in quo Mundi finis futurus ſit. Vide Jac. Thomaſium, *de Stoica Mundi exuſtione*, p. 19. Theſ. 18. Prodierunt quoque Petri de Alliaco Opuſcula nonnulla, *in Faſciculo Rerum expetendarum*, quem cum appendice emiſit Edwardus Brown, Londini, 1690. fol. nimirum, *Recommendatio Scripturæ Sacræ*, & *principium in curſum bibliæ, præſertim in Evangelium Marci, item, Quæſtio in veſperiis: Vtrum Petri Eccleſia lege reguletur? & quæſtio de Reſumta: Vtrum Petri Eccleſia fide confirmetur?*

PETRUS ALPHONSUS.

Gente & Religione Judæus, *Moſes* antea dictus, eruditus, multarumque linguarum gnarus, ſub extremam Alphonſi VI. Regis Hiſp. ætatem, quæ in Sec. XII. principium incidit, ſuperſtitione patria abjurata, Chriſtiana Sacra ſuſcepit. Eum Rex de S. fonte levans, agnomine ſuo inſignivit, unde *Petrus Alphonſus* nuncupatus eſt. Aragonii Scriptores converſi hujus Judæi laudem ad Alphonſum primum eo nomine Aragonium Regem, ablegant, & Oſiæ, anno 1106. Chriſtianis S. ſuſceptore Rege dicto Aragonio, initiatum tradunt. Vide Joh. Marianam, *Hiſpan. Rerum* Lib. X. c. 7. f. 419. qui tamen in neutram partem pronunciare voluit. Petrus iſte noſter Chriſtianus factus, Judæorum & Maurorum Sectas ſcriptis exagitavit, hinc ex utraque gente ejus opera ad Veritatem perducti, ſicut idem Mariana tradit. Ejus *Dialogum contra Judæos*, Coloniæ, 1536. apud Gymnicum excuſum Michael Neander *in Erotem. S. Linguæ* p. 539. itemque in *Bibliothecis ſuis*, Simlerus atque Friſius referunt. Eundem in XII. titulos diſtributum vid. T. XII. *Bibl. Patr. Colon.* P. I. f. 358. & *editionis recentiſſimæ*, T. XXI. p. 172. Conf. quæ ex iſto Dialogo, poſt Centuriatores, retulit Schopfius

Acad.

Acad. J. C. f. 167. ſeq. atque adde, quæ de Alphonſo habent Schottus *Bibl. Hiſp.* T. II. f. 239. Trithemius f. 69. b. Hendreich *Pandect. Brandeb.* Du Pin, T. IX. p. 180. & alii.

PETRVS DE ALVERNIA.

Gallus, multa eruditione conſpicuus, S. Thomæ diſcipulus anno 1280. claruit. Hic autor *appendicis ad Summam S. Thomæ*, cum *Summa S. Thomæ* toties impreſſæ. *Commentariorum in aliquot Libros Phyſicorum Ariſtot.* Venet. 1507. excuſorum, *Appendicis ad Commentaria S. Thomæ* ad Libros Ariſtotelis, *de Cœlo*, Venet. 1495 Alia plura manuſcripta in Angliæ B bl. adſervata, eaque Philoſophica, memorat Caſim. Oudin. *Suppl. de Script Eccleſ.* p. 555. ſeq. Poſſevinus *Appar.* S. Ambroſius de Altamura *in Bibl. Dominicana* & alii.

PETRVS DE ANCHARANO.

Patria Bononienſis, profeſſione JCtus, Baldi auditor circa annum 1410. jam tum floruit. Obiit Bononiæ, ubi humatus & *Canonis ſpeculum, Civilisque anchora Juris*, in ſequenti Epitaphio celebratus:

Canonis hic ſpeculum, Civilis & anchora Juris
Hic jacet æternas mens tenet alta domos.
Quis ſuperavit eum virtute micante? quis iſto
Conſiliis hominum clarior ante fuit?

Scripſit *Comment. in Decretales & Clementinas*, Lugd. 1549. 1553. f. Bonon. 1581, f. *Conſilia*, Venet. 1568. 1585. 1589. 1599. *Selectas Quæſtiones JCtorum* Francof. 1581. T. III. edit. De eo Cl. Wharton. *app. Cav.* p. 62. Boiſſard. *Icon. Illuſtr.* P. I. f. 106. Labb. p. 183. juxta cum aliis, diſſeruerunt.

PETRVS.

Antiochenus Patriarcha, anno 1040. clarus, Scripſit *Epiſtolam Reſponſoriam ad Dominicum Gradenſem*, quam vide apud Coteleriũm *Monum. Eccleſ. Gr.* Tom. II. p. 112. *Epiſtola II.* ad Michaelem Cerularium, ibid. p. 145. quarum unam jam antea produxerat, fere integram, Leo Allatius, *de Conſenſu Eccleſ. Orient. & Occident.* l. 3. c. 12. §. 4. Conf. Cl. Cave P. I. p. 421.

PETRVS APOLLONIVS COLLATIVS vide APOLLONIVS.

PETRVS DE AQVILA.

Cognomento *Scotellus*, Baccalaureus Pariſinus, Ordinis minorum, de cujus ætate nil certi definire licet, quam quod dicatur anno 1480. edidiſſe *Epitomen in IV. Libros Sententiarum*, Spiræ impreſſam. Vid. Simler. l. c. f. 552. Willot. *Athen. Franc.* p. 298.

PETRVS AVREOLVS.

Verberiæ, Piccardiæ oppido, ad Iſaram ſive Oeſiam, fluvium, natus, unde & *Verberius* audit. Hic, cum diu in Pariſienſi ſchola S. litteras publice docuiſſet, *Doctoris facundi* trito mactatus nomine, ex ordine Franciſcano ad regimen Archi-Epiſcopatus Aquenſis evectus, anno 1321. juxta Sanmarthanos T. I. *Gall. Chriſt.* f. 17. qui ſimul notant, Minoritas, quos inter Willotus quoque eſt l. c. p. 294. ſine fundamento Cardinalem eum factum aſſerentes, erroremque Ciacconii detegunt, qui Arnaldum Auxium, Pictavienſem Præſulem, pro ipſo Aureolo exhibuerit, atque infulis Aquenſibus decoratum obſervarit. Scripſit autem *Breviarium Bibliorum ſive Epitomen Vniverſæ Sacræ Scripturæ juxta literalem ſenſum* edit. Venet. 1507. 1571. Pariſiis porrò 1565. 1585. cura Stephani Novelletii Thallorini, Theologi Pariſienſis, qui repurgavit & tabulis analyticis illuſtravit. Argentinæ item 1514. Extant quoque *Aureoli Camment. in IV. Libros Sentent.* a Joh. Capreolo paſſim exagitati, editi Romæ 1595. f. & antea 1505. *Quodlibeta varia*, Rom. 1605. Quibus adde *Tract. de immaculata B. Virginis conceptione*, Tholoſæ excuſum, non quidem anno 1314, uti legere eſt apud Hippolytum Maraccium *in Biblioth. Mariana*, ſed forte ab autore tum ſcriptum, aut anno 1514. impreſſum, ſicuti quidem Maraccii aut Sphalma, aut errorem æquiter corrigit, rigidiſſimus aliàs in alios, noſtrates maxime, Labbeus. Vid. p. 184. *Roſæ diſtinctiones*: *Sermones de Tempore & Tract. de paupertate* manuſcripta in conventu Sagienſi Normannico adſervari ſcribit Luc. Waddingus, *de Script. Ord. Min.* p. 276. & qui ipſum ſequitur. Cl. Wharton, *app. Cav*, p. 16.

PETRVS DE BERGOMO.

Ordinis Prædic. S. Scripturæ Profeſſor, cujus *Tabulæ ſuper omnia Opera Thomæ Aquin.* extant, Baſileæ, per Bernhardum Richel impreſſæ, 1478. fol.

PETRVS BLÆSENSIS.

A natali Galliæ ad Ligerim oppido cognominatus, ex Canonico Bituricenſis Eccleſiæ, Bathonienſis in Anglia Archidiaconus, & poſtea etiam Londinenſis Archidiaconus & Cantuarienſis Archi-Epiſcopi Cancellarius, ipſiusque Regis Procancellarius anno 1160. clarus, circa annum 1200. obiiſſe videtur. Primus omnium fuiſſe apparet Calixto, Tract. *de Transſubſtant.* theſ. 13. qui *Transſubſtantiationis* vocabulum in re Euchariſtica uſurpaverit. Scripta ejus poſt Labbeum p. 186. Cave recenſet, quos proinde evolvas. Prodierunt autem Pariſiis 1519. & cura Joh. Buſæi Moguntiæ, 1600 4. ibid. cum appendice 1605. 8. Paris. 1667. f. & exinde *Bibl. Patr.* T. XXIV. p. 911. 1077. inſerta. *Continuatio vero Hiſtoriæ Ingulphi Crolyandenſis* ad an. 1118. cum *Ingulphi Hiſtoria*, primum prodiit, in *Collectione Rerum Anglicarum*, Oxon. 1684. f. p. 108. Lib. II. *de Præſtigiis Fortunæ* manuſcriptos ſe vidiſſe teſtatur Caſim. Oudin. p. 472. *Dialogus* vero *ad Henricum Regem, Opus Novellum de aſſertione fidei*, Lib. *de rebus geſtis Henr. II. Angl. Regis*, ipſi Petro Epiſt. XIV. memorata, procul dubio interierunt.

PETRUS CANDIDUS DECEMBER.

Viglebanus Mediolanenſis, anno 1450. clarus, Litteras græcas atque Latinas Mediolani docuit, poſt vero Nicolai P. V. Magiſter brevium factus eſt. Scripſit *Vitam Philippi Mariæ, Vice Comitis* Mediolani Ducis III. *Vitam Franc. Sfortiæ*, Mediol. Ducis IV. quæ poſterior lucem alicubi vidit. *De genitura hominis* Liber Romæ prodiit. Opus ejus *de Origine fidei* & *Dialogus de Ignorantia Vitæ* Manuſcript. extant in Bibl. Lugduno-Batava. *Epiſtolas* quoque & alia, Cl. Caveo P. II. p. 309. memorata, cum huc non ſpectent, pro lubitu evolvas.

PETRUS CASSIODORVS.

Anglus Eques, anno 1250. clarus. Vir magna conſpicuus eruditionis laude, jugi Papalis pertæſus, ſcripſit ad Angl. Eccleſiam, *E-*

piſtolam de excutienda Tyrannide R. P. in Anglia, quam exhibet Flacius in *Catalogo Teſtium Veritatis* p. 365. & Goldaſtus, *Monarch.* T. I. p. 11. Loquitur de eo Cave *in Hiſt. Litt.* P. I. p. 500. & P. II. p. 271.

PETRUS CELLENSIS.

Patria Gallus, prius monaſterii S. Petri Cellæ prope Trecas, poſt S. Remigii Remenſis abbas, Carnotenſis Epiſcopus, Joh. Sarisberienſi anno 1182. ſuccedens, vir ſuo ſeculo pius atque doctus, ut fidem faciunt Scripta, quæ Pariſiis cura anonymi 1671. junctim prodierunt. Prodierant autem jam ante Lib. *de Panibus*. Lib. II. *Myſticæ expoſitionis Tabernaculi Moſaici: de Conſcientia* Liber. Pariſ. 1600. 8. *Epiſtolarum* Lib. IX. ſtudio Sirmondi, Pariſ. 1613. 8. Lib. *de Diſciplina Clauſtrali: Sermones de Tempore &c.* quære in noviſſima edit. Pariſienſi 1671. Conf. Cl. Cave, Oudin, Miræus, Sammarthani T. II. f. 491. T. IV. 236. Labb. p. 189. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. pasſim, & alii.

PETRUS CHRYSOLANUS.

Eccleſiæ Mediolanenſis Archi-Epiſcopus anno 1110. clarus, qui tamen Sedem Archi-Epiſcopalem Jordani relinquere, ex ſententia Concilii Lateranenſis, fuit coactus. Scripſit *Orationem ad Alexium Comnenum de Proceſſione S. S.* quam lat. exhibet Baronius ad an. 1116. gr. lat. vero L. Allatius *Orthod. Græc.* T. I. p, 379. Conf. de eo Cl. Cave P. I. l. c. p. 446. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IX. pasſim.

PETRUS CHRYSOLOGUS.

Italus in Foro-Cornelii, quod recentiores Imolam vocant, natus, vir eruditus & Sanctus, ex aurea ingenii atque eloquentiæ ubertate *Chryſologi* nomen conſecutus, Ravennatium Epiſcopus factus, anno circiter 433. anno vero 449. aut 450. ad meliorem vitam evocatus, ſicut ex Leonis Papæ ad Leonem, Petri Chryſologi ſucceſſorem, anno 451 ſcripta epiſtola 37. certo conſtat. Vnde patet, quam multum aberrent, qui usque ad annum 502. ſupervixiſſe, Concilioque Romano ſub Symmacho eum interfuiſſe ajunt, vid. Labb. p. 191. & *Bibl. Colon Indic. Chronolog.* Scripſit *Homilias in Textus Dominicales & feſtivales*, non tantum 122. uti Bellarminus & Sixt. Senenſis, referunt, ſed 176. editas Colon. 1541. 1618. 1627 1678. 4. Paris. 1614. 1623. Lugduni 1633. Bonon 1643. 4. & in *Bibl. Patr.* T. VII. *Epiſtolam ejus ad Eutychum Archiman-*

dri-

dritam gr. lat. cum notis Gerardi Voſſii, vide ad calcem *Operum Gregorii Thaumaturgi*, Mogunt. 1603. p. 205. & *Concil.* T. IV. p. 35. Elogia Chryſologi dabit Daumius, præfatione *Homiliarum SS. Patrum de Nativitate J. C.* cum nonnullis illius Sermonibus Natalitiis. Conf poſt alios Eliam Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 176.

PETRUS CLUNIACENSIS vid. MAURITIUS.

PETRUS COMESTOR.

Sive *Manducator* dictus, quod S. Biblia ita memoriter proferret, quaſi ea in memoriæ ventrem eſu comediſſet. Erat Petrus Eccleſiæ Patriæ Trecenſis Canonicus, atque Decanus, nec non Eccleſiæ D. Mariæ Pariſienſis Cancellarius, ac tandem tranquillitatis deſiderio, prout Sanmarthani T. III. f. 1088. judicant, S. Vict. Pariſ. Canonicus Regularis anno 1173. Vita functus anno 1198. Silveſt. Marulus Opere cui titulus: *Mare Oceano della hiſtoria S. di tutte le Religioni Lib. I.* f. 18. hoc ejus Epitaphium refert:

Petrus eram, quem Petra tegit, dictusque Comeſtor,
Nunc comedor. Vivus docui nec ceſſo docere
Mortuus; ut dicat, qui me videt incineratum,
Quod ſumus, iſte fuit, erimus quandoque quod hic eſt.

Hiſtoriæ Scholaſticæ Magiſter, vulgò audit, quam in XVI. Libros diſpertitam, Wilhelmo, Senonenſi, dein Remenſi Archi-Epiſcopo, tandemque Cardinali inſcripſit, Opere iſto utriusque Teſtamenti hiſtorias, admiſtis etiam profanis & inſertis aliis, convaſavit. Excuſum illud primo Reutlingæ, 1473. poſt Argentinæ, 1483. Baſil. 1486. f. Lugd. 1543. 8. & alibi, *Varios Sermones*, qui inter Petri Blæſenſis Opuſcula habentur, Comeſtori vindicat Petrus de Guſſanvilla, in recentisſima Petri Blæſenſis editione, quæ Pariſ. 1667. fol. prodiit. *Alii Petri Comeſtoris ſermones*, manuſcripti, hinc inde deprehenduntur, de quibus Cl. Cave P. I. p. 475. & Caſim. Oudin. p. 462. qui illorum 114. in Bibl Longipontenſi Ordinis Ciſterienſis reperiri, fidem nobis faciunt. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv* T. IX. p. 188.

PETRVS DAMIANI vid. PETRVS DE HONESTIS.

PETRVS.

Diaconus Aſiaticus, unus ex iis, qui e græcia Romam in cauſa fidei ſub Anaſtaſio Dioſcoro, Imperatore, ejusque ſucceſſore, Juſtino, Seniore, venerunt, ſicut docet Labbeus, p. 206. & Cave P. I. p. 371. Vixit circa annum 520. & ad Fulgentium Ruſpenſem, aliosque Africæ Epiſcopos, exaravit Librum *de Incarnatione & Gratia Domini noſtri J. C. ſive de Gratia & Libero Arbitrio.* Habetur ille inter *Fulgentii Opera* & *Orthodoxogr.* p. 1241. & *Bibl. Patr.* T. IX.

PETRVS.

Diaconus Conſtantinopolitanus & Cartophylax anno 1092. floruit. Scripſit *Reſponſa brevia ad Interrogata de diverſis caſibus*, quæ extant gr. lat. *in Jure Gr. Rom.* L. VI. p. 395. De eo Cave *Hiſt. Litt.* P. I. pag. 438.

PETRVS.

Romanus, Ægidii filius, anno 1110. natus, Monachus Caſinenſis, poſt Eccleſiæ Oſtienſis Diaconus & Coenobii Caſinenſis Bibliothecarius, anno 1137. claruit. Tandem a Lothario, Imperii Romani Capellanus, & Logotheta factus eſt. Multos admodum ingenii foetus perfecit, ſed collapſos ac diſperſos quam plurimos. Ejus de *Viris illuſtribus Caſinenſibus opuſculum*, cum notis Joh. Bapt. Mari, Romæ 1655. & Pariſ. 1666. 8. prodiit. Extat quoque *in Bibl. Patr.* T. XXI. p. 347. Inibi vide Petri Diaconi vitam, Laudes & Scripta p. 70. ſeqq. quorum aliquando edendorum ſpem fecit Jo. Bapt. Marus. pag. 75. Ejusdem *Monaſterii Caſinenſis Chronica*, autore Leone Cardinale, Oſtienſi Epiſcopo, conſcripta, à Petro verò Diacono continuata, edidit, notisque illuſtravit, atque Clementi IX. dedicavit Angelus de Nuce, Neapolitanus, Abbas Caſinenſis CXXXVI Pariſ. 1668. & alibi excuſa. Liber *de notis Literarum Romanarum ad Conradum Imperatorem*, prodiit primum, Venetiis, 1525. & deinde *antiquæ Grammaticæ Scriptoribus*, Hanoviæ editis, inſeruit Elias Putſchius. Conf. Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 775. & 786.

PETRVS DORLANDVS vide DORLANDVS.

PETRUS DRESDENSIS.

Qui Miſnenſem, Chemnicenſem & Zwiccav. Scholas, rexit, Huſſi & Hieronymi doctrinam ſecutus, Pragâ diſceſſit anno 1409, autor *hymnorum Eccleſiaſticorum, ante introitum Templi, diebus quibusdam feſtis decantandorum*, it. *de Natali Chriſti Canticorum*, quibus Latinis germanica mixta ſunt. Vid. Thomaſii *Diſſertationem de Petro Dresdenſi* & maxime de ejus *Hymnis* §. 103. *Puer natus in Bethlehem: In dulci Jubilo &c.* & aliis, qui tamen poſterior rectius antiquiori tribuitur autori. Vide Cariſſimi fratris, Jo. Chriſtophori Olearii, *Theſaur. Hymnol.* P. I. p 38.

PETRUS de DUSBURG.

A Patria dictus, Ordinis Teutonici frater & Sacerdos, anno 1326. claruit, non vero anno 1425, quod in Oudino obſervat Cl. Wharton *app. Cav.* p. 17. Scripſit *Chronicon Pruſſiæ* ſive *Hiſtoriam Ordinis Teutonici*, quod e tenebris protraxit Chriſtoph. Hartknochius, Francof. & Lipſiæ. 679. 4. Conf. de hoc autore Hartknochii *præfatio* & *Diſſertatio I. de variis rebus Prusſicis* p. 5.

PETRUS GALATINUS vide GALATINUS.

PETRUS.

Gente Gallus, Malleacenſis Monachus, circa annum 1070. claruit. Ejus Libros II. *de antiquitate & commutatione in melius Malleacenſis Inſulæ & Translatione corporis S. Rigomeri* ad Goderammum, Abbatem ſuum, ſcriptos, extulit Labbeus, *Bibl. Nov.* T. II. p. 222. Conf. Cave P. II. p 202.

PETRUS de HERENTHAL.

Natione Belga, ab oppido cognomine ſic dictus, Canonicus ac Prior Cœnobii Floreffienſis, Ord. Præmonſtratenſis, anno 1390. clarus, juxta Simlerum, *Bibl.* p. 558. anno 1436. obiit. Scripſit *Expoſitionem Pſalmorum*, quæ Colon. 1487. f. Reutlingæ, 1498. Rothomagi 1504. 4. Colon. 1534. prodiit. *Commentarium in IV. Evangel.* & *Chronicon ab O. C. ad annum 1385.* manuſcripta adducit, qui eadem in Bibl. Floreffienſi vidit, Caſim. Oudin, *Suppl. de Script.* p. 657. Plura ejus Manuſcripta exhi-

exhibent Cave P. II. *Hiſt. Litt.* p. 288. & Franc. Sweertius *Athen. Belg.* pag. 621.

PETRVS IEREMIAE.

Panormitanus Siculus, Ord. Prædicatorum Conventus Bononienſis, anno 1430. clarus, anno 1452. Bononiæ obiit. Scripſit *Sermones de Tempore & de Sanctis. Expoſitionem Orationis Dominicæ: X. Præceptorum: Tract. de Paſſione Domini: Tract de Fide:* quæ ſingula Hagenoæ, 1514. prodierunt. Plura vero in Manuſcriptis deliteſcentia memorat, qui de ipſo Petro noſtro prolixè ſatis diſſeruit, Altamura *Bibl. Prædicat.* p. 173.

PETRVS KYERSLACH.

Cujus *Paſſionem Chriſti ex IV. Evangeliſtis* & ejusdem *de Planctu Mariæ* Tractatum, 1487. 4. impreſſum, vidimus in Bibliotheca Hallenſi Mariana.

PETRVS LAODICENSIS.

Ejus & Germani, Patriarchæ Conſtantinopolitani, *expoſitiones in Orationem Dominicam*, extant T. VII. *Bibl. Patr. Colon.* f. 254. Floruit juxta Coccium Sec. VII. Conf. Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 28.

PETRVS LOMBARDVS.

Lombardus a patria appellatus, Novariæ, in Longobardia Transpadana oppido oriundus, cognomento *Magiſter ſententiarum & Theologorum Scholaſticorum*, ex Canonico Carnotenſi, Pariſienſis, non Archi Epiſcopus, ut Blondellus minus circumſpecte ſcripſerat, arguente Labbeo, p. 207. ſed Epiſcopus ab anno 1159. ad 1164. quo diem ultimum obiit. Ita Sanmarthani T. I. *Gall. Chriſt.* f. 435. Epitaphium ipſi poſitum transſcripſit. Cl. Cave P. I. p. 464. idque ſequens eſt:

Hic jacet Magiſter Petrus Lombardus Pariſienſis Epiſcopus, qui compoſuit Librum Sententiarum, Gloſſas Pſalmorum & Epiſtolarum, cujus obitus eſt dies decimus tertius Cal. Aug.

Sunt, qui Lombardi fratres Petrum Comeſtorem, & Gratianum dicant, eosque tergeminos ſpurios aut adulterinos ex moniali ſeu Non-

na

na natos. Vid. Tiraquellus *de Nobilit.* c. XV. n. 32. f. 109. quam quidem relationem fabuloſam arbitrantur Sanmarthani, aliique, & falſitatis ex eo convincere nituntur, quod diverſis illi temporibus claruerint, quodque diverſis fuerint prognati locis, ſiquidem Lombardus, patria Novarienſis, Comeſtor, Trecenſis, Gratianus vero, Hetruscus, extiterit. Vide tamen quæ moveat Zieglerus. *prælim. Jur. Canon.* p. 29. Maximè claruit, *Libris IV. Sententiarum* paſſim editis. & quidem Norib. 1474. Venet. 1480. fol. Baſil. 1492. 1498. fol. Norib. 1478. 1499. 1528. 8. Baſil. 1513. Paris. 1564. 8. Lovan. 1556. 1576. 4. Paris. 1574. 1577. 8. Lugduni 1581. Colon. 1609. Quam inepte horum quatuor Librorum numerum e S. Scriptura exquirant Thomas, Bonaventura, Richardus Mediavillanus, &c. vid. Dorſchæus, *in Antikirch.* §. 59. ſeqq. Cæterum, nos eam non dirimemus litem, an Lombardus ex Bandino, ſive Bandinus ex Lombardo ſua hauſerit, ſed alios potius hujus cupidos rei ad Cl. Jac. Thomas. *De Plagio Litterario.* Sect. 493. ſeqq. remittimus. Scripſit etiam Lombardus *Gloſſas ſive Comment. in Pſalmos*, Paris, 1541. f. & in *Pauli Epiſtolas Collectanea è Sanctis Patribus*, contexta, excuſa, ibidem, 1535. Omnia ejus Opera prodierunt Noribergæ, 1478. Baſil. 1486. Inſanæ illum de Trinitate Doctrinæ accuſavit Joachimus, Abbas Florenſis, in peculiari libello. Chriſtum certe perfectum eſſe hominem, negaſſe, videtur. De eo poſt alios, Du Pin l. c. p. 206. ſeqq.

PETRVS de LVXENBVRG.

Sive *de Lutzelburg*, clariſſima ſtirpe ortus, natus ann. 1369. ex Archidiacono Droceṇſi, Metenſis ann. 1383. adeoque vix XV. ætatis ſuæ anno, Epiſcopus, factus purpuræ etiam honore a Clemente VII. Pſeudo Papa, ornatus & Diaconus Cardinalis S. Georgii in velabro conſtitutus, Thaumaturgus, ſi vera ſunt, quæ paſſim de eo narrantur, qui tamen ann. 1387. ætatis vero XIIX. brevi conſummatus, obiit. Vid. Sanmarth. T. III. *Gall. Chriſt.* f. 722. & Chifflet. *Veſont.* P. II. f. 290. *Orationem* ſive *Litaniam ad Deum & Sanctos*, 65. ſtrophis conſtantem lat. & Rythmice ſcripſit, quam vide apud Franc. Du Chesne *Hiſtoire de Tous les Cardinaux François*, Pariſiis fol. publicata. Idem Petrus, ann. 1500. in numerum Sanctorum a Papa relatus traditur. Vid. l. c. & Ughellum *ad Ciacconium*.

PETRVS MARTYR ANGLERIVS.

Italus Mediolanenſis, Protonotarius Apoſtolicus, anni 1501. claruit. Ob varia demum & præclara merita a Ferdinando, Hiſpaniarum Rege, Prior Archi-Epiſcopatus Granatenſis conſtitutus. Expiravit poſt annum 1525. Scripſit *de Navigatione Oceani*, Pariſiis 1587. 8. *De Legatione ſua Babylonica* Lib. III. Baſil. 1533. Colon. 1574. 8. *Epiſtol.* Lib. XXXIIX. Compluti 1530. Amſtelod. 1670. f. impreſſos Bene de eo judicat Gomecius, *de rebus Geſt. Fr. Ximenii Lib. I.* quod *Styli ruditatem rerum a Petro traditarum fides egregiè compenſet.* Evolv. Cl. Wharton *append. Cav.* p. 131.

PETRVS.

Natione Gallus, Vallis Sarnenſis in Diœceſi Pariſienſi Ord. Ciſterc. Monachus, ann. 1212. claruit. Scripſit juſſu Innocentii III. P. R. *Hiſtoriam Albingenſium & S. belli* in eos a Simone a Monte forti, anno 1209. ſuſcepti, quæ prodiit cura Nicolai Camuzacii, Trecis, 1615. & in *Bibl. Ord. Ciſterc.* a Bertr. Tiſſierio, 1669. edita T. VII. p. 1. Gallice illam reddidit Arnoldus Sorbinus, atque Paris. 1569. vulgavit. Conf. Cave P. II. p. 247. Carolus Viſchius, *Bibl. Ord. Ciſterc. Script. pag. 276.* Oudin *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 484. Aub. Miræus in *Auct. ſuo de Script. Eccleſ.* cap. 403. atque alii.

PETRVS MONGVS.

Ex Eccleſiæ Alexandrinæ Diacono, ejusdem Eccleſiæ Epiſcopus quidem factus, ſed ob Eutychianiſmum a ſede remotus & in Synodo Conſtantinop. ann. 489. damnatus, ann. 490. obiit. Extat ejus *ad Acacium Conſtantinop. Epiſtola* apud Evagrium, L. III. c. 17. De eo Cave, *Hiſt. Lit.* P. I. p. 260.

PETRVS de MOLLENBECKE.

Ordinis minorum & Conventus Colonienſis Lector, Autor *Tabulæ utiliſſimæ, in Libros V. & N. T. Comment. Nicolai de Lyra, directivæ,* editæ ann. 1480. Coloniæ, in fol.

PETRUS DE NATALIBUS.

Venetus, ex Parocho Sanctorum Apoſtolorum Epiſcopus Esquilinus, circa annum 1470. quasdam *Script. S. Hiſtorias* edidit, in quibus brevitatis ſtudioſior ac omnino diligentior eſt, quam Jacobus de Voragine, judice poſt Wicelium, in *præfatione Hagiologii*, Voſſio, Lib. III. *Hiſt. Lat.* c. 8. Attamen cum judicio & hic Scriptor in aliquibus legendus eſt, uti Vaſæus cenſet in *Chronico Hiſp.* c. 5. Extat autem Argent. 1502. & Lugduni 1542. impreſſus. Add. Criſm Cl. Eſpencæi, Doctoris Paris. in 2. Tim. IV. n. 21. ajentis: Facilius Augiæ ſtabulum, quam talibus fabellis multorum tum libros, tum conciones repurges, præſertim, quem *Petrus de Natalibus*, Venetus, *Catalogum Sanctorum* inſcripſit. Compoſuit quoque *Catalogum Venetorum Senatorum & geſtorum eorum*, qui Vincentiæ 1493. prodiit. De eo poſt jam cit. Autores, Aub. Miræus, Oudin, H. Wharton. *locis citatis*.

PETRUS.

Metropolita Nicomedienſis, ann. 680, claruit. Ob hæreſin Monotheletarum accuſatus, crimen illud peculiari *Confeſſionis Libello* diluit. Extat illegr. lat. *Concil.* T. VI. p. 842.

PETRUS NIGER.

Germanus, Ordinis Prædicat. Monachus, ann. 1475. clarus, linguæ hebraicæ addiſcendæ cauſâ in Hiſpaniam ſe contulit. Scripſit *de Conditionibus veri Meſſiæ & de Judæorum perfidia*, Eslingæ, 1475. f. edit. *Clypeum Thomiſtarum*, Venetiis, 1481. impreſſum. De eo Cl. Cave P. II. l. c. p. 315.

PETRUS PALUDANUS.

Sive de Palude, Burgundus, Toparchæ in Breſſia filius, unde & quibusdam Lugdunenſis dicitur, quia Breſſia & ad Lugdunenſem diœceſin, & ad Burgundiam pertinet, docente Labbeo, p. 210. Ex Ordine Prædicatorum & Juris Pontifici Doctore, Hieroſolymitanus Patriarcha, florens, non quidem ann. 1262. ut Albertus Venetus aſſerit, nec 1256. ut Eiſengrenius, neque 1300. ut alii, de quibus Labbeus l. c, ſed juxta Sixtum Senenſem, Bellarminum, & Whartonum, ann.

1330. Obiit ann. 1342. Scripſit *in Libros III. & IV. Sententiarum*, quorum in *tertium* Paris. 1517. f. in *quartum* ibidem 1514. f. ſeorſim prodierunt. Conjunctim autem excuſi ſunt, Paris. 1530. T. II. f. *Sermones de Tempore per totum annum*, Antwerp. 1571. Venet. 1584. 8. Colon. 1608. 8. *Tract. de Cauſa immediata Eccleſiaſticæ poteſtatis*, Paris. 1506. *Quod fratres Prædicatores poſſint habere poſſeſſiones & reditus*, Tract. alicubi impreſſum in 8. allegat H. Wharton, l. c. p. 19. *Comment. in Script. S. univerſam: in I & II. Sententiarum Libros:* Codex membranaceus Petri de Palude *Commentarium in. III. Libros Sententiarũ* exhibens, habetur in Bibliotheca noſtra Jenenſi. *Tract. de Paupertate Chriſti & Apoſtolorum, contra Michaelem de Cæſena*, in Manuſcript. paſſim monſtrantur. Conf. Ambroſius de Altamura *Bibl. Præd.* p. 110. qui ſingula Paludani Opera Pariſiis, cura Mag. Fratris Joh. Primarii, Regentis Pariſienſis, impreſſa fuiſſe, prodit.

PETRVS PICTAVIENSIS.

Poeta & Monachus Cluniacenſis, qui an. 1160. claruit, ſcripſit *nobile Poëma ad laudem abbatis ſui, Petri Cluniacenſis*, quod cum Petri Clun. Operibus impreſſum eſt. De eo Caſimir. Oudin. *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 430.

PETRVS PICTAVIENSIS.

Pariſienſis Academiæ Cancellarius, Petri Lombardi diſcipulus, ex profeſſione Theologica ad Archi-Epiſcopatus Ebrodunenſis Infulam evectus, obiit, ann. 1205. Albericus in Chronico ſcripſiſſe illum refert librum Theol. Sententiarum, ad Guilielmum Senonienſium Antiſtitem, Poſtillas item & diſtinctiones, excogitaſſe quoque arbores hiſtoriarum in pellibus depingere & de virtutibus ac vitiis ſimiliter compendioſe agere. De eo Sanmarthani T. I. *Gallia Chriſtian.* f. 277. *Summa Sententiarum* impreſſa eſt, Pariſiis, cum *Summa Sententiarum Roberti Pulli*, ann. 1655. *Allegorias verò ſuper Biblia, & ſuper Tabernaculum Moſis*, manuſcript. memorat Oudin, l. c. p. 477.

PETRVS de PILICHDORF.

Natione forſan Germanus, S. Theol. Profeſſor, ann. 1444. clarus, prout conjicit H. Wharton, *in append. Cav.* p. 87. Scripſit *Librum contra*

tra Sectam Waldenſem, qui cum Reinerii Sachoni, ejusdem argumenti opere, Ingolſtadii, 1613. à Gretſero excuſus eſt. Ibidem p. 279. reperitur pars *Tractatus contra pauperes de Lugduno*. Utrumque Opuſculum & *in Bibl. Patrum* T. XXV. eſt tranſlatum.

PETRVS RANZANVS,
vide RANZANVS.

PETRVS RAVENNAS,
vide RAVENNAS.

PETRVS de RIGA.

Gente gallus, Eccleſiæ Rhemenſis Cantor atque Cononicus, circa annum 1170. claruit, vel juxta Ambroſium de Altamura, anno 1263. ſicut refert *Bibl. Domin. Cent.* I. ad ann. 1263. Ejus eſt *Aurora*, ſive *Heptateuchus*, *duos libros Regum & IV. Evangelia* metrice reddens, quem editioni paratum penes ſe habuiſſe teſtatus Oudin. l. c. p. 472. Conf. Joh. Albert. Fabr. *Bibl. Lat.* p. 718. Du Pin l. c. T. IX. pag. 187. Manuſcript. extat in Bibl. noſtra Salana, & quidem in codice membranaceo.

PETRVS de ROSENHEIM.

Germanus, O. B. Monaſterii Mellicenſis in Auſtria Monachus, Poeta atque Scholaſticus inſignis, circa annum, 1417. juxta Trithemium clarens, ſcripſit *Roſeum memoriale divinorum*, quod Argentorati, 1544. apud Balthaſarem Bechz prodiit, & Lipſiæ 1505. *Summam Theologiæ* & *Rationarium Evangeliſtarum*, quæ in Lateranenſi Bibl. manuſcripta aſſervari, fidem facit Cl. Oudin. p. 691. De eo Sixtus Senenſis, & Poſſevinus *app. S.* T. II. p. 266.

PETRVS SCHOTTVS vide SCHOTTVS.

PETRVS.

Baſilii & Gregorii frater natu minimus, Presbyter ac Epiſcopus Sebaſtenus, comitatis, benignitatis ac beneficentiæ laude conſpicuus, ann. 370. floruit. *Vnica ejus ad Gregorium fratrem Epiſtola* extat, Libris Nyſſeni adverſus Eunomium, præmiſſa. Conf. Cave P. I. p. 139. Hanc Epiſtolam arabicè ſcriptam, ſub *Demonſtrationis* nomine, extare manuſcriptam, teſtatur Abr. Ecchellenſis, *Not. ad Catal. Hebedjeſu* p. 51. qui aliqua ejus fragmenta ibidem produxit.

PETRVS SICVLVS.

Genere & doctrina ann. 870. clarus, de quo Baronius, Poſſevinus, Voſſius, Miræus, Oudinus & Cave loquuntur. Scripſit *Hiſtoriam de ortu, progreſſu & occaſu Manichæorum,* quam a Marco Velſero acceptam, primus græc. lat. extulit Matth. Raderus, Ingolſt. 1604. 4. Vide illam quoque *Bibl. Patrum* T. XVI. lat. inſertam. Partem ejus jam exhibuit Baronius. T. IX. *Annal.* p. 31. qui illum male *Lucam Siculum* vocavit. De eo Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 194.

PETRVS de TARENTASIA.
vide INNOCENTIVS V.

PETRVS.

Theologicæ Scholæ Pariſienſis Rector, poſt Cantor, & ob inſignem, quâ pollebat, Theologiæ peritiam, Tornacenſis anno 1191. Epiſcopus electus. ann. 1197. obiit. Scripſit *Summam*, quæ *verbum abbreviatum*, eò, quod ab his verbis incipit, vocatur, impreſſam Montibus Hannoviæ, 1639. 4. *Summam, Abel: Magnam Summam de Sacramentis: Diſtinctiones Cantoris Pariſienſis: de Contrarietatibus Theologicis Opuſculum: Grammaticam Theologorum, Gloſſam in Libros Numerorum, Deuteronomii, Joſuæ, Judicum, Ruth, in Evangelia, in Novum Teſtamen-*

ſtamentum & alia, de quibus Sanmarthani T. III. *Gall. Chriſt.* & Caſimirus Oudin. Suppl. *de Script. Eccleſ.* p. 464.

PETRVS TVDEBODVS

vide TVDEBODVS.

PETRVS de VINEIS.

Natione non quidem Teutonicus, ut Trithemius putavit, ſed Italus, & quidem Capuanus, ſicut docuit Simon Schardius, in vita, ejus Epiſtolis præfixa. Fridericus II. Imperator, eo Cancellario electo, in graviſſimis rebus ejus opera uſus, eique muneri dum præfuit, *VI. Libros Epiſtolarum*, ex Imperatoris ſui perſona, conſcripſit, multijuga rerum Sacrarum & profanarum ejus ævi hiſtoria refertos, & e tenebris primo erutos atque editos per Simonem Schardium, Baſil. 1566. 8. poſt recuſos, Ambergæ, 1609. 8. *Dictamina*, forſan ejus, manuſcript. allegat Cl. Cave P. I. p. 496. Contra eum Innocentius IV. qui aliis III. Librum ſcripſit *de Juriſdictione Imperii & autoritate P. R.* teſte Valentino Fœrſtero, *in hiſtoria Jur. Civil. Rom.* Cæterum ob proditionem in Cæſarem, quem veneno enecare intenderat, comprehenſus, & oculorum effoſſione multatus, in S. Miniati arce, vitæ miſerrimæ impatiens, mortemque ſibimet ipſi inferens, triſtiſſimum vitæ exitum, ann. 1249. ſortitus eſt. Vid. Pandulphum Collenutium *Lib. IV. Hiſt. Neapol.* f. 151. edit. Baſil. 1572. Andr. Presbyterum Ratisp. *in Chron.* f. 79. & adde Schardium l. c. ubi ſimul excurrit in enarrationem non paucorum optime meritorum virorum, qui vel minima occaſione gratia Magnatum lapſi, vitæ periculum ſubierint.

PHILASTRIVS.

Ex Presbytero Brixienſis in Italia Epiſcopus, ab anno 380. ad 387. quo obiit. Strenuus erat Catholicæ veritatis adverſus Arianos propugnator. S. Auguſtinus Mediolani eum ſe vidiſſe ait, *Libr. de Hæreſibus, præfatione.* Vitam Philaſtrii ſcripſit Gaudentius, quam

vide

vide apud Surium d. XIIX. Julii. Ejus *Liber de Hæreſibus*, quas a principio mundi ad ſua usque tempora enumeravit, extat. T. IV. *Bibl. Patrum* Paris. edit. 2. f. 1. & in aliis editionibus. Seorſim Baſil. 1528. itidemque à Fuchtenio editus, Helmſtad. 1611. 4. cum inſigni præfatione, Indice, atque ab illo prætermiſſarum ſupplemento, incerti autoris. In hoc tamen libro Philaſtrius ſæpe inter hæreſes numerat, quæ hæreſes verè non ſunt, proinde cum prudentia legendus. Agunt de eo Bellarminus, Trithemius, Sixtus Senenſis, Voſſius, Miræus, Vghellus, Labbeus, Cave, Du Pin & alii.

PHILEAS

Ex Thmui, ampla in Ægypto ad Oſtium Mendeſium urbe, oriundus, circa annum 296. & antiquitate generis & doctrina floruit, Epiſcopus tandem urbis patriæ evaſit. Obiit Martyr ſub Maximino, anno 311. capite truncatus. Scripſit *Epiſtolam ad Thmuitas* de Martyriis, quæ per id tempus contigerant, cujus fragmentum inſigne exhibet Euſebius, L. VIII. c. 10. Ejus meminit Hieronymus, *de Scriptor.* c. 78. Cave P. I, *Hiſt. Litter.* p. 77. Elias Du Pin T. I. *Bibl. Nouv.* p. 201.

PHILIPPVS.

Prior Claraevallenſis, poſt Abbas de Eleemoſyna Ordinis Ciſtercienſis, circa annum 1180. clarus, ſcripſit varias *Epiſtolas*, quas exhibet Tiſſier, T. III. *Bibliotheca Veterum Scriptorum Ordinis Ciſtercienſis*, p. 238. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 91.

PHILIPPVS CALLIMACHVS EXPERIENS.

Italus Florentinus, urbe Sangeminiano ortus, anno 1486. floruit Romæ ſub Pio II. Pontif. R. Poſt vero conjurationis ſuſpectus, Romaque fugatus, ſub Caſimiri Poloniæ Regis, cujus Liberis præerat, tutela vixit. Demum Secretarii officio functus, obiit Cracoviæ, 1496. Scripſit *Hiſtoriam de Rebus geſtis Attilæ, Hunnorum Regis*, Hagenoæ, 1513. ſeorſim excuſam, & cum Bonfinio, *de rebus Hungaricis*, Francof. 1581. f. *De rebus geſtis Vladiſlai, Poloniæ Regis*, Auguſt. Vindelicorum, 1519. 4. & inter *Hungaricarum rerum Scriptores*, Francof. 1600. f. *De Clade Varnenſi*, a Lonicero in *Chronico Turcic.* T. II. Francof. 1578. f. *Conſilium de bello ſuſci-*

ſuſcipiendo contra Turcas, Isleb, 1603. *Hiſtoria de iis, quæ a Venetis tentata ſunt admovendos Perſas & Tartaros contra Turcas*, prodiit cum *Callimachi Vita* a Joh. M. Bruto exarata, inter *Perſicarum rerum Scriptores*, Franc. 1601. f. Unica *Epiſtola* ad Angelum Politianum, quæ inter *Politiani Epiſtolas* habetur. Conf. Cl. Cave P. II. p. 317.

PHILIPPVS DECIVS vide DECIVS.

PHILIPPVS EYSTETENSIS.

Nobilis Alſatus, à Rodſamshauſen, S. S. Literarum Doctor, Abbas Pariſienſis Ordinis Ciſtercienſis, ac poſtea *Euſtetenſis* ſive Aichſtadianus XXXIX. Epiſcopus, quo honore a Clemente V. P. R. ornatus fuit, ann. 1305. cum ab Alberto Auſtriaco, Romam miſſus foret, teſte Bruſchio, *in Catalogo Epiſcop. Eyſtetens.* & Voſſio, Lib. II. *hiſt. lat.* c. 64. Obiit ann. 1322. *Vitam* ſcripſit *S. Walpurgis* Virginis, Abbatiſſæ Heidenheimenſis, e Wolfhardo, cœnobii Haſenrietani, à Carolo M. extructi, Monacho, ejusque vita Walpurgis IV. Libris conſcripta, excerptam, ſicut docet Voſſius l. c. Lib. III. c. 4. Iſtam vero exhibuit Caniſius T. IV. *Antiqu. Lect.* P. II. p. 560. & Bollandiani, T. V. *Commentarium* quoque *de Eccleſiæ Eyſtetenſis Divis Tutelaribus*, SS. Richardo, Willibaldo, Wunebaldo & Walpurga, compoſuit, quem Gretſerus cum *obſervationum ſuarum Libris II.* & *Catalogo Epiſcoporum Eyſtetenſium* vulgavit, Ingolſtadii, 1617. 4. de Philippo Caſimirus Oudin. l. c. p. 587. H. Wharton. *append. Cav.* p. 9. Cave *Hiſtor. Litter.* P. II. p. 272.

PHILIPPVS GALTERIVS.

Vel a monte Galerio, alias Calerio, apud Tholoſates Franciſcanus, circa annum 1344. teſte Willoto, *Athen. Franciſc.* f. 311. Varia ſcripſiſſe narratur, homiletica maximè & exegetica. E quibus tamen *Poſtilla* ſolummodo *in Evangelia Dominicalia*, prodiit, in epitomen redacta a Jonſelmo de Canova, Cuſtode Cumano, & excuſa typis Balthaſ. de Gabiano, Typographi Lugdunénſis, ann. 1510.

PHILIPPVS GREVIVS.

Sive *de Grevia*, Academiæ Pariſienſis Cancellarius, anno 1230.

clarus, ſcripſit *Sermones* 330. *in Pſalmos Davidis*, Pariſiis. 1523. 8. & Brixiæ, 1600. excuſos. *Commentaria in Evangelia & Job*, & alia MSS. memorat Cl. Cave P. I. p. 496. & Caſim. Oudin. *Supplem. de Script. Eccleſ.* qui poſterior erudite de Philippo diſſeruit. Adde Henricum Gandavenſem, *de Script. Eccleſ.* c. 50. & Auctorem *Vniverſitatis Pariſienſis*, Sec. XIII.

PHILIPPUS HARVENGIUS

vide **HARVENGIUS.**

PHILIPPVS De LEIDIS.

Lugduni Batavorum ex nobili ſtirpe oriundus. Doctor utriusque Juris Aurelianenſis, Pariſienſis Profeſſor, poſt Ultrajectenſis & Leidenſis Canonicus, Gregorio XI. P. R. percarus, ann. 1369. floruit. Obiit Trajecti, anno 1386. Scripſit *Tractatum de Reipublicæ cura & ſorte principantium*, quem Joh. Severinus, Lugd. Batav. 1516. f. edidit & *Lecturam in Librum III. Decretalium.* Omnia Philippi Opera a Joh. Franconio edita fuiſſe teſtatur Fr. Swertius, *Athen. Belg.* p. 644. Valerius Andr. *Bibl. Belg.* absque anni tamen atque loci mentione. Conf. H. Wharthon *append.* Cav. p. 41.

PHILIPPVS De MONTE CARLERIO.

Sive *de Janua*, regione ſubalpina oriundus, Ordinis Minorum Monachus, in Conventu Toloſano primum docuit, poſt vero Lector Conventus S. Loci Paduæ. Floruit, anno 1340. Ejus ſunt *Conciones Dominicales totius anni*, a Janſelmo Canova in Epitomen redactæ & publicatæ, Lugduni 1510. *Quadrageſimale*, *Conciones de Eucharistia & Sermones de SS.* ibidem *cum concionibus*, 1515. *Poſtilla ſuper Evangelia Dominicalia* MSS. extat in Bibliotheca Pembrochiana Cantabr. ut fidem facit H. Wharton, *append. Cav.* p. 25. & alibi, teſte Oudino, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 602. Conf. Anton. Poſſevinus *in appar. S.* Lucas Waddingus, *in Bibl. Script. Ordinis Minorum p. 294.* Labbeus & alii.

PHILIPPVS.

Presbyter, D. Hieronymi optimus auditor, anno 440. claruit. Ejus *Comment. in Jobum Lib. III.* opera Joh. Sichardi, Baſil. 1527. 4. apud Ada-

Adamum Petri excuſi habentur, & inter Opera Bedæ & Hieronymi. Sub *Bedæ* quidem nomine illos vulgatos videas, Philippo tamen poſt alios ex Codicis MSS. autoritate reſtituit Caſimirus Oudin. p. 78. *Familiares Philippi Epiſtolæ*, quarum meminit Gennadius, *de Scriptor.* c. 62. interierunt. De eo agunt Sixtus Senenſis, *in Bibl. S.* p. 164. Trithemius, *Script. Eccleſ.* f. 34. Cave *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 246.

PHILIPPUS RIBOTUS vid. RIBOTUS.

PHILIPPUS.

Solitarius, a vita forſan monaſtica, appellatus, gente græcus, ann. 1105. clarus. Ejus *Dioptra* ſive *Regula & amuſſis rei Chriſtianæ ad Callinicum Monachum* IV. Libris per Dialogum explicata, ex interpretatione Jac. Pontani, Ingolſtadii, 1604. 4. cumque Jac. Gretſeri notis T. XII. *Bibl Patr. Colon.* P. I. f. 677. *& edit. noviſſ.* T. XXI. p. 553. Lib. V. in Codice MSS. græco Bibliothecæ Vindob. obſervat Cl Lambecius, *Comment.* Lib. IV. p. 178. 208. Lib. V. p. 34. Vid. Cl. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 445. P. II. p. 204. Caſimirus Oudin. *Supplement. de Script. Eccleſ.* p. 364. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 198.

PHILIPPUS.

Epiſcopus Tarentinus, ob nimium erga Petrum Leonem, Antipapam, favorem, Synodo Lateranenſi, ann. 1139. celebrata, a ſede remotus, in Galliam aufugit, ibidemque in Cœnobio Claravallenſi, Monachus atque Prior factus, poſt Conventus de Eleemoſyna, Ciſtercienſium in Diœceſi Carnotenſi Cœnobii Abbas. Reverſus vero in Monaſterium Claravallenſe, in eodem obiit. Scripſit *Epiſtolas* XXV. quas evulgavit Carolus Viſchius, libro *de Scriptoribus Ordinis Ciſtercienſis*, p. 336. qui prolixius quoque de hoc Philippo edifferuit, Conf. Cave P. I. *Hiſtor. Litter*, p. 462. Du Pin l. c. p. 184.

PHILO CARPATHIVS.

Diaconus Carpathi Inſulæ Aſiatico tractui adjacentis, vel juxta Cl. Cavium, Carpaſiæ urbis in Cypro Epiſcopus, ob inſignem Pietatis famam, ab Epiphanio conſecratus, ann. 401. Tribuitur illi a

Polybio, *in Vita Epiphanii* c. 49. *Commentarius in Cantica Canticorum*, quem multi cum illo, qui in *Bibl. Patrum*, T. V. habetur, pro uno eodemque exiſtimant. Verum non videtur ille ſincerus, aut ad miniminum interpolatus. Genuinum ejus exemplar MSS. penes Cl. Bigotum adſervatum, memorat Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptoribus Eccleſ.* quem proximè publicandum eſſe, ſpem fecit. Agunt de hoc Philone poſt Delrium, Poſſevinum, Labbeum, Arndium, Cl. Cave P. I, *Hiſt. Litter.* p. 202. Elias Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. II. p. 302.

PHILO.

Diaconus Tarſenſis, circa annum 107. clarus, ſcripſit *Acta Martyrii Ignatiani.* Prodierunt illa cum *Epiſtolis S. Ignatii*, curâ Jacobi Usſerii, lat. Oxoniæ, 1642. & 1644. 4. Londini, 1647. Extant quoque apud Bollandum, *in Vitis SS.* d. 1. Febr. Mirum certè videtur Cavio, Uſſerium græca non edidiſſe, quorum exemplar MSS. in Bibliotheca Bodlejana ipſe ſe reperiſſe, teſtetur.

PHILO.

Judæus, inter Scriptores Eccleſiaſticos ab Hieronymo relatus, cuj9 rei rationem reddidit Trithemius, vid. *Micropresbyticum*, f. 409. Erat autem Philo natione Alexandrinus, de genere Sacerdotum, circa, annum 40. Cajo Caligula imperante legatus à ſuis Romam misſus, de vita periclitatus eſt. Altera vice eò veniens, ibidem cum S. Petro, Apoſtolo, loquutus, ejusque amicitias habuiſſe & adeò quoque Marci, diſcipuli Petri apud Alexandriam Sectatores laudibus ſuis ornaſſe dicitur. Vide Labbeum, & quos adduxit, autores. David Hœſchelius, qui *Philonis Tractatum de Mutatione Nominum in* Scriptura S. cum nonnullis aliis ejusdem, edidit, notisque illuſtravit, dubium non eſſe contendit, p. 218. quin Romæ cum Petro colloquutus & Alexandriæ cum ſtudioſis Marci, Evangeliſtæ, verſatus, myſteria Sacrarum Literarum ex ipſo fonte haurire didicerit, erroresque depoſuerit. Quicquid tamen ſit hujus rei, certum eſt, tantam eum cum Platone & ingenio & Scriptis habuiſſe affinitatem, ut in Proverbium abierit: *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat* juxta Svidam & Iſidorum Peluſiotam. Hoc tamen dicterium, ut alii exiſtimant, ad Philonem multò antiquiorem, qui multis ante Chri-

ſtum

ſtum natum annis vixit, atque Magiſter Platonis fuit, ſpectare videtur. Vide Rivini *æquilibrium Platonis & Ariſtotelis*, p. 26. Cæterum Philo noſter, Moſes Atticisſans dictus, teſte Voſſio, *Lib. I. Idolalatr.* c. 11. *Erat* teſte Euſebio, L. II. c. 18. *Vir in dicendo copioſus, in ſententiis locuples, in Scripturæ intelligentia ſublimis atque excelſus, qui variam ac multiplicem ſacrorum voluminum expoſitionem edidit.* Opera ejus græcè ex editione Turnebi, Pariſiis, 1552. f. Lat. cura Gelenii, 1561. græc. lat. Genevæ 1613. f. auctiora, Pariſiis, 1640. f. Francof. 1691. fol. græc. lat. cui acceſſere variæ Lectiones, & Liber *de Septenario*, ut & *de Providentia Dei* fragmentum ſatis prolixum. Ordine illa repræſentat, Labbeus & Cave, quos conſulas. Liber Philonis *de Biblicis antiquitatibus*, latine extat *in Micropresbytico*, Baſil. 1550. p. 295. & inter hujusmodi nugamenta, Lugduni 1560. 12. & alibi. Hunc tamen prudentiores Philoni noſtro abjudicant. *Breviarium de Temporibus*, prodiit Romæ, 1648. Paris. 1515. inter alia, Liber *de Genealogia Chriſti* Paris. 1612. Agit de Philone poſt alios multos Cl. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 10. & P. II. p. 8. ubi eruditiſſimam Eduardi Bernardi de Philone Epiſtolam exhibuit. Plures quoque Philones exhibet idem, *Diſſ. I.* ad calcem *Partis II. Hiſt. Litter.* quos tamen a Scriptorum Eccleſiaſticorum numero, exemit. *Elogia* Philonis noſtri collegit Pope-Blount *in Cenſura Celebr. Autor.* p. 102. ſeqq.

PHILOPONUS vide JOHAN. GRAMMATICUS.

PHILOSTORGIVS.

Gente Cappadox, profeſſione Eunomianus & Anomæus, atque Atheus eò dictus, quòd filium Patre minorem eſſe, contenderet. Vixit circa annum 405. quo magnam ſibi famam, Geographiæ, Aſtronomiæ, Poetices, ac univerſæ ſtudio Philoſophiæ, comparavit. Scripſit *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Libros XII.* pro duodecim literis nominis ſui, ut primum quidem librum cœperit à φ, alterum ab I. λ. tertium, & ita porro, ut tandem integri nominis, quod eſt Φιλοςόργιος fieret ἀκροςιχὶς. Vid. Photii *Bibliotheca* Cod. 40. qui idem peculiari extra Bibliothecam Opere, Hiſtoriam illius in Compendium redegit.

quod Jacobus Godofredus græce latineque, e verſione ſua, commentarioque auctum, edidit, Genevæ, 1643. 4. emendatius verò cura Valeſii Pariſiis. 1673. fol. Alia *contra Porphyrium pro Chriſtianis* a ſe ſcripta ipſe memorat Philoſtorgius, L. X. c. 10. Stylum ejus comptiorem de prædicat Photius, qui Poeticis ſine tædio, minimeque ingratis vocibus utatur. Tropos quoque ac verba ſignificantia gratiam illi cum jucunditate conciliare, niſi quod interdum temere ipſis, vel nimirum detortis utendo, in frigidum & importunum ſermonem incidat. Ornari ab eo variè orationem, vel ad ſatietatem, ita, ut in obſcuritatem, nec eam ſemper gratam, occultè trahatur auditor, in multisque non incommodas loquatur ſententias. Vid. de eo Voſſius *de Hiſt. Græc.* L. II. c. 20 Cave *Hiſt. Litter.* P. I. p. 228. Caſimir. Oudin. *Supplem. de Script.* p. 68. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 76. Blount *Cenſura Celebr. Autor.* p. 295.

PHILOTHEUS ACHILLINUS.

Gente Gallus, qui Carolo V. a Conſiliis fuit, anno 1370. floruit. Fictum hoc aliis nomen videtur, comprimis Goldaſto, qui genuinam ejus appellationem, *Philippus* de *Marzeriis*, detegiſſe, ſibi perſvadet. Scripſit Philotheus *Somnium Viridarii*, ſive *Libros II. de Poteſtate Regia & Sacerdotali*, *Dialogi inter Clericum*, *& Militem formâ compoſitos*, quos mendoſos, Pariſiis. 1516. excuſos videas, Correctos vero & integros apud Goldaſtum, T. I. p. 58. *Monarch. S. R. J. Vitam S. Thomæ*, *Cretenſis Archi-Epiſcopi*, quam habent Bollandi d. XXIX. Jan. T. II. p. 995. De eo Antonius Poſſevinus, *in appar. S.* T. II. p. 279. Bollandus l. c. H. Wharton, *append. Cav.* p. 42. Caſimir. Oudin. *Supplem.* p. 637. Omnibus autem anteponendus eſt Vincentius Placcius, *de Script. Pſeudonymis* p. 11. editionis Hamburg. 1708. f.

PHILOTHEVS.

Gente Græcus, ex Monacho Moderator S. Lauræ in Monte Atho, Metopolita Heracleenſis & Patriarcha Conſtantinopolitanus eſt factus. Claruit Philotheus, ann. 1362. Obiit 1371. *Vir erat*, teſte Cantacuzeno, *Hiſt.* Lib. IV. c. 22. *ob vitæ Sanctitatem & eloquentiam venerabilis.* Scripſit *Liturgiam & Ordinem Inſtituendi Diaconum*, quam vide *Bibl. Patr.* T. XXVI. & in *Rituali Græcorum*, Paris. 1647. f. p. 1.

Sermo-

Sermonem Encomiaſticum in tres Hierarchas, Baſilium, Gregorium Theologum; & Joh. Chryſoſtomum. Lat. ibid. & cum aliis, Ingolſtadii, 1604. 4. & in *Auctuar. Patrum,* Paris. 1624. T. II. p. 313 Orationem *de Cruce*, quæ apud Gretſerum, *de Cruce* T. II p. 1255. *Orationem in tertiam Jeiuniorum Dominicam* græc. lat. ibidem. p. 1477. *Refutationem Anathematismorum ab Harmenopulo* ſcriptorum, græc. lat. apud Leunclavium *Jur. Græc. Rom.* L. IV. p. 288. *De divina ſubſtantia, operatione, potentia, & Lumine in monte Thabor Lib. XV.* MSS. contra Libros X. Nicephori Gregoræ, pro Gregorio Palama, quorum bina exhibet fragmenta, Leo Allatius: alterum, Libro *de Libris Eccleſ.* græc. p. 218. alterum, *Libro de Purgatorio,* p. 770. Plura ejus MSS. adducunt Cl. Cave P. II. *Hiſt. Litter.* p. 284. Antonius Poſſevinus in *appar.* S, & ex eo Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script,* p. 599.

PHOEBADIVS.

Qui Sophronio *Sœbadius*, aliis tamen *Fœbadius*, & *Fægadus*, ſcribitur, Gallus, forſan Aquitanus, ann. 359. floruit, Agenni Nitiobrigum ad Garumnam in Aquitania Epiſcopus. Scripſit *Librum contra Arianos*, qui primo prodiit cum nonnullis aliis, Athanaſii, Baſilii &c. cura Theodori Bezæ, & prelo H. Stephani, 1570. Deinde Pariſiis, 1586. & *in Bibl. Patrum.* T. IV. Eundem recudi fecit illuſtratum Caſparus Barthius, Francof. 1623. 8. apud Wæchelianos, qui Aureolum libellum vocat, ad *Claud. Mamert.* p. 310. *Epiſtolam* alibi appellat idem, *notis ad Pornobodidaſc.* p. 340. De eo Hieronymus *in Catalogo.* Labbeus T. II. p. 108. Cave P. I. p. 119. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. II. p. 107. Bayle *Dictionaire Hiſtor. & Critiqv.* & Cl. Buddeus *in Lexico.*

PHOTINVS.

Presbyter Conſtantinopolitanus, ann. 596. clarus, ſcripſit *Vitam S. Jejunatoris, Patriarchæ Conſtantinopolitani,* cujus fragmentum exhibet Concil. Nicen. II. Act. IV. Concil. T. VII. p. 272. Conf. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 307.

PHOTIVS.

Tharaſii, Patriarchæ Conſtantinopolitani ex ſorore nepos, vir profundæ eruditionis, Imperatoris Secretarius primò, Protoſpatharius

tharius deinde atque urbis Senator, Eunuchus & Laicus, Sedem Conſtantinopolitanam, ejecto per Bardam Cæſarem Ignatio, invaſit, ann. 858. Eum acerbis paſſim Bellarminus, Baronius, & plerique omnes Pontificii, verbis dicteriisque petunt, Richardus verò Montacutius, Norvicenſis in Anglia Epiſcopus, ex inſtituto eum defendit. Laudant eum ex debito, Nicetas David, Fr. Turrianus, Lipſius, Scaliger, Andreas Schottus, Daniel Heinſius, Petrus Halloix, Iſaacus Caſaubonus, aliique quam plurimi, quorum arbitria congeſſit Thom. Pope-Blount, *in Cenſur. Cel br. Autor.* p. 351. ſeqq. Res geſtas, fataque ejus adverſa modo, modo ſecunda exhibet poſt alios in compendio Cl. Cave l. c. P. I. p. 387. Scripta Photii in unum nunquam corpus redacta ſunt. Prodiit *Bibliotheca* ſive *Myriobiblon*, græcè, cura Davidis Hœſchelii, Aug. Vindel. 1601. f gr. lat. cum Schotti verſione, licet Schotto indigna, Genev. 1613. f. Rothomagi. 1653. f. *Epiſtolæ*, numero 248. quas cum aliis quinque Richardus Montacutius, græce latineque, Londini, 1651. edidit, & notas addidit. Ejusdem *Epiſtolam invectivam ad Stauracium*, habes apud Cotelerium, *Eccleſiæ Græcæ Monument.* T. II. *Nomo Canon* ſive *Canonum Eccleſiaſticorum & legum Imperalium, de Eccleſiaſtica diſciplina conciliatio*, in Tit. XIV. diſtributa, quæ cum *Balſamonis Operibus*, Baſileæ, 1561. ex verſione Henrici Agylæi, Paris. 1615. 4. 1620. f. & in Juſtelli *Bibl. Juris Canonici*, Paris. 1661. T. II. p. 789 De hoc Nomocanonis Opere & ratione, vide eruditos diſcurſus Adami Riccii, Tract. *de Libris Juris Rom.* p. 308. 313. ſeq. & Caſp. Ziegleri *prælim ad Jus Canon.* p. 16. 18. quibus addas Andr. Schottum ad. *Myriobibl. Prolegom.* circa finem. *Acta Synodorum VII. Generalium*, a Juſtello cum *Nomocanone*, Pariſiis. 1615. edita. *Sermo in Deiparæ Natalem* a Fr. Combeſiſio, 1583. T. I. *Auct. Gl. De Voluntatibus in Chriſto, lat.* ex verſione Turriani, in Auctuario Caniſii Stevartiano, p. 437. *De divinitate & Incarnatione Diſſert. VI.* ex ejusdem interpretatione, apud Caniſium, T. V. *Antiqv. Lect.* p. 183. & alia, de quibus Cave l. c. Plurima ejus Scripta in MSS. deliteſcunt, *Commentarii in Pauli Epiſtolas: Quæſtiones ad Amphilochium: de Epiſcopis & Metropolitis Collectio: Opus contra latinos: Odæ IX. Prophetarum Liber cum expoſitione: Lexicon: Liber in Categorias Ariſtotelis: Syntagma Canonum: Symbolum fidei: Tract. de Patriarchis, ſede ſua injuſte pulſis: Diſputatio de Proceſſione Spiritus S. Tractatus de Manichæis*, & alia, de quibus partim Cave

l. c.

l. c. partim Colomeſius, *in Paralipomenis ad Cartophylacem Cavei.* Caſimirus Oudin l. c. p. 285. ſeqq. De Photio Nicetas David, *in Vita Ignatii.* Anaſtaſius, Bibliothecarius, *in Vitis Rom. Pontif.* Baronius, *Sec. IX.* Poſſevinus *in appar. S.* Dionyſius Petavius *in Theol. dogmatibus.* Fr. Combefiſius *in apparatu ad Bibl. Patrum Concionatoriam.* Natalis Alexander, *Hiſt. Eccleſ. Sec. IX. P. I. c. 3. art. 25. p. 260. P. II. Diſſ. 4. p. 100. ſeq.* Cl. Buddeus, *in Lexico*, Hanckius, *de Byzant. rerum Scriptor.* c. 18. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 80. & 103. Labbeus, *de Scriptoribus*, & alii.

PHOTIVS,

Tyriorum urbis Metropolita, ann. 451. claruit. Lites ipſi perpetuæ interceſſerunt cum Euſtathio, Beryti Epiſcopo. Hic, cum ſedi ſuæ ſex Phœniciæ civitates, Tyro ſubtractas, ſubjiceret, Photius ad Martianum, Imperatorem, *Libellum ſupplicem* ſcripſit, qui gr. lat. Concil. T. IV. p. 541. habetur. Conf. de eo Cave P. I. *Hiſt. Litter.* pag. 252.

PIVS I. P. R.

Patria Aquilejenſis, Pontifex Rom. ab ann. 127. ad 142. juxta accuratiorem Pearſoni & Dodwelli calculum, ſub cujus nomine circumferuntur *duæ ad Juſtum Viennenſem Epiſtolæ*, quas ſpurias prudentiores agnoſcunt. Habentur illæ apud Baronium, & inter *Orthodoxogr.* T. II. p. 3. *in Bibl. Patrum* editionibus ſingulis, & Joh. a Boſco, *Bibl. Floriac.* P. II. p. 22. 24. Conf. Lud. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* pag. 186.

PIVS II. P. R.

Gente Picolomineus, ortu Senenſis, Corſiniani natus, anno 1405. initio Scriba in Concilio Baſileenſi, poſtea Friderici III. Imperatoris Secretarius, *Æneas Sylvius* prius dictus, porro Epiſcopus, Tergeſtinus, & Senenſis, inde Cardinalis, tandemque Pontifex Rom. anno 1458. creatus. Quibus gradibus eo devenerit, ipſe enarrat, Epiſtola 201. conf. 398. & Dietericum *Brev. Pontif.* p. 345. Voſſium, *de Hiſt. Lat.* p. 536. Henr. Whartonum *append. Cav. p. 95.* p. 95. & Cl. Buddeum, *in Lexico.* Laudat illum Spondanus, *Annal. Eccleſ.* ad annum 1458. §. 9. 13. *Vir erat literis, eloquentia, dexteritate & prudentia nulli ſecundus,*

cundus, adeoque ſcribendo delectatus, ut nec perpeti morbi articularis dolore, nec multitudine negotiorum oppreſſus, ab eo ceſſare potuerit. Obiit Aneonæ 1464. Omnia ejus Opera Baſileæ, 1551. fol. ex officina Henrici Petri edita, Labbeus & H. Wharton, & Cl. Cavius recenſent. *Hiſtoria rerum ubique geſtarum*, prodiit Venet. 1477. *Orationes quædam*, Islebii, 1603. *Hiſtoria rerum Friderici III. Imperatoris*, quam Bœclerus e MSS. edendam promiſerat, ſed quod ille ob mortis præventum præſtare non potuit, id Kulpiſius egregie præſtitit, qui illam cum annotationibus, Bœcleri, Argentorati, 1685. fol. emiſit. *Alia ejus Opuſcula & Epiſtolæ familiares, in quadruplici vitæ ſtatu ad diverſos transmiſſæ*, numero, 432. multa eruditione & antiquitate refertæ, & eximio Autoris præconio inſignitæ, impreſſæ ſunt Romæ, 1475. 4. Noribergæ, 1481. Lugduni, 1581. Antw. 1640. 4. Bellarminus, quidem, ac poſt illum Moguntini dicunt, multa eum audaciori prius calamo ſcripſiſſe, quæ Pontifex factus retractaverit. Sed refelluntur a Crocio, T. I. *Vindiciarum Anti Becani ſui* f. 470. ubi notabiles floſculos promit, ab ejus, cum jam Pontifex eſſet, ore prolapſos, vagum Monachum, Diaboli mancipium eſſe. Fideli animo theſaurum nullum anteponendum. Sacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, majori reſtituendas videri. Confer ejus Iconem, & elogium apud Boisſardum, *Icon. Illuſtr. Viror.* P. III. p. 11. ſeq. Adde Hieronymum Balbulum, Epiſcopum Gurzenſem, libro *de Coronat. ad Carol. V.* p. 49. & Joh. Bapt. Egnat. *Clar. Vir. Epiſt.* 59. Cæterum Pius hic II. ob tria moribundus maxime fertur doluiſſe. *Primo* quod ſcripſerit, Tractatum, de duobus amantibus. *Secundo*, quod Catharinam Senenſem, ſcortum Papæ, canoniſaverit. *Tertio* quod Chriſtianum populum, ad bella contra Turcam gerenda, concitaverit. Notavimus hoc ex vetuſto libro Chronico Sileſiæ, MSS. Conf. Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 187. ſeqq.

BARTHOLOMÆVS PLATINA.

Non vero *Baptiſta Platina*, uti Bellarmino, & aliis vocatus, à patria cognomine, agri Cremonenſis, Platina, dictus, provecta jam ætate, militiæ ante deditus, teſte Volaterrano, literas didicit, & a Pio II. Abbreviator Apoſtolicus conſtitutus eſt. Floruit, ann. 1474. Fata ejus duriſſima, quibus ipſum afflixit Paulus II. P. R. expoſuit Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 103. poſt alios. Demum Bibliothecæ Vaticanæ Præfectus,

ctus, ſingulari Sixti IV. Clementia factus, Primariusque Abbreviatorum Societatis, extitit. Obiit Romæ peſte correptus, 1481. Scripſit *Hiſtoriam de Vitis Pontificum Romanorum*, quæ ſeorſim, Baſil. 1479. Noribergæ, 1481. f. Lovanii, 1572. Venet. 1518. f. Colon. 1600. & 1611. 4. Lugd. Batav. 1645. prodiit. Cum aliis ejus Opuſculis, H. Whartono memoratis, l. c. p. 103. Colon. 1529. Lovanii, 1572. Colon. 1574. f. *Dialogum de flosculis lat. linguæ*, Venet. 1480. 4. *De tuenda valetudine: de Natura rerum*, & alia. Colon. 1529. 8. Paris. 1530. 8. Baſil. 1541. 4. *Hiſtoriam urbis Mantuæ & Sereniſſ. familiæ Gonzageæ, Lib. VI.* emiſit Petrus Lambecius, Viennæ, 1675. 4. *Index Archivi Arcis S. Angeli* MSS. memoratur, Cl. Mabillonio, *in Itinere Italico.* De eo Jovius Boiſſardus, H. Wharton, Cave, Buddeus, Blount, Bayle, l. c. Sagittarius, *Introd. ad Hiſt. Eccleſ. c. 25.* Voſſius, *de Hiſt. Lat.* aliique complures.

POLEMON.

Apollinarii, Hæreſiarchæ, diſcipulus, vixit ann. 385. Scripſit Sermonem Antirrheticum adverſus S. S. Patres, cujus fragmentum exhibet Maximus *in Tomo dogmatico Opuſc. Theol. & Polem. T. II.* p. 90. Hic idem Maximus fragmentum ex Sexta ejus ad Timotheum, impietatis ſocium, Epiſtola, ſiſtit, quod etiam in *Concil. T. VI. col. 316.* repetitur. De eo Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 50.

POLYBIVS.

Epiphanii diſcipulus, ejusque juxta nonnullos Diaconus, & Rhinocurorum poſtea Epiſcopus factus, ann. 403. Scripſit Epiphanii geſta & poſteriorem vitæ partem, quæ cum Johannis parte priori lat. extat apud Surium, d. XII. Maj. græc. lat. inter *Opera Epiphanii*, editionis Petavianæ, T. II. *Epiſtolam* item *ad Sabinum*, Epiphanii Succeſſorem, qua Epiphanii exequias ſibi deſcriptas mitti rogat, Conf. Cl. Cave, P. I. p. 206.

POLYCARPVS.

Smyrnæ Epiſcopus, ann. 94. vel ſequenti, ut creditur, a S. Joh. Apoſtolo & Evangeliſta, ordinatus, nonnullis Apoſtolorum, & eorum, qui Dominum viderant, Magiſtris uſus, juxta Hieronymum, Lib. *de Script. Eccleſ.* De ejus Pietate, doctrina, Zelo, ac Martyrio, abunde omnes ii, qui veterum Patrum tradunt hiſtorias,

atque monumenta. Vid. Spizelii, *Acad. Veter. JEſu*, p. 22. qui plures collegit. Scripſiſſe fertur *Epiſtolas* perplures Irenæo, Maxentio, Svidæ, memoratas, ſpurias tamen magis atque illam *ad Philippenſes*, quæ inter Ignatii Epiſtolas habetur. Prodiit quoque eadem græc. lat. *in Vita Polycarpi*, Duaci à Petro Halloix edita, 1633. & auctior *in appendice Ignatiana* Uſſerii, Oxonii, 1644. ex editione Maderi, Helmſt. 1651. Inter varia Sacra, à Stephano le Moyne, Lugd. Batav. 1689. 4. & *Epiſtolas Patrum Apoſtolicorum*, Anglicè factas, atque editas, à Guilielmo Wakæo, Londini, 1693. 8. & ante hos omnes cum *Ignatii & Dionyſii*, *Scriptis*, Paris. 1498. Argent. 1502. Baſil. 1520. Colon. 1536. *in Micropresbysico*, Baſil. 1550. Colon. 1557. & alibi. Autoritas hujus Epiſtolæ dubia alioqui fuit exiſtimata, quam tamen Cl. Cave, genuinam pronunciare maluit. Vide ejus T. II. *Hiſt. Litter.* p. 13. ubi primam hujus controverſiæ originem ad noſtra usque tempora enarrat, variosque hoc circa negotium errantes autores, modeſtè ſatis notavit. Adduci comprimis meretur Celeberrimus Ittigius, qui eandem integram, nec ab aliis interpolatam adverſus Cl. Tentzelium, amiciſſime propugnavit. Vide ejus *Appendicem diſſertationis de Hæreſiarchis*, c. X. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 50. ſeqq. Labbeus *de Script. Eccleſ.* Blount *Cenſura Celebr. Autor.* p. 133. ſeq. Ittigius in *præfatione* eruditiſſima, *Tractatui de Catenis Patrum*, præmiſſa, p. 11. Joh. Albertus Fabricius, *Codice N. T. apocrypho* & alii.

POLYCHRONIVS.

Gente Syrus, Zebinæ diſcipulus, Apameæ Epiſcopus, anno 410. claruit. Scripſit *Expoſitionem in Canticum Canticorum*, a Meurſio, Lugd. Batav. græce editam, 1617. 4. *Comment. in Job*, cujus partem vide in *Niceta Catena in Jobum*, quæ Patricii Junii ſtudio, Londini, 1637. fol. prodiit. *Comment. in Ezechielem* & *Danielem*, quorum fragmenta paſſim habentur. Conf. Cave, P. I. p. 213. *Oudin, Supplem.* p. 67. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 267.

JVLIANVS POMERIVS.

Natione Maurus, ſive Afer, Galliæ Rhetor, Presbyter imo & Abbas, Arelate aliquando vivens, circa annum 496. calculo Labbei, p. 652. qui illi vendicat *Libros III. de Vita contemplativa*, falſo hactenus

ctenus Proſpero Aquitanico tributos, atque ſub ejus nomine, 1487. & Colon. 1536. 8. & alibi excuſos. Prologum Operis iſtius ſecundum, extulit primus Lucas Dacherius, Spicileg. T. XII. Reliqua attingit, Cave, P. I. p. 261. quem evolve. De eo Gennadius, *de Script.* c. 98. & Iſidorus, *de Script.* c. XII.

PONTIVS.

Aliis *Pontinus* minus recte dictus, Diaconus fuit S. Cypriani, Carthaginenſis Epiſcopi, usque ad extremum paſſionis ejus diem exilium cum ipſo ſuſtinens, floruit ergo 251. Scripſit *Librum de Vita & Paſſione S. Cypriani*, qui extat apud Surium, d. 26. Septembr. & in fronte *Operum Cypriani.* De ejus ſinceritate ſubdubitat Nicolaus Rigaltius, cui tamen graviſſimè ſuccenſet Labbeus, p. 232. ſeq. ſinceriſſimum illud monumentum vocans, primæque inter antiqua Veterum Martyrum Acta atque elogia, dignationis. Ipſius *Pontii Martyrii Acta*, a Valerio, Cypriani Diacono, ſcripta, emiſit Stephanus Baluz. *Tom. II. Miſcellan.* p. 124. De eo Cave, P. I. p. 67. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 180.

PORCARIVS.

Abbas, incertæ ætatis autor, cujus tamen aliquam *Epiſtolam* ex Galleti, Lugdunenſis, recognitione, dederunt *Collectores Biblioth. Patrum.* Colon. T. XV. f. 999.

PORCHETVS SALVATICVS.

Italus Genuenſis, ex gente Salvaticorum illuſtri oriundus, Monachus Carthuſianus, quem Cl. Whartonus ad an. 1315. reponit, Aub. Miræi veſtigiis inſiſtens. Scripſit Porchetus Opus adverſus Judæos, *Victoria* inſcriptum, in quo quam plurima ex Raymundi Martini *Pugione fidei*, citato tamen Raymundi nomine, transſcripta, reperies. Extulit illud Auguſtinus Juſtinianus, Epiſcopus Nebienſis, Pariſiis, 1520. fol. Erudite de Porcheto diſſerit, H. Wharton, *Append. Cav.* p. 11.

POSSESSOR.

Eccleſiæ incertæ in Africa Epiſcopus, ann. 520. inſigni veritatis Zelo inclaruit. Scripſit *Epiſtolam ad Hormiſdam, P. R.* quâ ejus de Fauſti Regienſis dogmatibus, circa gratiam & liberum arbitrium,

expoſtulat deciſum. Habetur illa cum *Hormisdæ Reſponſo*, Concil. T. IV. p. 1529. Loquitur de Poſſesſore, Cave P. I. p. 280.

POSSIDIVS.

Vel *Poſſidonius*, gente Afer, S. Auguſtini diſcipulus, Calamæ Epiſcopus, Collationi Carthaginenſi, ann. 411. & Concilio Milevitano, 416. interfuit. Floruit circa annum 430. Scripſit *Vitam S. Auguſtini* & *Indiculum ejus Scriptorum*, quod utrumque Poſſidii Opuſculum, *Auguſtini Operibus* ſolet præfigi. Indiculus antea prodiit, inter *Sermones Auguſtini*, Lovanii, 1564. Conf. modo citatus Cave P. I. p. 231. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 33.

POTHO.

Prumiæ, celebris in Diœceſi Trevirenſi Cœnobii, Monachus, & Presbyter Ord. Bened. non vero Epiſcopus, prout habet *Index Bibl. Patrum Paris. ultimæ*, corrigente Labbeo, p. 233. Floruit, anno 1152. eodemque ſcribere cœpit *Libros V. de ſtatu domus Dei*, qui cum libro alio ejusdem, quem *de magna domo Sapientiæ* feciſſe dicitur, ann. 1532. 8. Hagenoæ, deinceps verò *T. IX. Bibl. Patrum Paris. edit. 2.* f. 1177, 1234, & ſubſequentibus *Bibl. Patrum* editionibus, prodierunt. Agunt de eo Bellarminus *de Scriptor. Eccleſ.* in editione Pariſienſi, 1617. Labbeus & Cave, locis citatis. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 36. & 184.

POTAMIVS.

Gente Hiſpanus, Olyſſiponæ Epiſcopus, anno 357. ad Arianos defecit, formulæ Ariminenſi ſubſcribens. Obiit graviſſimo in Lingua tormento correptus. Scripſit *Epiſtolam ad Athanaſium*, quam primus in lucem protraxit Lucas Dacherius, *Spicileg.* T. II. Conf. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 119.

PRIMASIVS.

Afer, Adrumetinus in Byzacena Africæ Provincia circa ann. 550. Epiſcopus, S. Auguſtini non tam diſcipulus, quam Sectator addictiſſimus, ejusdemque doctrinæ impenſius amator. Unde facile deprehendas lapſum Sixti Senenſis, Simleri, Elsſii, Gagnæi, aliorumque, ad ann. 440. eum collocantium, quos ideo arguit Labbeus,

p. 234.

p. 234. Tribuuntur illi *in S. Pauli Epiſtolas ex SS. Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini &c.* Monumentis collecta *Commentaria*, Lugd. 1543. 8. per Joh. Gagnæum, edita. *Myſtica* item *explicatio Apocalypſeos*, excuſa ſeorſim, Baſil. 1544. 8. Præterea uterque Liber prodiit, Lugduni, 1543. & extat T. VI. *Bibl. Patr. Colon.* P. II. f. 20.150. & *edit. noviſſim.* T. X. *Libri III. de Hæreſibus*, ad *Fortunatum Epiſcopum*, jam pridem interierunt. Niſi *Libros III. de Hæreſibus*, qui ſub *Prædeſtinati* nomine, Paris. 1643. 8. Amſtelod. 1645. 8. & *in Bibl. Patr. Lugd.* T. XXVII. & Patavii, 1686. 4. prodierunt, pro iisdem agnoſcas. Scrupulum tamen eximit Cl. Cave, P. I. p. 291. ſeq. quem conſule. Oudinus tamen Mabillonio adſtipulatur, eundemque Librum pro genuino Primaſii, habet. Vid. illum p. 110. & Aub. Miræum, l. c. p. 83. Anton. Poſſev. *appar. S.* Iſidor. *de Script. Eccleſ.* Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 80.

PRIMINIVS.

Abbas, Epiſcopus vel Chorepiſcopus, prout Cl. Caveo, P. I. p. 344. videtur, circa ann. 750. claruit. Extat ejus *Libellus de ſingulis Libris Canonicis* apud Mabillonium, *Analect.* T. IV. p. 569.

PRISCVS vide VALERIANVS.

PROBA FALCONIA.

Uxor non Adelphi Proconſulis, ut Iſidorus c. 5. retulit, ſed Anicii Probi, Præfecti Prætorio, poſtea Conſulis, Mater Probini, Olibrii & Probi, ſimiliter Conſulum. De ea multa Hieronymus *Epiſt. 8.* Baron. T. IV. & V. ann. Floruit non quidem ſub Theodoſio Juniore, uti Sixtus Senenſis poſt plerosque alios ait, ſed ſub Gratiano, circa ann. 371. uti habet Index Chronolog. præfixus, *Bibl. Patr. Colon.* Ea cum ab incunabuliſ & ingenuarum Romanarum more in Virgilianis Scriptis probe inſtituta, & in Chriſtiana Religione initiata, ſcripſit *Centonem Virgilianum de rebus divinis.* Extat ille *Bibl. Patr.* T. V. Lugd. 1516. Oppenheimi, cum aliis excuſus apud Jacobum Kœbelium, anni mentione non addita. Francof. 1541. Baſil. 1546. ſeparatim. Paris. 1578. Helmſtadii, cum *Auſonii Centonibus*, 1597. 4. Colon. 1661, 8. *Epiſt. ad Auguſtinum* inter ejus Epiſt. n. 179. Tract. *de Videndo*

Deum

Deum, ad eundem Auguſtinum. Epitaphium quoque Mariti, marmoribus inciſum, Romæque effoſſum, ipſi tribuit Baronius, l. c. T. IV. ad ann. 395. Conf. Ant. Poſſev. *app. S. & Bibl. Select.* Cl. Cave P. I. p. 145. Caſimir. Oudin. l. c. p. 82.

PROCHORVS.

Unus e VII. Diaconis Eccleſiæ primitivæ juxta Actor. VI. S. Joh. auditor, qui Sec. I. circa, ann. 70. claruit, falſo dictus autor Libelli, *de Vita miraculis & aſſumtione S. Joh. Evangeliſtæ*, qui extat græc. lat. inter *Orthodox. Patr. Grynæi* T. I. f. 85. at lat. ſolum T. VII. *Bibl. Patr.* Pariſ. edit. 2. f. 153. Suppoſitium eſſe hoc Scriptum Baronius, Lorinus, Bellarminus, Labbeus, & alii lubentiſſimi concedunt. Videas poſt alios Cl. Cav. P. I. p. 17. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 18.

PROCLUS.

Diſcipulus, & Anagnoſtes S. Johannis Chryſoſtomi, Attici, Epiſcopi Conſtantinopolitani, amanuenſis & Diaconus, inde Presbyter, porrò Cyzicenus Epiſcopus, tandemque poſt Maximianum ejusdem urbis Conſtantinop. Epiſcopus, evectus, ann. 434. ann. vero 446. e vivis ſublatus. Omnia S. Procli analecta e Bibliothecis hinc inde eruta græc. & lat. Commentario addito, vulgavit, Romæ, 1630. 4. Vincentius Ricardus, Clericus Regularis Theatinus. Sunt autem, *Orationes* XXI. a Labbeo & Cavio recenſitæ, cum quibusdam Procli ad diverſos & horum ad Proclum Epiſtolis. Ejus *Epiſtola ad Armenos de fide*, græc. lat. extat, *Concil.* T. III. p. 1217. in *auctuario Ducæano*, Pariſ. 1624. T. I. latina, Dionyſio Exiguo interprete, *Bibl. Patr.* T. I. p. 309. græce cum eadem interpretatione, in *Antidoto adverſus hæreſes*, Baſil. 1528. Pariſ. 1538. in *Hæreſeologia*, Baſil. 1556. in *Micropresbytico*, 1550. & in *Orthodoxographis*. Tractatus *de Traditionibus Miſſæ divinæ*, habetur etiam græce *in Collectione Liturgiarum*, Pariſ. 1560. p. 1. *Homilias XX.* easque genuinas, exhibet græc. lat. Fr. Combefiſius, *Auctuar.* Pariſ. 1648. T. I. p. 301. Quædam quoque Procli Opuſcula, græc. lat. e Bibliotheca Elmenhorſtiana prodierunt, Lugduni Batavorum, 1617. 12. Reliqua Procli deperdita ſunt monumenta. Fragmentum tamen unicæ *Orationis* ſiſtit Nicephorus, *Hiſt. Eccleſ.* l. 14. c. 38. Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 72.

PROCOPIVS CÆSAREENSIS.

Cæſareæ in Palæſtina natus, Hiſtoricus, Notarius, Senator Conſtantinopolitanus, & Comes Beliſarii, ab ann. 557. ad 562. floruit. Litigant autores de Procopio, an Chriſtianus, an vero Gentilis extiterit. Joh. Eichelius illum ad paganismum reducit, *præfatione in Procopii anecdota* n. 17. ad 22. alii verò contrarium ſvadent. Hos conciliat Cl. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 283. qui Procopium neque prorſus gentilem, neque prorſus Chriſtianum fuiſſe, veri non abſimile putat. Scripſit Procopius, *de Bello Perſico* Lib. II. *de Bello Vandalico,* Lib. II. *de Bello Gothico.* Lib. IV. quos cum Libris II. *de Bello Vandalico,* lat. edidit, Hugo Grotius, Amſtelod. 1655. 8. Antea verò ſinguli VIII. lat. prodierunt, Baſil. 1531. 1566. f. Græce, Auguſt. Vindel. 1607. f. *Anecdota*, ſive *Hiſtoriam Arcanam*, *Juſtiniani*, *Theodoræ*, *Beliſarii & Antoninæ*, vitia deſcribentem, quam tamen plerique ex eruditis a ſolita Procopii gravitate alienisſimam, atque ſuppoſititiam cenſent. Prodiit illa græc. lat. Lugduni, 1624. f. primum cum notis Nicolai Alemanni, Helmſtadii, 1654. 4. curante Joh. Eichelio, qui animadverſiones ſuas in Procopium, unacum Thomæ Rivii, *defenſione Juſtiniani,* adjecit, & Colon. 1669. f. *de Ædificiis Juſtiniani Imperatoris,* Lib. VI. qui cum VIII. prioribus libris, Baſileæ, lat. 1576. & græce, Aug. Vindel. 1607. f. excuſi ſunt. Singula Procopii Scripta græc. lat. emendatius atque correctius produxit Maltretus, Paris, 1662. f. De eo Hanckius, l. c. c. 5. p. 145. ſeqq. Blount l. c.

PROCOPIVS,

Diaconus & Cartophylax, quem Cave, Diſſertat. I. ad calcem P. II. *Hiſt. Litter.* p. 15. incertæ ætatis Scriptoribus annumerat, ſcripſit *Encomium Archangelorum*, *Michaelis & Gabrielis: Encomium in S. Evangeliſtam & Apoſtolum Johannem: Encomium in S. Marcum:* quæ ejus opuſcula extulerunt, Bollandiani, d. April. XXV. *Sermonem in celebrationem Sanctorum & Imaginum,* MSS. memorat, Du Freſne, *in Indice Auct. Græc.* MSS p. 32. Conf. Leo Allatius, *de Symeon.* p. 87. & 104.

PROCOPIVS GAZÆVS.

Gazæus ab urbe, quam inhabitavit, appellatus, profeſſione Sophiſta, ann. 520. claruit. Dictionem ejus optime quidem ex-

cultam, ſed comptiorem aliquantò, quam commentarii rudiorem formam deceat, pronunciat Photius, *Cod.* 206. Scripſit *Commentaria in Octateuchum*, quæ Conrado Clauſero interprete, ſed minus fideli, prodierunt, Tiguri, 1555. Accuratiorem illorum Verſionem quam proxime emiſſurus eſt, Godofredus Olearius, Prof. Theologiæ Lipſienſis, Patruelis noſter honoratiſſimus; quam eruditi avide expectant. Singulare ex illa communicat, Thom. Ittigius, *de Script. Sec. I.* p. 147. qui eandem maximopere commendat. *Scholia in Libros IV. Regum & II. Paralipomenωn* græc. lat. edidit, Joh. Meurſius, Lugd. Batav. 1620. 4. *Variorum in Eſaiam Commentariorum Epitomen*, Joh. Curterius, græc. lat. Pariſ. 1580. vulgavit. *Comment. in Proverbia & Cantica*, Turriano & Curterio citata, forſan adhuc in MSS. latitant. *Epiſtolas* aliquot Procopii, Sophiſtæ, exhibet, *Volumen Græcarum Epiſtolarum*, ab Aldo impreſſum, quæ probabiliter ad noſtrum ſpectant. *Commentarium in XII. Prophetas minores*, latine vertit, preloque paratum poſt ſe reliquit, Joh. Garnerius. Conf. Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 279. P. II. p. 108. Labbeus l. c. p. 245. Simlerus *Epit. Gesner.* f. 588. b. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. V. p. 51.

TIRO PROSPER.

Gente Aquitanus, Laicus & Uxoratus, Papæ Leonis I. Secretarius ac Notarius, S. Auguſtini acerrimus defenſor, poſt labores contra Pelagianos, aliosque hæreticos, exantlatos plurimos, poſt annum 460. vita defunctus, nec Regii-Lepidi, nec Rejorum, nec Aurelianenſis unquam fuit Epiſcopus, juxta ea, quæ prolixe diſſeruit Labbeus, p. 247. ſeqq. Confer tamen, quæ adducta ſunt apud Sanmarthanos, T. III. *Gall. Chriſt.* f. 934. quanquam non deſit dubium, cujus arbitrium lectori relinquunt. Opera Proſperi, Lugd. 1539. f. Colon. 1565. 4. Lovan. 1566. 4. Duaci, 1577. 8. Colon. 1609. 8. 1618. Lugd. 1639. & in *Bibl. Patr.* T. VIII. p. 1. vulgata ſunt. Seorſim verò prodierunt Lib. III. *de Vita contemplativa*, ann. 1487. & Colon. 1536. 8 *Prologum II.* in hos libros vide apud Dacherium, *Spicileg.* T. XIII. Hos tamen Juliano Pomerio, tribuit Iſidorus Hiſpalenſis, *de Script.* c. XII. *Liber de gratia Dei & Libero arbitrio contra Collatorem*, Lugduni, Bat. 1606. & Atrebat. 1628. *Liber Sententiarum ex Operibus S. Auguſtini excerptarum*, Helmſtadii, 1613. cura Joh. à Fuchten. *Con-*

feſſio

feſſio fidei, Pariſ. 1619. poſt Eugenii Toletani Opuſcula, excuſa eſt. *Chronici à Proſpero conſignati*, quatuor editiones memorat Cave, P. I. p. 248. *Vulgarem*, quæ ad calcem Euſebiani & Hieronymiani habetur. *Duchesnianam*, quæ extat T. I. *Hiſtoricorum coætaneorum Franciæ* a Du Chesnio editorum. *Pithœanam*, quæ Pariſiis cura Petri Pithœi, 1588. & ſtudio Phil. Labbei, ibidem 1657. T. I. p. 56. *Bibl. Novæ*, MSS. prodiit. *Labbeanam*, & integram, quam vide apud Labb. l. c. p. 16. Hoc Proſperi *Chronicon*, & *fidei Confeſſio*, nuſpiam inter Opera ejus comparent. Scripta cæteroquin ordine repræſentat Cl. Cave. P. I. p. 247. ſeqq. Adde *Proſperi Carmen de fide, Vita, & moribus Chriſtianorum ad Vxorem*, quod exhibet Agricola, *Gymn. Vit. hum.* pag. 205. De eo Gennadius Maſſil. & Aub. Miræus, in Schol. ad c. 84. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 181. Blount *Cenſ. Celebr. Autor.* p. 304.

PROTERIVS.

Alexandrinus Epiſcopus, autoritate Synodi Chalcedonenſis, ann. 451. conſtitutus, a plebe tamen furioſa ſede expulſus, atque crudeliter occiſus, ann. 457. Scripſit, ann. 455. *Epiſtolam ad Leonem Papam, qua Theophili, deceſſoris calculum defendens, Paſchatis feſtum eo anno in VIII. Cal. Majas differendum eſſe* contendit. Habetur illa Lat. apud Bucherium, *de doctrina temporum*, & in editione *Operum Leonis Queſnelliana*. *Epiſtola, ſive Profesſio fidei ſuæ*, interiit. De eo Cave, P. I. p. 252. Du Pin l. c. p. 205.

AVRELIVS PRVDENTIVS CLEMENS.

Hiſpanus, vel Tarraconenſis, vel juxta alios Cæſarauguſtanus, non quidem Vir Conſularis, uti non pauci ab Aldo corrupta quadam Lectione, Litterarum V. C. in errorem ducti ſcripſerunt, ſed Vir Clariſſimus, atque militiæ deditus, poſtea Poëtarum Chriſtianorum facile princeps, cujus Laudes vide apud Barthium, ad Claud. Mamertum, p. 305. ſeqq. Ætatem ejus quod ſpectat, ann. 405. præfationem in Cathemerinon ſcripſit, ſeque ann. 348. natum cecinit. Opera, quæ conſcripſit, ſæpius edita proſtant. Venetiis, 1501. inter *Poetas Chriſtianos*, Lugduni 1603. Antwerpiæ 1564. & *in Bibl. Patrum* T. V. pag. 990. cura Joh. Weitzii, Hanov. 1613. 8. cum doctiſſimis

 animad-

animadverſionibus, Nicolai Heinſii, Amſtel. 1667. cum interpretatione & notis Stephani Chamillard, Pariſ. 1687. 4. & Chriſtophori Cellarii cura, Halæ, 1703. 8. Seorſim prodiit ſub *Amœni* nomine, cura Fabricii, *Enchiridion V. & N. T.* Baſil. 1564. 4. & cum *Aratoris & Juvenci Scriptis*, ibid. 1537. Lib. II. contra Symmachum ac veterem Deorum gentilium cultum, ſtudio Iſaaci Gangrei, Pariſ. 1614. 8. *Prudentii Hymnum de Chriſti Natali*, cujus initium, *Quid eſt quod arctum circulum Sol jam recurrens deſerit &c.* ſeorſim edidit & Commentariolo illuſtravit Aug. Buchnerus, Wittebergæ, 1642. De Prudentio Conf. Labbeus, Cave P. I. p. 206. Aub. Miræus, *in Schol.* ad Gennadii cap. 14. Cl. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 696. ſeqq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 5. Thom. Blount, l. c. p. 282. qui laudes ipſi ab aliis dictas, ſtudioſe congeſſit.

PRVDENTIVS GALINDVS.

Hiſpanus, Tricaſſinus in Campania Epiſcopus, anno 846. Concilio Pariſienſi, & 849. Turonenſi & 853. Sveſſionenſi, interfuit. Obiit, ann. 861. Scripſit prolixum Tract. *De Prædeſtinatione contra Joh. Scotum Erigenam*, excuſum a Gilberto Mauguino, T. II. *Vindiciarum Prædeſtinationis & gratiæ*, p. 191. ſeqq. Pariſ. 1650. 4. *Collectaneum de tribus Epiſtolis* ad Hincmarum Remenſem & Pardulum Laudinenſem, Epiſcopos, ad *calcem Hiſtoriæ Gotteſchalci Prædeſtinatiani*, p. 425. Pariſ. 1655. cura Ludovici Cellot impreſſæ. *Tractoriam Epiſtolam* adverſus IV. capitula Conventus Cariſiacenſis. T. II. *Vindiciarum Prædeſtinat. & gratiæ*, p. 176. *Brevem Epiſtolam* ad quendam Epiſcopum, fratrem ſuum, T. IV. *Analect.* Mabillonii, p. 324. Hæc Prudentii Opuſcula, vid. T. XV. *Bibl. Patrum* p. 598. Plura de eo Gilbertus Mauguin, l. c. Bollandiſtæ ad d. 6. Aprilis. Sanmarthani, *Gallia Chriſt.* T. III. Oudin. *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 250. ſeqq. Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 379. Uſſerius, *Hiſt. Gotteſchalci*, c. VIII. & XI.

PTOLOMÆVS.

Valentinianus & Gnoſticus profeſſione, vir juxta Epiphanium longe doctiſſimus, quem Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 29. ad annum 150. reponit, ſcripſit *Epiſtolam contra Legem Moſaicam*, cujus divinam originem

ginem auſus eſt labefactare. Extat illa apud Epiphanium, *Hæreſ. XXXIII.* à num, 3. ad 7. & fragmenta quædam apud Irenæum.

PTOLOMÆVS LVCENSIS.

Italus Lucenſis, S. Thomæ auditor, Ordinis Prædicatorum Monachus, ann. 1303. claruit. Poſtea ann. 1318. Epiſcopus Torcellenſis conſecratus, ann. 1321. obiit. Scripſit *Annales rerum civilium & Sacrarum*, ab ann. 1060. ad 1303, item *Chronicon Pontificum* atque *Imperatorum*, quod utrumque, Lugd. 1619. prodiit. *Annales* extant quoque in *Bibl. Patr.* T. XXV. p. 449. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ* Lib. XXIV. cujus excerpta quædam vid. *Hiſpan. Illuſtrat.* T. III. & *Collectaneo Hiſt. Franc.* T. V. p. 89. *Concionem* obſervat Cl. Cave P. II. *Hiſt. Litter.* pag. 271. a Ptolomæo Lucenſi, Mantuæ, habitam, in qua Chriſtum non in utero Virginis, verum juxta cor ipſius ex tribus ſanguinis guttis conceptum, retulit. Adverſus hanc Baptiſta Mantuanus, Tractatum *de parte corporis, in qua conceptus eſt Chriſtus*, edidit, qui inter Opera ejus extat. Conf. de eo Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Poſſevinus in *app. S.* Caſim. Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ* p. 616. H. Wharton, *append. Cav.* p. 7.

ANTONIUS PUCCIUS.

Gente Romanus, Cameræ Apoſtolicæ Clericus, ann. 1514. claruit. Juſſu Leonis X. *Orationem* in Concilio Lateranenſi habuit, ſuper verba Pſalmi LXXII. v. 2. *Omnes Reges terræ adorabunt eum & ſervient ei*, quâ tamen Leoni turpiter eſt adulatus. Extat illa *Oratio*, cum *Epiſtola* ad Leonem, Pontificem, *Concil.* T. XIV. p. 231.

Q.

QVADRATVS.

Athenienſis, poſt Publium Martyrem, Epiſcopus, juxta Euſebium & Hieronymum, S. Joh. diſcipulus, Vir pius atque ob donum Propheticum, an. 123. clarus, Martyrque factus, ſcripſit *Apologiam*

pro Chriſtianis ad Hadrianum Imperatorem. Hæc quidem jam dudum interiit, fragmentum tamen breviuſculum exhibet Euſebius, L. IV. c. 3. qui eundem ingentibus cumulat laudibus. Plura nec ſcripſit, ut adverſus, *Centuriatores Magdeburg.* obſervat Cave. P. I. p. 24. & ante ipſum, Balthaſar Bebelius, *antiqu. Eccleſ. Cent. II. Art. I.* p. 183. Hic itidem annotavit, Valeſium aberraſſe, qui cum aliis diverſum a noſtro Quadratum exhibere, fuerit conatus. Quibus autem argumentis utatur, & quomodo rationes ejus diluat, vide apud eundem l. c. Agunt de Quadrato Trithemius, *de Script. Eccleſ.* Simlerus, Kœnigius, Du Pin T. I. *Bibl. Nouv.* p. 54. Balthaſar Bebelius l. c.

QVINTIANVS.

Epiſcopus Aſculanus, ann. 484. clarus, ſcripſit *Epiſtolam* ad *Petrum Fullonem adverſus Clauſulam Triſagio annexam*, quam & XII. anathematiſmis improbavit. Vide illam græc. lat. *Concil.* T. IV. p. 1097. De eo Cave P. I. *Hiſt. Litter.* p. 261.

R.

RABANVS MAVRVS.

MOguntinus, ubi natum ſe renatumque in Epitaphio, quod quidem dubium facit & Scotiæ ſuæ natales Rabani, vindicare ſtudet Dempſterus, *Hiſt. Scot.* p. 553. inſinuat, Labbeo teſte, pag. 265. Sunt tamen qui neque Moguntiam, neque Angliam, patriam ejus fuiſſe tradunt, vide Sanmarth. T. I. f. 349. T. IV. f. 444. Hoc ſane in aprico eſt, Fuldæ à puero Monachum, Alcuini diſcipulum & ejusdem celeberrimi Monaſterii per 24. annos Abbatem fuiſſe, unde forte Sixtus Senenſis, Poſſevinus, imò & Trithemius, Fuldæ eum natum crediderunt. Anno 847. poſt Otgarium, Archi-Epiſcopus Moguntinus electus, fato vero ereptus, ann. 856. in S. Albani fano quievit, donec oſſa ejus Albertus, Cardinalis, Marchio Brandeburgicus,

gicus, Moguntinus, atque Magdeburgicus Archi-Epiſcopus, Halam Saxonum in S. Mauritii Baſilicam, ſuperiore Seculo, devexit, referentibus Sanmarthanis, T. I. l. c. Conf. *Deſignationem Hiſtoricam Reliquiarum Sax. Hallenſium*, ann. 1520. Halæ editam, dein a Franzio, Wittebergæ, 1618. reiteratam f. 82. & Voſſ. L. II. *Hiſt. Lat.* c. 35. p. 315. Primus græcas litteras in Germaniam invexit Rabanus, ut Eberhard. Fabricius, *Gloria Fuldenſi*, p. 75. ſcribit, Fulgentiſſimum hoc Germaniæ ſidus & Theologorum ſui temporis vertex, Baronii elogio, adeò viguit ac floruit, ut nec Germania, nec Italia parem pepererit juxta Trithemium. Præter enim doctiſſima Script. S. univerſæ Commentaria plura alia, tam ingenioſa, quam docta, reliquit. Opera omnia, quotquot reperiri potuerunt, VI. Tomis, cura *Georgii Colvenerii*, Duacenſis Academiæ Cancellarii, e Schedis Jacobi Pamelii, Colon. 1627. f. edita prodierunt. Inter illa eminent *Commentar. in Script. Libris* 172. e Patribus lat. ab Hieronymo usque ad Bedam, juxta ſenſum literalem & myſticum concinnata. Item *de Laudibus S. Crucis*, Opus, eruditione, verſu proſaque mirificum, uti inſcribitur ingenioſiſſimus & operoſiſſimus liber, ſeorſim editus, Phorcæ, 1503. opera *Jacobi Wimphelingii*, Sletſtatini, anno verò 1605. Aug. Vindel. in Typographeo Prætoriano recuſus. Reliqua exhibet Cave, P. I. p. 381. ordine a Colvenerio obſervato. Hic Cave monet quoque ex Codice quodam Oxonienſi, quod *Comment. in Exodum, Leviticum*, & *Deuteronomium*, non Rabano, ſed Walafrido Strabo, ejus diſcipulo, adſcribenda ſint, qui eadem ex Rabani ore ſedulò exceperit. *Quæſtionum Canonum Pœnitentialium* Lib. III. & Lib. *totidem de Vitiis & Virtutibus*, ad Halitgarium ſpectant, ut ex Mabillonio probat Oudinus, *Supplem.* p. 247. *Comment. in Regulam Benedicti*, Smaragdum autorem habet. Alia, in Editione Colveneriana omiſſa Rabani Scripta, poſtmodum prodierunt. *Poëmata quadam*, Baluz. *Miſcell.* T. IV. *Epiſt. III. de Prædeſtinatione adverſus Gotteſchalcum*, Jacobus Sirmondus, Pariſ. 1647. 8. *Lib. de Computo*. Baluz. *Miſcell.* T. I. p. 1. *Lib. contra Judæos*, Chiffletius, Divione, 1656. qui tamen ad Amulonem pertinet. *Opuſcula II. de Choro-Epiſcopis & Reverentia filiorum erga Parentes*, Baluz. ad calcem *Operum Petri de Marca*, Pariſ. 1669 f. T. I. p. 285. *Epiſt. ad Heribaldum*, Baluz. *in append. Reginonis*, p. 465. *Epiſt. ad Reginaldum &c.* Concil. T. VIII. pag. 1845.

Opera

Opera in edita ſiſtit Cave, l. c. & ſunt *Comment. in Acta Apoſtolorum.* Lib. *de Vita Mariæ Magdalenæ, Expoſitio de Paſchate, Gloſſarium Latino-Theotiſcum in V. & N. T.* de quibus Serarius *Rerum Mogunt. Catal. l. 4.* p. 631. *Epiſtola autem ad Egilonem de Euchariſtia*, quam P. I. p. 381. inter deperdita referebat, à Mabillonio *Sec. IV.* P. II. p. 591. editam, ipſe Cave P. II. p. 161. agnoſcit, atque de ejus exiſtentia fuſe diſſerit. Tract. *de Sacramento Euchariſtiæ*, Libr. 57. conſtans, quem Cave eodem loco amiſſum putavit, ad manus eſt, primo editus ex *Cuthberti Fonſtalli,* Dunelmenſis Epiſcopi, Bibliotheca, Coloniæ apud Joh. Quentelium, 1551. Plagii reum Rabanum quidem agnoſcit Wilhelmus Malmsburienſis, quem tamen ab eodem abſolvit Cave l. c. p. 380. De Rabano præter citatos autores adeas Georg. Colvenerium, *in præf. ejus Operum*, ubi *Vita Rabani* a Rodulfo Monacho & Trithemio conſcripta, exhibetur, & Bollandum *in Vitis Sanctorum*, d. 4. Febr. Mabillon. *Sect. IV. T. II.* p. 1. ſeqq. Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec. IX. P. I. p. 224. P. II. p. 575.* Conf. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. paſſim. Chriſtophophorus Browerus, *Fuldenſ. Antiquit.* p. 276. & alibi. Joh. Gualterius, *in Chronico Eccleſ. Polit.* p. 750. Clerc. *Bibl. Vniverſ.* T. III. pag. 401. Si clarorum Virorum de Rabano arbitria deſideras, evolve Thom. Pope-Blount, *Cenſura Celebr. Autor.* p. 346.

RABBVLAS.

Epiſcopus Edeſſenus, ann. 431. clarus, Cyrilli quidem Capitula in Concilio Epheſino rejecit, in Edeſſeno autem poſtea defendit maſcule. Cœcus fuit Rabbulas, nihilominus tamen ſupra vulgarem ſortem eruditus. Scripſit *Epiſtolam*, quæ mutila, latine, extat inter *Lupi Epheſinas.* n. 200. integra, *Concil.* T. V. p. 469. Alia, quæ de eodem diſſerit Cave, vid. P. I. p. 235.

RADEVICVS.

Capellanus atque Præpoſitus Friſingenſis Eccleſiæ, familiaris non tantum, ſed & Continuator Ottonis Friſingenſis, cujus *Lib. II. de Geſtis Frider. I. Imperatoris*, una cum Opere dicti Ottonis, excuſi ſunt. Vide ad hunc dicta ſuperius ſub *Ottone Friſingenſi.* Conf. Voſſ. *Hiſt. Lat.* l. 2. c. 53.

RADVL-

RADVLPHVS ARDENS.

Pictavus, Guilielmi IV. Aquitaniæ Ducis, Concionator diſertiſſimus, Bello Saracenico Ducis Godofredi de Boullion, interfuit, ut vitæ ejus autor refert, anno circiter 1130. claruit, Judice Barthio, vide Daumium *præf. ad Homilias Sanctorum Patrum, de Nativitate Chriſti*. Scriptor, Sanctitate, eruditione, eloquentiaque paucis veterum ſecundus. Ejus *Homiliæ in Epiſtolas & Evangelia de Sanctis totius anni*, itemque, quæ in communi Sanctorum legi conſueverunt, Pariſ. 1568. 1573. 8. T. II. Lovan. 1565 Antw. 1566. 8. Col. 1604 8. T. II. prodierunt. Binas hujus Radulphi *Homilias in Natalem Domini*, ſæpius laudatus Daumius, ſiſtit l. c, p. 165. ſqq. Conf. ejus *præf. ad Hieron. Græc.* p. 8. & Du Pin *Bibl. Nov.* T. IX. p. 180.

RADVLPHVS BOCKINGVS.

Anglus Ciceſtrenſis, Ord. Domin. Monachus, ann. 1270. *Vitam S. Richardi, Ciceſtrenſis Epiſcopi Lib. II*, Stylo ſatis barbaro, juxta Baleum, ſcripſit. Hanc, mutato dicendi genere, exhibet Surius, d. III. April. genuinam verò Bolland. ad eundem diem. *Sermones* quoque ipſi adſcribunt Baleus atque Pitſeus, memorante Caveo, P. II. p. 252. Miramur Altamuram, *in Bibl. Domin*, eundem ignoraſſe.

RADULPHUS de COGGESHAL.

Ord. Ciſt. Monachus, poſt Cœnobii Coggeshalienſis Abbas, ob indefeſſum literarum ſtudium, ann. 1228. clarus, ſcripſit, teſte Baleo, *additiones ad Radulphi Nigri Chronicon*, de Imperatorum atque Regum Franciæ, Angliæque, geſtis. Item *Chronicon Terræ S.* cujus non exiguum fragmentum exhibet Boxhornius, *in Hiſt. Vniverſali*. De eo Cave, P. II. p. 248.

RADULPHUS de COLUMNA.

Canonicus Carnotenſis, ann. 1290 clarus, cujus ad Lambertum de Caſtello *Tract. de Translatione Imperii a Græcis ad Latinos* extat apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 88.

RADVLPHVS de DICETO.

Anglus, Eccleſiæ S. Pauli Londinenſis Decanus, floruit, ann. Chriſti 1197. Vir ſui temporis tùm ob doctrinam, tum ob pietatem ſingularem per celebris. Opera Radulphi excuſa, *in Collectaneo Angl.* Londini, 1652. f. curis Seldeni, & ſunt: *Abbreviationes Chronicorum*, p. 429. *Imagines Hiſtoriarum*, p. 525. *Series Cauſæ inter Henricum Regem & Thomam, Cantuarienſem Archi Epiſcopum.* p. 711. *Hiſtoriam Britonum Regum compendioſam* extulit Thom. Galeus, *Rer. Angl. Script.* T. III. p. 553. *Indiculum de Succeſſione Archi-Epiſcoporum Cantuarienſium*, Whartonus, *Angl. S.* T. I. p. 87. *Hiſtoriam de Archi Epiſcopatibus & Epiſcopatibus Angliæ*, ex qua Hiſtoriam, Cantuarienſium Archi Epiſcoporum notis illuſtratam, dedit idem Whartonus, l. c. T. II. p. 677. *De Poſtilla* Radulphi, ſuper *Eccleſiaſticum* & *Libr. Sapientiæ*, dicit Cave, P. II. p. 231. Reliqua Radulphi Scripta, numero XIII. nunquam tamen edita, exhibent Baleus atque Pitſeus. Vixit adhuc Radulphus, ad ann. 1210. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185.

RADVLPHVS NIGER.

Flaviacenſis ſeu Flaciacenſis Monachus, Cœnobii S. *Germer de Flaix*, dicti, in diœceſi Bellovacenſi Ord. Bened. floruit non ſanè ann. 910. ſicut *Sixtus Senenſis*, *Poſſevinus*, *Bellarminus*, *Mareſius*, aliique hos ſequuti volunt, ſed ann. 1157. id quod ex Alberici, Ciſtertienſis Trium-fontium Monachi, circa ann. 1240. clari, *Chronico*, diſerte probat Labbeus, *T. II.* p, 273. ſeqq. & *in addit.* p. 799. Extant ejus *Comment. in Leviticum*, Coloniæ, 1536. & *T. XVII. Bibl. P.P.* pag. 47. *Comment. in Cantica Cantic.* Gregorio perperam tributa, quæ Radulpho reſtituit Jac. Hommey, *Supplem Patrum.* Paris. 1684. Libr. XIV. *Comment. in Epiſt. Pauli* & *Chronicon breve* juxta cum aliis ſcripſiſſe dicitur, quæ tamen non extant. De eo Cave, P. I. p. 470. Sixtus Senenſis, *Lib. 4. Bibl.* f. 318. Du Pin. l. c. p. 185.

RADVLPHVS DE RIVO.

Brabantus Bredanus, Decanus Tungrenſis, antiquitatum Eccleſiaſticarum peritiſſimus, ann. 1390. clarus, obiit, ann. 1401. juxta Labbeum, T. II. p. 275. ſeqq. & *addit.* p. 795. quem omnino ſequimur.

mur. Scripſit *Calendarium Eccleſiaſticum*, Lovanii, edit. 1568. & exinde *in Bibl. Patr.* transſcriptum T. XXVI. p. 289. *Hiſtoriam trium Pontificum Leodienſium*, Engelberti a Marka, Joh. de Arkel, & Arnoldi de Horn, quam vide T. III. *Hiſt. Leod. rerum*, a Joh. Chapeavillio edit. 1616. 4. p. 1. ſeqq. De eo H. Wharton *app. Cav.* p. 46. Oudin. l. c. p. 669. ſeqq. Poſſevin. *app. S.* T. II. p. 311.

RAINALDVS DE SEMVR.

Ex illuſtri Burgundiorum familia oriundus, Monachus Ord. Bened. poſt Abbas Vezalienſis, quo nomine Trecenſi Synodo an. 1104. interfuit. Tandem Archi-Epiſcopus Lugdunenſis factus eſt. Extat *Vita S. Hugonis, Abbatis Cluniacenſis*, fratris Rainaldi, ab ipſo ſcripta, *in Bibl. Cluniacenſi*, quam Andreas Du Chesne, adornavit. Mortis annum Sanmarthan. T. I. p. 314. reponunt ad ann. 1129. De eo Henricus Gandavenſis, *de Viris Illuſtr.* c. 3. p. 162. Oudin. *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 392.

RANVLPHVS HIDGENIVS.

Anglus, Ceſtrienſis Monachus, Ord. Bened. ann. 1357. clarus, obiit, ann. 1363. Compilavit *Polychronicon Lib. VII.* cujus contenta exhibet H. Wharton, *in app. Cav.* p. 33. Anglicè prodiit ex Verſione Joh. de Treviſa, curante Guilielmo Caxtono, Londini, 1482. f. Lat. Galeus, *Hiſt. Angl. Script.* T. III. Oudinus viginti Codices MSS. in Anglia aſſervatos, numerat, p. 631. Conf. Voſſ. *H. L. l. 3. c. 2.* Scripſit *Artem componendi Sermones*, *Speculum Curatorum* & alia, de quibus Baleus, *Cent. VI.* p. 462. Pitſeus p. 516. Cave, P. II. p. 283.

PETRVS RANZANVS.

Siculus Panormitanus, Ordinis Prædicatorum ſodalis, Ferdinandi Regis Orator ad Mathiam, Hungariæ Regem, anno 1478. Lucerenſis Præſul factus, ann. 1492. obiit. Ejus ſunt VI. Libri *Annalium temporum de omnium penè gentium rebus*, quorum ultimus, *de rebus Hungaricis*, ſolus ſuper eſt. Prodiit, autem cum *appendice* Joh. Sambuci, Viennæ Auſtriæ, 1558. f. & inter Jac. Bongarſii *Scriptores rerum Hungaricarum*, Francof. 1600. f. *Vitam & res geſtas B. Vincentii Ferrerii*, a Ranzano ſcriptas, exhibet Surius d. V. April. *Opuſ-*

culum de urbis Panormitanæ antiquitate memorat Fazellus, *de Rebus Sicul. Dec. I. L. 8. p. 149. & 173. De laudibus Lucerinæ civitatis* & alia, Ambroſius Altamura, *Bibl. Præd.* p. 214. memorat. *Orationes* MSS. aſſervabat olim Joh. Sambucus. Conf. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 315. ſeqq.

RATHERIVS.

Monachus Lobienſis, poſt Veronenſis Epiſcopus, à ſede tamen ob proditionis crimen, ipſi falsò imputatum, expulſus, Leodienſis Epiſcopus conſtitutus, poſt Veronenſi reſtitutus eſt. Hac tamen iterata vice excedere juſſus, Lobienſe Cœnobium reverſus, ibidemque, ann. 974. deceſſit. Scripſit varia a Dacherio collecta *Spicil. T. II. Volumen Perpendiculorum*, p. 161. *Apologiam ſui ipſius.* p. 199. *Diſcordiam inter ipſum & Monachos.* p. 217. *Librum Apologeticum.* p. 225. *De nuptu cujusdam illicito.* p. 238. *Synodicam ad Presbyteros ſuos.* p. 256. *Itinerarium Romam euntis* p. 265. *Serm. II. de Quadrageſima.* p. 281. *Sermon. IV. de Paſchate* p. 308. *Serm. II. de Aſcenſione.* p. 324. *Epiſt. ad Patricium de Corpore & Sanguine J. C.* apud eundem T. XII. p. 37. *Vitam S. Vrsmari Lobienſis*, quæ mutila apud Surium, d. 18. April. extat. Plura alia Ratherii Scripta, eaqua procul dubio deperdita, ex Sigeberto c. 127. enumerat Cave, P. I. p. 406. De eo Folcuinus, Laubienſis Abbas, *in Chronico.* Mabillon, *Sec. V.* p. 478. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 19. ſeqq.

RATPERTVS.

Qui & *Rapertus*, Thuregienſis Monachus Monaſterii S. Galli, cognatus Notkeri, de quo ſupra. Voſſius l. 3. *Hiſt. Lat.* c. 4. deceſſiſſe eum conjicit, ann. 883. & ibidem Scripta ejus enarrat. Ex his, *hymnum de Feſtivitate S. Galli,* & *Litaniam ad proceſſionem diebus Dominicis* ſcriptam, atque Nicolao III. P. R. canonizatam, cum quibusdam aliis carminibus Henr. Canis. edidit. *T. V. Lect. antiqvar. P. II.* f. 736. 742.

RATRAMNVS.

Gente forſan Gallus, ex Corbejenſi Monacho ac Presbytero, ſingulari Caroli Calvi favore, Orbacenſis in Diœceſi Sveſſionenſi Cœnobii Præpoſitus, ann. 840. variis adverſus Gotteſchalcum &

Græ-

Græcos Libris inclaruit. Erat, teſte Caveo, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 373. *Vir pius, modeſtus, & haud dubie eruditus, à doctisſimis quibusque ſui Seculi viris magni habitus, quin & excepta lite Euchariſtica, ab ipſis Scriptoribus Pontificiis ſummis elogiis ornatus.* Varia ingenii monumenta reliquit. Extat ejus, *de partu Virginis ſeu de Nativitate Chriſti* Liber, apud Dacherium, *Spicileg.* T. I. p. 218. *De Prædeſtinatione,* Lib. II. adverſus Gotteſchalcum, ann. 849. ſcripti, apud Gilb. Mauguinum, *in Collect. Script. Græc.* T. I. p. 29. & *Bibl. Patrum,* T. XV. p. 442. *Contra errores Græcorum* Lib. IV. apud Dacherium, l. c. T. II. p. 1. *De Corpore & Sanguine Domini,* Liber, in quo Transſubſtantiationis dogma funditus evertit, quicquid etiam Pontificii garriant, prodiit Coloniæ, 1532. Genevæ, 1541. 8. in *Micropresbytico,* Baſileæ, 1550. p. 513. cum Paſchaſio Ratberto, Coloniæ, 1551. 8. inter Feuguerei Opuſcula, Lugduni Batav. 1579. 8. in *Catalogo Teſtium Veritatis,* Genevæ, 1608. f. Lat. & Gallicè, 1672. Anglo-Latinè, Londini, 1686. cui poſtremæ editioni diſſertatio præmiſſa eſt, qua omnes Pontificiorum objectiones ſolidè ac erudite diluuntur. Librum *de Anima* edendum quidem promiſit Mabillonius. Conf. de Ratramno, Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. paſſim. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 252. Natalis Alexander, *Sec. IX.* P. II. p. 597. *peculiari diſſertatione.* Ludovicus Cellot. *in Hiſt Hæreſeos Prædeſtinat. Pariſiis,* an. 1655. f. excuſa.

PETRVS RAVENNAS.

Italus J. U. Doct. miranda memoria præditus, Equesque auratus, uti vocatur titulo *Libri Sermonum,* quos Feſtis diebus auditoribus ſuis pronunciavit, aſſidentibus quandoque Friderico Electore & Joh. Fratre, Ducibus Saxoniæ Sereniſſimis. Edidit illos Hermannus Trebelius, Iſennacus, qui in Frontiſpicio Dædaleum opus dicit, & in dedicatione ad ipſum Petrum Ravennatem, autorem, φαντασόφ titulo eum ornat. Excuſus liber Wittenburgii, ſic enim habet integra ejus clauſula in incude litteratoria Herm. Trebelii, 1505. Sub illuſtrisſimo & Chriſtianiſmo Principe Electore Federicho, Sax. Duce pientiſmo, cui Salus & Victoria. Scripta hujus Petri Juridica Simler. recenſet, *Epitome* f. 564.

RAYMVNDVS DE AGILES.

Canonicus Podienſis, Capellanus Comitis Toloſani, anno 1095. clarus, quo ipſum in itinere Orientali comitatus eſt. Cum

effoderetur lancea S. quæ Dominum perfodit, ipſe adfuit, eandemque in obſidione Antiochena tulit. Scripſit *Hiſtoriam Hieroſolymitanam*, petente Pontio Baladunio, quæ extat apud Bongarſium inter *Geſta Dei per Francos*, T. I. p. 139. Sincera fide ſcripſit, uti videre eſt ex ipſius verbis. p. 163. adductis: *Oro inquit, & obſecro omnes, qui hæc audituri ſunt, ut credant hæc ita fuiſſe. Quod ſi quicquam ego præter credita & viſa ſtudeo referre, vel odio alicujus appoſui, apponat mihi Deus omnes inferni plagas & deleat me de libro vitæ.* Conf. de eo Cave, P. I. p. 439. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 192.

RAYMUNDUS JORDANUS.

Qui diu ſub *Idiotæ* titulo ſe preſſit, Ord. S. Aug. Canonicus regularis, Uticenſis primum, ann. 1381. deinde Cellenſis ad Carum in Biturigibus Cubis Abbas. Scriptor omnino doctus & cordatus, cujus opera omnia, Pariſ. 1654. 4. excuſa, cura Theoph. Raynaudi, & quidem hac ſerie: *Contemplationes XI. de miſerabili curſu Vitæ præſentis, de Innocentia perdita, de Converſione per XII. menſes anni ſpiritualis, XII. fructus fidei producentis, de Conflictu aſſiduo inter animam & Carnem. De VII. donis Spiritus S. contra VII. peccata Mortalia: de SS. adjutorio & Officio: de VIII. beatitudinibus; de amore divino*, quam quidem Henr. Sommalius *cum Soliloquio & Manuali Auguſtini* edidit, Colon. Agripp. 1631. 1639.) *de Patientia, de Morte, de Deipara.* Prodierunt quoque *contemplationes*, Pariſ. 1519. 4. *De B. Virgine: de Statu Religioſo*, L. III. *de Oculo Spirituali*, quod quidem opuſculum, Joh. Guallenſi adjudicavit Waddingus. Prodiit illud ſeorſim ſub Raymundi nomine, Lugd. 1641. mutilum, integrum verò ſub cujusdam Magiſtri P. Lacepieræ, Venet. 1496. Italicè, uti teſtatur H. Wharton, *in app. Cav.* p. 44. *Regulæ Vitæ Chriſtianæ & in Pſalmum XV. Paraphraſis*, quam tamen cum *Regulis modo dictis* ad Joh. Picum Mirandulanum Comitem, ann. 1494. clarentem, potius referendam cenſet Labbeus, l. c.

RAYMUNDUS de PENNA FORTI.

Sive de *Rupe-Forti*, Patria Barcinonenſis, ex Arragoniæ Regum Sanguine, anno 1175. oriundus, Ord. Domin. Prior Generalis, Doctor Juris Pontificii, Archi-Epiſcopatum Tarraconenſem a Gregorio IX. cujus Sacellanus fuit, ſibi oblatum, reſpuit, obiitque, ann. 1275.

anno demum 1601. Divorum in cœtum Clement. VIII. P. R. ad mota apotheoſi relatus. Vide Schott. *Bibl. Hiſp.* T. II. f. 186. & 218. & *ejus Vitam* a Salvatore Pons, Priore Tarraconenſi Hiſpano, prolixè deſcriptam, & germanicè translatam ab *Ægidio Albertino*, editamque Monachii, 1602. item a Joh. Baptiſta Spadio, de Firenzuola, Placentino, Ord. Præd. Raymundi Vitam compoſitam atque Papiæ, 1606 fol. editam, teſtatur Leo Allatius, *Apib. Vrban.* p. 152. Stupenda inibi ejus narrantur miracula, quadraginta amplius a funere illius mortui excitati, imò alter Enoch, Abraham, Moſes, Hiskias, Elias &c. prædicatur. *Libros V. Decretalium Extravagantium dictorum* ex antiquis collectionibus Epiſtolarum ac Reſponſorum Papalium collegit, & multis hinc inde reciſis, in ordinem per titulos & capita digeſſit, Gregorio IX. jubente & approbante, prout alias notum eſt. Vid. *Zieglerum*, qui ex Inſtituto, quænam circa hoc Opus Pontifex, quæque Miniſter ejus Raymundus, præſtiterit, ediſſerit, *prælimin. ad Jus Canon.* p. 41. ſeqq. Extat quoque ejusdem *de Caſibus pœnitentialibus Summa, Raymundina* dicta, edita Romæ, 1603. hoc titulo: *Summa de Pœnitentia & Matrimonio cum Gloſſis Joh. de Friburgo*, Lect. Ord. Dom. ſicut tradunt Labbeus l. c. p. 281. Cave P. I. p. 495. addentes, eandem jam olim ad brevem Summulam redactam anno 1502. Colon. evulgatam, tali initio:

Summula de Summa Raymundi prodiit iſta.

At antiquior paulo editio e Bibl. Hàlenſi Mariana ſuppetit, Coloniæ per Henr. Quentelium. 1495. excuſa, in qua verſus majusculis impreſſi literis, gloſſæ verò ſæpius vanæ & ridiculæ, minusculis ſuperadditæ, hoc modo leguntur:

Præſens liber, ſcilicet Proſaica illius Magiſtri venit
ſcilicet Propoſita,
Summula de Summa Raymundi prodiit iſta,
Non ex gravi ſeu difficili, id eſt facili proponimus,
ſcilicet Summulam
Non ex ſubtili, ſed vili ſcribimus iſtam &c.

RAY-

RAYMVNDVS DE SABVNDE.

Sive *Sabeyde*, natione Hiſpanus, magni & ſolidi Vir ingenii, juxta Poſſevinum *appar. S.* f. 316. Theologus, Philoſophus, atque Medicus, docendo in Gymnaſio Tholoſano, ſcribendoque clariſſimus, tempore Sigismundi, Imper. ann. 1430. floruit, calculo & elogio Trithemii, *Script. Eccleſ.* f. 137. Scripſit *Theologiam Naturalem* ſeu *Theſaurum Divinarum Conſiderationum*, quem commendat atque non pauca juxta Tholoſanam editionem Dorſchæus P. II. *Theol. Zach.* f. 24. ſeq. profert. Plures editiones ſiſtit H. Wharton *in App. Cave*, p. 71. Prodiit enim Daventriæ, fol. Argent. 1496. Pariſ. 1509. Lugd. 1540. 8. Francof. 1631. 8. Venet. 1581. 8. Hinc Doctoribus & Scriptoribus illis, qui Gentilismum oppugnarunt, eum annumeravit Voëtius, T. II. *Diſp. Select.* f. 601. ubi addit, edoceri nos de Raymundo ejusque Scripto a *Mich. Montagne*, qui librum Raymundi Gallice vertit, in ſuis *Eſſais*, l. 2. c. 10. Prologus ejusdem prohibetur *in Indice Romano Clementis VIII.* ob perſpicuitatem Scripturæ aſſertam. Idem Argumentum, quod in modò laudato theſauro tractaverat, Dialogi forma poſtmodum repetiit, libro, quem *Violam animæ*, inſcripſit, impreſſo, Coloniæ, 1501. 4. Lugd. 1568. 12. Legas ibi colloquentes Raymundum & Dominicum Seminiverbium, *de Hominis natura, de cognitione ſui, Dei, proximi, deque omni debito, quo Deo & proximo obligamur &c.* Conf. Simler. *epit. Gesner.* f. 598. b. Dicitur etiam ſcripſiſſe *Quodlibeta & Quæſtiones diſputatas*, quæ verò nuſpiam comparent.

REGINO.

Germanus Monachus & poſtea Abbas Prumienſis Cœnobii, in ditione Trevirenſi, Ord. Bened. ann. 892. electus, ſed æmulis agentibus cedere juſſus, ut ipſe modeſte indicat *in Chron. ſuo* ad ann. 899. circa annum 908. vita functus. *Duos Chronicorum Libros* contexuit, quos vid. T. I. *Script. Germ. Illuſtr. Vet.* Francof. ann. 1583. ex Bibliotheca Piſtorii editos & cum Urspergenſi, Argentorati, 1609. f. Fragmentum *Annalium Francorum*, quos Regino ſe in Hiſtoria ſecutum profitetur, Henr. Canis T. III. *Antiqv. Lect.* f. 187. exhibet. Conf. Voſſ. l. 2. H. L. c. 39. Labb. p. 289. Doctiſſimum ſimul & nobiliſſimum, Germa-

Germaniæ Chronographum eum vocat Zieglerus *prælim. Jur. Canon.* p. 17. Addit Cave, P. I. p. 599. *Lib. II. de diſciplina Eccleſiaſtica*, quos primus cum appendice extulit Joach. Hildebrandus, Helmſtadii, 1659. & poſt illum plenius exhibuit, Steph. Baluz. Pariſ. 1671. 8. De eo Sigebert. *in Catal. c. 3.* Aub. Miræus, *in Scholio ad cap. 3.* Natal. Alex. *Sec. IX. T. I. c. 3. art. 32. p. 283.* Du Pin. *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 153.

REGINALDVS.

Vir lat. græc. & hebr. doctus, ac Muſices egregie peritus, Eiſtatenſis, ann. 965. Epiſcopus, juxta Voſſium, *Hiſt. Lat.* c. 40. ubi ait, fortaſſe ejus eſſe illam Wilibaldi, primi Eiſtetenſis Epiſcopi, *Vitam*, quam Henr. Caniſius *T. IV. Lect. antiqv.* p. 2. f. 475. exhibuit, qui tamen fol. 477. negat, & neſcio, cui Sanctimoniali Heidenheimenſi vendicat.

REIMANNVS.

Aliis *Ousmannus*, Germanus, Cœnobii Walciodorenſis aut Gorzienſis Monachus, ann. 990. florens, ſcripſit Vitam S. Cadroæ, Abbatis Walciodor. poſt Metenſis, quam exhibent Bolland. Marc. VI. & Mabillon. Sec. Ben. V. p. 487. Conf. Cave, P. II. p. 189.

REINARDVS de LAVDENBVRG.

Ord. Aug. SS. Theol. Lector, cujus *paſſio prædicata e IV. Evangg.* extat Norimb. impreſſa, 1501. 4.

REINERVS.

Monachus S. Laurentii Leodienſis Ord. Bened. ann. 1130. clarus, ſcripſit *de Viris Illuſtribus Cœnobii ſui & Epiſcopatus Leodienſis*, qui extat *in Collectione Rerum Leodienſium*, a Joh. Chapeaville, ann. 1612. 4. Leodii, T. III. evulgata.

REINERVS de PISIS.

Italus Piſanus, Ord. Dom. Monachus, Theologus atque JCtus celeberrimus, juxta Simlerum *epit. Gesner.* f. 599. & Trithemium, ann. 1300. clarens, ſcripſit *Pantheologiam*, quæ ſtylo immutato, atque absque ulla fide prodiit, curante Jacobo Florentino Minorita, No-

rimberg. 1473. Venet. 1486. Lugd. 1519. f. Brixiæ, 1580. 4. T. II. Pariſ. fol. T. III. & alibi. *Reinerianam* quoque *Summam* impreſſam extare, ait, Simlerus, quæ annon ſit ipſa *Pantheologia*, nunc equidem arbitrari non licet. Hunc ſane autorem Operibus ſuis titulum non inſcripſiſſe, Raphael Volaterranus tradit, *lib. 21. Comm. urb. 1126.* f. 759. b.

REINERVS SACHONVS.

Placentinus, Theologiæ & Philoſophiæ peritiſſimus, primo Waldenſium Anteſignanus, poſt Ord. Præd. atque hæreticorum Generalis Inquiſitor, ann. 1254. clarus, ann. 1259. ob Waldenſes, quorum plures igni addixerat, Mediolano expulſus, in exilio ſuccubuit. Scripſit *Librum adverſus Waldenſes*, quem integrum edidit Gretzerus, Ingolſt. 1614. 4. Extat quoque *in Bibl. Patr.* T. XXV. pag. 262. Vid. Cave P. I. p. 501. qui Gretzerum taxat, appendicem huic opuſculo affixam, Reineri non eſſe, exiſtimantem. *Summam de Catharis & Leoniſtis*, quæ maximam partem habetur, *in Catal. Teſt. Verit. Flac.* p. 431. integra verò prodiit, cura Claudii Cousford, Pariſ. 1548.

REMBERTVS.

Flander, vel potius Friſius, Monaſterii prius Turholtani Monachus, poſt ſecundus Hamburgenſium Archi-Epiſcopus, ſedem, ann. 865. conſcendit, ſuccedens S. Anſchario, primo illuſtris illius loci Archi-Epiſcopo, cujus etiam Laudes & Vitam libello ſingulari diligenter conſignavit, qui extat apud Bolland. *d. Febr. III.* Mabillon. *Sec. Bened. IV.* P. II. p. 75. & poſt *Origines Hamburg.* Petri Lambecii, T. I. Comitem nactus metricum Paraphraſtam *Gualdonem*, Corbejæ Monachum, qui Henr. III. & IV. temporibus eandem vitam, verba Remberti ſecutus, verſibus, in tanta ætatis ſuæ barbarie minus cultis, decantavit. Vid. Cl. Boſium *exercit. de Vet. Eccleſ. Clinicis* c. 2. p. 46. ſeqq. c. 3. p. 63. ſeq. Conf. quæ circa Anſcharium, ejusque Succeſſorem, Rembertum, memorant Crantzius *L. I. Metrop. c. 20. 36. 38. 42. Lib. II. c. 2. 10. ſeq. Saxon.* l. 2. c. 25, 31. Voſſ. *l. 2. Hiſt. Lat.* c. 37. & Suffridus Petri *Script. Friſ. Dec. 7. n. I.* Obiit Rembertus ann. 888. Vita ejus extat apud Mabillonium, *Sec. IV. P. II. p. 471. ſeqq.* Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* pag. 199.

REMI-

REMIGIVS.

Antiſſiodorenſis, in Abbatia S. Germani Antiſſiodor. Monachus, Ord. Bened. extremo Seculo Chriſti IX. vigens, a Fulcone Remenſi Archi-Epiſcopo, ad Scholas inſtaurandas Remos vocatus, nunquam verò extitit Antisſiodorenſis Epiſcopus, uti Trithemius aliique falſisſime opinati, judice Labbeo, fol. 283. Ejus *Comment. in omnes Pſalmos Davidis* ex Ambroſio, Auguſtino & Caſſiodoro excerptus, non paucis de ſuo intermiſtis, Colon. 1536. prodiit. *Enarratio in poſteriores XI. Propb. minores*, Antw. 1545. excuſa, quæ, niſi fallimur, Lovanii quoque impreſſa extat. Ejusdem *Expoſitio miſſæ*, ſeu *de ejus celebratione* habetur, T. VI. *Bibl. Patrum*, Pariſ. 2. edit. f. 1150. Idem Remigius *in omnes Pauli Epiſtolas explanationem* ſcripſiſſe dicitur, quam tamen non huic noſtro, ſed alteri Remigio, longe antiquiori, Archi Epiſcopo Remenſi & Francorum Apoſtolo, qui Clodovæum, I. Francorum Regem anno 496. vigilia Nativ. Chriſti, vel juxta alios, pervigilio Paſchali baptiſavit, annoque 535. obiit, juxta Sanmarth. T. I. f. 478. tribuendam voluit, qui Romæ 1598. edidit, Joh. Bapt. Villalpandus, S. J. unde & hoc titulo, *Bibl. Patr.* Colon. inſerta T. V. f. 802. Aſt, quam infelici ſucceſſu, oſtendit, genuinumque Scripti Parentem indicavit, poſt multos alios, Rivetus L. IV. Crit. c. 27. & ſcrupuloſe ſatis Labb. p. 285. ſeqq. & app. T. II. *Diſſ.* p. 800. Cave P. I. p. 395. Non enim potuit Remigius Rhemenſis ante annum 530. denatus, Bedam, Casſiodorum, Gregorium P. R. & alios multò antiquiores, citare. Obiit noſter Remigius circa, ann. 900. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII p. 177.

REMIGIVS LVGDVNENSIS.

Natione Gallus, Lotharii, Imperatoris, Cappellanus, poſt hæc Archi-Epiſcopus Lugdunenſis, ann. 655. floruit. Interfuit Remigius variis Conciliis, utpote, ann. 855. Valentino III. ann. 859. Tullenſi & ann. 860. Tullenſi II. ann. 866. Sveſſionenſi. ann. 869. Vermerienſi, anno 870. Attiniacenſi, anno 871. Duziacenſi, anno 873. Cabilonenſi I. ann. 875. Cabilon. II. Ex eo cumprimis notus eſt Remigius, quod Concilii Pariſiacenſis adverſus Gotteſchalcum Canones, in Concilio Valentino, ann. 855. damnavit. Nactus hinc

 adver-

adverſarium, Hincmarum Rhemenſem. Scripta quæ poſteritati reliquit Remigius, hæc ſunt: Liber, *de tribus Epiſcoporum Epiſtolis:* Libellus, *de tenenda immobiliter S. Scripturæ veritate & SS. Orthodoxorum Patrum autoritate fideliter ſectanda:* *Abſolutio cujusdam quæſtionis, de generali per Adam damnatione & ſpeciali per Chriſtum ex eadem ereptione electorum.* Extant iſta Opuſcula *in Bibl. Patrum* T. XV. & in *Collectione* Mauguini Scriptorum, *de Prædeſtinat. & gratia,* T. I. P. II. p. 67. Commentarius in Epiſtolas Pauli, qui *in Bibl. Patrum* habetur, potiori jure Haymoni tribuitur ac Remigio, prout poſt alios Cl. Cave, P. 1. p. 383. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 268. ſufficienter monſtrarunt. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 20. ſeq.

REMIGIVS RHEMENSIS.

Natione Gallus, Rhemorum Archi-Epiſcopus, Francorum ob Clodovæum ad Chriſtianum fidem converſum & anno 496. baptiſatum, dictus Apoſtolus, Synodum anno 511. Aurelianenſem convocavit, Concilioque Rhemenſi, ann. 517. præfuit. Obiit ante annum 535. Scripſit *Epiſtolas V.* quæ *Concil. T. IV.* p. 1268. 1401. 1608. repetiuntur. *Declamationes,* ſive *Orationes,* Sidonio Apollinari, L. IX. Epiſt. 7. memoratæ, deperierunt. Explanationes Epiſtolarum S. Pauli, ſub Remigii, quidem nomine vulgavit, Joh. Baptiſta Villalpandus, Romæ, 1598. & Moguntiæ, 1614. Verum, has Remigii Rhemenſis non eſſe, Cl. le Cointe adverſus Villalpandum diſerte probat, easdemque, Fulberti Carnotenſis autoritate commotus, Haymoni attribuit. Qua autem ratione Albertinus illas Remigio Antiſſiodorenſi adjudicet, vid. ejus Librum, *de Euchariſtia,* p. 886. 926. 937. *Teſtamentum,* cujus editio prolixior & interpolata habetur apud Flodoardum, *Hiſt. Remenſi.* L. I. c. 18. brevior & genuina, apud Labbeum, *Bibl. MSS. Nouv.* T. I. p. 806. Carolum le Cointe, *Annal. Franc.* T. I. ad ann. 533. n. 50. p. 407. & Marlotum, *Hiſt. Metrop. Rhem.* T. I. l. 2. c. 11. qui poſtremus Teſtamentum Rhemigii prolixius, non immeritò tanquam ſpurium, rejecit, quod Hincmarus, Vitæ Rhemigii Autor, idem reticuerit, & recentiores loquendi formulæ, nec non alia veritati abſimilia, in eodem deprehendantur. Agunt de Remigio, poſt jam citatos autores, Natalis Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec. VI, c. IV. art. 3. p. 132.* Aub. Miræus, *in Chron. Belg.* Sigebertus

de

de Scriptor. Labbeus, *de Script. Eccleſ.* T. II. p. 285. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 257. Caſimir. Oudin. *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 110. ſeq.

JOH. REUCHLINVS.

Alias *Joh. Capnio* dictus, Phorcenſis Svevus, ann. 1454. Patre Georgio, Matre verò Eliſſa Erina, natus eſt. Hic cum fundamenta ſtudiorum jéciſſet, & æquales omnes longè præſtaret, Lutetiam Pariſiorum profectus, ibidemque Joh. Lapidanum, Guilielmum Tardivum, Robertum Guagvinum, Georgium Hermonymum Spartiatam, & alios, audivit, atque Grammaticis, Rhetoricis & Græcis, imbutus, in Germaniam rediit, atque Baſileæ, ann. 1474. Magiſtri honore ornatus, græcam & latinam linguam profiteri cœpit. Aureliæ poſtea Doctor Juris, cui hactenus incubuerat, creatus, an. 1481. Quibus ornamentis auctus in Germaniam reverſus, ab Eberhardo, Comite Wirtembergico, Romam vocatus, atque deinde ad Fridericum, Imperatorem, miſſus eſt. Tubingam poſthæc ſe contulit, ibidemque inter Quatuor-viros Provinciæ Svevicæ Judices allectus, lingvam hebraicam & græcam, reſtaurare intendit. Hoc ægre tulerunt Monachi, ipſumque hæreſeos accuſarunt. Nihilo tamen minus finem, quem Reuchlinus intenderat, obtinuit, primusque omnium hebraicas, græcas, latinasque litteras in Germania reſuſcitavit. Malevolos autem, lepido commento eluſit, pravosque illorum mores & ineptam inſcitiam ſatyris eſt ultus. Obiit Stutgardiæ, ann. 1521. dignus elogio Trithemii, *de Scriptor. Eccleſ.* f. 201. *qui ſolis litteris, non etiam perſtrepenti curiæ populari incumberet. Nullum enim nobis non modo Italia, ſed nec Seculum noſtrum, huic tanto Viro parem, objiceret.* Multa ſcripſit Reuchlinus, è quibus hic ſaltem notamus, Libros III. *de Verbo Mirifico,* Venet. 1486. fol. Spiræ, 1494. f. Lugduni, 1552. 8. Baſil. 1587. excuſos. *De arte Caballiſtica*, Lib. III. Hagenoæ, 1517. & Baſileæ, 1587. 1550. f. & Francof. 1612. *De arte concionandi* libellum, Baſil. 1540. Londini, 1570. 8. *Pſalmorum pœnitentialium interpretationem* de verbo ad verbum, & ſuper eisdem *Commentariolum*, Tubingæ, 1512. 8. *defenſionem contra Calumniatores ſuos*, Coloniæ editam. *Dialogum*, an Judæorum Talmud ſit ſupprimendum? Colon. 1518. 4. *Lexicon Hebr.* Baſil. 1537. 1554. f. *lingvæ hebraicæ rudimenta*, Phorcæ, 1506, & alia. Multa quoque e græco in latinum

 vertit,

verit, magno Eccleſiæ commodo, *Cypriani* videlicet *confeſſionem*, *Proclum de B. Virgine: Epiphanium de vita & morte Prophetarum: Athanaſii librum de variis quæſtionibus*, quibus notas adjecit, ejusdemque *in Pſalmos* Opuſculum. Vide Trithemium l. c. f. 168. Simlerum, *Epitom. Bibl. Gesner.* f. 352 & de aliis luce dignis, Melchior Adami, *Vit. Litter. German.* Henr. Wharton. *app. Cav.* p. 123. Adde *Epiſtolas* Clariſſimorum undequaque Virorum, lat. græc. & hebr. ad Reuchlinum miſſas, multa ejus laude, rebusque lectu digniſſimis, refertas, quas Joh. Hiltebrandus, Svecingenſis, Tiguri, ann. 1558. per C. Froſchoverum imprimi curavit. *Vitam Reuchlini*, elegantiſſime conſcripſit Joh. Henr. Majus, Durlaci, 1687. 8. quam poſtea recenſet & in compendio exhibet Clerc, *Bibl. Vniverſ.* T. VIII. p. 485. ſeq.

RHEGINUS.

Conſtantienſis in Cypro Epiſcopus, anno 431. clarus, Concilio Epheſino, de damnando Neſtorio, ſubſcripſit. Extat ejus *Homilia*, in dicta Synodo proclamata, *Concil. T. III.* p. 577. Conf. Cave, P. I. pag. 234.

RHODON.

Ex Aſia oriundus, Tatiano, Romæ cum degeret, Præceptore uſus, Apellem, Marcionitam, in Colloquio convicit. Scripſit *contra eosdem Marcionitas*, cujus libri fragmenta apud Euſebium L. V. c. 13. *Comment. in Hexæmeron* & *Quæſtionum Tatiani Solutiones*, quæ temporis injuria interierunt. Evolv. Cave P. I. p. 38. qui illum circa annum 189. floruiſſe, adſeverat. Conf. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. I. p. 78. Clerc, *Bibl. Vniverſ.* T. III. p. 62.

PHILIPPVS RIBOTVS.

Hiſpanus Catalaunus, Ordinis Fratrum Carmelitarum in Cœnobio Gerundenſi Monachus & Provincialis in Catalaunia, an. 1368. clarus, ann. 1391. obiit. Scripſit *Speculum Carmelitarum* X. Libris, de Origine & progreſſu Ordinis ſui, Venetiis, 1507. f. & Antwerpiæ, 1680. f. impreſſum. *Epiſtolas & Sermones*, de quibus loquitur Poſſevinus. Speculi Carmelitani, a Riboto conſcripti, verſionem Anglicam ſatis antiquam, eamque in Bibliotheca Lambethana MSS. adſerva-

ſervatam, memorat Cl. Wharton, qui illam juxta cum aliis Thomæ Scropo ſive Bradæo, Epiſcopo Dromorenſi, circa annum 1434. claro, vendicat. Conf. ejus *appendix Caveana*, p. 41. Adde Poſſevinum, *in appar. S. T. II. p. 280.* Aub. Miræum, in *Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 463. p. 267. Petrum Lucium, *in Bibl. Ordinis Carmelitarum*, Caſim. Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 651.

RICEMARCHVS.

Cambro-Britannus, Sulghimi, Epiſcopi Menevenſis, filius, ann. 1085. poſt Abrahamum, Menevenſem Sedem obtinuit. *Vitam S. Davidis, Epiſcopi Menevenſis* I. in tabulas, ab ipſo relatam, ſecundum ea duntaxat, quæ Gyraldi Hiſtoriam ſupplent, exhibet, *Angl. S. T. II.* p. 643. a Whartono publicata.

RICERVS.

Italus, S. Franciſci Socius, Sec. XIII. ſcripſit Tractatum, *quomodo homo posſit citò pervenire ad agnitionem Veritatis*, qui prodiit, Lovanii, 1554. cum aliis ejusdem argumenti.

EDMUNDUS RICH.

Anglus Abingtonenſis, Theologus & Orator inſignis, Sarisburienſis Theſaurarius atque demum Cantuarienſis Archi-Epiſcopus. Ob acrem Corruptelarum Eccleſiæ correptionem multis inviſus, atque Sede ſua exire coactus, Soyſeyam migravit, ibidemque anno 1242. febre & mœrore conſumtus, diem extremum clauſit. Retulit ipſum Calliſtus III. anno 1456. inter Sanctos. *Speculum Eccleſiæ* ſcripſit, quod *Bibl. Patr.* T. XXV. p. 316. habetur. Conſtitutiones XII. apud Lindvodi *Provinciale Anglicum*, extant, docente Caveo, P. I. p. 496.

RICHARDUS.

Bellilocenſis in Argonna, duabus a Claramonte leucis, Abbas, anno fortaſſe 1050. clarus, ſcripſit *Vitam S. Rodingi, Prædeceſſoris ſui*, quam ex Codice Catalaunenſi extulit Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 874.

RICHARDUS AUNGERVILLUS.

Natione Anglus, patria Suffolcenſis, civitate S. Edmundi Burienſis, unde & *de Buri* cognominari ſolitus, variis muneribus præfuit, demum Eduardi III. Angl. Regis Cancellarius, cum ann. 1333. Epiſcopus Dunelmenſis conſtitutus eſſet. Conf. Pitſeum l.c. f. 467. Baleum & Henr. Wharton. *in app. Cav.* p. 20. Obiit anno 1345. æt. 59. Auklandiæ. Ardentis eum ingenii virum Petrarcha, *Epiſt. Lib. III.* Epiſt. I. vocat, quem ſequutus Whartonus, l. c. morum ejus innocentiam, atque ſingularem erga litteras affectum, maximopere commendans. Ejus eſt pulcerrimus Tractatus, *de amore librorum & Bibliothecarum inſtitutione*, quem græco Sermone, *Philobiblon*, inſcripſit. Excuſus iſte Spiræ, 1483. Pariſ. 1500. 4. Oxon. 1599. 4. Vid. eundem ſubjectum *Centuria Epiſt. Philolog.* e Melch. Goldaſti Bibliotheca, Francof. 1610. 8. primo editarum p. 400. ſeqq. & *in Collectione* J. A. Schmidii, *de Bibliothecis*, quæ Helmſt. 1703. 4. prodiit. Conf. Trithemius, *de Script. Eccleſ.* fol. 114. & Camerar. *horis ſubciſiv.* P. III. cap. 71. fol. 265.

RICHARDUS.

Anglus Northumbrius, Hagulſtadienſis Monachus & Prior, ann. 1180. clarus, ann. 1190. obiit. Scripſit *Hiſtoriam de Epiſcopis Hagulſtadenſibus*, *Hiſtoriam de rebus geſtis Stephani & de Bello Standardii*, ab ann. 1135. ad ann. 1139. quas vide *inter Script. X. Anglic.* Londini, 1652. a Twisdeno editos, p. 285. Alia ejus Scripra, *Geſta Henr. II. Angl. Regis* & *Chronicon breve*, ex Baleo & Voſſio, Cave, P. I. p. 478. memoravit. Add. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 195.

RICHARDUS HAMPOLUS.

Eboracenſis, Joſepho Pamphilo, Sixto Senenſi, aliisque multis *Pampolitanus* vocatus, vero nomine *Rollus*, *Hampolus* autem à Cœnobio Hampolenſi, quatuor plus minus milliaribus ab oppido Duncaſtro, in agro Eboracenſi ſito, ubi iſte vitam Eremiticam egit, mortemque obiit, ann. 1349. docente Joh. Pitſeo l. c. fol. 465. ſeqq. H. Whartono, *in app. Cav.* p. 24. Theologus inſignis audit Simlero f. 602. b. Multa admodum & merè Sacra ejus Scripta e Manuſcriptis

enarra-

enarravit *Pitſeus*, *Baleus* & *Jameſius*, Eclog. p. 2. p. 35. Prodierunt quædam Colon. 1536. f. cura *Joh. Fabri* ut ſunt: *De Emendatione Peccatoris*, antea Paris. 1510. in 8. excus. *Enarratio in Pſalmos. in Cantica V. T. in Pſalmum. XX. in Orat. Dominicam. Symbol. Apoſt. & Athanaſii. in quædam Cant. Cantic. loca: in Threnos Jeremiæ: in aliqvot Jobi capita, & alia qvædam ejus Opuſcula. Stimulus Conſcientiæ* adhuc delitescit, juxta cum aliis, de quibus conſulas Whartonum, *loco citato.* Oudinum, *Supplem. de ſcript. p. 612.* ſeqq. qui de Richardi inſimul ætate, pereruditè disquirit.

RICHARDVS a S. LAVRENTIO.

Archidiaconus & pœnitentiarius B. Mariæ Rothomagenſis, circa ann. 1230. clarus, ſcripſit Lib. *XII. de Laudibus B. Mariæ*, qui prodierunt, Duaci, 1525. apud Joh. Bogardum, non vero 1625. ut adverſus Labbeum T. I. p. 307. id aſſerentem, deducit Oudinus l. c. p. 506. Hunc librum falſo adjudicavit Petrus Jammy, Alberto M. qui eundem inter Ejus opera, 1651. Lugd. collocavit. Conf. Theoph. Raynaudus, in *Nomenclatore Mariano.*

RICHARDVS DE MEDIAVILLA.

Seu *Midletonus*, Ord. min. Monachus, Anglus, neutiquam vero Scotus aut Gallus, uti nonnulli tradiderunt, *Doctoris ſolidi & copioſi titulo* cohoneſtatus, teſte Willoto, *Athen. Franc.* p. 315. *Fundatisſimi* titulum, Labb. p. 291. *Authorati* verò cognomen, Pitſeus, l. c. f. 386. ſuperaddit. Vir, ætate ſua eruditus in ſacra & profana litteratura, juxta Sixtum Senenſem, qui eum ad annum 1290. collocat. Anno verò 1300. inter ſuos mortuum eum tradit Pitſeus l. c. Scripſit in *IV. Lib. Sentent. Lombardi, Quæſtiones*, Venetiis, 1509. Volum. II. & 1589. ibidem. Deinceps quoque Brixiæ, 1591. editas. *Quodlibeta Theologica* cum prioribus evulgata. Succurrit nunc, ſingulari Codice emisſa, ejus *in quartum librum Sententiarum* Commentatio, excuſa, Paris. 1504. 4. Joh. Kl ein, Alemanni, typographi, impenſis. Alios ejusdem *Commentarios in Evangelia & Epiſtolas Pauli. Lib. de Conceptione Mariæ*, exhibent Cave, P. I. p. 519. Baleus, *Cent.* 4. p. 359. Pitſeus l. c. Sixtus Senenſis, aliique, typis forſan nondum exſcriptos.

RICHARDVS RADVLPHVS.

Hibernus Dundalkenſis, aliis Anglus, Theologus Oxonienſis, ejusdemque Academiæ Cancellarius, poſt Archi-Epiſcopus Armachanus, anno 1347. ordinatus. Superbam Franciscanorum paupertatem ſalse vellicavit, qui hoc ipſum ulciscentes, hæreſeos Richardum accuſaverunt. Hinc Avenionem vocatus, lite nondum compoſita, 1360. è vivis excesſit. Ejus ſunt *Sermones IV. ad crucem Londonienſem facti, & alii, de Laudibus B. Mariæ: Lib. XIX. adverſus errores Armenorum*, qui quidem Paris. 1612. & 1511. prodierunt. *Defenſio Curatorum adverſus Fratres mendicantes*, Pariſiis 1496. 1615. in 8. 1633. & cum Rogerii de Conway *defenſione Mendicantium*, apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1392. Conf. Labb. p. 290. Pitſeus f. 490. Willotus, qui eum tamen *Franciſcum Radulphum* vocat, non vero Richardum. Adde Henr. Whartonum, *app. Cav.* p. 28. qui plura *Armachani* ſeu *Richardi* noſtri Manuſcripta adducit, & *Novum Chriſti Teſtamentum* Hibernice ab ipſum converſum eſſe, teſtatur.

RICHARDVS DE S. GERMANO.

Regis Siciliæ Secretarius ſive Notarius, anno 1243. clarus ſcripſit *Chronicon* ab anno 1189. ad 1243. quod ex vetuſto Codice Casſinenſi extulit, Ferd. Ughellus, *Italia S. T. III. p. 953.*

RICHARDVS.

Anglus, Monachus & ſub-Prior & anno 1177. Prior Elyenſis, anno 1195. obiit, non vero 1220, uti Baleus & Pitſeus aberrant, ideo à Caveo, P. II. p. 230. caſtigati. Scripſit vir doctus atque induſtrius *Hiſtoriam Eccleſiæ Elyenſis*, ab anno 1107 ad 1169. quam epitomavit ſumma cum fide, verbis ubique retentis, Monachus quidam Elyenſis, quamque ex Codice Cottiniano protraxit Whartonus T. I. p. 615. *Angl. S.* Conf. Cav. P. II. p. 230.

RICHARDVS DE S. VICTORE

Natione Scotus, Ord. Auguſtiniani Canonicus regularis atque Prior in Cœnobio S. Victoris Pariſienſis, ingenio ſubtilis & eloquio medius inter Auguſtini argutiam, & Bernhardi dulcedinem incedens, judicio Sixti Senenſis *l. 4. Bibl. f. 319.* Floruit anno 1150. tem-

pore

pore S. Hugonis Victoris, quo familiariter utebatur. Obiit anno 1173. Epitaphium Richardi tale refert Silv. Marulus *l. 1. Hiſt. Ord. Relig. fol. 18.*

Tellus quem genuit felici Scotia partu,
Hunc tegit in gremio Gallica terra ſuo &c.

Idem exhibet Labbeus, *Theſauro Epitaph. p. 119.* Præcipuam Operum ejus editionem, eam, quæ Venetiis 1592. prodiit, Labbeus judicat p. 293. quamque κατὰ πόδα Colonienſem, anno 1621. & Rothomagienſem 1650. f. T. II. ſecutas ait, & cum tribus confert, quæ Bellarminus retulit. Vide enarrata Scripta apud Arndium, *Lex. antiq.* f. 1066. Caveum, P. I. p. 468. Inter primos autem primum, qui habitum Theologiæ Myſticæ induceret, Victorinum hunc fuiſſe Jac. Thomaſius, *Schediaſm. Hiſt.* fol. 61. ſeqq. oſtendit. Conf. quæ ibidem p. 64. refert, de vetuſto ſibique donato Codice, cui titulus: *Richardus de arca myſtica.* Adde Gothofredum Arnoldum, *Hiſtoria & Deſcriptione Theol. Myſticæ*, p. 182. ſeq. Nos talibus hac quidem vice non immoramur. Evolv. Ellies du Pin, T. IX. *Bibl. Nouv.* p. 217.

RICHERIVS

Gallus, Senonenſis in Gallia Monachus, & prout Cave, P. II. p. 250. conjicit, circa annum 1260. claruit. Scripſit *Chronicon Eccleſiæ Senonenſis*, quod integrum extat apud Dacherium, *Spicileg.* T. III. Ex ejus T. I. quasdam Vitas, S. Gundelberti nimirum, S. Deodati, & Hildulphi, aliorumque, Mabillonius in *Sec. Ben.* III. P. II. p. 468. transſcripſit.

RICOLDVS

Aliis *Richardus*, Florentinus, Ord. Bened. monachus, anno 1296. peregrinationibus in Orientem conſpicuus, Vir Syriace & Arabice doctus, atque religionis Muhammedanæ callentiſſimus, obiit Florentiæ 1309. Alcoranum ex Arabico in latinum ſermonem, ſtylo quidem barbaro, transtulit. Hanc verſionem Græce vertit Demetrius Cydonius Theſſalonicenſis. Græcum Demetrii purâ latinitate donavit, Bartholomæus Picenus de Monte arduo, Regique Arragoniæ, Ferdinando, dicavit. Extat gr. lat. ex editione Joh. Oporini. Baſil. 1520. lat. Paris. 1511. 4. Hiſpali. 1520. Venet. 1607. 4. Condidit quoque Ricoldus Librum de *Hebræorum, Gentilium, & Muhammedanorum*

differentiis, *ad Nationes Orientales*, qui in Manuſcripto Florentino deleteſcit. Agunt de eo Cave P. II. p. 257. & quos ille adduxit, Michael Pocciantius, *Catal. Script. Florent.* p. 156. Altamura, *Bibl. Domin.* p. 86. ad ann. 1306.

RICVLPHVS

Sveſſionenſis Epiſcopus, anno 889. clarus, an. 900. Remenſe Concilium frequentavit, de quo *Chronicon Cameracenſe* l. 1. c. 63. & Sanmarthani *Gall. Chriſt.* T. III. f. 1046. eum, anno 902. defunctum inſimul adſerentes. Ejus *Epiſtola didactica ſive conſtitutio* anno 889. de rebus ad Diœceſin ſuam ſpectantibus, perſcripta, habetur poſt *Hincmari Opuſcula* & *Epiſtolas* a Joh. Cordeſio editas, Pariſiis, 1615. p. 685. ſeqq. & *Concil. T.* IX. p. 416. Antiquior paulo fuit *Riculfus*, *Epiſcopus Moguntinus*, anno 814. vita functus, qui Epiſtolarum ab Iſidoro collectarum librum, ex Hiſpania primus attuliſſe, Hincmaro dicitur. vid. Cordeſii *edit. cit.* f. 118. & conf. quæ Zieglerus *prælim. Juris Canon.* p. 20. ea de re ſolide diſſeruit. Conf. du Pin *Bibl. Nouv.* Tom. VII. pag. 152.

RIGORDVS.

Natione Gothus, profeſſione Medicus, Philippi Galliarum Regis Chronographus, S. Dionyſii Pariſienſis Socius, anno 1225. celebris, ſcripſit *Vitam & geſta Philippi, Franciæ Regis*, eosdemque Ludovico VIII. Philippi filio, inſcripſit. Ad hujus imitationem *Vitam Philippi* carmine heroico condidit Guilielmus Brito, incertæ ætatis Scriptor. Vterque liber ex Bibliotheca Pithoei prodiit, Francofurti, 1596. fol. typis Waechelianis.

RINALDVS

Etruccus, domo illuſtris, Marſorum ac Barilli Comes, & ut Petri Diaconi verbis rem exprimamus, Caſinenſis Subdiaconus, parvulus B. Benedicto oblatus, Vir valde eruditus & verſificandi Scientia antiquis per omnia comparandus. Abbas Caſinenſis anno 1136. & poſtea Rom. Eccleſiæ Cardinalis ordinatus eſt. Obiit Caſini, anno 1166. Compoſuit de *S. Severo Hymnum* I. *de S. Mauro III. de S. Placido III. hymnos*, quos vide impreſſos in *Breviario Caſinenſi*, anno 1568. 1572. Scripſit quoque plura, de quibus Cave, P. II. p. 224. Arnoldus Wion,

Lign-

Lign. Vit. L. 2. c. 9. p. 193. Petrus Diaconus, *de illuſtr. Caſinens.* p. 66. & Joh. Bapt. Marus, *in not. ad eundem* p. 67. Voſſius, de *Hiſt. Lat. L. 3. c. 7. p. 713.*

ROBERTVS CAPITO.

Angliæ *Grostheadis*, gallicæ *Groſſeteſte*, Anglus Suffolcienſis Theologus atque ſcriptor percelebris, Leiceſtrenſis primò Archidiaconus, poſt vero Hugoni de Velles in ſede Lincolnienſi ſucceſſit, anno 1235. Obiit anno 1542. *Teſtamentum Patriarcharum XII.* in lat. vertit, impresſum, inter *Orthodoxographa*, Baſil. 1569. f. & Paris. 1540. 12. Scripſit *Comment. in Lib. Poſteriorum Ariſtotelis*, Venetiis 1504. 1537. *Compendium Sphæræ mundi*, Venet. 1508. *Librum de Ceſſatione Legalium*, Londin. 1652. 4. 1658. 8. *Comment. in Dionyſii Areopagitæ lib. de Myſtica Theol.* inter *Opera Dionyſii*, *Argent.* 1502. f. & aliai, bidem excuſa, 1514. Manuſcript. ejus Opuscula plurima, exhibet Oudinus *Suppl. de Script.* p. 523. ſeq. Pitſeus *de Script. Angl.* p. 326. & Henr. Whartonus *T. II. Angl. S.* p. 344. Conf. Cave P. I. p. 496. P. II. p. 248. Quibus ipſum laudibus Camdenus, in *Lib. de Britannia* p. 233. commendet, vide apud Quenſtadium, *Patr. illuſtr. viror.* p. 86. Huc ſpectat quoque illud, quod ab Innocentio P. R. ad Chriſti tribunal appellavit & quod eod. obeunte, in Curia Papæ, vox audita ſit: *Veni miſer* quaſi *ad judicium*, repertusque ſit in craſtino Papa exanimis, cuſpide baculi in latere percuſſus. Refert hæc ex Ceſtrenſi Joh. Huſſus, *Lib. de Vnitate Eccleſiæ.* c. 18. f. 160. anno 1520. 4. excuſo.

ROBERTVS DE EVROMODIO.

Monachus Claræ vallenſis, Autor *Catonis Moralisſimi*, quem inſcripſit Petro de Salutiis, excuſi, Argent. 1487. De eo Daumius, *Teſtimon. autorum Catonis Diſtichis à ſe editis*, præfix.

ROBERTVS FLEMYNGVS.

Anglus, Baptiſtæ Guarini Veronenſis Auditor, Vir græc. atque lat. doctus, Poeſeosque Cultor induſtrius, Romam, cum appuliſſet, Protonotarius Apoſtolicus factus, anno 1477. floruit. In Patria tandem Lincolnienſis Decanus ordinatus, Lincolnii quoque ad cœleſtem ſedem tranſiit. Cum in Italia adhuc eſſet atque Tiburti commoraretur, ſcripſit *Laudes Sixti IV. P. R. Lib. II.* quos ſub *Lucubratio-*

num Tiburtinarum titulo, Romæ, eodem fortaſſe anno, in 8. imprimi curavit. Carpit eum ob immodicum laudandi ſtudium, quo adulatus Pontifici fuit, Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 105. qui addit, extare quoque ejus *Dictionarium græco latinum*, quod Baleus, *Cent. VIII.* c. 21. commemoret.

ROBERTVS GAGVINVS.

Qui Trithemio *Rupertus*, natione Belga, ortus non Duaci, ſed in vico Callina, qui eſt in Arteſiæ finibus ad Liſam fluvium, Ordinis S. S. Trinitatis de Redemtione captivorum Monachus, dein Miniſter Generalis, J. V. D. titulo Lutetiæ, inſignitus, juxta Voſſium, *l. 3. Hiſt. lat. c. 11.* Floruit anno 1495. Obiit Lutetiæ, anno. 1501. Epitaphia ipſi poſita exhibet Labbeus, *Theſ. Epithaph.* p. 328. Vir juxta Whartonum, *in app. Cav.* p. 121. non indoctus, & in Hiſtoria, Rhetorica ac Poeſi haud vulgariter verſatus, in quo tamen fidem in hiſtoricis omnes deſiderant. Stylum omnino impurum in ipſo taxat Eraſmus, eundemque inter latine loquentes vix noſtro recipiendum Seculo, exiſtimat. Scripſit *annalis rerum Gallicarum* lib. XI. qui ſeorſim ſæpius & Pariſiis, anno, 1511. excuſi & cum *Supplem. Huberti Vellerii*, usque ad ann. 1520. Francof. 1577. 1580. Lib. *de imaculata Conceptione B. Mariæ*, Pariſiis 1598. *Item aliam Decertationem de hoc argumento metricè ſcriptam* quæ tamen Carolo Fernando potius debetur. Conf. Simler. f. 115. b. Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 121. *Poemata varia*, Paris. 1598. *de arte metrorum* Lib. III. Phorcæ. 1505. & alia, de quibus adeas Labb. T. II. *Diſſert.* p. 298. Trithemium, *de Script. Eccles.* p. 199. Jovium, *elog. Vir. illuſtr.* Aub. Miræum, *Elog. belg.* Zeiller. *in Ind. hiſt. Chronol.* Jo. Henr. Boeclerum, *de rebus Sec. XVI.* p. 278.

ROBERTVS DE GRAYSTANES

Anglus, Dunelmenſis Monaſterii Monachus & Sub Prior Theol. Profeſſor, anno 1333. clarus, *Hiſtoriam Dunelmenſem* ab Anonymo inchoatam, ad annum 1336. perduxit. Extat illa maximam partem apud Whartonum, *T. I. Angl. S.* p. 732. Plura de eo Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 276.

ROBERTVS HOLKOT.

Northamptoniæ in Anglia natus, ibidemque Ord. Dom. Præco eximius, Sacræ Theologiæ Doctor & Oxonienſis Profeſſor anno 1340. flo-

floruit, circa cujus obitum Scriptores diſcrepant. vid. Labbeus T. II. p. 298. ſeqq. Pitſeus, de *Illuſtr. Angl. Script.* f. 465. & Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 24. qui peſte eum, anno 1349. in urbe Patria, obiiſſe, cum multis aliis tradunt. Compoſuit in *Lib. Sapientiæ Lect.* 212. Spiræ, 1483. Reuthlingæ & Baſileæ, 1489. Venet. 1509. 1586. f. excuſas. Has tamen nonnulli Reginaldo de Alna Ord. Ciſtert. adſcribunt. Lect. *In Proverbia*, Pariſiis, 1515. quas Thomæ Galenſi tribuere malunt. In *Cant. & in VII. priora Eccleſiaſtici capita*; integrum enim opus, quo minus abſolveret, mors præpedivit, Venet. 1509. *Tract. de imputabilitate peccati* &c. Lugd. 1497. f. 1518. *Comment. in IV. Libr. Sentent.* Lugd. 1497. f. 1510. 4. 1518. *Moralitates pulchræ Hiſtoriarum in uſum Prædicatorum cum Tabula aurea D. Thomæ in Evangelia & Epiſtolas totius anni* prodierunt, Venetiis, 1505. Paris. 1510. 8. *Comment. in XII. Prophetas minores. Quodlibeta; Allegoriæ utriusque Teſtamenti: Sermones per totum annum*, in membranis adhuc latitant. Conf. Altamura, *Bibl. Præd.* p. 126. & *in app.* p. 479. Balens, *Cent. V.* c. 84. Pitſeus. l. c. Holkoti Solœciſmos paſſim vellicat Eraſmus Roterodamus, *præf. ad Arnobii Comment. in Pſalmos* Baſil. 1522. editum.

ROBERTVS DE LICIO.

Qui & *Robertus Caracciolus*, Italus, aliis Epiſcopus Licienſis vel Aquinenſis, Marſorum aut Aprutii urbis, Ord. min. S. Theol. Magiſter, divini verbi præco, elogio Willoti, *Athen. Franc.* pag. 316. tanta eloquentia & gravitate morum præditus, ut omnes in eadem arte & geſtus & pronunciationem ejus imitari conarentur, exordiendi, exclamandi, commiſerandi, digrediendi, epilogandi modum ſequerentur. Scripſit ad eum Sixtus IV. tunc generalis, anno 1465. quo jam floruit Robertus. De ejus Parrheſia in faſtu luxuque Papali falſe perſtringendo, coram P. R. & Cardinalibus, plus quam regia Pompa ingredientibus, adhibita, conf. Eraſm. l. 3. *de rat. concion.* Verba ejus: *Pfui S. Petrum, Pfui S. Paulum, qui tam ſpinoſo itinere in cœlum contenderint.* &c. cum integra relatione vid. apud Gerhardum, *de Eccles.* §. 2. 64. edit. noviſſ. f. 464. a. & ex eodem Eraſmo, de jactata a Roberto in excitandis auditorum Lacrymis, ubi vellet, potentia, aliam Hiſtoriam memoratam D. Patruo D. Jo. Oleario L. I. *Orat. Eccleſ.* c. 3. p. 231. Obiit Robertus anno 1495. Epitaphium ipſi poſitum Laudes ejus teſtatur:

Ille

Ille Robertus hic eſt Chriſti, quo Præſule, vatum
Nemo poſt Paulum clarior orbe fuit.

Scripſit autem Sermones plures, qui uno Volumine prodierunt Lugd. 1503. T. II. Venet. 1490. Seorſim verò *Serm. de Chriſto, B. Virgine ac Sanctis*, Venet. 1489. 1490. *De Tempore & Laudibus Scripturæ S.* Neapoli, 1489. Baſil. & Spiræ 1490. *Quadrageſimale de Peccatis*, Baſil. 1475. Venet. 1488. 8. Licii, 1490. De *Pœnitentia*, Venet. 1472. 4. Argent. 1497. f. *Sermones de annunciatione Mariæ, de Prædeſtinatorum & damnatorum numero* &c. qui inter reliquos habentur. *Serm. de adventu & Quageſidrama*, Venet. 1496. 8. *De immortalitate animæ, de timore Judiciorum Dei, de æterna beatitudine*, Venet. 4. *Sermones Feſtivales*, Venet. 1471. 1496. *de hominis formatione* Liber, Norib. 1470. *De amore divinorum officiorum*, Neapoli, 1473. *Speculum fidei Chriſtianæ*, Venet. 1555. &c.

ROBERTUS.

Canonicus Ord. Præmonſtr. in Abbatia S. Mariani apud Antiſſiodorum, anno 1212. Condidit *Chronologiam* ad ſua usque tempora, ab Orbe Condito, quam Hugo, ejusdem Eccleſiæ Canonicus, ad an. 1227. continuavit. Utrumque opus protraxit Nicolaus Camazutus, Trecenſis Canonicus, anno 1608. 4. Trecis. De eo Aubert. Miræus, *in auct.* c. 338. Oudin, p. 482.

ROBERTUS.

Monachus & Abbas Walciodorenſis, anno 1150. clarus, ſcripſit *Vitam S. Forannani Epiſcopi & Abbatis Walciodorenſis*, eamque Wiboldo Stabulenſi nuncupavit, quam exhibet poſt Bolland. menſe April. Joh. Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 586. Conf. Cave P. II. p. 226.

ROBERTUS DE MONTE.

Sive *Robertus de Torinnejo*, Normannus, ex Priore Beccenſi, Abbas S. Michaelis factus, anno poſt 1186. obiit, ut ex intimis Chronologiæ viſceribus deduxit Cave, P. I. p. 490. Continuavit *Chronicon Sigeberti Gemblacenſis ab anno 1112. ad ann. 1210.* cujus tamen alia pars non eſt, quam ad an. 1182. Extat illa continuatio cum Chronico Sigeberti, Antw. 1608 & alibi, *Epiſt. I. & Prologus in abbreviationes Epiſtolarum Apoſtoli ſecundum Auguſtinum. Appendix germana ad Sigebertum, Tract. de Immutationibus Monachorum, Abbatum & Abbatiarum Normanno-*

rum

rum, quæ Opuſcula omnia extulit Dacherius, *ad calcem Guiberti Operum*, Pariſiis 1651. editorum, p. 715. *Hiſtoriam Monaſterii S. Michaelis de Monte* a Roberto collectam, exhibet idem Dacherius, *in Spicilegio.* De eo Aub. Miræus, *in Auct.* c. 351. pag. 245. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. IV. p. 642. Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XII. T. I. c. 6.* p. 549. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 153. & 190.

ROBERTVS PAVLVLVS.

Presbyter & Domeſticus Epiſcopi Ambianenſis, circa annum 1178. condidit *Lib. III. de Officiis Eccleſiaſticis*, qui falſo Hugoni Victorino tributi, inter ejus Opera prodierunt. Ejus quoque *Canon Myſtici Libaminis*, ibidem habetur. De eo Joh. Mabillon, *Sec. Bened. III.* p. 55. & Oudin, *Suppl.* p. 447. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 189.

ROBERTVS PVLLANVS.

Anglus, Eccleſiæ Roffenſis Archidiaconus, tandem Romam vocatus, à Cæleſtino II. Cardinalis S. Euſebii ordinatus, imò ipſe Eccleſiæ Rom. Cancellarius, claruit, anno 1144. & juxta Goodwinum, *de Præſul. Angl.* P. II. p. 162. anno 1150. obiit. Illum quidem ad Sec. XIII. referunt Galli, eundemque Epiſcopum Rothomagenſem faciunt, quos tamen vel unicus Cave idoneis argumentis refellit. Evolve ejus P. I. p. 465. Scripſit Robertus *Sententiarum de Trinitate Lib. VIII.* quos edidit integros una cum Petro Pictavienſi, Hugo Mathout, Benedictinus, Pariſ. 1655. fol. *Sermones de Communione SS.* adhuc in Manuſcript. deliteſcunt, ut teſtatur Labbeus, *in Nov. Bibl. MSS.* p. 28. Conf. Du Pin, l. c. p. 213. T. IX.

ROBERTVS.

Gallus, S. Remigii in Diœceſi Rhemenſi Monachus, Ord. Bened. anno 1101. clarus, Concilio Claromontano, atque expeditioni S. in orientem interfuit. In Galliam redux, juſſu Bernhardi, Abbatis ſui, condidit *Lib. IX.* vel *VIII. Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ*, ſtylo impolito, ut ipſe in præfatione fatetur. Prodiit editio correctior, annis abhinc 200. absque loci & anni mentione, depravata autem, Baſil. 1533. Extat quoque inter *Germ. Script. Reuberi* p. 217. & inter *Geſta Dei per Francos* T. I. p. 30. De eo Cave P. I. p. 444. Oudin l. c. p. 380.

ROBERTVS RETENENSIS.

Anglus, poſt Galliam, Italiam, Dalmatiam & Græciam, luſtratas, Aſiam appulit, ibidemque inter Saracenos agens, arabicam linguam edoctus eſt. Poſtquam Hiſpaniam repetiit, Archidiaconus Pampelonenſis, ob varium eruditionis genus, conſecratus, ibidemque anno 1143. denatus. *Muhammedis Alcoranum*, petente Petro, Abbate Cluniacenſi, *in epitomen redegit*, atque *latinitate donavit*. Prodiit Norimb. 1543. Baſil 1543. 1550. fol. Hanc tamen verſionem ineptam, ſententiasque miſere ſubvertentem, vocat, Cl. Huetius, *Interpret.* p. 141. Conf. Cave, P. I. p. 456. Oudin, p. 411. Aubertus Miræus, *in Auct. de Script.* c. 373. p. 252.

ROBERTVS de SORBONNA.

A natali vico cognominatus, Ludovico IX. Franciæ Regi, acceptiſſimus, & ut quidam volunt, a Confeſſionibus, Canonicus Sueſſionenſis ac S. Mariæ Pariſienſis, ibidemque Sorbonici Collegii prima jecit fundamenta, circa an. 1252. Obiit poſt ann. 1271. Tria ejus Opuſcula *de Conſcientia, de Confeſſione, & iter ad Paradiſum*, extant *Bibl. Patr. Pariſ. edit.* 2. f. 1453.

ROBERTVS de TVMBALENIA.

Gallus, Monachus S. Michaelis in periculo Maris, juxta Ordericum Vitalem *Lib. VIII. Hiſt.* ad annum 1094 poſt Abbas Monaſterii S. Vigonis, anno 1087. conſtitutus, ſcripſit *brevem Expoſitionem in Canticum Canticorum*, cujus *Prologum & initium* exhibet Mabillon, *Analect.* T. I. p. 125. Hanc eandem eſſe cum illa, Gregorio M. in Operibus ejus adſcripta, non absque rationibus propugnat Oudinus, *Supplem.* p. 348. qui Jacobum Hommey inſimul notat, idem Opuſculum, *in Supplem. Patrum*, 1684. 8. recuſum, Radulpho Fontanellenſi falſò vendicantem. Conf. omninò Oudinum, *loco vix citato*. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 215.

RODERICVS SANCIVS de AREVALO.

Hiſpanus, J. U. D. & Prof. Salmanticus, Henrici IV. Caſtellæ Regis, Sacellanus, Conſiliarius, Referendarius Apoſtolicus, Epiſcopus

pus primum Ovatenſis, poſt Palentinus, imò Caligurritanus, anno 1466. clarus, Caſtro S. Angeli, in urbe Roma, a Paulo II. P. R. præfectus. Scripſit, mandante Henrico IV. *Hiſtoriam Hiſpan. Lib. IV.* a prima gentis ſuæ Origine ad ann. 1469. quam ab ineptiis & mendaciis alieniſſimam judicat Alfonſus Garſias Matamorus, Lib. *de Acad. & Doct. Viris Hiſpan.* uti teſtatur Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 100. Extat illa T. I. *Hiſp. Illuſtratæ*, p. 121. *Speculum Humanæ vitæ*, Lib. II. prodiit, Romæ, 1468. f. Pariſ. 1475. f. Auguſtæ, 1471. Argent. 1507. & 1606. 12. Paris. 1542. Hannoviæ, 1613. 4. Biſuntii, 1488. 8. *Tract. III. de Appellatione a Sententia Papæ: de Synodis Generalibus; de Remediis afflictæ Eccleſiæ militantis adverſus Turcas*, de quibus Thomaſinus, Lib. *de Bibl. Patav. p. 12. Epiſtolam lugubrem ſimul & conſolatoriam, de expugnatione Inſulæ Nigropontis per Turcas*, de qua Simler. *Bibl. Tigur.* p. 609. Taxander, *Catal. Clar. Hiſp. Script.* p. 101. Ipſe Rodericus Lib. I. *Speculi Hum. Vit.* c. 1. citat *librum de Monarchia & Origine ad differentia Principatus*, & alium Librum, *Status Eccleſiaſtici Deſenſorium*, utrumque a ſe conſcriptum & editum, qui tamen ad manus noſtras non pervenerunt.

RODERICVS XIMENIVS vide XIMENIVS.

RODVLPHVS TORTARIVS.

Monachus Floriacenſis, anno circiter 1102. clarus, autor Libri *de Miraculis S. Benedicti*, qui absque autoris nomine apud Joh. a Boſco, *Bibl. Floriac.* P. I. p. 149. & cum eodem adjecto, apud Mabillonium, *Sec. IV. P. II.* p. 390. habetur. Metrice quoque Librum de eodem argumento conſcripſiſſe fertur, qui tamen perierit, neceſſum eſt. De eo enim nihil unquam reperire licet. Liber autem *de Translatione S. Mauri, metrice compoſitus*, apud eundem de Boſco, p. 349. l. c. Conf. de eodem Cave, P. II. p. 218. Oudin, *Supplem.* p. 435.

RODVLPHVS.

S. Trudonis prope Leodium Abbas, poſt Cœnobii S. Pantaleonis Colonienſis Præpoſitus, anno 1120. floruit, & anno 1138. obiit. Extat ejus *Chronicon Trudonis Cœnobii*, Lib. XIII. apud Dacherium, *Spicil.* T. VII. *Vita S. Lietberti*, Epiſcopi Cameracenſis, ibidem, T. IX. *Epiſt.*

ad Sigebertum, de ſuſceptione puerorum in Monaſteriis, inter *Sigeberti Epiſtolas*, apud Mabillonium, *Analect. T. II.* p. 495.

ROGERVS CONNOVIVS.

Cambro-Britannus, a patria Connovio dictus, Ord. min. Theol. D. & Prof. atque totius Angliæ Miniſter Provincialis, an. 1350. clarus, controverſiam inter Cleros Seculares atque Ordines mendicantes, de audiendis Confeſſionibus, aliisque officiis Paſtoralibus, illis temporibus motam, componere quidem conatus, eumque in finem Richardo, Archi-Epiſcopo Armachano, pro Clericis pugnanti, obſtitit. Oppoſuit *Richardi Defenſorio Curatorum adverſus fratres mendicantes*, de quo ſupra diximus, *Librum de Confeſſionibus per Regulares audiendis, contra informationes Armachani:* qui cum Armachani Opere, Pariſ. 1496. 1511. prodiit & apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1392. extat. *Quæſt. III. de Chriſti paupertate & Dominio temporali*, easque manuſcriptas Waddingus memorat. Conf. de ejus Operibus Baleus, & Waddingus, Ord. min. *Bibl.* p. 312. Obiiſſe Rogerus Henr. Whartono, *app. Cav.* p. 31. anno 1360. dicitur.

ROGERVS de HOVEDEN.

Eboraci in Anglia, illuſtribus Parentibus ortus, litteris bene cultus, primarius quondam Theol. in Academia Oxonienſi Profeſſor, teſte Labbeo, p. 301. Inter domeſticos Henr. II. Angliæ Regis, aliquando fuit, quo defuncto *Hiſtoriam* ſeu *Annales gentis ſuæ* duobus elucubravit Libris, eos auſpicatus, ubi Beda deſiit, ab anno ſcilicet Chriſti 731. Perduxit autem usque ad Joh. Regem, qui anno 1199. regnare cœpit. Vid. Voſſ. *Lib. 2. Hiſt. Lat. c. 56.* & Pitſeum, *Script. Angl.* f. 272. qui vult eum perveniſſe vivendo, ad an. 1204. Extant annales inter *Autores Rerum Angl.* ab Henrico Savilio editos, anno 1595. Londini, iterumque Wechelianis typis, Mœno-Francof. 1601. Vſſerius tamen ex ejus annal. f. 465. *hiſtoriam anni 1201.* refert Libro, *de Succeſſ. Eccleſ. Occid.* p. 325. hinc eum ad annum 1202. fuiſſe progreſſum, cum Caveo, P. I. p. 481. adſerere malumus, quam Voſſii errorem amplecti.

WERNE-

WERNERVS ROLFINCK de LAER.

Patria Weſtphalus, ex Diœceſi Monaſterienſi, profeſſione Carthuſianus, Coloniæ Vbiorum, anno 1480. claruit, anno 1502. obiit. Vid. Trithem. *de Illuſtr. Script.* f. 170. b. Henr. Wharton, *in app. Cav.* p. 113. Scripſit *Faſciculum Temporum*, qui prodiit Lovanii, 1476. Coloniæ, 1481. & cum *Linterii appendice* inter *Scriptores Germ. Piſtorii*, Francof. 1584. T. II. p. 580. Hanov. 1613. quem exhibet Dietericus, *in Breviar. Pontif.* in indice autorum, ſub finem Libri, *Paradiſus Conſcientiæ*, Colon. 1475. 4. *De laudibus Weſtphaliæ* lib. ab Ortuino Gratio editus, ann. 1514. recuſus, Colon. 1602. 8. *De Sacramento Eucharistiæ*, Colon. 1535. *Sermo de S. Benedicto*, ante annum 1494. impreſſus, ut Trithemius teſtatur. Alia plura refert Henr. Wharton l. c. qui inſimul hujus rei cupidos ad Trithemium remittit, qui Scriptorum Werneri Catalogum ab ipſo Wernero accepit. Conf. & Labbeus, p. 497. Vosſius, de *Hiſt. Lat.* l. 3. c. 6.

ROSWITA.

Sacerdos & Monialis docta in Cœnobio Gandesheimenſi, de qua rectius glorientur Saxones, quam Angli, & Laurentium Humfredum, ſuæ eam patriæ vendicantem, nec audiunt neque ferunt, monente Georg. Fabricio, l. 2. *Orig. Saxon.* f. 98. Conf. de errore Humfredi, Vosſium, *loco citato*, c. 41. p. 352. ubi & de interpolato Trithemii quodam loco, qui Poſſevinum ad erroneam de Roswithæ ætate opinionem induxerit. Floruit autem Virgo S. anno 980. genere nobilis & pietate, nec latino ſaltem carmine pollens, ſed etiam græce docta, ſcripſitque Ottonis II. & Gerbergæ, Abbatisſæ juſſu, Heroico Carmine, *Panegyricum de Geſtis Ottonis I.* qui ſeorſim cura Juſti Reuberi, Hannoviæ, 1619. & Francof. 1621. prodiit. VIII. quoque *Hiſtorias Sacras* carminicè panxit. In proſa verò *VI. Comœdias S. quæ omnia* Conradus Celtes, primus Germanorum Poëta Laureatus, anno 1501. Norimbergæ, imprimi curavit, & Friderico, Saxoniæ Electori, dedicavit. *Panegyricum* quoque modo dictum Roswitæ Saxonicæ, *in laudem & Geſta Ottonis M.* conſcriptum, Wittechindi Corbejenſis, Monachi, *annalibus Saxonicis*, Francof. 1621. publicatis, ſubjecit, notisque illuſtravit, Henr. Meibomius, Apud Saxones talem floruiſſe, miraculo

ſimile ſibi viſum fatetur, Lilius Gregorius Gyraldus, *de Poet. Hiſtor. Dial.* 5. Elogia deſideras, vide ingenioſiſſima eruditorum epigrammata, quæ collegit & editioni præfixit Conradus Celtes; aliqua etiam Meibomius congeſſit. Conf. omninò Cruſii, *Germano Græciæ* Lib. I. f. 20. Prodierunt nuperrimè *Rosvvitæ Opera*, partim ſoluto, partim vincto ſermonis genere ab ea conſcripta, duobus abhinc ſeculis à Conrado Celte formis primum expreſſa, nunc denuo, ad uſum publicum recognita & ab inficeto ſcribendi more repurgata, cura & ſtudio Henrici Leonardi Schurtzfleiſchii, cum ejusdem præfatione, Vitembergæ, 1707. 4. Exhibentur autem in hac editione, *Comœdiæ VI. in æmulationem Terentii: Hiſtoria Nativitatis laudabilisque conſervationis intactæ Dei genitricis, B. Mariæ, Virginis: Hiſtoria Aſcenſionis Domini: Vita S. Gangolphi: Hiſtoria S. Pelagii & paſſio ejus: Hiſtoria lapſus & Converſionis S. Theophili: Hiſtoria Converſionis Proterii per S. Baſilium: Hiſtoria Paſſionis S. Dionyſii: Hiſtoria paſſionis S. Agnetis: Panegyricus, in laudem & geſta Ottonis M.* & reliqua. Agunt de Roswita, Joh. Trithemius, T. I. *Annal. Hirsaugienſium.* Meibomius, T. II. *Rerum German.* p. 490. Georg. Fabricius, *Origin. Saxon.* L. III. Antonius Posſevinus, *in apparatu S.* Joh. Henr. Bœclerus, *in Commentar. de rebus Seculi IX. & X.* Caſimirus Oudin, *in Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 511. Guilielmus Caveus, *in Hiſt. Litter.* P. I. p. 412. Elias Du Pin, T. VIII. *Bibl. Nouv.* p. 56. Henricus Leonhardus Schurtzfleiſchius, *in dicta præfatione*, quâ Vitam Roswitæ prolixe narrat, atque Scripta ejusdem genuina a Suppoſitis, accurate dijudicat.

ROTGERVS.

S. Pantaleonis Monachus Colonienſis, Ord. Bened. eloquenti ſtylo, *Vitam S. Brunonis, Colonienſis Archi-Epiſcopi*, compoſuit, quæ extat apud Surium, d. XI. Octobris. Floruitq; ann. 970. De eo Oudinus, *Suppl. de Scriptor.* p. 306. Trithemius, Sigebertus, c. 130. Joh. Mabillon. *Sec. V.* p. 334.

RVDOLPHVS AGRICOLA, vid. AGRICOLA.

RVDOLPHVS de FRAMEINBERG.

Paſtor in Sucken, anno 1336. iter in Orientem ſuſcepit, ibidemque per quinquennium commoratus eſt. Eodem abſoluto, compoſuit *Deſcriptionem Terræ Sanctæ*, quam Balduino, Comiti Steinfordenſi, Epiſcopo Paterbornenſi, obtulit. Extat illa apud Caniſium, *antiq. Lect.* T. VI. & cum Marci Poli, Veneti & Joh. de Montevilla *Itineribus*, prodiit. De eo Oudin, p. 610.

RVDOLPHVS.

Fuldenſis Cœnobii Presbyter & Monachus, Theologus egregius, inſignis Hiſtoriographus & Poeta, anno 850. clarus, obiit anno 865. Scripſit Vitam *S. Liobæ, Virginis & Abbatiſſæ Biſchoffhemenſis*, quæ extat apud Surium, d. 28. Sept. Mabillon, *Sec. III. T. II. p.* 245. *Vitam Rhabani Mauri*, Magiſtri ſui, in *Prol eg. ad Opera S. Mauri*, Colon. 1627. Bolland. *in Vitis Sanctorum*, d. IV. Febr. Mabillon, *Sec. IV. T. II.* p. 1. ſeqq. Conf. idem Oudin, l. c. p. 253. ſeqq. Cave, T. II. p. 162. Du Pin *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 197. ſeqq.

RVFFINVS TORANIVS.

Aquilejenſis Eccleſiæ Presbyter ac Monachus, anno 390. clarus, ex D. Hieronymi amico, ob Origenianiſmum ipſi imputatum, & pravam in vertendis libris fidem, ejus adverſarius factus, de cujus vita & Scriptis ſat prolixe, Cl. Cave, P. I. p. 165. Obiiſſe eum circa annum 410. aut ſeqq. in Sicilia, e pluribus Hieronymi locis, ubi eum ſub Grunnii, Scorpii, aliisque titulis deſignat, poſt Caveum citatum, Labbeus, colligit, *Chronol. Eccleſ. Sec. V. Conf. T. II. app. p.* 800. *ſeq.* Idem p. 305. recenſet Opera Ruffini ex editione Pariſ. anno 1580. f. hac quidem ſerie. *De Benedictionibus Judæ & reliquorum Patriarcharum Lib. II.* qui etiam *inter Orthodoxogr. Patr. lat. Grynæi T. I. f.* 1065. *habentur. Comment. in Oſeam, Joel, & Amos. Expoſit. Symboli ad Laurentium, Epiſcopum: Hiſt. Eccleſiaſtica L. II. Comment. in Pſal. LXXV.* Prodierunt quoque hæc Ruffini Opuſcula, Romæ. 1470. f. Lugd. 1570. Additque p. 306. nonnullas alias Ruffini Opellas & p. 308. Catalogum e græcis ab ipſo translatorum, Joſephi puta, Euſebii Cæſareenſis, Clementis, Origenis, &c. monumentorum, de quibus alibi. Pleniorem autem Catalogum Ruffini Scri-

ptorum

ptorum exhibet Cave, qui deperdita inſimul Ruffini Scripta, ſiſtit. Quicquid autem de Ruffini erroribus controvertitur ab iis, qui eum cum Hieronymo aut Origeniſtam aut Pelagianum fuiſſe perſuaſi ſunt, illis ipſe Ruffinus, in Apologia ad Anaſtaſium, jam pridem reſpondit. Faciunt pro illo Casſiani, Palladii, Paulini Nolani, encomia, quibus ab ipſis fuit mactatus.

RUPERTUS TUITIENSIS.

Monachus primum S. Laurentii in Oesbrovic, prope Trajectum, deinde propter eruditionem à Friderico, Archi-Epiſcopo Colonienſi, evocatus & Tuitienſis e regione Colon. Agripp. cœnobii Abbas creatus, Ord. Bened. floruit, anno Salutis 1124. ſub Henrico V. Obiit verò anno 1135. Erroris a Pontificiis arguitur, eò, quod transſubſtantiationis dogma infregit, atque panis ſubſtantiam in corpus Chriſti non converti doceret, idcircò in Concilio Lateranenſi damnatus eſt. Aliud Veritatis teſtimonium exhibet Lydius, *epiſt. Dedic. ad Nic. Clemang.* Interroganti enim ſibimet l. 12. *De Victoria Verbi Dei c. 11.* ſic reſpondet: *Quot ſunt præcipua Salutis noſtræ Sacramenta? Reſpondetur: Sacrum Baptiſma, S. Corporis & Sanguinis ejus Euchariſtia.* Opera ejus Coloniæ aliquoties, anno ſcilicet 1533. 1566. 1577. 1598. & 1602. Lovanii quoque, Pariſ. 1638. T. II. f. excuſa ſunt. Seorſim edita vidimus ſequentia *Lib. XIII. de Victoria Verbi Dei*, Norib. 1523. cum *Ruperti Tuit. Vita* è Trithemio partim & ex autoris Apologetico collecta, item Colon. 1529. *Comment. in XII. Proph. minores*, *Lib. XXXI.* Norib. 1524. Lovanii 1551. *in Apocalypſin.* Lib. XII. Norib. 1526. Lib. II. *de Voluntate & Omnipotentia Dei*, Norib. 1524. Lib. 42. *de Operibus SS. Trinitatis de gloria ac honore filii hominis in Matth.* Lib. XIII. Colon. 1533. *De incendio Tuitienſi & meditatione mortis.* Lib. II. cum autoris *Vita*, ibid. 1572. Plura ſecundum ordinem in editione Operum Ruperti Pariſienſi, anno 1638. fol. T. II. obſervatum, vid. apud Caveum, *loco citato*, Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 215.

RURICIUS SENIOR.

Lemovicenſis Epiſcopus, avitâ nobilitate conſpicuus, Anicianæ familiæ junctus, ſedit ab anno minimum 470. usque ad annum 506. ſicut è Sidonii Apollinaris ad iſtum perſcriptis *Epiſtolis* conſtare ait

Lab-

Labbeus p. 315. qui tacite ſimul pungit Sanmarthanos, Synodorum Aurel. IV. & V. ſubſcriptionem huic Seniori Ruricio tribuentes, vide T. II. *Gall. Chriſt.* f. 630. quæ tamen à juniore Ruricio, iſtius Nepote, anno demum 541. & 549. facta. *Epiſtolarum Ruricii Senioris ad varios*, Lib. II. Henr. Caniſius, *T. V. antiq. Lect.* P. 2. p. 460. exhibet, inde relatos in T. V. *Bibl. Patr. Colon. P. III.* f. 536. iisdemque præmittit *Fauſti*, *Cæſarii*, *Sedati*, *Eufraſii*, *Taurentii*, *Graci* & *Victurini* ad Ruricium *epiſtolas* l. c. p. 415. quanquam ex codice corrupto & mendoſo admodum, ſicut obſervat Labbeus.

JOH. RVSBROCHIVS.

A pago cognomine Ruysbrock, ad Sennam fluvium, inter Bruxellam & Hallas, ſic cognominatus, ex Vicario & Presbytero Bruxellenſi, Cœnobii Auguſtini in Viridi Valle Prior, anno 1380. clarus, ſicut referunt Valer. Andr. *Bibl. Belg.* p. 575. Labb. p. 604. aliique. Magni vir inter Myſticos Theologos nominis extitit, quod oſtendit Thomaſius, *Sched. Hiſt.* p. 65. 72. a Gerſone graviter notatus. at Surio, Joh. à Schœnhoff operoſe defenſus atque excuſatus. Conf. Arnoldus, *de Theol. Myſt.* p. 306. & Natal. Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XIII. & XIV. c. 5. art. 6.* Opera ejus Coloniæ excuſa an. 1552. f. 1609. 4. vide apud Henr. Whartonum, *app. Cav.* p. 39. quæ ſunt: *Summa Vitæ Spiritualis*: *Speculum Salutis æternæ*: *Comment. in Tabernaculum Moſis*: *Tract. de præcipuis Virtutibus*: *de fide & Judicio*: *de IV. Tentationibus*: *de VII. gradibus amoris*: *de Nuptiis Spiritualibus*: *L. III. de Perfectione Filiorum Dei. Regnum amantium Dei*: *de Vera Contemplatione*: *Epiſt. XII. Cantiones II. de alta contemplatione*: *Oratio brevis.* Plurima hæc Opuſcula materno idiomate compoſuit, quæ tamen a Jordano, & Surio in latinum verſa ſunt. Scripſit obſcuro ſatis genere pſeudo-Dionyſium Areopagitam imitatus, Rusbrochius. Omnino autem Simlerus *epit.* f. 411. unicum Rusbrochium in tres diverſos ſecuiſſe videtur, obſervante Labbeo, *loco citato.*

RVSTICVS.

Gente Romanus, Diaconus quidem a Vigilio, affinitate juncto, creatus, ab eodem tamen propter Schisma gradu motus, ann. 550. Ejus *Diſputatio adverſus Acephalos*, in fine mutila, *in Antidoto contra hæreſes*, Baſil. 1528. p. 246. in *Hæreſiologia*, ibidem, 1550. & cum Simleri notis, juxta

cum aliis *Patrum Scriptis adverſus Eutychem & Neſtorium*, 1571. p. 141. & inter *Orthodoxogr. Vet. Patr.* & in *Bibl. Patr.* Pariſ. edit. 2. f. 1099. & alibi. De eo Cave, P. I. p. 291. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 80. Defendit autem Synodi Chalcedonenſis de fide definitionem, per modum Dialogi, inter Orthodoxum & hæreticum.

RUSTICUS.

Epiſcopus Gallus, ſive Narbonnenſis, ſive juxta alios Bituricenſis, anno 449. clarus, ſcripſit circa ann. 454. *ad Eucherium Lugdunenſem, Epiſtolam*, quæ extat inter *notas Sirmondi in Sidonium Apollinar. Lib. II.* ut indicat Cave P. I. p. 253. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 205.

RUSTICUS HELPIDIUS.

Vel ut alii legunt, *Elpidius*, vir ſtirpe nobili, & ut in inſcriptione legitur, Exquæſtor, Medicus Theodorici, Gothorum Regis, circa ann. 498. claruit, & condidit *Epigrammata XXIV. ad totidem V. & N. T. hiſtorias & de J. C. beneficiis Carmen.* Vide ea cum notis inter *Poëtas S. Fabricii*, f. 754. in *app. Bigneana*, p. 706. in *Bibl. Patr.* T. VIII. Pariſ. 2. f. 593. 596. poſtea Andreæ Rivini notis illuſtrata cum Lactantii Merobaudis & aliorum Carminibus, prodiere Lipſiæ, 1652. 8. Laudat Barthius III. 16. Adverſ. & Labbeus, p. 64. *Bibl. Manuſcript. nov.* emendatiorem illorum promiſit editionem, additurus Walafridi Strabi, Abbatis Augienſis verſus, ad Picturas N. T. & Anonymi Compendium Doctrinæ Evangelicæ. *Carmen in Conſolationem Doloris ſui*, ipſe quidem Ruſticus memorat, quod tamen, vel Caveo judice, P. I. p. 268. interiit. Conf. Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 709.

S.

SABAS.

EX Matalaſca, vico apud Cappodacas, Parentibus nobilibus, anno 439. ortus, anno 484. floruit, Presbyter & Magnæ Lauræ Præfectus.

Obiit

Obiit autem anno 512. *Vitam* ejus ſcripſit Cyrillus Scythopolitanus, qui illam pleniſſime complectitur. Ipſe Sabas compoſuit *Typicum*, ſeu *ordinem recitandi Officium Eccleſiaſticum per totum annum* quod c. 59. extat illud inter alios Græcorum Libros Eccleſiaſticos. Manuſcriptum verò aſſervatur in Bibl. Vindobonenſi & alibi. Loquitur de eo Leo Allatius *Diſſ. I. De Lib. Eccleſ. Græc.* p. 5. ut Cave P. II. p. 88. recte obſervavit.

SABINUS.

Heracleæ Epiſcopus, Secta Macedonianus, anno 425. clarus, collegit prava quidem fide, ut Cave ad oculum monſtrat, P. I. p. 228. *Geſta Synodalia*, è quibus fragmenta quædam, de Concilio Seleucienſi & alia habet Socrates, l. 2. c. 30. l. 3. c. 10. & 22. Conf. ſi placet, Guil. Caveum, *in Hiſtor. Litter.* P. I. p. 228. Etiam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 249.

JACOBUS SADOLETUS.

Ad Vincula S. Petri Cardinalis, Mutina oriundus, anno 1478. Nicolai Leoniceni Diſcipulus, poſt Romæ Cardinalis, Oliverii Caraffæ Contubernalis, Theologus, Orator, Philoſophus omni ſcientiarum genere excellens. Epiſcopus quoque Carpentoractenſis factus, & anno 1547. denatus, prout poſt *Antonium Florebellum*, qui vitam ejus ſcripſit, Operibus mox memorandis præfixam, referunt Sanmarthani, T. II. *Gall. Chriſt.* f. 497. Habentur iſta Sadoleti Opera omnia, Moguntiæ, anno 1607. excuſa, inter quæ eminent *Comment. in Pſalmum* 51. & 93. & Lib. III. *Comment. in Epiſt. Paul. ad Rom.* Conf. Boisſard. *Icones*, P. I. p. 263. Seorſim prodierunt *Orationes II.* Isleb. 1603. *Epiſtolarum Libr. XVI.* Colon. Agripp. 1590. 8. cum Antonii Floridi Belli *Comment. de Vita authoris. De Liberis recte inſtituendis.* Argent. 1605. 8. *Meditationes in adverſis*, Francof. 1577. 8. *De Laudibus Philoſophiæ*, Venet. 1539. 8. Judicia de illo exhibet operosè collecta, Blount *Cenſ. Celebr. aut.* p. 573. ſeq. ubi Epitaphium Sadoleti adducitur. Conf. de Sadoleto Simler. *Epit. Geſneri.* f. 312. Teisſier, *eloges des hommes Sçavans*, T. I. p. 8. ſeq. T. III. p. 8. ſeqq. Io. Fr. Buddeus, *in Lexico.*

SALOMON.

Germanus in Tergovia ex nobili gente oriundus, Iſonis, Monachi, auditor, ex Ludovici Balbi, Imper. Sacellano & Conſiliario, Abbas Elvingenſis, poſt Campedonenſis, Pfeffarenſis, Sangallenſis, & tandem, anno 891. Conſtantienſis ad Rhenum Epiſcopus. Obiit, anno 920. *Carmina ad Didonem, Epiſcopum*, & alios, Henr. Caniſius, T. I. *antiq. Lect. app.* f.15. edidit, inde *in Bibl. Patr. T.XVI.* p. 1300. f.870. tranſlata. Caveus inſuper ex Pantaleone, *de Vir illuſtr. Germ.* P. 2. p. 105. Dictionarium elegans, a Salomone in Pergameno conſignatum, memorat, P. I. p. 398. quem conſule. Conf. Trithemius, *de Viris illuſtr. Germ.* Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T.VIII. p. 56. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 297.

SALONIVS.

Epiſcopus, Eucherii, Lugdunenſis Archi-Epiſcopi, filius, Verani frater, Monachus primo Lerinenſis, circa ann. 426. ſub SS. Honorati & Hilarii curâ, ac ſub diſciplina Vincentii Salviani, qui eum dedicatione Lib. *de Providentia* honoravit, aliorumque Pie-Doctorum Patrum eruditus, tandemque factus Epiſcopus, an Gennabenſis ad Lacum Lemanum, an Genuenſis in Liguria? an vero Viennenſis in Gallia, ſicut temere nimis pronunciavit Sixtus Senenſis. arguente Labbeo, p. 319. adhuc ſub judice lis eſt. vid. Vincent. Barral. Salern. *Chron. Lerin.* P. I. f. 372. Placet nobis ſententia Cavei, qui Salonium, Patris in Epiſcopatu Lugdunenſi coadjutorem, extitiſſe autumat, & hinc Epiſcopum fuiſſe nuncupatum. Viguit maxime circa ann. 460. Ejus *explicatio Myſtica in Proverbia & Eccleſiaſtem Salomonis*, interlocutoribus Salonio & Verano, fratribus, inſtituta, extat *Orthodoxogr. SS. Patr.* Lat. I. f. 1010. & T. I. *Bibl. Patr. Pariſ.* 2. f. 536. & *in Micropresbytico* f. 216. *Epiſtola* verò, quam cum Ceretio & Verano, Epiſcopis, ad Leonem P. R. ſcripſit, inter Leonis *Epiſt. poſt Epiſt.* 51. Conf. cit. Cave, P. I. p. 253. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 221.

SALVIANVS.

Treveris, aut juxta Baluzium, Coloniæ Agrippinæ, oriundus, quem Maſſilienſem Epiſcopum Poſſevinus, Sixtus Senenſis, Bellarminus.

minus & cum iis alii e recentioribus multi faciunt, cum tamen Presbyterum tantùm Maſſilienſem fuiſſe ex incorruptis codicibus Gennadii Maſſilienſis, coætanei, liquido conſtet, imò ipſa Epiſcoporum Maſſilienſium ſucceſſio & Chronologia id edoceat. Vivente enim Salviano, Venerius, anno 428. fuit Epiſcopus, cui Gennadio teſte, ſucceſſit Euſtachius, & huic Græcus, autore Sidonio Apollinari, tum Cannatus &c. referentibus Sanmarthanis, T. III. f. 642. Major adhuc eſt audacia Philippi Elsſii, Ord. Aug. qui Eremitam Salvianum & Auguſtinianum facere contendit, caſtigati propterea a Labbeo, p. 322. Vixit autem in quieta adhuc Senectute, circa ann. 495. Vide plura apud Sanmarth. l. c. Labb. l. c. & *app*, T. II. p. 803. adde Caveum P. I. p. 245. Vincent. Barral. l. c. f. 375. ſeq. Fuit omnino, ſi non ipſe Epiſcopus, multorum tamen Eccleſiæ Epiſcoporum, imò totius orbis Chriſtiani, Magiſter, elogio Gennadii & Conradi Rittershuſii, qui quidem Opera ejus cum doctisſimis ſuis, aliorumque Commentariis, poſt alios, novisſime recudi fecit, Altorffii, 1611. 8. & Norimbergæ, 1623. novus ſui temporis, Jeremias, teſte Baronio, ad ann. 406. n. 54. & 428. ann. Patet id e Libris VIII. quos ſcripſit, *de Gubernatione Dei & de juſto præſentique ejus judicio, ad Salonium Epiſcopum*, nacta occaſione ex irruptione Gothica, cujus barbariem morum Chriſtianorum barbarie provocatam & ſuperatam oſtendit, pios ſolatur, & divinam ſimul providentiam pie aſſerit: editi illi cura primum Joh. Alex. Braſſicani, Baſil. 1530. f cura Petri Galeſini, Rom. 1564. cum notis Braſſicani, Pariſ. 1575. 8. dein ex recenſione Petri Pithœi, qui *libellum Epiſt. ejusdem* addidit, Pariſ. 1580. & 1600. Similem Zelum ſpirant Lib. IV. ad *Eccleſiam Cathol. toto orbe diffuſam, adverſus avaritiam, præſertim Clericorum & Sacerdotum iſtius ævi, ſub Timothei nom ne conſcripti*, præmiſſa ad Salonium, de ratione ſuppreſi nominis, Epiſtola. Lib. III. *de conciliatione Locorum V. & N. T.* in ſpeciem pugnantibus, ad calcem Salviani, 1530. editi, Salviani non ſunt ut Alphonſus de Caſtro, adverſus *hæreſ.* lib. 14. f. 276. exiſtimavit, ſed originem a Juliano, Epiſcopo Toletano, acceperunt. Extant autem Salviani, Opuſcula hactenus enumerata, Rothomagi, 1627. 12. Pariſ. 1640. curante Baluz. ibid. 1663 8. & 1669. 8. Conjugatus fuit Salvianus cum Palladia, ut ex ejus *Epiſt.* 5. liquet, ſuſcepitque ex ea filiam, *Auſpiciolam*: poſt mutuo conſenſu perpetuam ab uxore continentiam vovens, eà de cauſa in

Soceri indignationem lapſus, eam mitigare, *in Epiſt. 4.* laboravit. Conf. omnino notas Rittershuſii, p. 374. ſeqq. & elogia congeſta varia apud Magirum *eponymol.* p. 173. Rainoldus *in cenſ. Lib. apocr.* T. I. *præl.* 23. p. 190. *Salvianum* eum ſæpiſſime, forte minus recte, appellat. Evolve, Blount, *Cenſur. Celebr. autor.* p. 302. ſeqq. Criticam quoque virgulam Scriptis ejus quæ quidem hodie terimus, cum magna pars perierit, recenſente Gennadio, idem Rittershuſius adhibuit, in *præfatione*, hinc ejus Comment. inter Libros expurgandos, in Indice Madrit. anno 1667. impreſſo, numeratur. Conf. de Salviano, Elias Du Pin, T. IV. p. 215.

SALVTARIS.

Medii barbariæ ævi Poeta, cujus *Poëma* poſt Flacium repræſentat Daumius, *poſt Caton. diſt.* p. 217.

SAMONA.

Archi-Epiſcopus Gazæ, qui, ut vult Coccius XI. Sec. floruit, circa ann. 1072. Scripſit *Diſceptationem cum Achmed. Saraceno*, ſuper veritate Corporis & ſanguinis J. C. in Euchariſtia, quam vide T. VI. *Bibl. Patr. Pariſ. edit. 2. f. 595.* & ex Gerhardi Voſſii, Tungrenſis, recognitione, cum ejusdem notis, T. II. *Bibl. Colon.* f. 476. gr. lat. *in Auctuario Duceano*, T. II. p. 277.

SAMPIRVS.

Hiſpanus, Aſturicenſis Epiſcopus, ann. 1010. clarus, ſcripſit *Continuationem Chronici Alphonſi Regis*, ab ann. 816. ad 985. quæ cura Sandovalii Pampilone, 1615. 1634. prodiit. Novam editionem meditatus quidem Cardinalis d' Aguirre, ut ex ejus *Notitia* p. 363. conjicit, Guilielmus Cave, quæ tamen vix comparuit. Conf. illum P. II. *Hiſt. Lit.* p. 197. & Nicol. Antonii *Bibl. Hiſp. Vet.* T. II. L. 7. c. 1.

RABBI SAMVEL.

Natione Afera natali urbe paſſim Marochianus cognominatus, ex Judæo Chriſtianus factus, floruit, ann. 1070. quod probat, Labb. p. 323. Ejus *Liber de adventu Meſſiæ*, quem Judæi fruſtra adhuc expectant, ad R. Iſaac, 250. circiter annos delituit, antequam ad Chri-

Chriſtianos & arabicæ linguæ gnaros homines pervenit. vid. *præfationem Germanicam* editionis Heidelb. 1583. Dicitur ex Arabico converſa per Alphonſum Bonihominis, Hiſpanum, Ord. Domin. atque Hugoni Ord. Præd. Magiſtro, dedicata. Prodiit lat. Mantuæ, 1475. 8. Antwerp. 1486. Colon. 1556. 8. *inter Orthodoxogr.* p. 1586. Germanice quoque editus extat, Heidelb. 1583. & Witteb. per Wenceslaum Linck, interpretem, 1536. 4. De Veritate hujus quidem libelli, dubitat Jo. Hornbeckius, *Proleg. ad lib. de Convert. Judæis,* Sect. V. quem evolve juxta cum Caveo, P. II. p. 431. Conf Bellarminum, *de Scriptoribus Eccleſ.* & Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 114.

SANCTIVS de PORTA.

Seu *Sanchius a Porta,* Cæſar-Auguſtanus, Provinciæ Arragoniæ e familia Dominicanorum Eccleſiaſtes apud ſuos diſertus, Homiliarum Tomos aliquot reliquit, obiitque in Patria, 1429. Ita eum ductu Antonii Senenſis, Luſitani, & Joh. Mariettæ, Cantabri, deſcripſit Andreas Schottus, T. II. *Bibl. Hiſp.* f. 246. Conf. f. 227. Vidimus *Sermones ejus per totum annum,* item *de tempore & SS.* Hagenoæ, Labore Henr. Gran 1514. ſeqq. impreſſos. In fronte libri celebratur Ord. Præd. Prof. S. Palatii Magiſter, præco Verbi Cæſar-auguſtanus in Hiſpania, fervidus & vitiorum impugnator acerrimus Copioſum, ſvavem & qui inventiones ſuas in conſpectu Pontificis, aliorumque Magnatum publicare non erubuerit, eum Laudat Wulphgangus Angſt, Caiſersbergius, *præfixa Epiſtola dedic.* ad Vitum Ægidium, alias Geiſel, Decanum in Surburg. additque e Gallia hunc autorem a ſe perlatum & ſesquimillibus fœturis augmentatum. Ejusdem *Mariale,* cum Sermone pro aëris ſerenitate & pluvia petenda, item pro quacunque neceſſitate, f. 112. impreſſum, ibidem. ann 1515. cum Epiſtola dedicatoria, ab Alfonſo de Caſtro, Ord. Præd ad Joh. Enguera, Ord. Præd. Epiſcopum Ilerdenſem, perſcripta. Ejus *Homilias* pia moralitate refertas, prædicat Sixtus Senenſis, l. 4. *Bibl.* f. 322. ætatis tamen aut loci, ubi vixerit, nullam faciens mentionem.

FELINVS SANDEVS.

Ferrarienſis, ex nobiliſſima Sandeorum familia, celebris JCtus, ann. 1494. clarus, demum Epiſcopus Hadrianenſis & Pinnenſis, imo

Lucen-

Lucenſis conſtitutus, obiit, ann. 1503. Opera ejus aliquot Voluminibus Baſileæ atque Venetiis, 1570. prodierunt, quæ Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 111. pleniſſime enumerat. Seorſim vero edita ſunt *Comment. in V. Libr. Decretal.* Venet. 1498. T. II. Lugd. 1549. T. II. fol. 1587. ibid. *Varia Opuſcula*, Venet. 1582. Lugd. 1587. & *alia*. ibid. 1584. *Hiſt. Epitome de Regibus Siciliæ & Apuliæ*, Hanov. 1611. 4. &c. De eo Bellarminus, Simlerus, Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Henr. Wharton, *loco citato*.

JACOBVS SANNAZARIVS.

Seu à S. Nazario, aſſumto nomine *Actii Sincerii Sannazarii*, Neapolitanus, claruit inſigni *poëmate*, viginti annorum lima perpolito, *de partu Virginis*, in quo de perfectione Poëſeos cum antiquis decertare viſus, at plus laudis laturus, ſi materiam Sacram aliquantò ſacratius tractaſſet, judice Erasmo, *in Ciceron.* p. 205. Vid. quid Erasmo reſpondeat Franc. Floridus Sabinus, *Lect. Succiſ.* l. 3. f. 276. ſeqq. Extat illud cum aliis Operibus, Lugduni. 1537. Obiit Neapoli, anno, ut olim Sepulcro inſculptum fuiſſe fertur, 1530. Epitaphium ejus in Templo Di S. Marca del Parto, lectum exhibet Cæſar D'Engenius Caracciolus, *in Neapoli* S. Neapoli, anno 1623. excuſa, p. 665. quod transſcribere, non pigebit.

D. O. M.

Da Sacro Cineri flores, hîc ille Maroni,
Sincerus Muſa proximus ut tumulo.
Vixit ann. 72. A. Dom. M. D. XXX.

De Sannazario, Labb. T. II. p. 493. Jovius n. 80. *Elog.* Boiſſardus, Kœnigius, *Bibl.* p. 722. aliique.

HIERONYMVS SAVONAROLA.

Italus Ferrarienſis, nobili gente, ann. 1452. Patre, Hieronymo Savonarola, matre vero Helena Bonacorſia, natus. A prima ſtatim juventute pietati & ſtudiis incubuit, atque Prædicatorum Ordini nomen dedit, an. 1474. Erat cæteroquin acerrimi vir ingenii, & Sanctitatis opinione, prout Sixtus Senenſis, Lib. IV. *Bibl.* loquitur, omnibus admi-

admirandus, tanta vi dicendi in concione pollens, ut ampliſſima etiam templa cœtus concurrentes capere non poſſent. Eccleſiæ reformationem fortius urgens, & Alexandri VI. monſtri potius, quam Pontificis, vitia perſtringens, in foro Florentino ſuffocatus & flammis deletus eſt, ann. 1498. Matheſius ad annum 1483. refert, quô Lutherus in lucem editus fuit, vide *Vitam Lutheri*, Concion. I. *Apologias* pro Savonarola ſcripſerunt Jo. Franciſcus Picus de Mirandula & Marſilius Ficinus. Adde, quæ Theophilus Spizelius habet, *Infel. Litter.* T. II. p. 620. ſeq. & Io. Fr. Buddeus, in peculiari diſſertatione, *Parergis Hiſtorico-Theologicis* inſerta. Plurima ſcripſit Savonarola, de quibus fuſe dixerunt, autores modo citati, & poſt illos, Henricus Whartonus, in *Append. Car.* p. 110. Ejus enim ſunt Lib. IV. *de fidei Chriſtianæ veritate*, Venet. 1517. 1540. Pariſ. 1524. 8. Lugd. Batav. 1633. 8. *De ſimplicitate vitæ Chriſtianæ* Lib. IV. Florent. 1496. Venet. 1507. Gratianopoli, 1667. 12. & alibi. *Expoſitio Orationis Dominicæ, Lamentatio Chriſti ſponſæ, adverſus Pſeudapoſtolos, de modo bene vivendi & tendendi in Deum, Sermones de Tempore & SS. Conciones & Epiſtolæ variæ*, imo alii ferè innumeri Tractatus, de quibus poſt allegatos autores, Bzovius, *ad annum* 1497. Ambroſius de Altamura, *Bibl. Prædicatorum*, p. 216. & autor *Vitæ* Savonarolæ, Pariſiis, 1674. 8. vulgatæ, loquuntur. De Scriptis Savonarolæ varie judicatum eſt. Anno enim 1556. decertabatur, utrum configenda, an verò comprobanda ſint. Ubi tandem maxima litigantium cohors pro Savonarola ſtetit, eademque toleranda eſſe, unanimiter decrevit.

SAXO.

Danus Selandus, nobili gente oriundus, Cathedralis Eccleſiæ Rœſchildenſis Præpoſitus, ann. 1170. floruit, ann. verò 1204. obiit. Ob nitidum atque floridum ſcriptionis genus *Grammaticus* vulgo adpellari ſolet. Agit de eo Eraſmus, *in Ciceroniano*, qui tamen tantam vim eloquendi in homine Dano, illa ætate, miratur. Valerium Maximum imitatus videtur Saxo, Stephanio atque Caveo, in *Hiſt. Litter.* P. I. p. 475. Prodidit autem vividum ſuum ingenium L. XVI. *Hiſtoriæ Danicæ*, fabulis licet nonnunquam indulgens, quæ excuſa a Chriſt. Petri, Pariſ. 1514. Joh. Bebelio, Baſil. 1534. Phil. Lonicerio & Joh. Fichardo, Francof. 1576. & cum doctiſſimis animadverſionibus Joh.

Stephanii, Soræ, 1644. fol. De eo poſt Caveum & alios, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 57. & 78. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 474. Albertus Bartholinus, *de Scriptis Danorum*, p. 131. Mollerus, *in Cimbria Litter.* P. I. c. 4. p. 31. ſeqq. Voſſius, *de Hiſt. Lat.* L. II. c. 55.

CHRISTOPHORVS SCHEVRLVS.

Nurenbergenſis, J. U. D. & Civilis Ordinarius in Academia Wittenburgica, nec non Ducalis Saxoniæ Senator, edidit *Librum de Sacerdotum & Rerum Eccleſ præſtantia*, excuſum Lipſiæ, apud Wolffg. Monacenſem, juſſu & expenſis Georgii Kelneri, anno 1511. 4. Simlerus, f. 123. quidem hunc librum non habet, ſed tamen eundem ſcripſiſſe refert, *de rebus Alberti, Ducis Saxoniæ.*

SECVNDINVS.

Afer, Secta Manichæus, ann. 390. clarus, ſcripſit *Epiſtolam ad Auguſtinum*, quo cum adhuc Manichæo, maxima ipſi amicitia interceſſerat, qua florida atque eloquentiſſima dicendi copia Auguſtinum ad hæreſim ſuam, revocare laborat. Extat illa cum Auguſtini *reſponſione* ſolidisſima, T. VI. *col.* 525. Scopum illius Epiſtolæ paulò prolixius perſequitur Cave, P. II. p. 51.

SEDATVS.

Epiſcopus, incertæ ætatis autor, cujus *Homiliam de Epiphania* ex recognitione Galleti, Lugdun. vid. T. XV. *Bibl. Patr.* Colon. f. 100. Forſan eſt idem Sedatus, cujus aliquot ad Ruricium, Epiſcopum, *Epiſtolas* Henr. Canis T. V. *antiq. Lect.* p. 2. f. 444. ſeqq. exhibuit. *Epiſtola* ſane 19. f. 453. Epiſcopum ſemet expresſe vocat. Vid. ibid. Ruricii quatuor ad Sedatum Epiſcopum, *epiſtolas* f. 496. 507. & ſi licet, arbitrare. Conf. de eo Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 91.

CÆLIVS SEDVLIVS.

Sedulam circa hunc autorem operam navavit Labbeus, quando lites inter eruditos de eo ſubortas plurimas prolixe retulit atque expendit, à p. 324 ad 335. Breviter, non unum ſed diverſos eſſe Sedulios probat, ſcilicet Poëtam unum, & Presbyterum, ann. 430. aut 440. vigentem, alterum verò Scripturæ interpretem, gente Scotum,

anno

anno 818. celebrem. Sic multas admodum ſalebras atque cruces Philologorum removeri, planaque & expedita omnia fieri ediſſerit. Sedulii ita Presbyteri ſunt illa *Poemata S.* ſæpius excuſa, Baſil. 1502. 1528. 1534. & 1541. cum notis Antonii Nebriſſenſis, deinceps *in Theſauro Poetarum Fabricii*, Baſil. 1564. edito, *in Bibl. Patr.* T. VI. & *app. Bigneana*, p. 658. quam Cave, P. I. p. 239. accuratam pronunciat. Enumerant inde Labbeus & Cave, utpote *Paſchale Opus* carminice ſeu *de J. C. miraculis Lib. V. & N. T. collationem: Hymnum dimetrum de Chriſto*, qui cum notis Fabricii juxta cum Prudentii & Venantii hymnis, Lipſ. 1568. ſeorſim publicatus. *Paſchalis Operis* Lib. V. ſoluta Oratione, a Sureto, Pariſ. 1585. ſeorſim evulgatos. Prodierunt nuper *Sedulii Hymni & Carmen Paſchale*, cura Chriſtophori Cellarii, Halæ, 1704. 8. Dictionem ejus facilem, ingenioſam, numeroſam, perſpicuam, mundam & Chriſtianæ Pietatis commendatricem, vocat Olaus Borrichius, *Diſſ. 2. de Poet. lat.* Sedulii verò Scoti eſt *Collectaneum* ſeu *Explanatio in omnes Epiſt. S. Pauli*, qualem quoque *ad S. Mathæum* ſcripſit, e Scriptura concinnata, edita Baſil. 1528. 1534. & *Bibl. Patr.* T. VI. p. 494. Vid. quid de hoc poſteriore dicat Cave, P. I. p. 365. & Conf. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 221. Eliam Du Pinium, T. VII. p. 177. De priore autem, Iſidorum Hiſpalens. *de Scriptor. Eccleſ.* Trithemium, *de Scriptoribus*, Labb. l. c. Jo. Albertum Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 704. Eliam Du Pin, T. IV. p. 75.

CLAVDIVS SEISELIVS.

Sabaudus, Ludovico Galliæ Regi à libellis ſupplicibus, Epiſcopus Maſſilienſis, poſt Archi-Epiſcopus Taurinenſis, ann. 1500. clarus, anno 1520. obiit. Scripſit in tria priora capita Lucæ, *de Triplici ſtatu Viatoris*, ad Leon. X. ingens Volumen, Taurini, ann. 1518. f. Pars ejusdem, *moralis Explicatio Evangelii*: Miſſus eſt Angelus, antea, prodierat, Pariſ. 1514. 4. *Diſput. adverſus Waldenſes*, Pariſ. 1520. 4. *de divina Providentia*, *Tract.* cum priore, ibidem, 1520. 1637. 4. Ad hæc, Caveo teſte, P. II. p. 319. *Hiſtorica* atque *Comment. in jus feudale* conſcripſit.

SERAPION.

Epiſcopus Antiochenus, ann. 190. clarus, ann. 213. juxta Euſebium, expiravit. Compoſuit *Epiſtolam ad Caricum & Ponticum Eccle-*

ſiaſticos viros adverſus Montani hæreſim, cujus partem exhibet Euſebius, l. 5. c. 19. *Ad Dominum, Apoſtatam*, Volumen. Item Librum, *de Evangelio Petri*, cujus itidem fragmentum extat apud citatum Euſebium, Lib. 6. c. 10. De eo Hieronymus, *Catal. Script. Eccleſ.* c. 41. Cave, P. I. p. 38. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 77.

SERAPION ÆGYPTIVS.

S. Antonio, Monachorum Patri, atque S. Athanaſio, carus & coævus, ex Anachoreta Epiſcopus Thmueos civitatis, ab hirco denominatæ, in Provincia Ægypti Schetica ſitæ, juxta Hieronymum, l. 2. *contra Jovin.* & *de Viris illuſtribus*, c. 99. Ob ingenii elegantiam cognomen *Scholaſtici* meruiſſe dicitur. Conf. Sixtus Senenſis l. 4. *Bibl.* f. 314. Ejus Liber *contra Manichæos* extat, T. V. *Lect. Antiqv.* Henr. Canis. P. I p. 1. ex interpretatione Fr. Turriani & in *Bibl. Patr.* T. IV. p. 160. *Epiſtolas plures: Tractatus de Pſalmorum titulis* memorat Socrates, l. 4. c. 23. quæ temporum injuria perierunt. Obiis ſe fertur Serapion, ann. 358. Conf. Hieronymus, *de Scriptor.* c. 99. Labbeus, T. II. p. 339. Bellarminus, *de Scriptoribus Eccleſ.* Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 114. Du Pin, *loco citato*, T. II. p. 73.

SERGIVS.

Patriarcha Conſtantinopolitanus, ann. 608. claruit, Monotheletarum fautor atque propugnator acerrimus, annoque 639. obiit. Hæreſim Monotheletarum Synodo Conſtantinop. edita fidei Ectheſi, confirmavit. Scripſit *Epiſtolam ad Cyrum, Patriarcham Alexandrinum*, quæ gr. lat. *Concil. T. VI.* p. 176. *Epiſtolam ad Cyrum, Phaſidis Epiſcopum*, gr. lat. inter *Concil. Conſtantinop. acta, act. 12.* *Concil.* T. VI. p. 915. *Epiſt. ad Honorium, Papam*, gr. lat. ibidem, p. 918. *Acta Synodi* habentur græc. lat. *Concil.* T. VI. p. 201. De eo Cave, P. I. p. 314.

SERGIVS.

Cypri Archi-Epiſcopus, ann. 645. vigens, compoſuit *Epiſtolam ad Theodorum, Papam, adverſus Monotheletas*, gr. lat. *Concil.* T. VI. pag. 122.

SER-

SERGIVS P. R. I.

Antiochenus Tiberii Panormitani Filius, Pontifex, anno 688. conſecratus, ann. 689. Ceadwallam, Anglorum Regem, Romæ Sacro fonte initiavit. Obiit ann. 702. Scripſit *Epiſtolam ad Ceolfridum, Abbatem*, de Beda Romam transmittendo, quæ *Concil.* T. VI. p. 1294. & apud Guilielmum Malmsburienſem, *de geſtis Regum Angl.* l. 1. p. 11. mutila habetur. Conf. Cave, P. I. p. 330. Heideggerus, *Hiſt. Papat.* Ludov. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 197.

SERGIVS II. P. R.

Ex nobili familia ortus, Romanæ Eccleſiæ Archi-Presbyter, poſt ann. 844. Papa conſtitutus, Ludovicum, Lotharii Imperatoris, filium, in Longobardorum Regem unxit. Deceſſit e vivis, ann. 847. Scripſit *Epiſtolam*, ad Epiſcopos Transalpinos, de prælatione Drogonis Mediomatricenſis, Vicarii ſedis Apoſtolicæ, quam vide, *Concil.* *T. VII.* p. 1799. Vid. autores modo citatos, & adde Eliam Du Pinium, T. VII. p. 178.

SERGIVS.

Syrus, Manichæorum ſuo tempore Coryphæus, ann. 801. vixit, atque pro Spiritu S. haberi voluit. Obiit, ann. 812. morte ſatis violenta, ſecuri a Tzanione Nicopolitano, interemtus. Compoſuit *Epiſtolas* complures, ad Colonienſes, Leonem, Montanum, datas, quarum ampla fragmenta adducit Petrus Siculus, *Hiſt Manichaiſmi*, p. 66. &c. Vid. Cave, P. II. p. 158. Arnoldus, *Hæreſeolog.* & alios.

SERLO.

De Valle Badoni juxta Bajocas in Normannia oriundus, Ceraſienſis Monachus Ord. Bened. deinde Savigniacenſis Abbas, ann. 1148. conſecratus, poſt Bernhardi obitum, Officium depoſuit, atque Claræväallam ſe contulit, ubi ann. 1158. obiit. Scripſit *Sermones*, quos extulit Bertrandus Tisſier, *in Bibliotheca Ord. Ciſterc. Patrum*, ann. 1664. vulgata, T. VI. p. 107. Commentarius *in Orationem Dominicam*, manuſcriptus extat in Bibl. Colbertina, *Cod.* 5207. teſte Oudino, *Suppl. de Script.* p. 424. De eo Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. IV. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 184.

SEVERIANUS.

Gente Syrus, Eccleſiæ Gabalorum in Syria Epiſcopus, ſub Theodoſio Juniore, ann. 401. clarens, cui arcta quidem ab initio familiaritas cum Joh. Chryſoſtomo interceſſit, quam tamen propria culpa interrupit. Non adeo alienus a vitio Simoniæ fuit, qui Porphyrium, accepta pecuniâ, conſecravit. Vir cæterum in Scripturis eruditus, atque eloquentiſſimus. *Homilia ejus VI. in Hexaemeron Moſis* græcè ab Henr. Savilio cum Joh. Chryſoſtomi *Operibus græcis*, Etonæ, prope Londinum, ann 1612. editis, T. VII. & *in auctar. Combefiſii*, Pariſ. 1672. habentur. Scripſit quoque *Orationem in Nativitatem Chriſti: de Serpente Æneo: de pace in Eccleſia Conſtantinop. habita: de morte innocentum, quæ inter Chryſoſtomi & Chryſologi Homilias* paſſim habentur. Ejusdem *de Cruce Homiliæ* fragmentum Jacobus Gretſerus, T. II. *de cruce* dedit, at integram eam, poſt alios Chryſoſtomi Tractatus, Pariſ. 1656. Franc. Combefiſius exhibuit. Conf. quæ habent Sixtus Senenſis, l. 4. *Bibl.* f. 324. Sozomenus, Lib. VIII. c. 18. Socrates, Lib. VI. c. 11. Labbeus, T. II. p. 341. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 202. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III pag. 75.

SEVERUS.

Patriarcha Alexandrinus *Rituale Liturgiæ & Sacramentorum apud Syros uſitatum*, idiomate & Charactere Syriaco, tradidit, mox poſt Mahumeticam tempeſtatem, ut videtur, in ſolatium captivorum. Hinc Genebrardus in Chronologia, ad ann. 646. eum retulit. Vid. *Indic. Chronol. Bibl. Patr. Pariſ.* 2. adjectum Sec. VII. & lege, quæ ex hoc *Rituali*, habentur T. VI. f. 43. 56. 61. Integer verò Liber Severi *de ritibus Baptiſmi & S. Synaxeos apud* Syros Chriſtianos receptis, Syriacè & latinè primò editus à Guidone Fabricio Boderiano, Antwerp. 1572. typis Chriſtoph. Plantini. Conf. de hoc autore Kromayeri, *Polymath. Theol.* p. 135.

SEVERUS.

Patria Alexandrinus, profeſſione Jacobita, Asmuninæ Epiſcopus, ann. 978. clarus, compoſuit, arabicò Sermone, *Lib. III. de Vitis Patriarcharum Alexandrinorum*, è quibus ampla ſatis fragmenta exhibet Abrahamus Ecchellenſis, *in Eutychio Vindicato*, P. I. Item Tract.

adver-

adverſus Eutychii Batricidæ, Patriarchæ Conſtantinop. annales, qui teſte Caveo, hac in re conſulendo, P. II. p. 188. in Bibl. Vaticana oſtenditur.

SEVERVS.

Sozopoli in Piſidia natus, profeſſione Cauſidicus, atque Religione Gentilis, Chriſtianismum amplexus, Vitam Monaſticam egit. Ob hæreſin tamen e Monaſterio ejectus, Apocriſarius Sectæ ſuæ, Conſtantinopoli, factus eſt. Poſt mortem Flaviani Antiſtes Antiochenus, ordinatus, in Catholicos deſæviit, eosdemque immani ſtrage occidit. Ob id tamen ſede ſua fugatus, Alexandriam, poſt Conſtantinopolin, variis ſceleribus intentus atque Juſtiniani edicto anathemate perculſus eſt. Vixit circa, ann. 513. Docuit autem unicam tantùm in Chriſto eſſe naturam: animas noſtras ante mortem præexiſtere & alia, de quibus Cave, P. II. *Hiſt. Litt.* p. 107. Extitit hic Severus ingenio feroci & truculento, & ad turbas excitandas nato, eruditus & ad diſputandum promptus ac ſubtilis, in opinionibus ſuis non ſemper ſibi conſtans, judicio vix laudati Cavei. Scripſit *Epiſtolas perplures*, quarum fragmenta, *Concil. T. VI.* p. 315. 834. 385. & alibi exhibentur. *Homilias* & *Tractatus*. *Sermonis proſphonetici* in Daphne, in Martyrio S. Euphemiæ dicti, fragmentum, T. VI. p. 316. Lib. *contra Grammaticum*, fragmentum, *Catena in Cantica V. T.* a Caraffa lat. translata, p. 253. *Comment. in SS.* quorum fragmenta ſiſtit Caraffa locis a Caveo, P. I. p. 277. citatis. & P. II. p. 107. ubi plura Severi Scripta, adducit. Adeò autem a Severi Scriptis atque erroribus abhorruit Juſtinianus, Imperator, ut illa igne comburenda præceperit. De Severo Nicephorus, *Hiſt. Eccleſ.* L. XVI. c. 29. ſeqq. L. XVII. c. 1. L. XIIX. c. 49. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 40. Arnoldus, l. c. & alii.

SEVERVS.

Minorcæ, Balearis Inſulæ Epiſcopus, ann. 418. clarus, circularem ad omnes Eccleſias, *Epiſtolam* miſit, *de Judæorum in ea inſula Converſione, deque miraculis ibidem factis ad reliquias S. Stephani*, quam Baronius e Codice Vaticano extulit, ad ann. 418. p. 429. Craſſum Miræi atque Oudini errorem, quem in illis notat Cave, videas apud eundem, P. I. p. 218.

SEVERVS.

Afer, Epiſcopus Milevitanus, Auguſtino familiariter uſus atque ann. 420. vigens, ſcripſiſſe fertur, *Epiſtolas* per plures, quarum unica tantum inter *Auguſtinianas*, n. 36. hodie ſupereſt. Conf. Cave, P. I, *Hiſt. Litter.* p. 222.

SEVERVS.

Rhetor, & Poeta Chriſtianus, *cujus carmen Bucolicum* habetur in *Opuſculis Vet. Galliæ Theologorum*, a Pithœo, 1586. 4. excuſis, & *in Bibl. Patr.* T. VIII. *Pariſ. 2.* f. 275. & a Jo. Weitzio, cum notis vulgatum, Francof. 1612. 8. *Bibl. Patr. Pariſ. Index Chronologicus*, inter Sec. V. Scriptores hunc Severum reponit. At *Colonienſis Bibl. Patr. index* clarius ex ipſo carmine colligere voluit, vixiſſe eum non multò poſtquam toto orbe religio Chriſtiana recepta, cum tamen ſupereſſent adhuc gentilitatis reliquiæ. Quicquid ſit de ejus ætate, ſuperſtitionis ſane obelus venit in eo notandus, quod Signo S. Crucis frontibus pecudum addito, eas a peſte ſervatas tradit, vid. l. c. f. 278. De eo Chriſtianus Daumius, *in Epiſtol. ad Reineſium*, p. 23. ſeq. & Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 682.

SEVERVS SVLPITIVS.

Nitiobrix genere, divitiis litterisque in Aquitania nobilis, D. Hieronymi ac Ruffini æqualis, Presbyter Primuliacenſis male cum Sulpitio Severo, Bituricenſi Epiſcopo, qui ann. 585. floruit. juxta Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. I. f 146. a quibusdam confuſus, Eccleſiaſticorum Scriptorum purisſimus, Joſ. Scaligero judice, *Saluſtius Chriſtianus*, heroumque Chriſti hiſtoriæ quidam *Florus*, juxta Barthii & aliorum elogia. Conf. imprimis Du Pin, T. III. *Bibl. Nouv.* p. 145. Plura exhibet, Blount, *Cenſ. Celebr. autor.* p. 289. ſeqq. Vixit adhuc circa annum 420. a Pelagianis in Senectute ſua deceptus, indeque loquacitatis culpam agnoſcens, ſilentium usque ad mortem tenuit, ut peccatum loquendo contractum, tacendo penitus emendaret, ſicut refert è Gennadio, Barthius, *ad Claudian. Poet.* f 149. b. Plura de ejus ætate, elogiis & Scriptis, dabit Vosſius, l. II. *Hiſt. Lat.* c. 12. Cave, P. I. p. 203. Labbeus, T. I. p. 242. qui Opera Severi ordine enume-

enumcrant. Agmen ducunt *Hiſtoria S. Lib. II.* ab Orbe Condito ad 400. perducti, qui ſeorſim quoque editi & ex Sleidani de IV. Summis Imperii Libro, uſque ad Caroli V. ætatem continuati, extant, Amſtelodami, Jo. Janſonii cura & ære, 1635. 12. Franequeræ, cum Chriſt. Schotani notis, 1664. fol. Eosdem Berolini, 1668. recudi fecit, notis additis, *Joh. Vorſtius.* antea quoque Baſil. 1566. 8. Coloniæ Agripp. cum Dorothei Tyri, Epiſcopi, *Synopſi*, 1573. 12. Sequuntur hoſce *Liber de B. Martini Vita*: *Epiſtolæ*: atque *Dialogi*, in quibus millenarium regnum adſtruxit. *Epiſt. II. ad Claudiam Sororem*, apud Baluz. *Miſcell.* T. I. p. 329. *Epiſt. V. alia*, apud Dacherium, *Spicil.* T. V. p. 532 Excuſa ſunt Sulpitii Opera, Colon. 1600. 8. Franequ. 1607. 8. Lugd. Batav. 1635. 12. 1647. 4. 1654. 8. & alibi, vel etiam in *Bibl. Patrum*, & *in Orthodoxogr.* Novam Severi Sulpitii Operum editionem extulit Joh. Clericus, quæ prodiit, Lipſ. 1709. 8. T. II. De eo Gennadius, *de Script.* c. 19. & Aub. Miræus, *in Schol.* Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 203. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 146. Jo. Albertus Fabricius, *Bibl. Lat.* p. 735.

SGVROPVLVS vide SYROPVLVS.

CAJVS SOLLIVS APOLLINARIS SIDONIVS.

Qui a vita moribusque *Modeſti* nomen apud Librarios accepit, teſte Barthio, l. 6. *adverſ.* c. I. Joh. Savaron, ipſe Arvernus, patria Arvernenſem eum ſcripſit, in *Comment. ad Sidonium*, cum tamen Lugdunenſem ipſe ſemet verbis non obſcuris ac non ſemel indigitarit, uti notant Sanmarthani, T. II. f. 523. Lugduni itaque ad Rhodanum de primis Senatoribus natus, optimisque eruditus Præceptoribus, Litteratorum ævi ſui Princeps ac diſertiſſimus, Militiæ adſcriptus, inde uxoratus, & Senator Arvenus, poſt Claromontenſis Arvernorum, ann. 472. factus Præſul, quos contra Gothos armata manu fortiter defendit. Obiit, ann. 482. Plura nec addere placet, cum autores ſequentes prolixius de eo dicant. Joh. Savaron & Jacobus Sirmondus & ex illis Cave, P. I. p. 258. Bellarminus, Labbeus, p. 318. Sanmarthani, l. c. Voſſ. *Hiſt. Lat.* l. 2. c. 18. Franckenſtein, *Ind. Benj. Prioli Hiſt. Gall.* titulo, *Arvernia*, Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 250. ſeq.

Sausſay, *in Mart. Gall.* Io. Fr. Buddeus, *in Lexico*, & alii plures. Opera Sidonii, puta *Epiſtolarum Lib. IX.* & *Carmina* XXIV. conſonis ubique ſententiarum clauſulis, harmonico genere dicendi multa paucis includentia, ediderunt Joh. Bapt. Pius, cum notis, Baſil. 1542. 8. Elias Vietus, Lugd. 1552. 8. Joh. Savaron, Pariſ. 1599. 4. Hanov. 1617. 8. Sirmondus cum notis, Pariſ. 1614. 8. & *auctar.* Pariſ. 1652. 8. quæ editio poſt mortem Sirmondi, adlaborante Labbeo, prodiit. Extant Sidonii quoque Opera *in Bibl. Patr.* T. VI. p. 1075. ſeqq. Opera autem Sidonii deperdita, quæ ipſe in Epiſtolis memorat, vid. excerpta apud Caveum, l. c. p. 259.

SIFFRIDVS.

Germanus, Presbyter Miſnenſis, circa annum 1307. vivens, temporum ſuorum non indiligens Scriptor, cujus *Epitomen* Lib. II. coaptavit Georg. Fabricius, excerptis ſaltem iis, quæ aut in aliis non inveniuntur, aut certe commemorantur brevius vel obſcurius. Subjunxit autem hanc *Chronici Suffridi Epitomen*, *Hiſtoriæ ſuæ Orig. Sax.* vel *Miſnenſibus Annalibus*, excuſis, Lipſiæ, 1569. & Jenæ, 1598. fol. Eandem inter *Scriptores illuſtres rerum German. Vet.* à ſe editos, T. I. comparere voluit Piſtorius. Conf. Voſſium, l. c. c. 62. Labb. p. 349. Henr. Wharton, *append. Cav.* p. 9. qui arguunt Poſſevinum & Alfonſum Fernandez Siffridum hunc Chronologum cum Siffrido, Epiſcopo Cyrenenſi titulato, Archi-Epiſcopi Moguntini, Theodorici, in Pontificialibus Vicario, quem Trithemius, ad annum 1470. refert, confundentes.

SIGEBERTVS.

Quem natione Gallum fuiſſe Sixtus Senenſis aſſerit, Gallo-Brabantum, Cave, Gemblacenſis in Brabantia Gallicana Cœnobii Monachus, Ord. Bened. Poëta, Hiſtoricus, & Theologus ætatis ſuæ eximius, vid. Voſſ. c. 48. *loco citato*. Labbeum, T. II. p. 350. Caveum, P. I. p. 444. Floruit, ann. 1101. & obiit, ann. 1113. Maximo Pontificii odio proſequi ſolent Sigebertum, eò, quod Henricorum adverſus Pontifices cauſam, tueretur, Conjugiumque Clericorum adprobaret. Invehuntur in ipſum Baronius, Bellarminus, aliique. Laudatur Fr. Sweertio, *Athen. Belg.* p. 674. Trithemio, Valerio Andreæ, & aliis, quorum encomia congeſſit Blount. l. c. p. 371. ſeq. *Chronicon*

ejus

ejus, ab eo tempore, quo Hieronymiana Chronici Euſebiani appendix deſinit, inchoatum, hoc eſt, ann. 381. & ad ann. 1112. perductum, atque à Galfridi Monumetenſis ſeu Aſaphenſis quisquiliis, quæ omnes præcedentes editiones involaverant, repurgatum, Antwerpiæ, 1608. Aub. Miræus edidiſſe fertur. Vide tamen, quæ de querelis Rob. Widdringtoni, ob Sigebertum a Miræo corruptum, attulit Thomaſius, *exercit. de Ind. Pap. expurg.* §. 37. Et Sigebertus quoque ſuos nactus Continuatores, Anſelmum, Gemblacenſem Abbatem, Anonymum deinde quendam, falſò hactenus creditum Robertum, Abbatem de Monte S. Michaelis, ſub cujus nomine, Pariſiis ex officina Henr. Stephani & Joh. Parei, 1513. 4. prodiit, cum potius Religioſus aliquis, Ordinis Præmonſtratenſis, in Diœceſi Laudunenſi, fuiſſe videatur, & Robertum de Thorignejo, Abbatem S. Michaelis, de Tumba ſeu in periculo maris, cujus *Chronicon* poſt Guiberti, Novigentini Abbatis, Opera, ann. 1651. ſtudio Lucæ Dacherii edita, comparent. Extat etiam Sigeberti *Chronicon* inter *Scriptores Germanicos*, Francof. 1583. f. p. 477. & *Bibl. Patr.* T. VII. *Pariſ.* 2. f. 1339. *Librum Sigeberti de Viris illuſtribus*, quem poſt alia Scripta omnia compoſuiſſe traditur, editum, Colon. 1580. 8. cum notis Suffridi Petri, & cum novis Scholiis, juxta cum VI. aliis conſimilis argumenti Scriptoribus, Antwerpiæ, 1639. f. *in Bibliotheca Eccleſiaſtica*, Miræus recudi curavit. *Epiſtola pro Eccleſiis Leodienſi, & Cameracenſi, adverſus Epiſtolam Paſchalis Papæ*, in Goldaſti *Collect. Anti-Gregoriana*, Hanov. 1611. p. 188. *Vitam Sigeberti, Francorum Regis*, Surius, *d. 1. Febr*, *Vitam S. Guiberti, Confeſſoris, Monaſterii Gemblacenſis fundatoris*, Surius, d. Maj. 23. *Vitam S. Maclovii*, idem, d. 15. Novembr. *Vitam verò S. Theodardi* interiiſſe, exiſtimat Cave, *loco citato*. De eo poſt jam citatos autores, Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Miræus, & Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 153.

SIGIFRIDVS.

Archi Epiſcopus Moguntinus, ann. 1069. clarus, quo Henrici Regis a Berta, Vxore, divortium adprobavit. Anno 1064. aliquot copiarum millia, inauſpicato omine, in Orientem trajecit. Ann. 1074. convocatis Erfordiæ atque Moguntiæ, Synodis, Presbyteros, matrimonio cum uxoribus ſociatos, ad ſaniorem mentem reducere fruſtra ſategit. Obiit, ann. 1084. Scripſit *Epiſtolas III.* ad Alexandrum II. P. R.

Concil. T. IX. p. 1200. 1205. 1233. & *Unam* ad Hildebrandum, quæ *ibidem*, p. 1233. habetur. De eo Cave, P. I. p. 430.

SIGISMVNDVS GROSSENBROT vide GROSSENBROT.

SIMEON FIDATVS de CASSIA.

A Caſſia, natali in Hernicis vico, cognominatus, Ord. Erem. S. Auguſt. Vir doctus, diſertus ac Prophetiæ Spiritu illuſtratus, teſte Trithemio & Sixto Senenſi, vixit, ad annum 1348. Ejus Libri XV. *de Geſtis Domini Salvatoris*, Coloniæ, 1540. fol. prodierunt. Lib. *de B. Virgine* Baſileæ, 1517. Reliqua videas poſt citatos autores, apud Joſ. Pamphilum, *Chronico Ord. Eremit. S. Aug.* p. 51.

SIMEON.

Gente Anglus, Oxonii innutritus, ubi Philoſophiam atque Theologiam profeſſus, poſt Ord. Bened. adſcriptus atque Præcentor Dunelmenſis, ann. 1130. floruit, atque varia ſcripſit, quæ extant *in Collectione X. Script. Angl. Twisdeni*, Londini, 1652. vulgata, p. 1. ſeq. Sunt autem *Hiſtoria Dunelmenſis*, quam *Turgoto* Seldenus in *Diſſertatione huic operi* præmiſſa, vendicare non dubitat. *de Archi-Epiſcopis Eboracenſibus*, ibidem, p. 75. *de Obſidione Dunelmi*, p. 79. *Hiſtoria de Regibus Anglorum & Danorum*, Lib. II. ibidem, p. 85. Addidit Hiſtoriæ Simeonis Dunelmenſis, *Joh. de Herſam*, Prior Hagulſtadienſis, annos 25. de quo Caſimirus Oudin, p. 391. Seldenus, *loco citato*, qui ſingula ex Selando, Baleo, Pitſeo, atque Voſſio, Vitam Simeonis, illuſtrantia, operoſe collegit. Huic ſuperaddas Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 460. Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 191.

SIMEON.

Magiſter & Logotheta, circa ann. 967. claruit atque condidit *Chronographiam a Leone Armeno ad Nicephorum Phocam*, quam græc. lat. vulgavit Combefiſius, inter *Scriptores* poſt Theophanem, 1685. p. 401. Cl. Du Fresne, *indic. Auct. græc.* p. 61. Simeoni, Metaphraſtæ, hunc fœtum adjudicat, cui tamen Caveus, P. II. p. 186. non ſine rationibus repugnat.

SIMEON.

Magiſter & Logotheta, Alexio Ariſteno ſuppar, ann. 1170. vixit, atque *Epitomen Canonum* ſcripſit, quam gr. lat. extulit Juſtellus, *Bibl. Jur. Canon.* T. II. p. 710. Vide tamen quid de eo conjiciat Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 475. qui ejus Synopſin ætate Simeonis hujus antiquiorem eſſe exiſtimat. *Orationes XXIV. de Vita & morum inſtitutione* ex Baſilio collectæ, prodierunt cura Stanislai Ilovii, Francof. 1598. 8. & T. III. *Operum Baſilii*, edit. 1618. fol. *Opus in mundi Opificium ex Geneſi & Chronicis per ſeriem collectum*, idque manuſcriptum, memorat Cave, *loco citato.*

SIMEON METAPHRASTES.

A ſcribendi genere ita appellatus, patria Conſtantinopolitanus, Vir nobilis & eruditus, ſub Leone, Philoſopho, ejusque Filio, Conſtantino Porphyrogenneta, vixit, usque ad annum 950. ſicut contra Baronium, Bellarminum, Poſſevinum &c. Labbeus, T. II. p. 354. & contra Blondellum, Genebrardum, Simlerum, atque Oudinum, craſſe, errantem, oſtendit Caveus, P. I. p. 402. Dignitate fuit Leonis, Imperatoris, Proto-Secretarius, Patricius, magnus Logotheta, & Magiſter Palatii. Elogium Metaphraſtæ à Mich. Pſello conſcriptum, Leo Allatius edidit, qui prolixam quoque occaſione nominis Simeonis, de magnorum virorum, quibus Simeonis nomen fuit, vita & Scriptis *Diſſertationem* compoſuit, Pariſiis, 1664. 4. excuſam atque recenſitam, *Journal des Scavans*, T. III. Scripta Simeonis Metaphraſtæ accurate conſignavit idem Allatius, & ex eo Cave, *loco citato.* Ingens illorum numerus prohibet, quo minus illa transſcribamus. Obſervamus ſaltim Simeoni, tanquam genuino autori, ortum debere, 122. *Vitas*, à Caveo ordine adductas. Spurias quoque apud eundem reperire licet. Ad hæc compoſuit Simeon *Poëmata IV.* gr. ab Allatio producta, *loco citato*, p. 132. *Orat. de planctu B. Mariæ*, græc lat. p. 245. *Epiſt. IX.* gr. lat p. 154. *Orat. XXIV. de Moribus*, p. 131. quæ ſeorſim vulgatæ, græcè, Pariſiis, 1556. 8. & inter *Opera Baſilii.* Preces aliquot & Hymni, p. 131. Orationes III. manuſcriptas & alia, memorat idem Allatius, p. 130. 132. Conf. Hankius, *de rerum Byzant. Script.* p. 436. ſeq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 3. Voſſius, *de Hiſt. Græc.* L. II. c. 15. Leo Allatius, *de Symeonibus* & alii.

SIMEON.

Stylites, natione Syrus, ex urbe Suſan oriundus, à Columna, cui permultos annos inſediſſe narratur, græcè *Stylites*, latinè *Columnarius*, vel *Columnator* dictus, miræ Sanctitatis homo, debitum mortalitatis perſolvit, anno circiter, 460. Vide, quæ de illo ex Evagrio aliisque adducit Cave, P. I. p. 249. ſeqq. Scripſit plures *Epiſtolas*, Evagrio & Nicephoro memoratas, quarum *unam pro Synodo Chalcedonenſi*, integram exhibent, autores modo citati. *Sermonem de ſemper mente complectendo ſuum cuique diſceſſum*, *Bibl. Patr.* T. VII. *Vitam* hujus Senioris Stylitæ compoſuit Antonius diſcipulus ejus, quam habes Lat. *in Hiſtoria Patrum*, T. I. editionis Plantinianæ. De eo Evagrius, Lib. I. *Hiſt.* Theodoretus, c. 26. Baronius, *in Annalibus*. Bellarminus, *de Scriptoribus Eccleſ.* Guil. Cave, *loco citato*, & alii.

SIMEON.

Stylites junior, *Thaumaſtorita*, a vitæ inſtituto dictus, natione Syrus, anno 527. multa præclarè geſſit, de quibus Evagrius, Nicephorus, & qui ex inſtituto ejus vitam congeſſit, Arcadius, Cypri Archi-Epiſcopus, *in Concil. Nicen. II. Act. IV.* Summam ex his omnibus repræſentat Cave, P. I. p. 281. ſeq. Obiit Simeon, ann. 595. Scripſit *Epiſtolas* plures, maximam partem deperditas. *Quintam ad Juſtinum Imper.* exhibent Patres *Concil. Nicen. II. Act. V. Concil. T. VII.* p. 349. quam quidem Carolus M. & Patres Francofurtenſes ſpuriam, Leo Allatius verò genuinam, judicavit. *Epiſtolæ* ad Juſtinianum, Imper. contra Eutychem & Neſtorianos, quibus infenſiſſimus fuit Simeon, fragmentum, vide apud Damaſcenum, *Orat. III. de Imag.* p. 789. Plura adhuc in membranis deliteſcentia offert Leo Allatius, *Diatr. de Symeonibus*, p. 21. ſeq. de quibus tamen, quod ad Simeonem noſtrum ſpectent, dubitat Cave, *loco citato*.

SIMEON.

Theologus junior dictus, ad differentiam antiqui, inter Græcos Theologi, ſcilicet *Gregorii Nazianzeni*, Presbyter & Præpoſitus Monaſterii S. Martyris Mamantis ad Xerocercum, Nicetæ Pectorati Magiſter, anno circiter 1051. vixit & ſcripſit XXXIII. *Orationes de Fide & moribus*

moribus Chriſtianis atque monaſticis, quas Gretſerus Metaphraſti Simeoni adſcribere mavult & hunc cum dicto Theologo juniore eundem eſſe ſtatuit. Vide tamen quid ei objiciatur apud Labbeum, T. II. p. 356. *Librum divinorum amorum:* item, *Capita moralia, Practica, & Theologica*, 228 quæ lat. ex Pontani Verſione, cum notis Gretſeri, prodierunt, Ingolſtadii, 1603. *Alias 64. Simeonis Orationes: Hymnos de Laudibus divinis* 19. *Capita Practica & Theologica varia*, memorat Leo Allatius, p. 153. 161 167. Conf. Oudin. p. 416. qui tamen hunc noſtrum cum Simeone, Logotheta juniore, male confundit, & Eliam Du Pinium, T. VIII. p. 112. qui Simeonem noſtrum Quietismi, quem in Scriptis prodiderit, accuſat, de cujus accuſatione alii liberius judicent.

SIMEON.

Gente Græcus, acerrimus græcorum dogmatum defenſor, Monachus primum, poſt Archi-Epiſcopus Theſſalonicenſis, an. 1410. clarus, cujus laudes Eugenius Nomophylax proſequutus, ipſum externa & ſpirituali Sapientia ſuper humanum captum repletum, in Angelico inſtituto, & vitæ ratione excellentem, eamque cum ſumma virtute & laude perfectiſſimè agentem deprædicans. Scripſit *Comment. de divino Templo, de ejus miniſtris, de Sacris eorum veſtibus, de SS. Miſſa, ad pios quosdam Cretenſes*, quæ opuſcula e græco in lat. tranſtulit Jac. Pontanus, è cujus verſione prodierunt Ingolſtadii, 1603. 4. & *Bibl. Patr.* T. XXII. Verum prava id fide præſtitit Pontanus, meliori verò Jacobus Goar, qui illa græc. lat. Pariſ. 1647. fol. vulgavit. Reliqua Simeonis hujus Scripta e Leone Allatio produxit Henr. Wharton, *App. Cav.* p. 61. atque ipſe Caveus, P. II. p. 301. ubi de illis, manuſcriptis quidem, ſufficienter diſſeruit.

SIMEON.

Cœnobii cujusdam in Meſopotamia Abbas, compoſuit *Orationem de continua meditatione mortis*, quæ ſub nomine *Simeonis Stylitæ*, extat lat. *Bibl. Patr.* T. VII. Gr. manuſcripta habetur in Bibliotheca Vindobonenſi, prout teſtatur Cave, P. II. *Diſſ. I.* p. 16. ubi plures Simeones ex Allatio adducit, deque iisdem verba facit. Conf. Allatius, *loco citato.* p. 24.

SIMON

SIMON BENIGNIVS.

Modruſiæ in Croatia Epiſcopus, ann. 1513. clarus, quo Concilii Lateranenſis Seſſ. VI. concionatus, qui *Sermo* juxta cum *Epiſtola ad Bernardinum de Frangepanibus dedicatoria*, habetur, *Concil.* T. XIV. p. 144. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 137.

SIMON de CREMONA.

Italus, Ord. Erem. S Aug. Monachus, floruit ann. 1338. atque diu Venetiis concionando magno cum fructu operam dedit. Varia ingenii ejus Opera, utpote: *Comment. in IV. Libros Sentent. Tract. de Indulgentia Aſſiſii: Sermones ſuper Epiſtolas & Evangelia Dominicarum totius anni: triplex Quadrageſimale Sermonum & Sermones de SS. aſſervantur* manuſcripta, Romæ, Patavii, & Cremonæ. *Poſtilla* autem ſuper *Evangelia Dominicalia* prodiit Reutlingæ, 1484. fol. Conf. de illo Oudin, *Suppl.* p. 662. Cave P. II. p. 276. Aub. Miræus, *in Auct.* c. 433. p. 260. Anton. Poſſevinus, *App. S.* T. II. p. 407.

SIMON.

Cretenſis, Hieromonachus, Ord. Prædicatorum, qui ut Cave, conjicit, circa annum 1276. floruit, ſcripſit prolixam *Epiſtolam ad Joh. Nomophylacem de Conciliis, quæ profeſſionem SS. a filio definiverunt*, cujus maximam partem exhibet Leo Allatius, *loc. cit.* p. 324. *Tract. Simeonis duplicem*, unum, ad *Manuelem Olobolum*, alterum, *ad Sophoniam*, ejusdem fere argumenti, citat Allatius, *de Conſenſu*, l. 2. c. 15. §. 11. de eo Guilielmus Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 511.

SIMON SACVMÆVS.

Conſtantinopolitanus genere, ortu Cretenſis, Ord. Præd. & per totam Græciam Inquiſitor Generalis, Gyracii Epiſcopus, poſt Thebarum Metropolita, ann. 1400. claruit. Hujus *Verſionem N. T. e græco in Ebraicum* & *Latinum*, tribus columnis diſpoſitam, in quibus verbum verbo reſponderit, commendat maximopere Sixtus Senenſis. Alia ejus Opuſcula adverſus græcos *de Proceſſione SS.* ex Leone Allatio memorat Cave, P. II. p. 289. Caveas inſuper ne confundas hunc Simeonem cum præcedenti, Hieromonacho.

SIMPLI-

SIMPLICIVS.

S. Benedicti diſcipulus, Cœnobii Caſinenſis Abbas III. Vir cœleſtibus Charismatibus prædirus, omnique teſtimonio Sanctitatis illuſtris, ann. 560. *Regulam*, quam Benedictus ediderat, publicè legendam omnibus Monachis tradidit. *Verſus* quoque nonnullos de eadem reſcripſit, quos edidit Lucas Holſtenius, *in Collect. Regularum*, Pariſiis, 1663. De eo Cave, P. I. p. 295. fuſius autem Petrus Diaconus, *de viris Illuſtr. Caſin.* & Marus, *in not.* p. 9. ſeqq.

SIMPLICIVS.

Patria Tiburtinus, ann. 467. P. R. factus, magnas cum Acacio Conſtantinop. Timotheo Æluro, Petro Mongo, & Petro Fullone, lites habuit, quibus tandem compoſitis, ann. 483. placidiſſime expiravit. Habentur ejus *Epiſt. XIX. Concil.* T. IV. p. 1068. Conf. poſt Anaſtaſium, Genebrardum, Platina, Cave, P. I. p. 257. Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 199. Elias Du Pin, T. IV. *Bibl. Nouv.* p. 239.

SIRICIVS.

Romanus, ſuæque Eccleſiæ Presbyter, ann. 385. Papa conſecratus, Jovianum novaturientem damnavit. Obiit, ann. 398. Scripſit *Epiſtolas V. Concil.* T. II. p. 1017. exhibitas, quarum tamen *quartam* in dubium non immerito vocavit Paſchaſius Queſnellus. Conf. Iſidorus, *de Viris illuſtr.* c. 3. Trithemius, Ludovicus Jacob, *loco citato*, p. 200. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 247. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 162.

SISINNIVS.

Magiſter appellatus, Patriarcha Conſtantinop. anno 995. ordinatus, Controverſiam de quartis nuptiis, in Eccleſia ſua excitatam, compoſuit, atque ann. 998. obiit. Scripſit Tract. *de Nuptiis conſobrinorum*, qui extat *in Jure Gr. Rom.* Leunclavii, Lib. III. p. 197. Conf. de eo Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 414. & P. II. p. 190. Adde Phil. Cyprium, *Chronico Eccleſ. Græc.* & alios.

SIVIARDVS.

Ut videtur, Gallus, Aniſolenſis apud Cenomanos Abbas V. anno circiter, 710. clarus, ſcripſit *Vitam S. Carileſi, Aniſolenſis Abbatis I.* quam edidit Mabillon, *Sec. Ben. I.* p. 642. & Surius, *d. 1 Julii*, quæ quidem poſterior alia plane & a priore diverſa videtur Guil. Caveo, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 146.

SIXTVS II.

Ex Athenienſi Philoſopho, P. R. in Perſecutione Valeriani, Martyrium paſſus, ann. 257. calculo Labbei. De *ejus Epiſtolis Decretalibus & Sententiis* ſeu *Proverbiorum libro*, quem habes T. V. *Bibl. Patr. Pariſ.* 2. f. 769. hujusque & illarum dubia fide Cocus, *Cenſ.* p. 70. Labbeus, T. II. p 359. Adde Lud. Jacob, a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 202.

SIXTVS III.

Patria Romanus, Sixtum Patrem nactus, Eccleſiæ Romanæ Presbyter, cui Pelagianismi pariter atque Neſtorianismi notam falſò quidam inuſſerunt, anno 432. Sedem Romanam conſcendit, atque illa feliciter gubernatâ, anno 440. animam exhalavit. Extant quædam ejus *Epiſtolæ*, quarum II. Lat. *una*, ad Cyrillum, *altera*, ad Joh. Antiochenum, *Concil.* T. III. p. 1175. Græc. Lat. *Epiſtola II* ad Cyrillum, apud Cotelerium, *Monum. Eccleſ. Græc.* T. I. & Baluz. *in novis Collectan. Concil.* p. 657. Spuria ſunt, *Epiſtola ad Orientales Epiſcopos*, quæ *Concil.* T. III. p. 1263. habetur, & Lib. *de Divitiis, de Caſtitate, de malis Doctoribus, Operibus fidei, & futuro judicio*, Roſtochii, 1573. 8. Antwerpiæ, 1575. 16. & alibi, excuſi, quicquid etiam Garnerius, *Append. ad P. I. Operum Marii Mercatoris, Diſſertat. VI. c. 6.* objiciat. Conf. Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 202. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 70.

SIXTVS IV.

Franciſcus à Ruvere aliàs dictus, Ligur Savonenſis, nobiliſſima Ruverea gente ſatus, ann. 1414. Anno ætatis nono Franciſcanis nomen dedit, atque poſt alia munera, Liguriæ Provincialis, Ordinis ſui in Romana Curia Procurator, totius Italiæ Vicarius Generalis, Miniſter Generalis in Capitulo Peruſino, Presbyter Cardinalis, imò, poſt Pauli mortem, Pontifex Romanus, ann. 1471. conſecratus eſt. Hic autor feſti immaculatæ B. Virginis conceptionis, quippe quod an. 1476. inſtituit. Laudes quidem meretur, quod Bibliothecam Vaticanam fundavit, maximè tamen culpandus ob vitia, quibus fuit mancipatus. Geſta ejus prolixe narrat, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 101. Obiit Sixtus, an. 1484. Scripſit *Decreta* III. quæ vide *Concil.* T. XIII. p. 1442. *Epiſtolas & Decreta XVI.* apud Bzovium, ad ann. 1472. *Paſſavium*

pro

pro Expeditione in Terram S. apud Freherum, *Scriptor. German.* T. II. p. 161. *Epiſtolam ad Carolum Burgundum*, apud Baluzium, *Miſcellan.* T. IV. p. 517. *Bullas & Conſtitutiones*, quas exhibent *Bullaria Romana.* Librum *de Sanguine Chriſti & de Potentia Dei. Commentaria contra errores cujusdam Carmelitæ Bononienſis, affirmantis, Deum ſua omnipotentia damnatum hominem ſalvare non poſſe*, quæ Romæ, 1471. prodierunt. *Explicatio* in Nicolai Richardi Tractatum, *de indulgentiis, animabus in purgatorio conceſſis*, cum Nicolai operibus excuſa eſt. Reliqua ejus manuſcripta memorant Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. min.* & Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 203. Conf. de Sixto IV Bayle, & Io. Fr. Buddeus, *in Lexicis*, ubi plures de eo agentes, adducuntur.

SMARAGDVS.

Abbas S. Michaëlis ad Moſam in Lotharingia, Epiſcopatus Virdunenſis, Hermengaudi, Abbatis, poſt ann. 805. ſucceſſor, Collationi inter Leonem Papam, & Legatos Caroli M. de Proceſſione SS. Romæ habitæ, ann. 810. interfuit Scripſit Smaragdus noſter varia, ut ſunt, *Poſtillas in Evangelia & Epiſtolas in divinis officiis per totum annum*, Argentorati, 1536 fol. excuſas, imò & germanico idiomate per Caſparum Hedionem veſtitas & editas juxta Simlerum, f. 217. b. *Diadema Monachorum*, Antwerp. 1540. *Commentarium in Regulam S. Benedicti*, Colon 1575. *Viam Regiam*, apud Dacherium, *Spicileg.* T. V. p. 960. *Epiſtolam Caroli M. ad Leonem III. P. R.* à Smaragdo conſcriptam, *Concil.* T. VIII. p. 1199. *Acta Collationis Romana de Proceſſione SS.* ibidem, pag. 1194. & alia, de quibus Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 358. qui ſcripta modo enumerata, Smaragdo noſtro vendicat. Adde Sanmarthanos, *Gallia Chriſt* T. IV. Labbeum, T. II. p. 361. Caſimirum Oudinum, *Supplem de Scriptor.* p. 237. Aub. Miræum, *in Bibl. Eccleſ.* Mabillonium *Analect.* T. II. p. 418. ſeqv. Eliam Du Pinium, *Bibl Nouv.* T. VII. p. 170.

ARDO SMARAGDVS.

Monachus, Ord. Bened. Anianenſis, Benedicto Anianenſi, Præceptore uſus, ab ann. 836. ad 843. floruit. Ejus eſt *Vita S. Benedicti Anianenſis*, quam Indenſium Monachorum rogatu conſcripſit, quamque exhibent Hugo Menardus, Lib. II. *Obſervationum ad Martyrol.*

Benedict. Bollandiſtæ, ad *d. XII. Febr.* & Jo. Mabillon, *Sec. Benes.* IV. P.I. p. 191. Male hunc Smaragdum cum præcedenti in unum confuderunt Trithemius, Sixtus Senenſis, Poſſevinus, Bellarminus & alii, quos ideo notavit Labbeus, T. II. p. 361. Conf. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 236. Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 370.

SOCCVS.

De cujus prænomine, patria, vel ætate nihil reperimus, aut quod tradamus, habemus, quam quod in Bibl Mariana Hallenſi conſpicitur perantiquus, & Baſileæ, uti videtur, non enim indicatur, impreſſus Codex, hoc inſignitus titulo: *Fr. Socci, Ord. Ciſtertienſis, Sermones de Sanctis notabiles & formales.* E regione hæc adſcripta ſunt: *Liber Monaſterii Cellæ Mariæ*, 1496. Miræus *in Chronico Ciſtertienſi* ejus non meminit. Faciunt quidem alicujus Succi mentionem, Ehingerus, *Catalogo Bibl. Aug.* f. 94. & Reiſerus, *Catal. manuſcript.* p. 100. qui *Sermones de Tempore*, per circulum anni, ediderit, ann. 1476. an autem ſit ille, de quo diximus, alii arbitrentur.

SOCRATES.

Patria Conſtantinopolitanus, Ammonii & Helladii, Alexandrinorum, Conſtantinopoli degentium, in Grammaticis diſcipulus, in Rhetoricis verò Troili, Sophiſtæ, auditor. *Scholaſticus* vulgò adpellari ſolet, quod cauſas in foro egit. Novatianum quidam ex eo faciunt, ſed fruſtra, cum Socrates ipſe Novatianos hæreticis accenſuerit, prout doctiſſimus Valeſius ad oculum monſtravit. Claruit Socrates circa annum 440. atque *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* VII. Libris exaravit, quæ etſi, Photio judice, *Cod.* 28. ſtylo non admodum ſplendido gaudeat, cum judicio tamen & diligentia conſcripta videtur. Prodiit illa, græcè, cum aliis, Pariſiis, 1544. f. græc. lat. Genevæ, 1612. & cum notis Henrici Valeſii, Pariſiis, 1668. Moguntiæ, 1677. fol. De eo Sigebertus, c. 10. Voſſius, Lib. II. *Hiſt. Græc.* c. 20. Labbeus, T. II. p. 363. Guil. Cave, P. I. p. 240. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 78.

SOPHRONIVS.

Vir eruditus, Hieronymi familiaris, circa annum 390. vixit atque *de laudibus Bethlehem, de ſubverſione Serapis*, Librum, *de Virginitate*

ad

ad Euſtochium, & Hilarionis Monachi Vitam, juxta Hieronymum, *de Scriptoribus*, c. 134. ſcripſit. Latinam quoque *Pſalterii & Prophetarum* verſionem, ab Hieronymo factam, in græcum eleganter transtulit. Ejus item Verſio græca *Catalogi Hieronymiani Scriptorum Eccleſiaſticorum*, inter Hieronymi Scripta reperiri ſolet. Tribuit quidem illam Erasmo, Iſaacus Voſſius, ſed perperam, ipſa enim Sophronii verba ſuo jam tempore allegat Svidas, *in Lexico*. Pluribus Voſſium refutat Guil. Cave, *Hiſt. Litter*. P. I. p. 165. Noſtri inſuper Sophronii eſſe Erasmo videtur *Sermo de aſſumtione B. Virginis ad Paulam & Euſtochium*, quæ inter *Hieronymi Opera*, T. IV. reperitur. De eo Sixtus Senenſis, Lib. IV. *Bibl*. f. 325. Labbeus, *de Scriptoribus*, p. 367. 369. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv*. T. III. p. 145.

SOPHRONIVS.

Damaſcenus, è Sophiſta & Monacho, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ann. 629. factus, indefeſſus Orthodoxæ veritatis vindex dictus, anno 636. obiit. Ejus eſt *Epiſtola Encyclica ad Honorium*, & *Sergium &c.* ſatis prolixa, quæ gr. lat. *Concil*. T. VI. p. 851. habetur. *Orationes II. in Crucem*, apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1173. 1401. *In Chriſti Natalitia Homilia. SS. Archangelorum, Angelorum, cæterarumque Virtutum Encomium*, Lat. *Bibl. Patr*. T. XII. *Vita S. Mariæ Ægyptiacæ*, a Paulo Diacono latine facta, apud Surium, *d. 11. Aprilis. Encomium SS. Cyri & Joh.* cujus fragmenta duo exhibet *Concil*. T. VII. p. 249. & *de Joh.* fragmentum, Cotelerius, græc. & lat. *not. in Lib. III. Conſtit. Apoſtol.* p. 200. *De laboribus, certaminibus & peregrinationibus S. Petri* fragmentum, T. VII. *Bibl. Patr. Pariſ. edit*. 2. f. 153. & alibi. Alia ex ejus Scriptis fragmenta produxit Lambecius, *Comment*. Lib. III. p. 52. & alibi, de quibus dixit Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter*. p. 129. Confer P. I. p. 629. Voſſium, de *Hiſt. Græc*. L. II. c. 23. Labbeum, T. II. p. 365. Eliam Du Pinium, *Bibl. Nouv*. T. VI. p. 16.

SORIANVS, vide ANTONIVS SORIANVS.

HERMIAS SOZOMENVS.

Ortu Palæſtinus, *Salaminius*, a Salamine, conſanguineo, neutiquam vero a Salamine, Cypri urbe, dictus, *Scholaſticus* eo appellatus,

 quod

quod in forenſibus actionibus diu fuerit verſatus. *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* ab aſcenſione Chriſti, ad annum 323. condidit, quæ dudum interiit. Illam verò, quam ab anno 324. ad annum 440. contexuit, vulgavit cum aliis Robertus Stephanus, græcè, Pariſiis, 1544. fol. gr. lat. Genevæ, 1612. Prodiit. Valeſius, cum verſione & notis Pariſiis, 1668. recuſam Moguntiæ, 1677. fol. Socrate quidem in ſtylo præſtantior eſt Sozomenus, verum levia ac puerilia quædam, à Socratis gravitate aliena, continet. Alius a noſtro eſt Sozomenus, Presbyter Piſtorienſis, anno 1292. clarus, cujus *Chronicon* manuſcriptum in Bibl. Abbatiæ Feſulanæ Canonicorum Regularium, adſervatur, de quo pluribus dixit Jo. Mabillon, *Itinerar. Ital.* p. 174. De Hermia Sozomeno, conferas Voſſium, Lib. II. *Hiſt. Græc.* c. 20. Labbeum, *de Scriptor.* T. II. p. 571. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P.I. p. 241. Eliam Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 80.

JACOBVS SPRENGERVS.

Ortu Colonienſis, ex Ord. Dom. Monacho, Prior Provincialis, & Hæreticæ pravitatis Inquiſitor generalis, factus, ann. 1495. floruit. Scripſit Sprengerus *Malleum Maleficarum*, Venetiis, 1576. 8. Francof. 1580. 8. Lugd 1620 excuſum. *De Inſtitutione, Approbatione, Miraculis, & indulgentiis SS. Roſarii B. Virginis*, quod opus Henr. Whartono, *Append. Cav.* p. 126. adhuc ineditum videtur. Plura dabit Ambroſius de Altamura, *Bibl. Præd.* p. 215.

JOH. STELLA.

Venetus, D. Mariæ formoſæ Sacerdos, compoſuit anno 1505. *Commentarium de vita ac moribus Pontificum Romanorum*, in quo Pontificibus turpiſſime adulatur. Prodiit ille Venetiis, 1507. Baſil. 1570. & 1650. 24. Ejus quoque eſt Liber *Auguſtalis de Imperatoribus Romanis*, Venetiis, 1503. excuſus. Agit de Stella Henr. Wharton, *App. Cav.* pag. 134.

STEPHANVS.

Auguſtodunenſis Epiſcopus, anno 1113. conſecratus, Concilio Tornutienſi, anno 1117. interfuit, & Vnctioni Philippi, filii Ludovici Craſſi, in Regem Franciæ, anno 1129. Renuntiavit tandem Stephanus, Epiſcopatui, atque ad Cluniacenſe Cœnobium tran-

tranſiit. Librum *ejus de Sacramento Altaris & iis, quæ ad illud variosque Eccleſiæ Miniſtros pertinent*, extulit Joh. de Montolon, Canonicus, & Cantor Auguſtodunenſis, ann. 1517. exinde in *Bibl. Patr.* translatum. De eo Sanmarthani, T. II. *Gall. Chriſt.* Caſimir. Oudin. l. c. p. 390. ſeq. & quem allegat, Petrus Venerabilis, *Epiſt. ad Humbertum.* Labbeus, T. II. p. 372. Cave, P. I. p. 448.

STEPHANVS BYRCHINGTONVS.

Anglus, Cantianus, Vico de Byrchinton, in Inſula Taneto, ſatus, Cantuarienſis Monachus, Ord. Bened. anno 1380. ſcripſit *Archi-Epiſcoporum Cantuarienſium ſeriem & Vitas*, quod opuſculum Henr. Wharton, T. I. p 1. *Angl. S.* è Codice Lambethano, edidit. Vide tamen quid circa hunc libellum & alios, Stephano noſtro adſcriptos, moneat Cave, P. II. p. 287.

STEPHANVS BRVLIFER.

Gallus, patria Armoricus, domo Maclovienſis, Ord. Minor. Pariſienſis Doctor, Guilielmi Vorilonis diſcipulus, anno 1480. clarus, cujus ſunt *Repertata in IV. Sentent. Lib. Bonaventuræ*, impresſa, Baſil. 1501. Venet. 1504. Pariſ. 1507. *Sermones de Paupertate Chriſti & Apoſtolorum*, Pariſ. 1500. *Tract. defenſorium contra Epiſcopum quendam: de Timore ſervili*, & alia, de quibus Willotus, *Athen. Franc.* p. 330. & Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 108. qui poſterior, Opera Bruliferi omnia, Pariſiis, 1499. ibidemque 1500. 8. prodiiſſe, teſtatur.

STEPHANVS.

Germanus, Monachus forſan Colonienſis, anno. 990. clarus, ſcripſit, judice Caveo, P. II. p. 190. ſtylo tumido & inflato, Librum *de S. Maurini inventione & translatione in Colonienſe S. Pantaleonis Cœnobium*, quem exhibet Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 331.

STEPHANVS HARDINGVS vide HARDINGVS.

STEPHANVS.

Hiſpanus, prout conjicit Cave, P. II. p. 226. Cœnobii Cellæ novæ in Gallicia Monachus, circa annum 1150. ſcripſit *Vitam S. Rudeſindi, Dumi-*

Dunicenſis Epiſcopi, Lib. II. quam vide apud Bolland. *d. 1. Mart.* & Mabillon, *Sec. Ben. V.* p. 522. Confer omnino, quæ Cave, de Ordoni, ejusdem argumenti libro, monet, atque arbitrare.

STEPHANVS LANGTON vide LANGTON.

STEPHANVS.

Germanus, Salmenſis Comitis Filius, Clericus Metenſis, Abbas Lobienſis, & anno 903. Epiſcopus Leodicenſis, anno 920. deceſſit. *Extat Vita S. Lamberti* ab ipſo ſcripta, apud Joh. Chapeavillum, T. I. *rerum Leodicenſium*, Leodii, 1612. expreſſarum, & ſtylo nonnihil mutato, apud Surium, *d. 17. Septembr.* Sigebertus, *de Script.* c. 125. citat ejus *Canticum de S. Trinitate*, atque aliud, *de Inventione Stephani Protomartyris*, quæ aut interierunt, aut à Romana Eccleſia, à qua reſpuuntur, ſuppreſſa ſunt. *Librum Capitularem* ad Robertum, Metenſem Epiſcopum, cujus ne vel minima veſtigia ſuperſunt, Conf. Cave, P. I. p. 404. Oudin, p. 300.

STEPHANVS.

S. Jacobi Leodienſis Abbas, circa annum 1110. florens, compoſuit *Vitam S. Medoaldi, Treverenſis Archi-Epiſcopi*, Lib. III. quos exhibet Surius, ad *d. 12. Maji*, & Bollandus, ad eundem diem, T. III. p. 51. Conf. quæ conſignavit Oudinus, p. 365.

STEPHANVS.

Romanus Epiſcopus, anno 253. inclaruit Epiſtola, *de hæreticis non rebaptizandis*, cujus fragmentum exhibet Cyprianus, *Epiſt. 74. ad Pompejum*, p. 129. de qua idem Cyprianus judicat, quod multa, vel ſuperba, vel ad rem non pertinentia, vel contraria, imperite atque improvidè ab autore poſita, contineat. Videas quoque Caveum, P. II. p. 30. qui Vincent. Lirinenſ. *Commonit.* p. 323. & Baluz. p. 436. de eadem agentes, commendat. De ipſa autem Stephani Sententia Cl. Pagius, *Crit. Hiſt. Chron. ad ann.* 256. num. 4. ſeqq.

STEPHA-

STEPHANVS II. P. R.

Patria Romanus, Conſtantini filius, ex Eccleſiæ Romanæ Diacono, ann. 752. Papa conſecratus, maximis cum Aiſtulpho, Longobardorum Rege, lites habuit, quas Pipinus, Galliarum Rex, it. vice compoſuit. Obiit Stephanus, ann. 757. Ejus *Epiſtolæ VI.* aliaque *Præcepta* atque *Reſponſa*, vide *Concil.* T. VI. p. 1630. De eo Cave, P. I. p. 344. Lud. Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 208.

STEPHANVS III. P. R.

Gente Siculus, ex S. Cæciliæ Presbytero, anno 766. electo, ann. 768. Pontifex Romanus factus, ann. 769. Concilium convocavit atque Conſtantinum, Antipapam, è ſede fugavit. Extant *Epiſt. III.* & *Decreta* quædam *Concil.* T. VI. p. 1714. Conf. Cave, P. I. p. 345. Lud. Jacob. p. 208.

STEPHANVS V. P. R.

Romanus, de Regione Viâ latâ, Presbyter primùm SS. quatuor Coronatorum, poſt verò Pontifex, anno 885. conſtitutus, anno 891. obiit. Extant *Epiſt. III.* & alterius fragmentum, *Concil.* T. IX. p. 366. De eo differunt Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 396.

STEPHANVS VI. P. R.

Itidem Romanus, Sede Pontificali armata adverſus Bonifacium, Formoſi Papæ Succeſſorem, manu, ann 896. obtentâ, Synodum Romæ celebravit, Formoſi Acta recidit, atque in corpus ejus, è tumulo extractum, immaniter deſæviit. Anno 897. ipſe carceri incluſus, atque ſuffocatus eſt. Scripſit *Epiſt. II.* quas exhibet *Concil.* T. IX. p. 476. Evolv. Cave. P. I. p. 399.

STEPHANVS IX. P. R.

Junianus Fridericus Gozzelo anteà vocatus, gente Lotharingius, Godefridi, Lotharingiæ Ducis, frater, Eccleſiæ Romanæ Archidiaconus, Bibliothecarius, Cancellarius, & Cardinalis, titulo S. Chryſogoni. Cum autem Godefridi, fratris ſui, partes ſtrenue propugnaret, ipſum odio habuit Henricus Imperator, adeò, ut in Monaſterium Caſſinenſe ſe conferre fuerit coactus. Abbas tamen ejusdem Cœnobii, & Cardinalis Presbyter à Victore, P. R. denuò renuntiatus,

Sedem Papalem invitus tandem conſcendit, anno 1057. Obiit, Florentiæ, anno 1058. Extant ejus *Epiſtolæ II. Concil.* T. IX. p. 1088. De reliquis ejus Scriptis differuerunt, Petrus Diaconus, *de viris Illuſtr. Caſin.* c. 17. Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 426. Conf. Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 211.

STEPHANVS.

Pariſienſis Epiſcopus, qui an. 1132. claruit, & Ludovici Craſſi, Francorum Regis moribundi Confeſſionem excepit, exaravit aliquot *Epiſtolas*, quæ habentur apud Dacherium, *Spicileg.* T. III.

STEPHANVS.

Torcellanus in ditione Veneta Epiſcopus, & Archi-Epiſcopus Patracenſis, anno 1515. quo ipſo in Concilio Lateranenſi coram Pontifice & Epiſcopis, de neceſſaria Eccleſiæ emendatione, ſeptuagenarius dixit, atque Papæ immodice adulatus eſt. Extat ille *Sermo, Concil.* T. XIV. p. 261. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 138.

STEPHANVS TORNACENSIS.

Gallus, Aurelianenſis, anno 1135. natus, vir Juris divini & humani peritus, ex Aurelienſi Canonico Regulari, ejusdem Cœnobii Abbas, & poſt alia, quæ obiit munera, Epiſcopus Tornacenſis, anno 1192. conſtitutus, ann. 1200. placidè obdormivit. Ejus 238. *Epiſtolas* primus extulit, J. B. Masſonus, cum Epiſtolis Gerberti & Joh. Sarisburienſis, Pariſ. 1611. 4. Has recudi curavit, 40. aliis additis, hactenus ineditis, præmiſsâ autoris Vitâ, Claudius du Molinet, Pariſis, 1682. 8. *Sermones* XXXI. & *Commentar. in Decretum Gratiani*, manuſcripta memorat Molinetus, & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 480.

STYLIANVS.

Mapa cognominatus, Neocæſareenſis Metropolita, ann. 870. clarus, multa ſub Photio paſſus, quocum pugnare neceſſe habuit. Scripſit *Epiſt. II.* ad Stephanum P. R. gr. lat. *Concil.* T. VIII. p. 1397. 1410. quas antea cum Actis Concilii VIII. gr. lat. ediderat Raderus, Ingolſtadii, 1604. 4. *Styliani* cujusdam Opus *de Proprietatibus S. Trinitatis*, græcè manuſcriptum in Regia Pariſienſi Bibliotheca asſervatum, ex Labbei, *Nov. Bibl. MSS.* p. 90. memorat Cave, P. I. p. 392. cujusnam verò illud ſit, in medio relinquit.

SVGE-

SVGERIVS.

Gallus, S. Dionyſii Monachus Pariſienſis, poſt Abbas, circa annum 1123. Cum adhuc Diaconus eſſet, Gelaſium II. P. R. in Gallias fugientem, cum aliis, Ludovici VI. juſſu, excepit. E vivis deceſſit, anno 1153. Compoſuit *Vitam Ludovici VI. & VII. Franc.* Regum, *Epiſtolas ad diverſos. Lib. de Rebus in adminiſtratione S. Dionyſii Cœnobii, a ſe geſtis:* & alterum, *de Conſecratione Eccleſiæ*, qui mutilus ex Mabillonio ſuppleri poteſt, *Analect.* T. I. p. 328. *Conſtitutiones & Teſtamentum*, quæ omnia Franc. du Cheſnius collegit, *Script. Hiſt. Franc.* T. IV. à p. 281. ad 546. De eo Cave, P. II. p. 223. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. IV. p. 333. Natalis Alex. *Hiſt. Eccleſ. Sec. XII.* T. I. c. 6. *art.* 12. p. 530. ſeqq. Caſim. Oudinus, *Suppl.* p. 418. Elias Du Pin, T. IX. p. 195.

SVIDAS.

Arte Grammaticus, circa, ann. 980. claruit, non verò Sec. V. ut in Aub. Miræo notat Cave, P. I. p. 411. Ad idem tempus Svidam reponit Anton. Pagus, *Crit. Hiſtor. Chronolog. in Annales Baronii*, T. IV. uti ex vocis Ἀδαμαῖ evolutione colligit. Scripſit *Lexicon* non minus ad Theologiam atque Hiſtoriam Eccleſiaſticam faciens, quod excuſum græcè Mediolani, 1499. fol. Baſil. 1544. f. & lat. ex translatione Henrici Wolffii, ibidem, 1581. Gr. lat. cum Paraphraſi ac notis Æmilii Porti Cretenſis, Genevæ, 1619. f. T. II. Prodiit nitidiſſima Svidæ editio gr. lat. Cantabrig. 1705. f. cum Ludolphi Kuſteri animadverſionibus doctisſimis, & præfatione lectu non indigna.

SULPITIUS PIUS.

Gallus Bituricenſis, ex Abbate Caſtrenſi, Bituricenſis Præfectus, ann. 624. conſtitutus, ſcripſit *Epiſt. III.* quæ extant apud Caniſium, T. V. *antiq. Lect.* inter Epiſtolas ad Deſiderium Cadurcenſem. Conf. Cave, P. I. p. 317.

SULPITIUS vide SEVERUS.

SYLVERIUS.

Hormiſdæ Papæ filius, ex Rom. Eccleſiæ Subdiacono, ann. 536. Pontifex creatus, poſt verò per Beliſarium Sede ſua expulſus atque

Pataram relegatus eſt. Et quanquam à Juſtiniano, Imperatore, in Italiam revocatus, Vigilii tamen inſidiis in Palmariam miſſus, ubi fame atque violentâ manu extinctus eſt, anno 540. Habentur ſub Sylverii nomine *Epiſt. II.* una *ad Vigilium*, altera *ad Amatorem*, quas tamen, judice Caveo, P. I p. 288. ex ſtyli barbarie ſpurias dijudicarunt Labbeus, Papebrochius atque Einius. Conf. Lud. Jacob, *loco citato*, pag. 212.

SYLVESTER GYRALDVS vide GYRALDVS.

SYLVESTER MOZOLINVS.

Prierias dictus, a vico Patrio, Prieria, Pedemontanus natione, non verò Bononienſis, uti quidam ſcripſere, Ord. Præd. S. Palatii Apoſt. Magiſter ac tandem totius ordinis ſui Prior Generalis. Primus fuit eorum, qui defenſionem Tezelii, nundinatoris, & præconis indulgentiarum, ſuſcepere atque imbellem contra Theandrum Lutherum ſtrinxerunt calamum. Floruit circa Reformationis Evangelicæ auſpicia, obiitque, prout Labbeus annotat, p. 373. Rhedonibus, in urbe minoris Britanniæ primaria, d. 20. Octobr. anno 1520. Liber, quem *de erroribus & argumentis Lutheri detectis ac repulſis, ad Leonem X. P. R.* ſcripſit, Romæ, anno illi emortuali, editus fertur. *Summa Caſuum Conſcientiæ*, *Sylveſtrina* alias & *Summa Summarum* dicta, Antwerpiæ, 1580. & 1583. impreſſa eſt. *Expoſitio ſuper Evang. totius anni, de Tempore & SS. Aurea Roſa* nuncupata, eò, quod flores & Roſas omnium expoſitionum Doctorum antiquorum continet, Hagenoæ, 1508. & 1510. Lugd. 1516. 8. Venet. 1569. & 1600.

SYLVESTER II. P. R.

Gerbertus antea appellatus, Arvernus Aurelianenſis Ord. Bened. Philoſophiæ atque Aſtrologiæ callentiſſimus, Roberti, Gallarum Regis, ejusque filii, Hugonis, Præceptor, poſt Remorum Archi-Epiſcopus, & demum anno 999. Pontifex Rom. ab Ottone III. Imperatore, conſtitutus, anno 1003. obiit. Tragicum ejus exitum, animamque a Diabolo ereptam, cujus arte ad Pontificatum perveniſſe fertur, deſcribit Cardinalis Benno, *in Vita Hildebrandi*. Scripta Sylveſtri exhibet Cave, P. I. p. 415. utpote, *Epiſt.* 160. a Papirio Maſſono editas,

editas, Pariſiis, 1611. 4. Duchesnio, *Script. Franc.* T.II. p.787. & *Bibl. Patr.* T.XVII.p.669. *Epiſt. III. Concil.* T.IX.p.777. Lib. *de Sphara*. *Sermon. de Informatione Epiſcoporum*, apud Mabillon, *Analect.* T.II. p.112. *Vitam S. Adelberti, Archi-Epiſcopi Pragenſis*, Romæ, ab Abrahamo Bzovio, teſte Ludov. Jacob. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p.214. *Epigramma in Imaginem Sever. Boetii*, apud Baronium, *app.* T. VII. p.4. Plura de eo exhibet Ludovicus Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 213. ſeqq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 22.

SYMMACHVS.

Natione Sardus, inter tumultus & contentiones ad Pontificatum Romanum electus eſt, anno 498. De eo vide Trithemium, Sabell. Centurias Magdeburg. T. VI. c. 10. Caveum, P.I. p.268. Scripſit *Apologeticum* ad Imperatorem, Anaſtaſium, qui T.III. *Bibl Patr. Pariſ.* edit. 2. f. 579. *Epiſt. XII.* quæ *Concil.* T.IV. p.1291. & *in Bibl. Patr.* habentur. Conf. Ludov. Jacob, *loco citato*, p.1216. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 1. ſeqq.

SYNESIVS.

Patria Cyrenæus, Alexandriæ primò Philoſophiæ Platonicæ operam dedit, Magiſtrâ uſus Hypatiâ, Theonis, Mathematici, filiâ, cultu gentilis, poſt ad Chriſtianiſmum converſus, licet invitus atque uxoratus & quatuor liberorum pater, ann. 410. Epiſcopus Patriæ ordinatus, teſte Dionyſio Petavio, cui debemus abſolutisſimam omnium ejus operum editionem, Pariſiis, 1612. & denuo, 1633. f lat. & gr. vulgatam. & Guil. Caveo, P. I. p. 213. ſeqq. qui alias Syneſii editiones memorat, Lat. Baſil. 1560. Gr. Pariſ. 1553. Sunt autem *Oratio de Regno ad Arcadium Imperatorem: Dio, vel de vitæ illius inſtituto: Calvitii Encomium*, quod Joh. Phrea, Britanno, interprete, cum Scholiis Rhenani, extat impreſſus, cum *Ludo Senecæ de morte Claudii*, Baſil. 1515. 4. *De inſomniis Liber*, de quo vide Caveum, P.II. p. 82. *Epiſt. CLV.* ſeorſim editæ, gr. lat. Venetiis, 1499. Baſil. 1558. 8. & cum notis. Pariſ. 1605. 8. *Homilia in pervigilio natalis Domini. Cataſtaſis in maximam Barbarorum excurſionem: Cataſtaſis in Laudem Anyſii: Sermo de dono Aſtrolabii ad Pæonium, cum X. Hymnis* gr. & lat. per Guil. Canterum, Baſil. 1567. quem græcè ſolum, Venetiis, Aldus impreſſit. *Homil. in Pſ.* 74. *de Providentia*

Lib. II. Lat. interprete Esromo Rudingero, Baſil. 1557. 8 cum *Syneſii Epiſtola ad Orum* ante non edita. Conf. Labbeus T. II. p. 375. Stylum ſublimen quidem & grandem, ſed qui ad Poeticam ſimul dictionem aliquantum inclinet, atque Epiſtolas Syneſii venuſtate atque dulcedine fluentes, cum Sententiarum robore ac denſitate judicat Photius. Agit de Syneſio poſt citatos autores, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 262.

SYRICIVS.

Epiſcopus Barcelonenſis, anno 657. cujus *Epiſt. II.* primus extulit Dacherius, *Spicil.* T. I. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. pag. 326.

SYRVS.

Monachus Cluniacenſis, S. Majoli, Cluniacenſis Abbatis, diſcipulus, anno 1010. vixit, atque *ſcripſit Vitam S. Majoli Libris III.* ad Odilonem, Abbatem, Majoli Succeſſorem, quam interpolatam atque variis carminibus mixtam exhibent Bolland. *d. XI. Maji*, purgatam ab omni extraneo, Mabillon, *Sec. Bened. V.* p. 786. De eo Cave, P. II. p. 197. Oudin, *Suppl.* p. 321. ſeq. Elias Du Pin, T. VIII. p. 107.

SYLVESTER SYROPVLVS.

Græcus, Diaconus Conſtantinopol. Magnus Eccleſiarcha & Dicæophilax & unus è quinque Crucigeris Patriarchæ Conſtantinop. anno 1438. floruit, quo Patriarcham ſequutus, Conciliis, Ferrarienſi & Florentino, interfuit, Græcorum dogmata acerrimè propugnavit, multaque ſibi exinde odia attraxit. Scripſit *Hiſtoriam unionis non veræ inter græcos & latinos* ſeu *Concilii Florentini*, quam ex Codice manuſcripto Bibl. Regiæ Pariſienſis, cum notis vulgavit Robertus Creyghtonus, gr. lat. Hagæ Comitis, 1660. fol. Conf. Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 79.

T.

TAJO.

SEu *Tago*, cognomento *Samuel*, Hiſpanus, Cæſar-auguſtanæ urbis Epiſcopus, anno 646. clarus, interfuit Concilio VIII. & IX. Toletanis, Romam, Chindaſuindi Regis juſſu, ablegatus, S. Gregorii Moralium Libros, quos in Hiſpania deſiderabant, obtinuit. Ex his collegit *Libr. V. Sententiarum*, qui hodie inter Codices manuſcriptos Thuanæos extant. *Præfationem* extulit Mabillon, *Analect.* T. II. p. 68. *Epiſtolam Tajonis ad Eugenium Toletanum* exhibet Baluz. *Miſcell.* T. IV. p. 397. De eo Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 324. Joh. Mabillon, *loco citato*. Petrus de Gusſanvilla, *in Annot. ad IV. Libros Dialog. Gregorii. Collectores Conciliorum* ad Concilia VIII. & IX. Toletana. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 35.

TANGMARVS.

Saxo, Decanus Hildesheimenſis, anno 1024. vixit, atque *Vitam S. Bernhardi, ejusdem urbis Epiſcopi*, conſcripſit, quam edidit Chriſtoph. Browerus, *in Syderibus Germaniæ*, ann. 1616. & correctiorem Surius, ad *d. XX. Novembr.* Conf. Oudinus, *Suppl. de Script. Eccleſ.* p. 323. Du Pin, T. VIII. p. 107.

TARASIVS.

Conſtantinopolit. genere illuſtris, ex Imperatoris Secretario, Patriarcha Conſtantinop. factus, homo doloſus, magnusque Iconoduliæ Patronus, obiit anno 806. Scripſit *Epiſtolam Encyclicam* ad Patriarchas Orientales, quæ gr. lat. *Concil.* T. VII. p. 161. habetur. *Epiſt. II.* ad Hadrianum, Papam, gr. lat. ibid. p. 624. *Epiſt.* ad Jo. Anachoretam, græc. lat ibid. p. 637. *Apologeticum ad populum habitum* græc. lat. ibid. p. 33. *Sermo in B. Virginem* manuſcriptus extat in Bibl. Regia, teſtibus Labbeo, *Nov. Bibl. manuſcriptæ*, pag. 80. & Cl. Caveo, P. I. pag. 351.

TATIANVS.

Syrus, gentilis Sophiſta, poſt Chriſtianus, & S. Juſtini, Martyris, auditor, in Eccleſia florens, quam diu ab ejus latere hæſit, poſtea verô eloquentiæ tumore inflatus, novam condidit hæreſin, quæ ἐγκρατιτῶν dicitur, teſte Hieronymo, & Euſebio, *Hiſt. Eccleſ.* L. IV. c. 27. Vixit Tatianus, anno 173. Damnavit autem Matrimonium: In S. cœna aquam adhibuit, & alios ſparſit errores, quos Irenæus, Euſebius, Epiphanius, aliique jam dudum adnotarunt. Scripſit quam plurima, inter quæ eminet *Liber adverſus Gentiles,* qui gr. lat. inter *Orthodoxogr.* & *Bibl. Patrum.* & alibi, locis a Caveo, P. I. p. 34. adductis, habetur. *Harmonia Evangeliorum* lat. inter *Orthodoxogr.* T. I. & *Bibl. Patr.* T. II. extat, male tamen Ammonio Alexandrino adſcripta. Hanc in linguam Theutonicam translatam antiquiſſimam, à Bonav. Vulcanio ſervatam, memorat Joh. Iſ. Pontanus *Orig. Francic.* pag. 589. Prodiit Tatiani noſtri *Harmonia Evangelica*, cum verſione Theotiſca, ex Codice manuſcripto, cum Joh. Philippi Palthenii animadverſionibus doctisſimis, Gryphiswald. 1706. 4. Lib. *de Perfectione ſecundum Servatorem*, cujus fragmentum citat & refutat Clemens Alex. *Stromat.* l. 3. p. 460. *Orat. ad græcos* edidit Wilh. Worth, gr. lat. Oxon. 1700. De frivolo & temerario ejus auſu, quo Pauli Epiſtolas, elegantioribus exprimere verbis fuerit conatus, loquitur Euſebius, l. 4. c. 29. Errores Tatiani obſervat Cave, P. II. p. 20. & Arnoldus, *in Hæreſeologia*, quos conſulas. de Scriptis verò doctè diſſeruit, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 63. ſeqq.

JOH. TAVLERVS.

Natione Germanus, Monachus Dominicanus, Colonienſis olim & Argentoratenſis Concionator & graviſſimus plurimorum abuſuum Papiſticorum cenſor, ſicut audit Dorſcheo, *Pentatecad. Diſſert.* p. 368. ubi refert de effigie Tauleri, agnum ulnis geſtantis, qua conſpicitur lapis ejus ſepulchralis in Collegio Academico Argentoratenſi. Claruit devotus Vir, anno 1350. atque magis magisque poſt fata, quibus, anno 1379. eſt functus, etiam inclaruit, tot inclytis Scriptis, quæ recenſent Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 267. Labbeus, T. II. p. 608. Eccius ceu ſuſpectum circa fidem eum arroſit, at, fecit hoc ipſum

odio

odio Lutheri, Taulerum magnifice laudantis, ut ait Bloſius, Tauleri Hyperaſpiſtes. Vide Jacobus Thomaſius, *Schediasm. Hiſtor.* pag. 72. Interim caute quædam ejus legenda non negamus, ſecundum ea, quæ habet Nicolaus Hunnius, *Theol. Paracelſ. conſiderat.* p. 16. Præcipua Tauleri Opera ex Germanico in Latinum convertit Laurentius Surius, Colon. 1548. 8. 1572. 1615. 4. excuſa. Seorſim prodierunt *Conciones de Tempore & de Sanctis*, Lugduni, 1557. *De veris Virtutibus & Inſtitutionibus divinis*, Coloniæ, 1587. *Conciones*, Germ. Baſil. 1521. f. Nonnulla alia ejusdem, ann. 1644. Francofurti, germanice recuſa, cum præfatione Chriſtiani Hoburgi. Fallunt autem & falluntur, qui famoſum, ipſique Luthero celebratum Libellum, *Germanicæ Theologiæ* a Taulero ſcriptum putant, quem tamen illius libri autor, quisquis tandem ſit, c. 12. citat, unde aut Taulero æqualis, aut poſterior eſſe convincitur. Vide pluribus modo laudatum Thomaſium, *loco citato*, pag 73. Recentiſſima proſtat Tauleri Operum editio, Francof. & Lipſiæ, 1703. 4. cura Philippi Jacobi Speneri in publicum vulgata. De Taulero conferas, poſt Sixtum Senenſem, Bellarminum, Labbeum, Freherum, *Theatro*, p. 29. Georg. Frider. Heupelii *memoriam Joh. Tauleri inſtauratam*, Arnoldum, *Hiſt. Theol. Myſt.* Baylium & Buddeum, in *Lexicis*, juxta cum aliis.

TERTVLLIANVS.

Qu. Septimius Florens Tertullianus, Provinciæ Africæ, civitatis Carthaginenſis, patre Centurione Proconſularis officio, natus, vir legum, & inſtitutionum humanarum peritiſſimus, atque inter latinos, qui extant, Patres, vetuſtiſſimus, vixit ad annum circiter 220. Gentilis adhuc nuptias contraxiſſe videtur, quibus ad Presbyteriatum evectus, ex mente quorundam, renuntiaverit. De Lapſu ejus ad Montaniſtas, docte diſſerit Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. pag 41. Laudat Tertullianum maximopere Hieronymus, *de Scriptor.* cap. 53. *virum acris & vehementis ingenii* eum appellans. Plura Tertulliani Encomia congeſſit Thomas Pope-Blount, *Cenſura Celebriorum Autorum* Stylum ejus minus comptum & multum obſcurum vocat quidem Lactantius, *de Inſtit.* Lib. V. c. 1. cui tamen Guil. Cave, modeſte contradixit. Opera Tertulliani variis in locis excuſa ſunt. Prodierunt

enim Baſileæ, 1521. 1525. 1528. 1539. 1550. 1562. Antwerpiæ, 1579. 1584. Pariſiis, 1566. T. II. 8. 1580. 1583. 1608. 1616. Heidelbergæ, 1596. 1601. Coloniæ, 1617. Genevæ, 1597. Franekeræ, 1597. Auctiora Pariſ. 1624. 1630. 1634. 1641. 1644. 1646. 1650. 1658. 1663. Argentorat. 1657. Scripſit autem ante lapſum Tertullianus, *de Baptiſmo*: *de Pœnitentia*, *& de Oratione*. Poſt lapſum verò *Apologeticum adverſus gentes*: *ad Nationes Lib. II. de teſtimonio Animæ Librum*: *de Pudicitia*; *de fuga in Perſecutione*: *de Jejuniis*: *de Monogamia*: *de Spectaculis*: *de Idololatria*: *de cultu Fœminarum, Lib. II. ad Vxorem*: *de Virginibus velandis*: *de exhortatione Caſtitatis*: *de Corona Militis*: *de Pallio*: *Contra Marcionis Hæreſin Lib. V. de Præſcriptione Hæreticorum*: *de Anima*: *de Carne Chriſti*: *de Reſurrectione carnis*: *adverſus Judæos*: *adverſus Praxeam*: *adverſus Hermogenem, ad Scapulam, Africæ Pro-conſulem, in Chriſtianos ſævientem, Apologiam*: *Ad Martyres*: *de Patientia &c.* Opera ejus deperdita, atque illa, quæ ipſi falſò adſcribuntur, enumerat Cave, *loco citato*, & Cl. Alix, *de Vita & Scriptis Tertulliani*. *Salebras Tertullianeas*, ſive difficiliora ejus loca, peculiari diſſertatione, cōmplanare auſus eſt idem, qui & Origenis dogmata cum Philoſophia Platonica comparavit, Paganinus Gaudentius, Theol. & JCtus Piſanus, Florentiæ, 1639. 4. Relationem de ejus apud Cyprianum obtento æſtimio, ut ſcilicet hic nullam diem ſine ejus lectione præterire fecerit, & Notario creberrime illud tritum: *Da Magiſtrum*, inculcaverit, dubiam facit Labbeus, T. II. p. 381. Sunt, qui Tertullianum noſtrum, cum Tertyliano, JCto, & Tertulliano Martyre confundunt, rectè monente Bebelio, *Antiq. Triſec.* f. 459. Floruit enim Tertylianus aliquamdiu poſt Tertullianum, Alexandro Severo imperante, Tertullianus autem Martyr vel ipſo nomine differt. Patet hinc quam longe quoque aberrent, qui Tertulliani *SCtum de Hæreditatibus liberorum matri deferendis* noſtro tribuunt, cum factum ſit Fl. Tertullo, & Licinio Sacerdote Cos. Vid. Maximil. Sandæi *Theol. Jurid.* f. 80. & Nicol. Henelium, *de Veter. JCtis.* p. 89. De Tertulliano fuſe dixerunt Guil. Cave, *in Vitis Patr. Primit.* T. I. p. 208. Trithemius, Sixtus Senenenſis, Bellarminus, Labbeus, Zentgraff, *de Lapſu Tertulliani*, Caſimirus Oudin, *Supplem. Bellarm.* p. 13. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv*, T. I, p. 90. ſeqq. B. Ittigius, *Præf. cit.* p. 25.

TETRA-

TETRADIVS.

Gente Gallus, nepos Cæſarii Arelatenſis, dignitate Presbyter, ann. 530. clarus, ſcripſit, Cæſario dictante, *Regulam quandam pro Monachis*, Cæſario vulgò adſcriptam, quam exhibet *Colon. Bibl. Patr.* T. V. f. 792. & *Codex Regul. Holſtenianus*, aliique.

THALASSIVS.

Monaſterii cujusdam in Lybiæ deſertis Abbas, cognomento *Humilis*, floruit juxta Coccium, ann. 640. & ſcripſit ad *Paulum Presbyterum IV. hecatontades, de ſincera charitate ac vera continentia, nec non de Regimine mentis*, quæ lat. Aug. Vindel. 1520. & ibid. 1551. cum aliis opuſculis p. 106. *Inter Orthodoxogr.* & *Bibl. Patr.* prodierunt, græc. & lat. ſimul habentur in *Auct. Duccæo*, T. II. p. 1179. Grynæus, ann 465. in Eccleſia Cæſarienſi eum floruiſſe, juxta quosdam tradit, quod ſane non conſtat, ſi eſt ille Thalaſſius, ad quem ſuas *de difficilibus S. S. locis quæſtiones* ſcripſit S. Maximus Confeſſor, qui ann. 640. vixit. Loquuntur de Thalaſſio, Poſſevinus, Miræus, Caveus, Oudinus, & Du Pinius, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 28.

THEGANVS.

Francus, Monachus Engoliſmenſis, dein Trevirenſis Eccleſiæ Chorepiſcopus, vixit. ſub Ludovico Pio, ann 837. *de cujus geſtis* librum reliquit, quem cum aliis *Annalium & Hiſtoriæ Francicorum Scriptoribus* Petrus Pithœus, Francof. 1594. edidit. p. 292 ſeqq. deinde Andreas Duchesnius, *Script Franc.* T. II. Prodiit tamen hic Liber ex mutilo manuſcripto, quem ex Codice Bibl. Vindob. ſupplevit, Cl. Lambecius, *Comment.* l. 2. c. 5 p. 391. De illo plura Aub. Miræus, Duchesnius, *loco citato*, Sanmarthani, T. I. p. 720. II. f. 238 Voſſius, *de Hiſt. Lat.* c. 33. Cave, P. II. p. 371. Oudin, p. 233.

THEMISTIVS.

Calonymus cognomento dictus, Severianorum, Theopaſchitarum, & Agnoëtarum Sectarius, claruit, ann. 601. hinc cum Themiſtio Philoſopho, non confundendus, qui ſub Valente floruit. Vir erat non indoctus, qui juxta Photium, *Cod.* 108. perſpicuitatem ſer-

monis cum argumentorum robore optime novit conjungere. Scripſit *Orationem invectivam adverſus Philoponiam*, & *Apologiam, pro S. Theophobio* & alia, quæ non extant. *Libros ad Theodoram, Imperatricem. Sermones aliquot adverſus Colluthum pro tomo Theodoſii. Epiſtolam pro Salamitanis: Sermonem ad Chariſium, Monachum: Lib. ad Conſtantium, Epiſcopum Laodicenum. Libros de Satisfactione, pro Agnoëtis, ad Marcellum, Presbyterum & Stephanum Diaconum, &c.* vide *Concil.* T. VI. p. 316. 320. *Contradictorios Libros adverſus Theodoſii Tomum*, ex quorum II. fragmentum dabit *Concil.* T. VI. p. 381. Conf. ſi placet, Cave, P. I. p. 314.

THEOBALDVS STAMPENSIS.

Anglus Sacerdos Secularis, qui juxta Dacherium, anno 1108. rectius verò ex mente Balei, ann. 1250. judice Caveo, floruit. Extant ejus *Epiſtolæ V.* apud Dacherium, *Spicil.* T. III. Vide quæ doctisſimus Cave, P. I. p. 500. ſatis erudite obſervavit, atque de illis pro rei veritate judica.

THEOBAVDVS.

Monachus Bezuenſis Cœnobii in Burgundia, circa ann. 1136. claruit. Scripſit *Acta, Translationes & miracula S. Prudentii Martyris*, Lib. IV. carminibus non raro interſperſis, vulgata a Labbeo, T. II. *Nov. Bibl.* p. 605. ſeqq. De eo Cave, P. I. p. 461. Oudin, l. c. p. 381.

THEODERICVS.

Abbas Ord. Bened. qui anno 1200. claruit, *Libros III. de Vita S. Hildegardis, Abbatiſſæ*, anno 1180. defunctæ, compoſuit. Extant illi apud Surium, *d. XVII. Decembr.*

THEODORICVS de APOLDIA.

Erfordii natus, Ord. Præd. Monachus, ann. 1280. floruit. Scripſit *de Vita & rebus geſtis S. Eliſabethæ, Ludovici Landgravii Thuringiæ, viduæ.* Lib. VIII. quos vide apud Caniſium, *Antiq. Lect.* P. II. p. 147. Hunc partum Theodorico noſtro adjudicat Cl. Cave, P. I. pag. 517. nec Vosſio, contrarium tuenti, adſtipulatur. Ejus quoque eſt *Vita S. Dominici, Ordinis Fundatoris*, quæ VII. Libris diſtinguitur. vide illam apud Surium, ad *d. V. Aug.* De eo Anton. Poſſevin. *Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auct.* Ambroſ. de Altamura, *in Bibl. Domin.* ad an. 1288. p. 61.

THEO-

THEODORICVS.

Monachus incerti Cœnobii, ſcripſit *Hiſtoriam brevem de rebus Eccleſiaſticis ac Regibus Norwegiæ*, circa ann. 1180. Hanc cum Anonymi Opuſculo, *de Profectione Danorum in Terram S.* protraxit Caſpar. Kirchmannus, Amſtelod. 1684.

THEODORICVS ENGELHVSIVS.

Germanus, Eccleſiæ Hildesheimenſis Canonicus, Scriptor Seculi XV. induſtrius & doctus, nec ignoratus Flacio, Friſio, atque Dresfero. vide Voſsium *Hiſt. Lat.* l. 3. c. 9. p. 601. Ejus eſt *Chronicon*, continens res Eccleſiæ & Reipublicæ ab O. C. ad ann. 1420. Primus illud e quatuor manuſcriptis in lucem protraxit & erudito orbi expoſuit Joach. Joh. Maderus, Helmſtadii, 1671. idem de antiquitate S. Vir meritisſimus, aliquot Engelhuſio deſcriptos *Imperatores*, ad *Sereniſſimum Brunſvic. & Lüneburg. Ducum familiam* ſpectantes, an. 1661. inter *antiquitates Brunſvicenſes* ibidem ediderat.

THEODORICVS de NIEM.

Germanus, Litterarum Apoſtolicarum Scriptor, Eccleſiæ Lucenſis Clericus & juxta nonnullos Verdenſis, imò Cameracenſis, Epiſcopus. Claruit Niemus anno 1408. Scripſit *Hiſtoriam de Schiſmate ſui temporis graviſſimo inter Papas & Antipapas* Lib. III. quæ Norimbergæ, 1532. & Baſil. 1560. prodiit. His tribus addidit IVtum Theodoricus Librum, VI. Tract. diſtinctum, *Nemus Vnionis*, appellatum. Prodierunt IV. iſti Libri integri, Baſil. 1566. f. Norib. 1592. Argentorati, 1608. 8. cum Fr. Zabarellæ & Joh. Mari, Belgæ, Commentariis, ibidem 1629. 8. *Hiſtoriam de V. ta Joh. XXIII. P. R.* edidit Henr. Meibomius, Francof. 1620. 4. *Privilegia & Jura Imperii circa Inveſtituras Epiſcopatuum &c.* Baſil. 1557. Argentorati, 1609. 1618. *Exhortatio ad Rupertum, Francorum Regem, de extirpando Pontificum Schiſmate, & reformandis Imperii Juribus*, extat apud Goldaſtum; *Monarch.* T. II. p. 1381. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 60. Voſsius, *de Hiſt. Lat.* L. III.

THEODORICVS.

Monachus & Abbas Cœnobii S. Trudonis in Epiſcopatu Leodienſi, anno 1099. Poſt vero in exilium miſſus, in Monaſterio S. Petri Gandenſi commoratus, obiit anno 1107. Scripſit *Vitam S. Trudonis*, quæ apud Surium, d. XXIII. Novembr. *Vit. S. Bavonis*, ibidem, d. 1. Octobr. & Mabillon, *Sec. II.* p. 395. *Vitam S. Landradæ Virginis*, apud Surium, d. VIII. Jul. *Vitam S. Rumoldi, Archi-Epiſcopi Dubliniensis*, & *Martyris*, Surium, d. 1. Julii. *Sermonem de Translatione S. Trudonis*, ibidem, d. XXX. Nov. p. 515. *Vitam S. Amalbergæ Virginis & Hiſtorias Veteris & N. T.* manuſcripta memorat, Cl. Cave, P. I. p. 44. quem adeas. Vid. quoque quæ circa hunc autorem moneat Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 355.

THEODORITVS.

Syrus, Patria Antiochenus, Theodoritus, dictus, eò quod à Parentibus Deo redditus, a quo precibus acceperant, Joh. Chryſoſtomi & Theodori Mopsveſteni diſcipulus, Cyri, Syriæ oppidi in provincia Auguſta Euphrateſia Epiſcopus, circa annum 420. juxta Garnerii calculum ordinatus, vixit ad annum 457. Quid viri præterea fuerit, ac ut initiò in fide vacillârit, poſt ad ſanam redierit mentem, vide Oſiandrum, *Centuria*, V. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 224. Rivetum, *Crit. Lib. IV.* c. 21. ubi & de ejus Scriptis eorumque cenſura. Malleus quidem ab initio hæreticorum fuit, poſtea verò diſputandi fervore ad varios adductus eſt errores. Mariam enim verbum incarnatum peperiſſe: naturas in Chriſto καθ' ὑπόστασιν uniri: unicam eſſe hypoſtaſin, & alia, negabat. Hinc poſt alia fata adverſa, anno 449. Synodo Epheſina deponitur atque anathemate percutitur. Sedi tamen reſtituitur, anno 450. poſtquam fidei profeſſionem dediſſet. Reliqua ejus fata prolixe refert Guilielmus Cave, *loco citato*, qui ejus quoque ingenium inſimul depingit. Erat enim animo excelſo elatoque, ſententiarum tenacisſimus, injuriarum impatiens. Vir doctus, fervidioris tamen ingenii, cæterum pius, & in pauperes liberalis. Stylum ei in omnibus perſpicuum, neque jucunditatis expertem, proportione verò ſenſibus exuberantem, tribuit Photius, *Cod.* 46. Scripta Theodoriti, quæ exaravit, omnia

omnia prodierunt Lat. Romæ, 1556. Colon. 1567. 1573. Pariſ. 1608. Colon. 1617. gr. & lat. Pariſ. 1642. f. T. IV. Quibus quintum adjecit Tomum Joh. Garnerius, Pariſ. 1684. f. excuſum. Seorſim prodierunt *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. gr. Baſil. 1535. Pariſ. 1544. f. gr. lat. Genev. 1612. Pariſ. 1673. & alibi. *Eraniſtes* ſeu *Polymorphus* tribus dialogis comprehenſus, gr. Romæ, 1547. Lipſiæ, 1568. græc. lat. Tiguri, 1593. 8. Lat. Lipſiæ, 1567. ex interpretatione & cum notis Victorini Strigelii. *Hæreticarum fabularum*, Lib. V. gr. Romæ, 1545. *de Providentia Orationes X.* gr. Romæ, 1545. Tiguri, 1546. 8. Pariſ. 1530. 8. *de Charitate Oratio*, Romæ, 1588. *de curandis affectionibus Græcorum*, gr. lat. Heidelbergæ, 1592. fol. *Quæſtiones in Heptateuchum*, gr. Pariſ. 1558. 4. Forſan & alia alibi. Plura de Theodorito dixerunt Labbeus, T. II. p. 388. Guil. Cave, *loco citato*, Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 8. & Joh. Garnerius, Diſſert. *de Vita & Hiſtoria, de Libris & de fide Theodoriti*, cum quinto Theodoriti Operum Tomo excuſis.

THEODORVS ABVCARA.

Cariæ Archi-Epiſcopus, Baſilii I. Macedonis temporibus, circa ann. 867. vixit, ſcripſitque diverſa *Opuſcula contra Hæreticos, Judæos & Saracenos*, edita à Jacobo Gretſero, gr. lat. Ingolſtadii, 1606. 4. exinde *in Bibl. Patrum* translata. *Tract. verò de Vnione & Incarnatione* ex Bibliothecæ Bodlejanæ Codice, primus edidit Andreas Arnoldus, gr. lat. cum Athanaſii Syntagmate doctrin. ad Clericos & Laicos, Pariſ. 1685. 8. Opuſculum ejus *de Filio* ὁμοουσίῳ gr. & lat. vulgavit Joan. Cotelerius, *Not. in Lib. V. Conſtit. Apoſt.* p. 227. Scripta ejus, ſi noſſe deſideras, reliqua, adeas Caveum, P. I. p. 391. De Theodoro agunt Anton Poſſevin. *app. S.* Aubert. Miræus, *Auct. de Script. Eccleſ.* c. 255. pag. 230. Oudin, l. c. pag. 259 ſeq. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 9.

THEODORVS BALSAMON.

Conſtantinopolitanus, ex Diacono Conſtantinopol. Nomophylace, Chartophylace, & primo Blachernarum Præpoſito, creatus Theopoleos Metropolita, ſeu Magnæ Antiochiæ, totiusque Orientis Patriarcha, vixit adhuc, anno 1203. antequam Conſtantinopolis a latinis expugnaretur. Vere de eo ſcripſit Joh. Citri Epiſcopus,

Reſpon-

Reſponſione ad Conſtantinum Cabaſilam : Divinus ille Vir, Antiochiæ Patriarcha, accurate percallebat civiles & Canonicas Conſtitutiones & ab omnibus in hiſce rebus, celebratus fuit. Dicant proinde, quicquid velint, Pontificii, odio adverſus ipſum accenſi. Scripſit Balſamon, *Comment. in Canones SS. Apoſt. & Concil.* qui prodiit gr. lat. mutilus tamen, Pariſiis, 1620. f. integrior, Oxonii, 1672. f. cum notis Guil. Beveregii, *in Pandectis Canonum. Comment. in Photii Nomo-Canonem*, Lat. primum, interprete Gentiano Herveto, Pariſiis, 1561. gr. lat. Pariſiis, 1615. 4. & *in Bibl. Jur. Can.* T. II, p. 789. *Paratitla* cum Leunclavii & Fabrotti notis, ibidem, T. II. p. 1223. *Reſponſa ad varias quæſtiones ad Jus Canonicum ſpectantes* & alia gr. lat. in Leunclavii *Jur. Gr. Rom.* Lib. II. *Reſponſa ad Interrogationes Marci, Patriarchæ Alexandrini*, gr. lat. ibidem l. 5. pag. 362. *Meditata ad varios caſus*, gr. lat. ibidem, L. VII. *Epiſt. ad Antiochenos, de Jejuniis*, apud Coteler. *Monum.* T II. p. 492. gr. lat. extat. *Epiſtola ad Theodoſium, Abbatem, de Monachis Raſophoris*, apud eundem gr. lat. T. III. p. 473. Hæc & alia notatu digna memorat Cave, P. I. p. 477. ſeqq. & Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 204. Schismaticus vulgo Pontificiis audit, quia ſcilicet contra Eccleſiam Romanam liberius multa conſcripſit.

THEODORVS.

Cilix Tarſenſis, ex Monacho Archi-Epiſcopus Cantuarienſis a Vitaliano Papa, ordinatus, anno 668. Erat Theodorus Litterarum Patronus maximus, qui inſignem in itinere collectam Bibliothecam in Angliam traduxit, de cujus reliquiis ſplendidisſimis maxime glorіatur Cave, P. I. p. 326. Multa geſſit notatu digna, quæ idem ſumma cum cura retulit. Obiit mortis horæ conſcius, an. 690. æt. 88. Scripſit Theodorus *Pœnitentiale*, cujus titulos ſaltem nobis exhibuit Spelmannus, *Concil. Angl. T. I.* Integrum verò prodiit Opus, cum uberrimis Jacobi Petiti notis, Pariſ. 1677. T. II. 4. Singulos elegantisſimi hujus Operis Tractatus recenſet Cave, atque ea occaſione ſcribit, Theodorum noſtrum primum fuiſſe, qui Occidentalibus, more Orientalium, Libellum pœnitentialem præſcripſerit, adeoque omnium formularum Pœnitentialium in Eccleſia latina fons & origo merito haberi debeat. *Capitula Theodori Eccleſ.* CXX. apud Dacherium, *Spicil.* T. IX. & *app.* T. VI. *Concil.* p. 1875. *Epiſtola Theodori ad Æthelre-*

Æthelredum, Merciorum Regem, de amicitia inter ſe & Wilfridum, Epiſcopum Eboracenſem, quem injuſte deponi curaverat Theodorus, redintegrata, apud Guil. Malmsbur. *de Geſtis Pontificum*, L. 3. f. 151. & *Concil.* T. VI. p. 1383. Conf. Sigebert. Gembl. in *Catal. cap. 63.* Poſsevinus, *in Appar. S.* & alii.

THEODORVS CAMPEDONENSIS.

A cellula dictus, in quâ primum vixit, poſtea Monachus S. Galli, circa ann. 680. claruit, ac Præceptoris ſui, *S. Magni, Vitam* in litteras retulit, quæ extat apud Henr. Caniſium, T. V. *antiqv. Lect.* P. II. p. 911. Meminit ejusdem Voſsius, l. 3. *Hiſt. Lat.* c. 3. p. 751. Cave, P. I. p. 329.

THEODORVS DAPHNOPATES.

Patricius Conſtantinopolitanus & in aula primus à Secretis, anno 956. clarus, ſcripſit poſt alia *Orationem de manu S. Joh. Baptiſtæ, Antiochiâ Conſtantinopolim translata*, quam lat. anonymam exhibet Surius, *d. 29. Aug.* Manuſcripta extat in Bibl. Vindob. Scribendi occaſionem, quam nactus fuit Theodorus, ex intimis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ recesſibus, refert doctisſimus Cave, P. II. p. 186. *Encomium in S. Paulum, Vita Theodori Studitæ*, & alia, Caveo memorata, in manuſcriptis deliteſcunt.

THEODORVS.

E Schola Magiſtrianorum Alexandrina, a Cyrillo, familiari, Diaconus factus, anno 436. Dioconatu verò poſt Cyrilli mortem à Dioſcuro privatus, anno 451. Concilio Chalcedonenſi *Libellum adverſus Dioſcurum*, obtulit, qui gr. lat. habetur, *Concil. T. IV.* p. 396. Evolv. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 252.

THEODORVS GRAPTVS.

Palæſtinus, Monachus ac Presbyter, vixit, anno 818. Cauſam imaginum vel quatuor defendendum ſuſcepit vicibus, male ob id omni non tempore habitus. Scripſit *Diſputationem de Cultu Imaginum cum Nicephoro, Patriarcha Conſtantinopolitano, habitam*, quam extulit gr. lat. cum notis Fr. Combefiſius, *Orig. Conſtantinop.* p. 159. *Epiſtolam ad Joh. Cycizenum Epiſcopum*, gr. lat. ibid. p. 204. Lib. *de fide Orthodoxa contra Iconomachos*, manuſcriptum memorat Cave, P. I. p. 365. cujus fragmentum exhibet gr. lat. idem Combefiſius, *loco citato*, p. 221.

THEODORVS HAGIOPOLITANVS.

Incertæ ætatis autor, cujus Diſputationes III. *de nomine Dei, de Deo, & Deitate, cum Neſtoriano*, Fr. Turriano interprete, extant, T. XV. *Bibl. Patr. Colon.* f. 991.

THEODORVS.

Heracleâ ortus, Presbyter & Epiſcopus Heracleenſis, an. 334. Vir elegantis apertique Sermonis, profeſſione Semi Arianus atque ob id Epiſcopatu exutus, moritur circa annum 358. Scripſit *Comment. in S. Matth. S. Joh. & Pauli Epiſtolas*, quorum tamen fragmenta ſaltem ſuperſunt apud Corderium, *Catena in Matthæum* & auctorem *Catenæ in Lucam*, Antwerp 1630. f. editæ. *Commentarium in Pſalmos*, gr lat. extulit Corderius, præmiſſum *Catenæ Veterum Patr. in Pſalmos*, Antwerp. 1643. f. T. III. Alium Theodorum a noſtro diverſum adducit Cave, P. I. p. 109. ob Arianismum, a Sede Heracl. ejectum, qui circa annum 370. innotuit. De eo Hieronymus, *in Catalogo* c. 90. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II. p. 65.

THEODORVS.

Iconii Epiſcopus, qui Juſtiniani, Imperatoris, temporibus, circa annum 564. claruiſſe videtur, ſcripſit *Martyrium Julittæ matris & Cyrici, pueri triennis, ſub Diocletiano*, quod gr. lat. produxit Fr. Combefiſius, inter *Acta Martyrum antiqua, Pariſ.* 1660. 8. p. 231. Exemplar manuſcriptum ab hoc Martyrio diverſum, citat Leo Allatius, *de Symeon.* p 91. & aliud Surius, *d. XVI. Junii.* Reliqua Caveo obſervata, P. II. p. 112. ipſe evolvas.

THEODORVS LÆLIVS.

Italus, Referendarius Apoſtolicus, & Epiſcopus Feltrenſis ſeu Tarviſinus, anno 1460. claruit, jamque Cardinalis à Paulo II. P. R. deſignatus, Romæ, 1464. obiit. Extat ejus *Replica* ſive *Confutatio Appellationis Gregorii Heimburg, a Pii II. Bulla contra ſe emiſſa, ad Concilium Generale*, apud Goldaſtum, *Monarch.* T. II. p. 1595. & inter *Heimburgii Opera*, Francof. 1608. 4. *Orationes II.* pro Pio II. manuſcriptas in Bibl. Cardinalis Sirleti adſervatas memorat Ludov. Jacob a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 443. de eo Henr. Wharton, *app. Cav.* p. 99.

THEO-

THEODORVS.

Lector Conſtantinopol. circa ann. 518. non verò, ut ſomniat Miræus, *Auct.* c. 427. merito ob hunc errorem a Caveo, P. I. p. 279. notatus, anno 1320. Scripſit *IV. Libros Hiſtoriæ Ecclеſ.* quorum II. priores ex Socrate, Sozomeno, & Theodorito collegit, poſteriores vero proprio Marte conſcripſit. Ampliſſima ex illis Collectanea excerpſit Nicephorus Calliſtus, quæ gr. cum aliis edidit Robertus Stephanus, Pariſiis, 1544. gr. lat. Genev. 1612. cum notis & Verſione Valeſii, Pariſ. 1673. *Libros* autem *Collectaneorum II.* priores, exhibet *Bibl. Patr. Colon.* T. VI. P. I. f. 505. græcè manuſcripti extant in Bibl. Veneta D. Marci & alibi. Conf. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. pag. 239.

THEODORVS.

Monachus Syrus, & Edesſenorum deinde Archi-Epiſcopus, qui ex mente Poſſini & Cl. Cavei, P. II. p. 219. circa annum 1101. floruit, ſcripſit *Capitula Practica* 102. a Poſſino, gr. lat. edita, *in Theſauro Aſcetico*, p. 345. Quinquaginta priora lat. jam ante prodierant in *Bibl. Patrum Lugdun.*

THEODORVS METOCHITA.

Gente Græcus, Generalis Logotheta, anno 1314. factus, Andronico Seniori chariſſimus, Juniori vero inviſus, qui eum in exilium miſit. Obiit, an. 1332. Laudavit eum funebri Oratione Nicephorus Gregoras. Vir erat, judice Gregora, L. 8. *Hiſt.* p. 190. *omnium, quos Sol intuetur, doctiſſimus, qui facundia naturali & tolerantia laborum & memoriæ præſtantia ſummum omnis eruditionis faſtigium conſcenderat. Viva Bibliotheca, & eorum, quæ ſcire velles, oraculum. Tanto intervallo omnes eos ſuperabat, qui unquam in ſtudiis verſati ſunt.* Errorem Vosſii, qui noſtrum cum Georgio Metochite confundit, notavit, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 4. Sub Theodori nomine *Compendium Hiſt. Romanæ*, edidit Joh. Meurſius, g. lat. Lugduni Batavorum, 1618. 4. quod tamen *Glycæ Annalium Librum tertium*, rectius judicat Theophylus Raynaudus, *de bonis & malis Libris*, p. 156. *Paraphraſin in VIII. Libros Phyſicorum & parva Naturalia Ariſtotelis*, edidit lat. a ſe verſa Gentianus Hervetus, Baſil. 1559. 4. *Hiſtoriæ Sacræ Lib. II. & Hiſtor. Conſtantinopol.*

Lib. I. manuſcriptos adſervavit Meurſius. *Capita 120. Philoſophica & Hiſtorica* manuſcripta extant in Bibl. Auguſtana. *De Proceſſione SS.* & alia opuſcula, græcò lat. *in Græcia Orthodoxa* Leonis Allatii recitantur.

THEODORVS ET THEODOSIVS.

Monachi Orientales, S. Maximi, Martini P. R. & Anaſtaſiorum familiares, anno 668. clari, ſcripſerunt *Scholion de Maximi & Anaſtaſii, Apocriſarii, exilio atque obitu.* Prodiit illud Lat. inter Anaſtaſii *Analecta*, a Sirmondo edita, Pariſ. 1620. p. 151. gr. lat. *in Appar. Combefiſii*, ad *Opera S. Maximi*, p. 8. Conf. Cave, P. I. p. 326. Elias Du Pin, T. VI. pag. 28.

THEODORVS.

Gente Græcus, P. R. anno 642. conſecratus, Pyrrhi, Patriarchæ Conſtantinopolitani, cauſam cognovit, eundemque, poſtquam revocavit, in communionem recepit. Erroribus autem redintegratis, publico ipſum anathemate percusſit. Obiit, anno 649. Scripſit *Epiſtolam Synodicam, ad Paulum Conſtantinopolitanum: Exemplar propoſitionis Conſtantinopolim transmiſſæ de Ecthesi anathematizanda: Epiſtolam ad Epiſcopos*, qui Paulum conſecrarant. Extant hæc inter *Anaſtaſii Collectanea*, a Sirmondo edita, Pariſiis, 1620. p. 47. & *Concil.* T. V. p. 1777. De eo Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 321. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 20. Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 217.

THEODORVS.

Urbis Pharan Epiſcopus, Eutychianus & Monotheleta, anno 640. cujus *Libri ad Sergium, Arſenoitarum Epiſcopum, de Operationibus Chriſti* fragmenta V. gr. lat. *Concil. Lateran. Act. 3. Concil.* T. VI. p. 164. *Libri de Interpretatione teſtimoniorum è Patribus adductorum, circa Operationes Chriſti*, fragmenta VI. gr. lat. ibidem, p. 165. *Epiſtolæ ad Paulum hæreticum*, cujus fragmentum extat, *Concil. VI. Act. X. Concil.* T. VI. p. 839. Evolv. Cave, *loco citato*, p. 321.

THEODORVS.

Presbyter & Canonicus Eccleſiæ Rhemenſis, poſtea S. Remigii Abbas, vixit tempore Lotharii, Imperatoris, & condidit *Hiſtoriam Eccleſiæ Rhemenſis IV. Libris diſtinctam*, quam ex recognitione Georgii Colvenerii, Præpoſiti Duaceni, cum ejusdem notis, aliisque quibusdam, vide T. X. *Bibl. Patr. Colon.* f. 466.

THEODORVS.

Presbyter Monaſterii Raithuenſis, tempore S. Maximi, quo familiariter utebatur, circa annum 646. Prodiit ejus *Comment. de Incarnatione Chriſti adverſus hæreſes varias*, ſub titulo, *Iſagoges Anaſtaſii Sinaitæ Orationes V. dogmaticæ*, lat. à Godefrido Tilmanno verſus, Pariſ. 1556. 8. ex verſione Theod. Bezæ, gr. lat. Genevæ, 1576. 4. inter *Opera Bezæ Theol.* Vol. III. p. 319. ad calcem Gelaſii Cycizeni, gr. lat. Pariſ. 1599. 8. & in *Auct. Duceano*, T. I. p. 319. Diverſus ab illo videtur Theodorus, Antiochenus Presbyter, Gennadio memoratus, & Honorio Auguſtodunenſi, Scriptor XV. *Librorum de Incarnatione, verſibus* 15000. conſtantium: Alius quoque eſt Theodorus apud Photium, qui ſingulari Libro *Dionyſii Areopagitæ Librum*, tanquam genuinum, defendere conatus eſt. Vid. Cave, P. I. pag. 324. Labbeus, T. II. p. 399. Du Pin, *Bibl. Nov.* T. VI. p. 28.

THEODORVS STVDITES.

Monaſterii, quod *Studium*, a primo fundatore, *Studio*, dicebatur, Abbas ſive Præpoſitus, anno 794. factus, an. 826. Obiit. Turbas, quas Iconolatra movit, fataque ejus, prolixe narrat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 359. & Baronius, *in Annalibus.* Scripſit vir ſupra communem literatorum ſortem eruditus varia, utpote *Sermones Catecheticos*, CXXXIV. lat. Joh. Livinejo interprete, excuſos, Antwerpiæ, 1602. 8. qui manuſcripti habentur in Bibl. Lipſienſi Paulina. *Teſtamentum ad Diſcipulos*, cum priori opuſculo prodiit. *De honore & adoratione SS. Imaginibus exhibenda*, cum aliis lat. Antwerp. 1556. græc. Romæ, 1553. Alia plura, maxime Iconolatrica Scripta, *Epiſtolas & Orationes*, refert Cave, *loco citato.*

THEODOSIVS.

Aſceta, ex Monacho Montis S. Auxentii, Patriarcha Conſtantinopolitanus, circa annum 1181. conſecratus, ſcripſit *Reſponſa Synodalia* de Nuptiis cum priùs deſponſata Sobrino & de Sponſalibus non ſufficientibus pro perfecto matrimonio, quæ gr. lat. *Jur. Græc. Rom.* Lib. III. p. 231. habentur. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 230.

THEODOSIVS.

Ammorii Epiſcopus, anno 787. floruit, atque in Synodo Nicæna Iconolatriæ accuſatus *Libellum* obtulit, quem vide gr. lat. *Concil.* T. VII. p. 60.

THEODOSIVS.

Patriarcha Hieroſolymitanus, anno 869. claruit, cujus *Epiſtola ad Ignatium* Lat. *Concil.* T. VIII. p. 986. habetur. Conf. Guil. Cave, P. I. p. 391.

THEODOTVS.

Ancyranus in Galatia Epiſcopus, Gennadio male *Theodorus* dictus, Cyrilli in Concilio Epheſino, anno 431. adverſus Neſtorium fidus paraſtata, cujus *Homilias II. in Chriſti Natalem, in Concilio proclamatas*, exhibet *Concil.* T. III. p. 988. 1008. *Homil. contra Neſtorium*, ibidem, p. 1014. *Orat. in S. Deiparam & Simeonem*, inter *Amphilochii Opera*, Pariſ. 1644. *Expoſitio Symboli Nicæni, ſeu Neſtorii Refutatio*, Romæ, 1669. 8. & inter alia, Pariſiis, 1675. 12. Plura memorat Gennadius, *de Scriptoribus*, c. 55. & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 231. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Script. Eccleſ.* p. 79. ſeqq.

THEODVLPHVS AVRELIANENSIS.

Natione Italus, e Gallia Ciſalpina oriundus, Alpibus transmiſſis in Franciam venit, adductus eò a Carolo M. virtutum ejus æſtimatore, quem & inter intimos, quoad vixit, habuit; Abbas factus Floriacenſis poſt Epiſcopus Aurelianenſis. Fatis functo Carolo, non pari, primis quidem annis, gratia apud filium, Ludovicum, valuit,

delatus

delatus namque conjurationis Bernardi Regis adverſus Patruum particeps, anno 817. Epiſcopatu ſpoliatur, atque in Monaſterium relegatur Andegavis. Quemadmodum verò hoc crimen conſtanter usquequaque pernegavit Theodulphus, ita non defuere, qui per invidiam conflatum affirmarent. Scripſit in carcere Eccleſiaſticum Hymnum, *Gloria Laus & Honor. &c.* elegiacis ad Palmarum diem accommodatis verſibus, ac cum obſervaret Ludovicum transeuntem, ex ergaſtuli feneſtra in aures ejus eundem cecinit, inde verſibus mirifice delectatus Imperator, continuo a carcere ipſum liberari juſſit. Abſolutus ergo ad ſuos rediit, defunctus anno, prout Sirmondus conjectat, 821. Scripſit Theodulphus *Capitula ad Presbyteros Parochiæ ſuæ* XLVI. apud Baronium, ad ann. 835. & *Concil.* T. VII. p. 1237. *De Ordine & ratione rituum Baptiſmi*, Lib. I *de Spiritu S.* Lib. I. *Carminum ad diverſos*, Lib. VI. quæ ejus Opuſcula cum notis edidit Jac. Sirmondus, Pariſ. 1646 8. exinde *in Bibl. Patr.* T. XIV. p. 1. translata *Poemata* X. Jo. Mabillon, *Analect.* T. I p. 376. Alia ejus memorat Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 352. & Elias Du Pin, T. VI. *Bibl. Nouv.* p 124. Conf. Labbeus, T. II. p. 407. poſt Bellarminum & alios.

THEODVLVS MONACHVS.

Thomas Mgiſter aliàs dictus, gente Græcus, & juxta Allatium, Patria Theſſalonicenſis, anno 1310. claruit. Scripſit *Orationem Encomiaſticam in S. Gregorium Naz. Orationes gratulatorias IV. Epiſtolas VII.* quæ omnia in Latinum vertit, atque edidit Laurentius Normannus, Upſaliæ, 1693. 4. Dictionum Atticarum Sylloge, gr. prodiit, Romæ, 1517. 1525. Pariſ. 1532 8. Franequeræ, 1690. Alia ejus, *Epiſtolas* & *Orationes*, manu ſaltem ſcripta, memorat Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 273.

THEOFRIDVS.

Ord. Bened. Monachus, & deinde Epternacenſis in Luxenburgica Diœceſi Abbas, circa annum 1101. ſcripſit *Sermones II. de Reliquiis Sanctorum*, quos exhibet *Bibl. Patrum*, Pariſ. 2. T. II. f. 1170. & in aliis editionibus. *Vita S. Willebrordi Ultrajectenſis*, apud Surium, *d. VII. Decembr. Epitaphium Sanctorum*, Lib. IV. cum Roberti notis, &

Vita

Vita Willebrordi excuſum habes, Luxenburg. 1619. 4. Obiit Theofridus, anno 1110. Confer, ſi placet, Guil. Caveum, P. II. p. 219. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 366. Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 196.

THEOLEPTVS.

Philadelphiæ Archi-Epiſcopus, Pietate, Prudentia & fortitudine inſignis, anno 1310. cujus *Cantica Eccleſiaſtica Catanyctica & Paracletica IV.* manuſcripta tenet Bibliotheca Vindobonenſis, e quibus unum *ad animam ſuam*, de Reſurrectione & judicio extremo, latine reddidit atque poſt *Simeonis Theologi Opuſcula* vulgavit, Pontanus, Ingolſtadii, 1603. Plura de eo dabit Guil. Cave, P. II. p. 272. ſeq.

THEOPHANES CERAMEVS.

Tauromenii in Sicilia Archi-Epiſcopus, de cujus ætate litigant autores. Et Franciſcus quidem Scorſus eum ad Seculum IX. reponit, Allatius verò atque Caveus, ad annum 1040. referunt. Extant ejus *Homiliæ LXII. in Evangelia Dominicalia & Feſta*, quas cum notis gr. lat. vulgavit Fr. Scorſus, Pariſ. 1644. fol. *Orationes II. in Dominica ante exaltationem crucis*, antea ediderat gr. lat. Gretſerus, *de Cruce*, T. II. p. 1207. Methodum Theophanis atque ſtylum, a ſimplicitate & perſpicuitate commendat Cave, P. I. p. 422. ubi alia non minus erudita comparent. Adde, quæ habent Caſim. Oudin, *loco citato*, p. 278. Elias Du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 196. & T. VIII. p. 111.

THEOPHANES.

Patriâ Conſtantinopolitanus, anno 758. natus, ex Leonis Imperatoris Stratore, Monachus atque demum Agri Abbas conſtitutus, ob varios, quos propter Iconolatriam perpesſus eſt, fortunæ caſus, à ſuis, *Confeſſor* dictus, anno 815. vel ſequenti, in exilio obiit. Circumfertur ſub ejus nomine *Chronographia*, gr. lat. cum Jac. Goari & Fr. Combefiſii notis, Pariſiis, 1655. f. excuſa, quam eidem abjudicare malunt autores plurimi, & cum eo Guil. Cave, P. I. p. 352. *Canon Epinicius in Dominicam I. Quadrageſimæ, Odis IX. conſtans*, habetur gr. lat. apud Baronium, *Annal. Eccleſ.* ad ann. 842. Conf. Aub. Miræus, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 223. p. 223. Phil. Labbeus, *in Protreptico ad Hiſtoriam Byzantinam*, Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 219.

THEO-

THEOPHANES GRAPTUS.

Theodori Grapti frater germanus, anno 845. Metropolita Nicenus ordinatus, ſcripſit *Canonem* ſeu *Hymnum IX. Odis conſtantem, in Theodorum fratrem*, quem exhibet *Menæum Græcorum*, d. 27. Decembr. & cum verſione latina, Combefiſius, *Orig. Conſtantinopolitan.* p. 224 De eo Cave, P. I. p. 366.

THEOPHANES.

Gente Græcus, Archi-Epiſcopus Nicenus, circa annum 1347. condidit grande & inſigne *opus adverſus Judæos*, cujus Analyſin exhibet Antonius Poſſevinus, *Appar. S.* T. II. p. 470. *Poëmata* ejus latinè vertit atque edidit Gonſalvus Poncius, Romæ, 1590. 8. *Epiſtolas*, easque manuſcriptas, adſervat Bibl. Vaticana. Conf. Poſſevinus, *Append. ad Appar. S.* p. 16. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 624. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 27.

THEOPHILVS ALEXANDRINVS.

Alexandrinæ civitatis Epiſcopus, Timothei ſucceſſor, ab anno circiter 385. usque ad annum 412. Profanum gentilium cultum funditus evertit, atque cum Nitrienſibus Monachis acriter pugnavit. Ejus *tres Paſchales Epiſtolæ* & quædam alia, Hieronymo interprete, extant *Bibl. Patr.* T. V. *Epiſtolarum Paſchalium quintæ & ſextæ* fragmenta, *Concil. Epheſ. Act. I.* p. 512. *Epiſtola ad Epiphanium*, inter *Hieronymi Opera*. *Edicta Canonica X.* & *Reſponſa* III. gr. lat. cum Balſamonis Comment. Pandect. Canon. T. II. *Epiſtola brevis* ad Chryſoſtomum, apud Palladium. Diſſertationem, *cujus rei homo ſimilis ſit*, gr. lat. Paris. 1608. 8. Frid. Morellus edidit. Plura quidem ſcripſit Theophilus, quorum ſaltem fragmenta ſuper ſunt, de quibus Gennadius, *de ſcriptor.* c. 33. Labbeus, T. II. p. 411. Guil. Cave, *Hiſt. Liter.* P. I. p. 161. Manuſcripta vero idem Cave memorat, P. II. p. 50. Conf. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 88 ſeq.

THEOPHILVS ANTIOCHENUS.

Profeſſione Gentilis, Vir valdè eruditus, Chriſtianorum caſtra ſequutus, Epiſcopus Antiochenus, circa annum 168. conſecratus, circa annum 181. vitam feliciter clauſit. Scripſit *de fide Chriſtianorum & adverſus ejus calumniatores* Lib. III. impreſſos gr. lat. inter *Orthodoxogr.*

Baſil. 1555. T. I. ad calcem *Juſtini, Martyris*, Paris. 1615. 1636. *Auctuar.* gr. lat. *Bibl. Patr.* cum notis Front. Ducæi, Paris, 1624. T. I. Seorſim verò Oxon. 1684. 12. Ei quoque tribuuntur *Commentarii in Evang. l. IV. Bibl. Patr.* T. II. exhibiti. *Liber contra Marcionem & alter adverſus Hæreſin Hermogenis*, & alia ejus, interierunt. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 31. Labbeus, T. II. p. 412.

THEOPHYLACTVS.

Patria Conſtantinopolitanus, Acridæ in Bulgaria ArchiEpiſcopus, à Deſiderio Eraſmo alicubi *Vulgarius* appellatus, floruit, anno, non 870. ut Poſſevinus, Perronius Cardinalis, aliique ſcribunt, ſed circiter annum 1071. & ſequ. prout Labbeo exploratum, T. I. p. 413. ſeq. Scripſit *Commentaria in IV. Evangelia*, quæ Baſileæ, 1524. Antvverpiæ, 1564. 8. Romæ, 1542. 1568. gr. lat. Paris. 1531. 1635. *Comment. in Acta Apoſtol.* gr. lat. ex Laurentii Sifanii interpretatione, cum quibusdam aliis, Gregorii Nyſſeni, Joh. Chryſoſtomi, Cyrilli, &c. *Orationibus*, Colon. 1568. *Comment. in Epiſtolas S. Pauli*, lat. Romæ, 1469. Antvverp. 1564. 8. Colon. 1531. Paris. 1552. gr. lat. Londini, 1636. fol. *Comment. in Habacuc, Jonam, Nahum, & Hoſeam*, Lat. Pariſiis, 1549. 8. *Epiſtolæ* LXXV. gr. cum notis Meurſii, Lugd. Batav. 1617. 4. lat. ex interpretatione Vincentii Marinerii Valentini, Colon. 1622. & *in Bibl. Patr.* T. XIIX. *Oratio in adorationem crucis*, gr. lat. apud Gretſerum *de cruce*, T. II. p. 1499. *Inſtitutionem Regiam ad Conſtantinum Porphyrogennetam, Michaelis Ducæ filium*, gr. lat. edidit Petrus Poſſinus, Paris. 1651. 4. Alia ejus adduxit Guil. Cave, *Hiſt. Litt.* P. I. p. 434. & Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 345. Du Piu, *Bibl. Nouv.* T. VI.

THEOPHYLACTVS SIMOCATTA.

Patria Locrenſis, Sophiſta ſive Scholaſticus, & Antigrapheus, hoc eſt, ex conjectura Guil. Cavei, Cancellarius, circa annum 612. ſub Heraclio floruit. *Hiſtoriam de rebus geſtis Mauritii*, *Lib.* VIII. condidit, impreſſam gr. lat. Ingolſtadii, 1604. 4. Paris. 1648. fol. *Epiſtolæ LXXXV.* varii argumenti, græcè, Venet. 1499. gr. lat. Aureliæ Allobrogum, 1606. fol. *Problemata Phyſica*, gr. Lugd. Batav. 1596. 8. gr. lat. Heidelbergæ, 1598. 8. Antvverpiæ, 1599. 8. Lipſiæ, 1613. An hujus, an præcedentis, an alius Theophylacti ſit fragmentum *de Riſu &*

voci-

vociferationibus in feſtis Sanctorum & de Nicephoro Confeſſore, quod lat. extat, *Bibl. Patr.* T. XVIII. ambigit Labbeus, T. II. p. 416. *Dictio ejus*, Photio judice. *Cod. 65. aliquid veneris habet, niſi quod figuratis vocibus & allegoricis ſenſibus, putidè nimis ac frequenter ad ſatietatem uſus; in frigiditatem quandam ac juveniles ineptias dilabatur. Veruntamen & ſententiarum illa interjectio minus opportuna diligentiam arguit curioſam & ſupervacaneam, cætera bonus, in reprehenſionem non incurrit.* Conf. de eo Poſſevinus, *in Appar. S.* Aubertus Miræus, *Auct.* c. 176. p. 215. Labbeus, *in Chronolog.* Caſimirus Oudin, *Suppl.* p. 157. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 315.

THEORIANUS.

Græcus aliquis doctus, ab Emanuele Comnemo, Græcorum Imperatore, anno 1170. ad Armenos ab erroribus revocandos miſſus; ſcripſit *Dialogum Orthodoxi cum Catholico*, hoc eſt, Archi-Epiſcopo ſeu Primate Armenorum, & *Geſta Legationis illius.* Extat gr. & lat. Baſileæ, 1578. 8. Joh. Leunclavio, Amelburno, interpete, & T. IV. *Bibl. Patr.* Paris. 2. f. 929. lat. ſaltem, ut & T. XII. *Bibl. Colon.* Vid. Labbeus, T. II. p. 417. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 475.

THEOSTERISCUS.

Medicienſis in Bithynia Monachus, Niceta, Abbate, Præceptore uſus, anno 828. floruit, atque *Nicetæ Vitam* ſcripſit, quam habes lat. apud Surium, gr. lat. apud. Henſchenium, d. III. April. Conf. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 232. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 368.

THEOTIMUS.

Scythiæ Epiſcopus, anno 457. clarus, dedit ad Leonem, Imperatorem, *Epiſtolam, de Timotheo aluro & Synodo Chalcedonenſi*, quam exhibet Concil. T. IV. p. 911.

THEULFUS.

Monachus Morigniacenſis, Ord. Bened. circa annum 1150. *Chronicon ſui Monaſterii* condidit, quod vid. T. III. p. 359. *Collect. Hiſtor. Franc.* Du Chesnii.

THOMAS AQUINAS.

Theologorum Aquila, Doctor Angelicus, Sol Eccleſiæ, ab

aliis dictus, è nobili Comitum Aquinatum Stirpe, anno 1224. in Latii Aquino caſtro natus, Ord. Prædicat. invitâ matre ſe dedit, Alexandri de Hales & Alberti Magni, aliorumque doctorum Virorum, diſcipulus, Doctor Theologiæ eâdem die cum Bonaventura, anno 1255. Pariſiis creatus, de cujus ingenio, meritis, doctrina, aliisque notabilibus, multi multa tradiderunt. In ſcholis condiſcipulis ridiculum fuiſſe, & Bovem, eò quod ſemper taceret ac tantummodo audiret, appellatum, cœlicâ verò, de edendo hujus bovis per totum orbem mugitu, voce notatum, vide Dorſchei *Epiſtol. dedicat. ſuper Thom. Confeſſ. fidei.* Ejus imagini cur appingatur Columba, vid Gerhard. *T. V. Loc. Theol.* de Cœna, §. 199. Doctoris communis nomen apud Scholaſticos reportavit, teſte Thoma Walſingo, *Hiſt. Angl.* quam Cambdenus cum aliis vulgavit, f. 45. Obiit Thomas, poſtquam in primariis Italiæ Academiis docuerat, in itinere, quod Urbani IV. P. R. juſſu ad Concilium Lugdunenſe II. evocatus, ſuſceperat, non procul à Tarracina, in Cœnobio Foſſæ Novæ, anno 1274. Plus riſum movet fabula, apud Manlium, *Collect.* f. 646. quod eâ ipsî horâ, quâ mortuus Thomas, ad eum, in uſitata legentem cathedra, S. Paulus Apoſtolus ingreſſus in auditorium. Et cum illum interrogaſſet Thomas, rectene interpretatus fuerit ejus Scripta, reſpondiſſe: *Rectius cæteris omnibus* &c. Maxime Thomam laudat Sixtus Senénſis, *Bibl.* L. IV. p. 308. *In Sacris ſincerioris Theologiæ ſtudiis ita ſapientiſſimo Auguſtino proximus inceſſit, atque ita mentem ejus & omnes reconditos ſenſus introſpexit, exhauſitque; ut juxta Pythagoræ Metempſychoſim communi omnium doctiſſimorum Adagio jactatum ſit, Auguſtini animam migraſſe in Thomam.* Plura ejus encomia exhibuit Thomas Pope-Blount, *Cenſur. celebriorum autorum* Operum ejus, quæ certè plurima reliquit, variæ hactenus editiones prodierunt, utpote Venetiis, 1490. fol. Noribergæ, 1496. fol. T. XVII. Romæ, 1570. Venet. 1594. Antwerp. 1612. T. XIIX. quæ ordine enumerant Labbeus, T. II. p. 436. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 505. Seorſim quoque non exigua ejus ſcripta in apertum data ſunt, *Comment. in quosdam Ariſtotelis libros*, Venet. 1496. *Comment. in IV. Lib. Sententiarum*, Baſil 1492. Paris. 1574. 8. Venet. 1481. 1490. fol. *Quæſtiones X. de Potentia Dei*, Argentor. 1500. *Quæſtiones Quodlibeticæ XII.* Colon. 1471. 1485. 1491. fol. Norib. 1474. Ulmæ, 1475. *Summa Catholicæ fidei contra Gentiles* Lib. IV. Romæ, 1476. Venet. 1480. fol. Lugduni,

duni, 1566. f. *Summa Theologiæ P.* III. diſtincta, Colon. 1604 Duaci, 1614. Antwerp. 1624. Bonon. 1514. Venet. 1596. f. T. V. & alibi. *Expoſitio in Canticum Canticorum*, 1545. 8. *Catena aurea in IV. Evangelia* Lugduni, 1530. 8. Antwerpiæ, 1678 fol. *Comment. in IV. Evangeliſtas*, Norimbergæ, 1474. T. II. Venet. 1486. *Expoſitio in Epiſtolas Pauli*, Baſil. 1475. Bononiæ, 1481. fol. *Sermones pro Dominicis diebus & Sanctorum ſolemnitatibus*, Romæ, 1571. 8. *Opuſcula* LXXII. cum Antonii Pizamani, Patricii Veneti, *de Vita Thomæ*, præfatione, Venetiis, 1497. Plurima ex illis, ibidem, 1587. 1596. *Comment. in Geneſin*, Lugduni, 1573. 8. *Comment. in Lib. Maccabæorum*, Paris. 1596. 8. *Comment. in omnes Epiſtolas Canonicas*, Paris. 1543. 8. 1550. Lugd. 1556. Antw. 1592. *Comment. in Boethii lib. de conſolatione Philoſophiæ*, Lovan. 1487. f. Lugd. 1514. 4. & alia alibi expreſſa. *Thomam Confeſſorem Veritatis Evangelicæ Aug. Confeſſ. repetitæ*, juxta IV. Tomos Controvers. Bellarmini examinatum B. Dorſchæus, Francof. 1656. 4. impreſſum, exhibuit. Agunt de Thoma Aquinate, poſt jam citatos autores, Baronius, Bellarminus, Natalis Alexander, Elias du Pin, & alii.

THOMAS de ARGENTINA.

A Patria & natali civitate ſic dictus Ord. S. Auguſt. Prior Generalis Pariſiis anno 1345. electus, Viennæ, 1357. defunctus, ſcripſit *in IV. Libros Sententiarum Commentarios*, Argent. 1490. Venet. 1564. Genuæ, 1585. Ticini & alibi editos. Diverſus fuit ab hoc Thomas de Argentina, Ord. Præd. anno 1495. clarens, Scriptor *Sermonum*, *Meditationum*, *Epiſtolarum*, ſicut poſt Trithemium & Simlerum monuerunt Labbeus, T. II. p. 437. & Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 27.

THOMAS BECKET.

Patre Gilberto, Mercatore, Londini in Anglia natus, Oxonium, Lutetias, Bononiam, ſtudiorum cauſa adpulit. Poſtquam in Patriam eſſet reverſus, Archidiaconatus Cantuarienſis & aliis auctus eſt honoribus. Summus enim Angliæ Cancellarius atque demum Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, anno 1162. conſecratus eſt. Cum autem Clericos omni poteſtate Regia liberos pronunciaret, atque alia perpetraret facinora, in Concilio Northamtunenſi damnatus, atque ſede ſua expulſus eſt. Hanc infelici quidem omine, anno 1170. recuperavit, à quatuor quippe ſatellitibus regiis, eodem anno, Cantua-

riæ, interfectus, Vir ambitioſus, perjurus, atque ex ſententia, Cl. Cavei, P. I. p. 473. procaciſſimus. Scripſit Thomas *Epiſtolarum* Lib. VI, quos cum *Vita ejus*, edidit Chriſtianus Lupus, Bruxellis, 1682. 4.

THOMAS BOGKINGHAM.

Natione Anglus, Theologus atque Oxonienſis Cancellarius, qui anno 1270. floruit, ſcripſit Comment. in *IV. Libr. Sententiarum, qui* Pariſiis, anno 1505. prodiit, *Comment. ſuper Deuteronomium, Eſaiam, Epiſtolas Pauli, & Apocalypſin S. Joh.* manuſcripta adſervantur in Bibliotheca Balliolenſi. Agunt de eo Poſſevinus, *in Appar. S.* p. 827. Luc. Waddingus, *in Bibl. Ord. minor.* p. 323. qui poſterior plura Thomæ Opera adducit. Adde Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 538. qui hunc cum Thoma de Dokingham, Eccleſiæ Oxonienſis Cancellario, cujus *Quæſtiones* LXXXVIII. Oxonii extant, unum eſſe probabiliter credit.

THOMAS BRADWARDINUS.

Hatfeldia in Diœceſi Ciceſtrienſi, juxta Baleum, oriundus, *Doctor profundus* appellatus, Collegii Mertonnenſis Procurator, Theologiæ Doctor, Canonicus Lincolnienſis, & Cancellarius Eccleſiæ Cathedralis Paulinæ Londinenſis, imò Archi-Epiſcopus Cantuarienſis deſignatus, anno 1348. ante conſecrationem obiit. Scripſit *de cauſa Dei & de Veritate cauſarum, contra Pelagium* Lib III. qui Henr. Savilii cura, Londini, 1618 f. prodierunt. *Geometrica Speculativa*, Paris. 1530 *Arithmetica Speculativa*, Pariis, 1502. utraque ibidem, 1512. *Tractatus Proportionum*, Venet. 1505. Alia ejus plura memorant Baleus, *Centur.* V, c. 87. Altamura, *Bibl. Præd.* p. 133. & in appendice, p. 489. qui eum ad Dominicanos falsò retulit. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 630. Adde, Anton. Poſſevinum, *in Appar.* S. & Henr. Whartonum. *Append. Cav.* p. 28. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 134 ſeq.

THOMAS CANTIPRATENSIS.

Natione Brabantus, Leuvis S. Petri celebri prope Bruxellam municipio, nobili proſapiâ ortus, regularem primò vitam in Cantiprato prope Cameracum egit, unde ei cognomen Cantipratenſis adhæſit, dein Ord. Præd. addictus, Alberti magni auditor, Thomæ Aquinatis æqualis, tandem Cameracenſis Epiſcopi ſuffraganeus factus, floruit ab anno 1252. ad 1263. Scripſit *Opus de Apibus Myſticis*, quod vo-

catur *Bonum univerſale*, in eo namque omni hominum ſtatui, tam Prælatis, quam ſubditis e mirifica apum republica rationem vitæ benè pieque inſtituendæ oſtendere voluit. Prodiit Duaci, 1597. 1605. & cum notis Georgii Colvenerii, ibidem, 1627. 8. At non ſine fucis & mendaciis, ſicut docet Dorſchæus, *Antikirch.* p. 275. *Vitam B. Chriſtianæ*, dictæ *Mirabilis*, & *Vitam B. Mariæ Ognicenſis*, exhibet Surius d. XXIII. Junii. *Vitam B. Lutgardis, Monialis de Aquiria*, idem, d. XVI. Junii. *Vita* verò *B. Margaritæ Iprenſis*, prodiit Duaci, 1618. Liber operoſus, *de Naturis Rerum* interiit. Confer de eo Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 506.

THOMAS CHAUNDLERUS.

Quem male *Johannem* ſcripſit Balæus, Anglus Somerſetenſis, prudentia pariter atque eruditione, circa annum 1457. conſpicuus, poſt alia, quæ obiit, munera, Academiæ Cancellarius, Eccleſiæ Parochialis de Hardwyck Rector, Cathedralis Wellenſis & Eboracenſis metropoliticæ Cancellarius, Capellæ Regiæ & Herefordienſis Decanus factus, has dignitates omnes, ſenio fractus, abdicavit, placideque anno 1479. obiit. Ejus *Chronicam brevem de ortu, vita & geſtis Wilhelmi de Wickam*, in publicum emiſit Henr. Wharthon. *Angl. S.* T. II. p. 355. *Allocutionum opus de laudibus ejusdem*, formâ *Dialogi* conſcripſit, cujus partem idem Whartonus, *loco citato*, p. 357. exhibuit. Alia ejus Manuſcripta poſt Pitſeum & Balæum, memorat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 312.

THOMAS CHESTERFIELD.

Sive *Cheſterton*, Canonicus Lichfeldienſis, circa annum 1347. *Seriem Epiſcoporum Coventrenſium & Lichfeldenſium, & Hiſtoriam Eccleſiæ* a prima fundatione, ab ann. 656. ad ſua tempora ſcripſit, quam cum *appendice* Guil. Whitlock & notis edidit Henr. Whartonus, *Angl. S.* T. I. p. 423. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 279.

THOMAS.

Ciſtertienſis Monachus, eruditione, circa annum 1201. inſignis, ad Pontium, Epiſcopum Claromontenſem, *Expoſitionem Cantici Canticorum* ſcripſit, excuſam, Paris. 1521. Lugduni, 1571. Hanc quidem Thomæ noſtro abjudicant Jo. le Paige, Paulus Reatinus, Carolus

lius de Viſch & alii, de quibus fuſiſſime dixit Caſimirus Oudinus. *Supplem.* p. 443. ſeq. eosdemque, ex Codicum manuſcriptorum fide, ſolidè confutavit. Confer, quæ de Thoma exhibet Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 188.

THOMAS DORNIBERG.

Memmingenſis, Decretorum Artiumque liberalium Doctor & Conſulatus Spirenſis Advocatus, circa annum 1455. Autor *Compendii Theologicæ Veritatis* Lib. VII. anno 1473. & Argentinæ, 1489. fol. excuſi. *Aureola* ex floribus B. Hieronymi Confeſſoris contexta, Romæ, 1472. fol. prodiit. Loquitur de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 311. Ehingerus, *Bibl. Aug.* f. 96.

THOMAS HASELBACH.

Germanus, Theologiæ in academia Viennenſi Profeſſor, anno 1420. floruit, atque ſcripſit *Sermones Dominicales ſuper Epiſtolas Pauli*, anno 1478. excuſos. *Sermones de Confeſſione & de SS. Chronicon & enarrationes in Eſaiam* & alia recitat Gesnerus, *Bibl.* p. 795. Mentis acumen ipſi de negat Æneas Silvius, qui eum in primum Eſaiæ caput XXII. annos prælegiſſe, *Epiſtol.* 165. ſcribit. Diſſeruit de Thoma Haſelbach Guil. Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 102. quem amplexi ſumus.

THOMAS JORSIUS.

Sive *Joyce*, Alberto M. Præceptore uſus, Ord. Præd. Theologiæ Doctor Pariſiis, atque Londini Scholas aperuit. Dominicanorum deinde in Anglia Provincialis, Edwardo Regi à Confeſſionibus & ſecretis Conſiliis, imò Cardinalis & Sabinenſis Epiſcopus renuntiatus eſt. Floruit Thomas anno 1305. juxta Henr. Whartonum, nón verò 1400. juxta Trithemium & Caſimirum Oudinum. Obiit Lugduni in itinere, ad Henricum VII. Imperatorem à Clemente Legatus, anno 1311. Ejus ſunt *Commentarii in Libros Auguſtini de civitate Dei*, Toloſæ, 1488. excuſi. *Opus aureum in XXVII. Pſalmos*, Venet. 1611. fol. *Interpretatio Metamorphoſeωs Ovidianæ ſecundum ſenſum moralem*, Paris 1509. *Comment. in Octateuchum : Comment. ſuper duos nocturnos Pſalmorum : de quatuor Prædicabilibus ad omne genus humanum : de Theoria prædicandi : de inſtantibus & momentis & de videndo faciem Dei poſt reſurrectionem*, & alia Manuſcripta, quæ recitat Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 8.

p. 8. Sixtus Senenſis, *Bibl. S.* Labbeus, T. II. *de Scriptor. Eccleſ.* p. 435. 451. Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 674. ſeq. Anton. Poſſevinus, *Appar.* S. T. II. p. 476. Aub. Miræus, *in Auctar.* c. 456. p. 166. Ambroſius de Altamura, *in Bibl. Prædic.* ad ann. 1311. p. 88. & *in append.* ejusdem anni, p. 467. qui tamen fruſtra Thomam noſtrum in quatuor Scriptores diſſecuit. Adde Balæum, Pitſeum & alios. Multa tamen ex his Tho. Jorgii opuſculis debentur Thomæ Walleis, de quo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 20. fuse diſſeruit.

THOMAS à KEMPIS.

Patriâ Kempenſis, ſive a Campis, modico in Diœceſi Colonienſi ad Rhenum oppido, aliàs *Hammerlein*, ſive *Malleolus* cognominatus, Ord. Canon. Regular. S. Auguſt. Congregationis Windeſimenſis Religioſus, poſt Procurator & Superior, in monte Divæ Agnetis prope Zwollas in diœceſi Ultrajectenſi, obiit ætatis anno 91. annô Salutis 1471. Vir pius & devotus, cujus quoque corpus, anno 1682. repertum, religioſe aliquando colendum, ſperat Papebrochius, *Conat. Chronol.* ad Catal. Pontif. P. II. p. 83. *Vitam* Kempiſii ſcripſit Jodocus Badius. Scripta verò variis in locis impreſſa videas, Noribergæ, 1494. fol. Paris. 1520, 1570. f. Venet. 1565. 1569. Antwerp. 1574. 1480. 8. Antwerp. 1607, 4. 1615. 8. Duaci, 1635. 8. Recenſet illa Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 90. Seorſim verò prodiit *Alphabetum Religioſorum*, ſub Bonaventuræ nomine, Argentinæ, 1495. Litigant Scriptores de autore hujus opuſculi. Waddingus idem Bonaventuræ tribuit, Kempenſi verò Trithemius, Poſſevinus, Sweertius, Rosweydus & alii. *Meditationes de Vita Chriſti ac de beneficiis ejus*, Colon. 1626. 8. *Chronicon Monaſterii S. Agnetis*, Antwerpiæ, 1615. 1621. 8. Rosweydus edidit. *De Imitatione Chriſti* liber in omnes fere linguas translatus eſt. Extat enim Anglicè, Germanicè, Gallicè, Italicè, Hiſpanicè, Bohemicè, Hungaricè, Arabicè, Turcicè, græcè & neſcio, quo non idiomate, expreſſus. Græcè prodiit Aug. Vindel. 1615. Lat. —— 1485. 8. Venet. 1501. Antwerp. 1569. 12. Antwerp. 1621. 8. 1664. 24. Paris. 1640. fol. Amſtelod. 1679. 12. & alibi. Parvus quidem iſte liber, quoad molem, ſed pretio magni habendus, adeò, ut Bellarminus poſt alios, Tho. Blountio, *Cenſura Celebr. Autor.* memoratos, de eodem ſcripſerit: *Ego certe ab adoleſcentia & usque ſenectam hoc opusculum ſæpe volvi & revolvi, & ſemper mihi*

mihi novum apparuit, & nunc etiam mirificè cordi meo ſapit. De autore acriter olim fuit pugnatum, quam litem, cum noſtram haud facimus, intactam relinquimus, plerumque cupidos ad Henr. Whartonum, qui ejus Hiſtoriam retulit, remittimus. Nec enim Joh. de Gerſen, nec Thomæ noſtro firmiter illum adſcribimus, rationes pro utraque ſententia reddentes. Neque pluribus cum autoribus adjudicandum eſſe, exiſtimamus. Videant, quibus hæc ſcrutari placeat, quid in re tam intricata atque incerta adſerere liceat. Phraſes Enthuſiaſticas in illo quærunt Dannhauerus, Hunnius, Himmelius, aliique ex recentioribus Theologis. Hinc expurgatum illum & antidotis munitum, vernacula noſtra edi fecit B. Patruus noſter, D. Joh. Olearius, Lipſiæ, 1671. Agunt de Thoma à Kempis, Trithemius, Bellarminus, Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* f. 837. Labbeus, T. II. p. 441. Lud. Jacob à S. Carolo, *Tract. de Bibl.* P. I. p. 55. Jacob Thomaſius, *Schediasm. Hiſtor.* p. 70. Heribertus Rosweydus, *in Vindiciis*, Naudæana. p. 93. 216. Patiniana, p. 99. Elias du Pin, & alii.

THOMAS de LEONTINO.

Sive Leutino, gente Siculus, Ord. Prædicat. Neapoli Prior, poſt Lombardiæ Provincialis, Epiſcopus Bethlehemiticus, Cuſentinus Archi Epiſcopus & Patriarcha Hieroſolymitanus, Hieroſolymæ anno 1277. juxta Labbeum, obiit. Scripſit *Vitam S. Petri Martyris Ordinis ſui*, quæ habetur apud Bollandiſtas, ad d. XXIX. Aprilis. Dicunt de eo Bollandiſtæ *in Præludiis.* Altamura, *in Bibl. Domin.* ad ann. 1276. p. 45. Caſim. Oudin, *Supplem.* p. 548.

THOMAS.

Maurigniacenſis Abbas, circa annum 1144. claruit, cujus *Epiſtola ad S. Bernhardum* habetur apud Baluz. *Miſcellan.* T. IV. p. 459. Hæc pauca de eo Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 465.

THOMAS PALMERANVS.

Doctor Sorbonnicus, circa annum 1290. Alphabetico ordine *Flores Doctorum* ex Patribus excerpſit, editos Pariſiis, 1556. & alibi. *Flores* item *Bibliorum*, cum præcedenti opuſculo, Pariſiis, 1662. 12. Lugduni, 1678. & 1679. 12. T. II. Minoritis eum accenſet Lucas Waddingus, *in Bibl. Ord. minor.* p. 326. eumque ad annum 1330. reponit.

Va-

Varias operum Thomæ Palmerani editiones recitat Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Manuſcripta vero Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 557.

THOMAS RADINUS.

Todiſchus quoque appellatus, Italus Placentinus, Ord. Domin. Theologiæ, Poeſeos, Philoſophiæ & Oratoriæ peritiſſimus, quæ omnia absque ullo Præceptore, addidicit, circa annum 1510. claruit. Extat ejus *Callipſychia*, ſive *de pulchritudine animæ* Liber, Mediolani, anno 1511. excuſus. *Abyſſus Sideralis*, Paris. 1514. 4. *Oratio contra Lutherum*, Lipſiæ, 1520. 4. alia *contra Melanchtonem*, Romæ, 1522. 4. Agit de eo Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 136.

THOMAS.

Dalmata Spalatenſis, factus, anno 1200. in Patria Canonicus, & anno 1230. Archidiaconus, Pietate conſpicuus, anno 1268. obiit. Ejus *Hiſtoriam Salonitanam* ſive *Pontificum Salonitanorum atque Spalatenſium*, cap. LI. ad calcem operis *de Regno Dalmatiæ & Croatiæ* excudi fecit Joh. Lucius, Amſtelod. 1666. fol. p. 310. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 248.

THOMAS STVBBS.

Sive *Stobæus*, Anglus Eboracenſis, Ord. Domin. Theologiæ Doctor, ab anno 1360. ad 1373. & ultra floruit. Extat ejus *Chronicon Archi Epiſcoporum Eboracenſium*, apud Twisdenum, inter X. *Scriptores Angliæ*, Londini, 1652. f. excuſos, p. 1685. Vid. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 34. Plura ejus Manuſcripta Theologica recitant Balæus, *Centur.* VI. c. 36. Pitſeus, p. 512. Altamura, *Bibl. Domin.* p. 125. Antonius Senenſis Luſitanus, *Bibl. Prædic.* f. 247. Caſimirus Oudin, Supplem. p. 632.

THOMAS WALDENSIS.

Netterus cognomento, VValdenſis a natali loco, in agro Eſſexienſi ſito, dictus, Ordin. Carmelit. in Anglia Prior, Concilio Piſano, anno 1409. & Conſtantienſi, anno 1415. interfuit, Henrico V. & VI. Angliæ Regibus, a Confeſſionibus & Secretis, obiit Rothomagi in Normannia, anno 1430. Vid. Pitſeus, *de Scriptor. Angl.* f. 620. qui & Ca-

talogum Scriptorum ejus exhibet, e quibus tamen vix unicum lucem adſpexit, *Doctrinale antiquitatum fidei Eccleſiæ Catholicæ*, in tres Tomos digeſtum, quorum primus, *de Deo, Chriſto, Petro, Eccleſia, Religioſis.* Secundus, *de Sacramentis.* Tertius, *de Sacramentalibus*, agit, & Pariſiis, anno 1532. fol. Salmanticæ, 1556. fol. Venet. 1571. f. & alibi excuſum. Conf. Balæus, *Cent. VII.* c. 84. Labbeus, T. II. p. 449. & Henr. VVharton, *Append. Cav.* p. 60.

THOMAS.

VValſinghamus, ab oppido cognomine appellatus, Anglus Nortfolcienſis, Ord. Bened. Monachus & Præcentor in Cœnobio S. Albani, circa annum 1440. Extant ejus *de rebus Anglicis Hiſtoriæ II.* apud Cambdenum, inter *Scriptores Angl. Normann.* Londini, 1574. fol. Francof. 1602. fol. Alia ejus repræſentat Baleus, *Cent. VII.* c. 88. & ex eo Henr. VVharton, *loco citato*, p. 82. Conf. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S. T. II.* p. 473. Aub. Miræus, in *Auct. de Scriptor.* c. 515. p. 279. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 713. ſeq.

THOMAS WICCIVS, vide WICCIVS.

TICHONIVS.

Afer, Donatiſtarum Patronus, anno 390. vixit, Vir divinæ & humanæ Sapientiæ peritiſſimus, ſcripſit *Comment. in Apocalypſin S. Joh. XIIX. Homil.* comprehenſum, nec ſatis ſanum, quem inter Auguſtini, cui falsò adſcriptus, *Opera*, T. IX. reperias. *Regulæ VII. ad Inveſtigandam & inveniendam intelligentiam SS.* ibid. cum examine Auguſtini extant. Habentur quoque in *Bibl. Patrum* paſſim, correctisſima verò & novisſima *editione Lugdun.* T. VI. p. 49. Evolvas quoque Cl. Caveum, P. I. p. 165. qui *Libros III. de Bello inteſtino*: item *Expoſitiones diverſarum cauſarum*, memorat. De eo Auguſtinus, Lib. III. *de Doctr. Chriſt.* c. 30. & Lib. II. *retract.* c. 18. Casſiodorus, *Præf. in Pſalmos & Lib. Divin. Inſtit.* c. 9. Iſidorus L. I. *de Somno bono*, Molanus, in *Bibl. Manuſcript.* S. du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 3.

TIMOTHEVS.

Epiſcopus Alexandrinus, anno 379. factus, Gregorii Nazianzeni hoſtis infenſisſimus, obiit, anno 385. Scripſit *Reſponſa Canonica*, quæ

quæ cum *Balſamonis Comment.* gr. lat. Paris. 1618. & Oxonii, in *Pandect. Canon. T. II.* anno 1672. prodierunt. *Narratio de Miraculis S. Menæ* habetur Lat. apud Surium, ad d. X. *Nov. Epiſtolam ejus ad Diodorum Tarſenſem* citat Facundus, L. 4. c. 2. *Librum de Vitis Monachorum*, Sozomenus L. 6. c. 29. p. 680. Tract. *de Hæreſi Manichæorum* penes Cl. Galeum, manuſcriptum extare, fidem facit Cave, P. II. p. 50. qui alia, quæ huc faciunt, nec minus erudita, commonet. Adde Eliam du Pinium *Bibl. Nouv.* T. II. p. 128.

TIMOTHEVS.

Magnæ Eccleſiæ Conſtantinopolit. Presbyter, Vaſorum Templi S. Deiparæ in Chalcopratis cuſtos, circa ann. 511. clarus, quo Patriarcha Conſtantinopolit. conſtitutus eſt. Plura de eo memorat ex antiquis, Theodorus Lector, Lib. II. p. 563. & ex recentioribus Cave, P. I. p. 315 P. II. p. 106. Scripſit ad *Joh. Presbyterum Conſtantinopolit. Epiſtolam de variis hæreticis ac diverſis eorundem in Eccleſiam recipiendi formulis*, quæ lat. extat in *Bibl. Patr.* prioribus editionibus. Græcè apud Joh. Meurſium, in *Variis divinis*, Lugd. Batav. 1619. 4. editis. gr. lat. apud Combefis. *Auctar. Nov.* T. II. cum notis apud Cotelerium, gr. lat. *Monument. Eccleſ. gr.* T. III. p. 377. Manuſcriptus in Bibl. Vindobonenſi, editis multo auctior habetur.

TIMOTHEVS.

Presbyter aliquis Hieroſolymitanus, a Coccio ad annum 570. collocatus, ſed ſine ratione, ſic ut ait *Chronologicus Index Bibl. Patr. Colon.* Ejus *Homilia de Propheta Simeone Chriſtum Ulnis ſuſcipiente*, *Bibliotheca citata*, T. IV. extat.

FRANCISCVS TITELMANNVS.

Belga, territorii Leodicenſis oppido, Haſſelt, ortum duxit, Ord. Min. Lovanii prius, dein Capuccin. Romæ addictus, anno 1537. non vero 1553. uti Miræus *Elog. belg.* f. 63. tradit, obiit. vid. Willotus, *Athen. Franciſc.* p. 144. ſeq. Labbeus, T. II. p. 324. Scripſit *Elucidationem in Pſalterium*, editam Lugd. 1556. in *Math. & Job.* ibidem. item in *Jobum, Eccleſiaſt. Canticum, in Epiſt. Apoſt. &c.* Tract. *de Superbenedicta Trinitate*, excuſum, Antw. 1530. annexa *oratione, de præmatura morte piorum.* Extant

 quo-

quoque poſt alia multa, ejus *Lib. XII. de Conſideratione rerum naturalium, earumque ad Creatorem devota & hymnidica reductione*, Paris 1543. & alibi.

ALPHONSVS TOSTATVS.

Hiſpanus, in Vaccæis Madrigale natus, ex Doctore & Presbytero Salmanticenſi, Abulenſis in eadem Hiſpaniâ Epiſcopus, Conſiliarius Regius, Majorque referendarius, obiit 40. tantum annorum, anno 1454. Concilio Baſileenſi interfuiſſe creditur, Vir ultra Seculi captum eruditus, de quo Hiſpani dixerunt, *Hic ſtupor eſt mundi qui ſcibile diſcutit omne.* Joh. Marianæ, Lib. XXI. c. 18. f. 286. *Alfonſus Tonſtanus* dicitur & Scriptorum, librorumque, manu propriâ exaratorum, mole, antiquitatis cognitione, pietate, eruditioneque multiplici ad miraculum clarus audit. Tot atque tanta conſcripſit Toſtatus, ut ſi vel à primo natalis die numerando terna cuique folia attribuas, plura ſcripſiſſe comperias. Plus enim ac quadringenti illius libri ex Hiſpania in Italiam advehendi, ad prelumque parati, naufragio immerſi ſunt, ut ejus jam impreſſa taceamus. Nævos in eo varios animadvertas. Præterquam enim, ut Mariana *loco citato*, teſtatur, in Papalem autoritatem, ipſum ſtudio defendendi ſua ante propoſita, ab Eugenio, P. R. notata, & Cardin. Turrecremata impugnata, placita, invectum, rudem ejus in Hebraicis ignorantiam notat Havemannus, *Theognos.* p. 81. & Aug. Torniellus, *Annal.* f. 263. b. In eodem majorem quoque erga Patres reverentiam deſiderat Lorinus, *Commentar. ad Pſalmos*, f. 83. Huc refer, quod Dorſcheus, *Concil. Sirmienſ.* p. 185. ait, eum contra Lyranum etiam calore juvenili diſputaſſe, & teſtimonia V. T. pro SS. Trinitatis Myſterio, judaicis exceptiunculis aggreſſum eſſe. Ejus Scripta Venetiis, 1530. 1596. & Coloniæ, 1612. T. XXVII. fol. prodierunt. Sunt autem *Commentarii in Deuteromium, Joſuam Judices, Ruth, in Libros Regum, Paralipomenωn, in Evangelium S. Mathæi, defenſorium trium Concluſionum*, Lib. *de V. figuratis Paradoxis*, ſeorſim quoque Duaci excuſus, anno 1621. 8. *Libellus de SS. Trinitate*, & Tractatus varii. *Cenſura Colloquii Ratiſponenſis* ſeorſim prodiit alicubi, 1608. 4. *Comment. in Libros Chronicorum Euſebii*, Hiſpanicè, Salamanticæ, 1506. *Quæſtiones XIV.* Antwerpiæ, 1531. Aliorum ejus deperditorum titulos recitat Anton. Poſſevinus, in *Appar.* S. T. I. p. 47. Agunt de Toſtato, Aub. Miræus, *Auctar. de Script. Eccleſ.* f. 29. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 75. Andr. Schottus & Nicolaus Antonius, in *Bibl. Hiſpan.* quos conſulas.

TITVS.

TITVS.

Boſtrorum Epiſcopus, anno 362. clarus, obiit circa an. 371. Scripſit *Lib. III. adverſus Manichæos*, quos Henr. Caniſius, *Lection. antiq.* T. V. inſeruit, exinde in *Bibl. Patr.* T. IV. translatos. *Homil. in Ramos Palmarum*, apud Combefiſ. *Auct. Nov.* T. I. p. 635. quam tamen noſtro Tito Boſtrenſi abjudicat Cave, P. I. p. 128. *Expoſitio in Evangel.* S. Lucæ, quæ itidem noſtro non adſcribenda, prout egregie Cl. Richard. Simonius, *Hiſt. Crit.* N. T. c. 30. edocuit. Citat. enim ibidem Chryſoſtomum, Gregor. Naz. Cyrillum Alex. & alios, ſeipſo recentiores. Plura Titi Boſtrenſis fragmenta exhibet Corderius, in *Catena Patrum in Lucam.* Prodiit primum *Expoſitio illa* in Lucam, interprete Theodor. Peltano, cum Victoris Antiocheni *in Marcum Commentariis*, latinè Ingolſt. 1579. & gr. lat. in *Bibl. Patr.* Conf. Labbeus, T. II. p. 452. Vide quid de diverſis Titis Boſtrenſibus annotaverint Dorſcheus, P. I. *Theol. Zachar.* p. 301. & Tho. Ittigius, *Præf. Catenæ Patrum*, *p.* 63. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. II p. 128.

TRIFOLIVS.

Presbyter, anno 520. clarus ſcripſit *Epiſtolam ad Fauſtum, Senatorem Romanum, de doctrina Scytharum Monachorum*, quam ex Schedis Sirmondianis mutilam produxit Labbeus. Vid. illam *Concil.* T. IV. p. 1590. Pauca de eo Cave P. I. p. 281. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 36.

TVRCIVS RVFVS ASTERIVS.

Patricius, Vir conſularis, vixit anno 494. & ſcripſiſſe fertur *Collationem V. & N. T.* carminicè, quæ à quibusdam Claud. Mamerto, ab aliis, Sedulio tribuitur. Extat ſub Turcii nomine in *append. Bign.* p. 701. & *Bibl. Patr.* T. IX. p. 464. & alibi. Rectius tamen Sedulii dicitur hoc Poema, quod e Scriniis ejus protraxit Turcius. Evolvas Cl. Caveum P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 266.

TVRGOTVS.

Anglus, Prior & Guilielmi Epiſcopi, Archidiaconus, Decanus, Vice Dominus & tandem S. Andreæ in Scotia Epiſcopus, floruit anno 1108. Obiit Dunelmi, ann. 1115. Scripſit *Hiſtoriam Eccleſiæ & Epiſcopo-*

rum

rum Dunelmenſium, à primis temporibus ad annum 1097. Capit. 116. Extat illa manuſcripta in Angliæ Bibliothecis. Audax nimium facinus Simeonis Dunelmenſis, qui Scriptoris adeo ſibi nuperi opus ſibi ipſi quaſi novum atque proprium, arrogavit, ſuoque ſub nomine, paucis demtis, vulgavit. *Vitam Malcomi Regis Scotorum* Turgoto adſcribit Voſſius, *de Hiſt. Lat.* *Lib. II.* p. 397. Conf. de eo Guil. Cave, P. II. p. 220. & quem allegat, Jo. Seldenus, *Præf. ad Hiſt. Angl. Script. X.* p. 4. ſeqq. Baleus, *Cent. II. Lib. LX.* p. 169. Pitſeus, *de Script. Angl.* p. 194.

TVRIBIVS.

Hiſpanus, Aſturicenſis, anno 447. Epiſcopus, ſcripſit *Epiſtolam* ad Idacium & Ceponium, Hiſpanos Epiſcopos, de non recipiendis Libris apocryphis & de damnatione Priſcillianiſtarum, quam extulerunt Ambroſius de Morales, *Hiſt. Hiſp.* Lib. II. c. 26. Baronius, ann. 447. p. 43. & Joſephus d' Aguirre, *Concil. Hiſpan.* T. II. p. 218. qui poſtremus genuinam ejus autoritatem adverſus Baluzium egregie vindicavit. Plura, quæ perierunt, Turibii Scripta, adducit Cave, P. II. p. 86.

TVRPINVS.

Vel *Tilpinus*, ortu Gallus, ex Monacho S. Dionyſii Pariſienſis, Caroliqne M. Secretario, ArchiEpiſcopus Rhemenſis factus, anno 773. claruit, obiit, anno 811. Circumfertur ſub ejus nomine *Hiſtoria de Vita Caroli M. & Rolandi*, apud Reuberum, *Script. German.* p. 67. Verum non immerito hunc laborem Turpino abjudicant, Hottomannus, Papirius Maſſonius, Dunza, Voſſius, Cave, aliique, quos conſule. Nec enim congruunt tempora & alia antiquitatis monumenta. *Vitam* Turpini prolixius deſcribunt Sanmarthani, *in Gall. Chriſt. in ArchiEpiſcopis Rhemenſibus.*

V.

VALENTINVS.

PHilipopoleos Archi Epiſcopus anno 457. clarus, dedit *Epiſtolam* de Synodo Chalcedonenſi, ad Leonem, Imperatorem, quam Lat. *Concil.* T. IV. p. 909. exhibet. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 254.

PRISCVS

PRISCUS VALERIANUS.

Cemelienſis, ſive Cemelenſis aut Cimellienſis Vediantiorum in extrema Alpium maritimarum provincia Epiſcopus, qui *Regenſi*, anno 439. & Arelatenſi 455. Synodis interfuit, ſcripſit *Homilias* XX. Pariſiis, 1612. 8. Sirmondi curâ cum *Epiſtola ad Monachos Paraneticâ* vulgatas, & cum *Leonis* atque *Chryſologi Operibus*, Theophili Raynaudi operâ, Lugduni, 1633. f. & *in Bibl. Patr.* T. VIII. Priſci Valeriani, Cimelenſis Epiſcopi, *Sermo de Bono diſciplinæ*, juxta cum VII. aliis *Scriptoribus Pareneticis Veter.* excuſus eſt, cum notis Melch. Goldaſti, Inſulæ, 1604. 4. Semipelagianiſmi quidem Valerianum accuſavit ſcriptor quidam Anonymus, ſed minus recte, arbitrante Raynaudo, qui peculiari iſtum *Apologia* defendit, cum Valeriani opuſculis impreſſâ: Vide, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 240. & Labbeum, T. II. *Differt.* p. 454. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 179. qui omnes Valeriani *Homilias* ordine enumerat.

VALERIUS.

Hiſpanus Aſturicenſis, Monachus & Cœnobii S. Petri de montibus in Galæcia, Abbas, ab anno 680. ad 695. claruit. *Vitam S. Fructuoſi, Epiſcopi Bracarenſis*, ab ipſo ſcriptam, exhibet Mabillonius, *Sec. Bened.* II. p. 582. *Tractatus de inſtitutione novæ vitæ*, apud Joh. Tamajum, in *Martyrologio*, d. XXV. febr. habetur. *Vita S. Eucheriæ, Hiſtoria Revelationis & Miracula SS. Maximi & Bonelli, Liber de vana Seculi Sapientia*, & alia in membranis deliteſcunt. Conf. de eo Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſpan. Veter.* L. V. c. VII. p. 302. & poſt hunc Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 133. qui alium quoque Valerium, Archipresbyterum Aſturicenſem, P. I. p. 404. memorat, eundemque circa annum 404. floruiſſe, atque multas *Patrum Orientalium vitas* exaraſſe, ſcribit. Meminit hujus Aub. Miræus, *in Auctar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 279.

LAURENTIUS VALLA.

Patricius Romanus, anno 1415. natus, SS. Theologiæ Doctor & Eccleſiæ S. Joh. Lateranenſis Canonicus, ab anno 1440. ad 1465. floruit. Laudamus in eo latinæ eloquentiæ vim atque elegantiam, reprehendimus verò cum aliis mordaciſſimum ejus ingenium, acutumque in alios calamum, præſertim in Jo. Franc. Poggium. Hinc

variâ quoque cum fortuna conflictatus fuit, adeò, ut Româ excederet, atque Neapoli, flammas, quibus addictus, ſingulari Alphonſi V. Regis, interceſſione, vix evaderet, ſcopiſque in foro publico cæderetur. De ſtylo ejus egregiè judicat Eraſmus, Lib. VII. Epiſtol. 3. *Et quis tam exigui, inquit, animi eſt, cujus pectus tantis invidiæ anguſtiis concluditur, ut Vallam non & magnificè laudet & amet quam maximè, qui tanta induſtria, tanto ſtudio, tantis ſudoribus barbarorum ineptias refellit, litteras penè ſepultas ab interitu vindicavit, priſco eloquentiæ ſplendori reddidit Italiam: doctis etiam id præſtitit, ut poſthac circumſpectiùs loqui cogantur.* Plura ejus encomia congeſſit Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr. Autor.* p. 462. ſeq. Scripta ejus prodierunt Baſileæ, 1540. fol. Ex iis huc faciunt *de Libero Arbitrio ad Garſiam, Epiſcopum Ilerdenſem, Liber*, ſeorſim quoque Venetiis, 1516. excuſus. *De Myſterio Euchariſtiæ Sermo*, qui Argentinæ, 1490. 4. prodiit, *Annotationes in N. T.* Pariſiis, 1505. Baſileæ, 1541. 1545. Amſtelodami, 1631. 8. *De ementita Conſtantini donatione declamatio*, in *faſciculo Rerum expetend.* Colon. 1535. fol. & apud Schardium, inter *Scriptores de Poteſtate Imperiali*, &c. Baſil. 1566. f. Argentor. 1618. & ſeorſim, Lugduni, Batav. 1620. 4. Alia, quæ ſcripſit, exhibet Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 83. Conf. de eo Paulum Jovium, *in Elog. Doctor. Viror.* c. 13. Boiſſardum, *in Iconib.* Jo Trithemium, *de Scriptor. Eccleſ.* c. 748. Hanckium, P. II. de *Scriptor. Rom.* p. 110. Voſſium, de *Hiſtor. Lat.* L. III, c. 7. Baylium & Buddeum, *in Lexicis.*

ALPHONSUS VARGAS.

Hiſpanus, patriâ Toletanus, Ord. Auguſt. Philoſophus atque Theologus Pariſienſis, Uſamenſis, poſt Pacenſis Epiſcopus & Hiſpalenſis Archi Epiſcopus, ab anno 1358. ad 1366. floruit, quo juxta Phil. Elſſium, Hiſpali defunctus. Scripſit *Comment. in Librum I. Magiſtri Sententiarum*, Venetiis, 1490. impreſſum, & *Quæſtiones in Ariſtotelis Libros III. de anima*, qui Vincentiæ, 1608. Venet. 1566. prodierunt. Loquuntur de eo Andr. Schottus, *Bibl. Hiſpan.* p. 263. Labbeus, T. I. p. 40. Philippus Elſſius, *Encom. Auguſtin.* Joſ. Pamphil. *Chron. Ord. Auguſtin.* Nicol. Antonius, *Bibl. Hiſpan. Vet.* Henr. Wharton, *Append. Cav.* pag. 33.

FRANCISCUS VATABLUS.

Gamachianus, cui linguâ patriâ nomen fuit Gaſtablæi, Ouatablé,

teblé, quaſi diceres, triticiperdam, patefacta in Francico Regno Evangelii Luce, ſub Franciſco I. Hebr. Linguæ Profeſſor, anno 1530. conſtitutus, ſicuti de hoc Mæcenate, quem vocat, cognatoque materno ſuo ſcribit Mathæus Beroaldus, *Chron.* Lib. IV. c. 8. p. 339. Confer Th. Bezæ *Icon. illuſtr.* f. 139. Genebrardus Papicolam eum facit, *præf.* in Origenem, vide & Poſſevinum, *Bibl.* L. II. c. 11. f 177. & Serarium, *prolegom. bibl.* c. 18. qu. 1. Conf. Gerhardus Meier, *Bibl. Theolog.* p. 193. ubi de *Verſione & notis biblicis* Vatabli nomine celebratis, & ab Henrico Stephano, Pariſiis 1545. excuſis, ait; quod per errorem Vatablo tributæ, cum Tigurinorum quorundam Theologorum operâ confectæ fuerint, id quod ante Meierum, Poſſevinum etiam, Genebrardum & Serarium tradidiſſe legimus. Vide tamen Richardum Simonium, *Hiſtor. Crit.* V. T. L. III. c. 1. Quod autem de Hiſpanica editione addit Meierus, utique Salmanticæ, anno 1584. Biblia Vatabli, ſed innumeris caſtrata locis, edita, conſtat ex Poſſevino, *loco citato*, f. 178. Anno 1540. Lutetiæ obiiſſe Vatablum, at æterna fama victurum, referunt Sanmarthani, T. I. *Galliæ Chriſtianæ* f. 461. b. anno verò 1547. Theodorus Ebertus, *Chronolog. Doctorum Lingu. S.* p. 38. & alii. Confer de Vatablo, poſt autores citatos, Thuanum, Melchiorem Adami, Natalem Alexandrum, *Hiſtor. Eccleſ. Sec. XVI.* Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. XIV. Teisſierium, *Eloges des Scavans*, alioſque plures.

UBERTINUS vide HUBERTINUS.

UDALRICUS de ARGENTINA.

Sive Argentoratenſis, cui inclyta patria, ceu aliis, cognomen dedit, Ord. Præd. Alberti M. diſcipulus, circa annum 1280. florens, teſte Trithemio, ſcripſit *Compendium Theologiæ*, quod inter *Thomæ Aquinatis Opera* habetur. *de foro Conſcientiæ, & de caſibus Juris: Comment. in IV. Libros Sententiarum; Summam Theologiæ & de Anima;* & alia, de quibus Altamura, Miræus, Simlerus, Guilielmus Caveus, loquuntur.

UDALRICUS.

Auguſtanus Epiſcopus, Comes cæteroquin Dillingenſis, circa annum Domini 930. vigens, relatu Grynæi, *præf.* ad *Orthodoxogr. Veter. Patr.* Extat ibidem, T. I. *Lat. Patr.* f. 481. & apud Calixtum, *Tract. de Conjugio Clericorum, Append.* f. 1. ejus *Epiſtola de Conjugio Sacerdo*,

dotum, ad Nicolaum I. P. R. ſcripta, qua contendit, conjugium ex æquo omnibus adeoque & Sacerdotibus conceſſum, nec illis vel jure vel prætextu poſſe prohiberi. *Epitomen illius Epiſtolæ* vide apud Schopffium, *Academ. Jeſu Chriſti, Claſſ. 9.* f. 143. Conf. Heilbrunneri *Papatum acatholicum*, f. 656. & Calixtum, de *Conjugio Cleric.* p. 592. & Lydium, *notis ad Clemang.* f. 15. a. Bellarminus, aliique complices, ejus non meminerunt, forte, quia non ad Rhombum.

UDALRICUS.

Monachus primum S. Blaſii in Hercinia Silva, poſt Epiſcopus Conſtantienſis electus, ſcripſit *vitam S. Gebhardi, Auguſtani Epiſcopi*, Lib. II. quam vide apud Caniſium & Surium, d. 27. Aug. *Vitam S. Conradi, Epiſcopi Auguſtani*, apud eundem Surium, d. 26. Novembr. rediit demum Udalricus liberè ad Monaſterium S. Blaſii, circa annum 1138. ibidemque anno 1140. juxta Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 396. obiit.

JOH. VECCUS.

Sive *Beccus*, gente Græcus, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Chartophylax, poſt Patriarcha, anno 1274. conſtitutus. Unionem quidem ab initio cum Latinis averſatus, poſteà verò partes illorum ſtrenuè tutatus. Obiit, relictâ Sede, in exilio, poſt annum 1284. De eo vere judicavit Gregoras, *Hiſt. Lib. V. Vir erat excellenti ingenio & doctrinæ ſtudiis ab ineunte verſatus ætate, præterea tantis naturæ donis ornatus, quantus quiſquam alius illius ætatis. Nam acumine ingenii & eloquentia & Eccleſiaſticorum dogmatum uſu omnes cum illo collati pueri videbantur.* Scripſit Veccus, *de unione Eccleſiarum veteris & novæ Romæ Lib. de Proceſſione SS. capita XII. Epiſtol. ad Alexium Agallianum, de eadem materia: Sententiam Synodalem: Teſtamentum*, quæ omnia vulgavit Leo Allatius, *Græc. Orthod.* T. I. p. 61. ſeq. *De omnibus ſuis Libris & SS. Patrum conſenſione animadverſio* habetur, ibidem, T. II. p. 1. *De injuſtitia, quam paſſus eſt throno proprio ejectus*, ibidem, p. 11. *Oratio Apologetica de injuſtitia*, p. 36. *Apologia nullo modo noſtras conſuetudines deſtrui, ſi Eccleſiæ acceptamus unionem*, p. 84. *ad Theodorum, Sugdeæ Epiſcopum*; Lib. III. *de Proceſſione SS.* latiné, cum aliis, edidit Nihuſius, Moguntiæ, 1655. 8. *Tertium* verò ex illis Leo Allatius, ad *calcem Libri de Purgatorio*, Romæ, 1652. 8. *Ad Conſtantium Lib. IV. de eadem re*, gr. apud Leonem Allatium, *Græc. Orthod.*

T. II.

T. II. p. 149. extant. *in Tomum Cyprii & novas ejusdem hæreſes Orationes extemporaneæ II.* ibidem, p. 215. *Refutationes Andronici Camateri animadverſionum de Proceſſione SS.* p. 287. *Epigraphæ ſive Præſcriptiones XIII. in Dicta & Sententias SS. Patrum a ſe collecta de Proceſſione SS.* T. II. p. 522. Plura ejus Manuſcripta memorat Allatius, de *Conſenſu*, L. II. §. 15. c. 8. Conf. Guilielmus Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 510. & Maimbourg, *Hiſt. du Schisme des Grecs*, & alii.

VENANTIUS.

Honorius Clementianus Fortunatus, natione Italus, in vico Duplabili, non longè ab urbe Tarviſina, natus, Ravennæ autem Literis cultus, oculis laborans oleo lampadis ad S. Martini Turonenſis imaginem ardentis, ſanatus, ut quidem ipſe putavit & verſibus decantavit. Hinc Turones in Gallia ad S. Martini ſepulchrum, grati animi causâ, venit, atque deinde ad Pictavos tranſiit, ubi Presbyter conſtitutus. An fuerit Epiſcopus Pictavienſis Eccleſiæ, ambigunt multi. Chriſtophorus Browerus, S. J. eum, brevi licet tempore, Epiſcopatum iſtum adminiſtraſſe teſtatur, *vitamque* ejus, item *Epiſtolas*, aliaque Opera, ex fide veterum exemplarium, notis illuſtrata edidit, Moguntiæ, 1603. & 1616. 4. Obiiſſe dicitur anno 590. apud Sanmarthanos, T. III. *Galliæ Chriſtianæ*, f. 873. qui tamen dubio procul aberrant, eò, quòd anno adhuc 600. ſuperſtes fuit Venantius. Labbeus emortualem annum ignorari ait. T. II. p. 457. *Magni ingenii vates & ſi in alia tempora incidiſſet, maximus*, Barthio dicitur, *not. ad Claudian.* f. 3. a. Confer. *Adverſar.* L. 5. c. 12. & L. 46. c. 3. Extant quoque ejus *Homiliæ & de Oratione Dominica & Symbolo Apoſtolico*, T. II. *Bibl. Patr.* edit. 2. Paris. f. 1144. & *Orthodoxogr. Patr. Lat.* I. f. 1221. *Carmina de vita S. Martini*, T. VIII. *Bibl. citat.* f. 779. & ſeorſim, Pariſiis, 1511. 4. *Poemata Venantii* extant in *Corpore omnium Poetarum Veterum*, Lugduni, 1603. 4. T. II. Genevæ, 1611. 4. Lugduni, 1616. 4. & in *Appendice Bignæana*, Pariſiis, 1624. p. 752. & in *Bibliotheca Patrum*, T. X. p. 520. *Pæan* ei tributus *de modo Redemptionis*, qui incipit: *Pange Lingua glorioſi*, cum aliis conſimilibus, illuſtratus extat per Georgium Fabricium, Lipſiæ, 1568. *Alium de Reſurrectione Jeſu Chriſti*, è quo Eccleſia ſuum *Salve feſta dies*, lat. & german. apud nos canit, animadverſionibus eruditisſimis illuſtravit, ac Wittebergæ, edi, anno 1627. f. fecit Aug. Buchnerus. *Vita S. Hilarii Pictavienſis*, apud Surium, d. XIII. Januar. *S. Albini, Andegavenſis Epiſcopi*, ibidem, d. 1. Martii. *S. Germani Pariſienſis Epiſcopi*, d.

XXVIII. Maj. *S. Radegundis, Regina*, d. XIII. Aug. *S. Marcelli*, *Pariſienſis Epiſcopi*, d. I. Novembr. *S. Amantii, Ruthenenſis Epiſcopi*, d. IV. Nov. *S. Remigii, Rhemenſis Archi-Epiſcopi*, d. I. Octobr. *S. Paterni, Epiſcopi Abrincatenſis*, apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 1100. Spurias judicat Guil. Cave, *Vitam Mauritii, Andegavenſis Epiſcopi*, ibid. d. XIII. Septembr. *& S. Medardi, Noviomenſis Epiſcopi*, quæ ibidem, d. VIII. Junii, & proſâ ſcripta, apud Dacherium, *Spicileg.* T. VIII. habetur. *Phoenicem Lactantii* Venantio tribuerunt quidem Caſpar Barthius, Samuel Bochartus & alii. Vide Jo. Alb. Fabricium, *Bibl. Lat.* p. 679. De Venantio, Aimoinus, Lib. III. *Hiſtor. Franc.* c. 131. Sigebertus, *de Scriptor.* Eccleſ. c. 44. Trithemius, Bellarminus, Labbeus, Guil. Cave, P. I. p. 295. P. II. p. 111.

VERECUNDUS.

Seu *Vergundus*, Juncenſis in Cyzacena Africæ Provincia Epiſcopus, anno 546. clarus, ob trium Capitulorum defenſionem in exilium miſſus. Chalcedone, anno 552. mortalitatis exuvias depoſuit. Huic tribuit Petrus Allixius, in *diſſert. de vita & Scriptis Tertulliani, Carmen de judicio*, Tertulliano alias adſcriptum. Plura dabit Guil. Cave, P. I. p. 291.

VERVS.

Rutinenſis in Gallia Epiſcopus, anno 625. Concilio Rhemenſi interfuit, atque *Epiſtolas* II. conſcripſit, quas vide apud Caniſium, *Antiqu. Lect.* T. V. Pauca de eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 317.

VICTOR.

Antiochenus Presbyter, vixit Chryſoſtomi tempore, circa annum 401. Ejus *Commentarium in Marcum*, unacum *Titi Boſtrenſis in Lucam*, primus Latinitate donavit ediditque Ingolſtadii, 1580. Theod. Peltanus. Inde quoque extat T. I. *Bibl. Patrum Paris.* 2. f. 978. & *edit. noviſſ.* T. IV. p. 370. *Scholia in Epiſtolam, S. Jacobi: in S. Petri primam & ſecundam: in S. Joh. I. II. III. in S. Judæ Epiſtolam*, manuſcripta penes ſe habuit Sebaſtianus Feſchius, J. V. Profeſſor Baſileenſis, prout ex ejus ad Galeum Epiſtola Caveus P. II. *Hiſt. Litter.* p. 81. probat. Conf. de eo Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 74.

VICTOR

VICTOR CAPUANUS.

Capuæ Epiſcopus, circa annum 545. vir græce & latinè eruditus, ſcripſit *de Cyclo Paſchali*, cujus fragmenta apud Bedam, *Lib. de Tempor. capit. 49. & de Æquinoct. vernal.* T. II. habentur. *Ammonii Harmoniam Evangelicam* Latinè vertit, quæ in *Bibliothecis Patrum* & *Orthodoxogr. Lat.* T. I p. 780. *Catenam in IV. Evangelia* manuſcriptam adſervavit Feuardentius, ut teſtatur Guil. Cave, P. I. p. 291. Conf. Labbeus, T. II. p. 461. Elias du Pin, *loco citato*, T. V. p. 80.

VICTOR.

Natione Afer, Cartennenſis Epiſcopus, circa annum 460, cujus *ad Genſericum, Vandalorum Regem, Liber adverſus Arianos* prolixus interiit. *Liber* verò *de Pœnitentia Publicani*, inter *Ambroſii Opera* extat. *Liber* denique *ad Baſilium ſuper morte filii conſolatorius*, inter *Opera Baſilii*. *Homiliæ* ejus Gennadio, *de Scriptor.* c. 77. memoratæ, deſiderantur. Loquuntur de eo Guil. Cave, P. I. p. 255. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 150.

VICTOR CARTHAGINENSIS.

Gente Afer, Epiſcopus, anno 646. Carthaginenſis, dedit ad Theodorum Papam *Epiſtolam*, quâ eum de creatione ſua certiorem reddidit & orthodoxam de duabus in Chriſto Voluntatibus fidem declaravit. Habetur illa gr. lat. *Concil.* T. VI. p. 151. Conf. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 324.

VICTOR II. P. R.

Gebehardus aliàs dictus, natione Noricus, Henrico, Imperatori à Conſiliis, & Epiſcopus Eiſtetenſis, anno 1055. Papa conſecratus, anno 1057. Florentiæ obiit. Ejus *Epiſtola* ad Humbertum, Sylvæ Candidæ Epiſcopum, *Concil.* T. IX. p. 1077. Vide, ſi placet, poſt alios, Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 426.

VICTOR III. P. R.

Patriâ Beneventanus, Beneventani Principis filius, circa annum 1027. natus, anteà dictus *Dauferius*, poſt *Deſiderius*, Abbas Caſſinenſis, anno 1056. poſt Cardinalis, anno 1059. atque demum Pontifex, anno 1087. vel invitus ordinatus, veneno calici infuſo extinctus eſt.

Ejus

Ejus *Dialogi*, ſatis fabuloſi, Pariſiis, 1666. 8. cum notis Jo. Bapt. Mari, qui eosdem Romæ quoque ſuperioribus annis cum notis ediderat, prodierunt, inde apud Mabillonium, *Sec. Bened.* IV. P. II. p. 425. apud Henſchenium, d. XXI. Martii, & in *Bibl. Patr.* T. XIIX. p. 837. *Oratio ad Epiſcopos in Synodo Beneventana habita*, apud Leonem Oſtienſem, *Chron. Caſſin.* L. III. c. 71. & Baronium, ad ann. 1087. habetur. Muſices, ut & Medicæ artis peritiſſimus hic Papa extitit, & inter alios *Cantum de S. Mauro* compoſuit, in quo Magadium quoddam indicat, quod fuit ea Lyræ pars, in qua plectrum illidebatur, & percuſſio chordarum manu dextrâ fiebat, annotante poſt Budæum, Jo. Bapt. Maro, *loco citato*. Conf. Ludov. Jacob. à S. Carolo *Bibl. Pontif.* p. 219. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 435. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII.

VICTOR PORCHETVS vide PORCHETUS.

VICTOR TUNNUNENSIS.

Sive Tononenſis aut Tunonenſis, ut alii ſcribunt, in Africa Eccleſiæ Epiſcopus, quem Trithemius Cumunenſem, Honorius Cemmenſem, Otto Friſingenſis alicubi Turonenſem, Siffridus & Poſſevinus, Tmuenſem, & Commenenſem, omnes per errorem eò abducti, vocant, arguente Labbeo, T. II. p. 462. Floruit Victor ab anno 514. usque ad 566. quô deceſſit, poſtquam varia ob trium Capitulorum defenſionem incommoda perpeſſus fuerat. Ejus *Chronicon* ab anno 444 ad 566. Henricus Caniſius, cum aliis quibusdam, Ingolſtadii, 1600. 4. & Scaliger, cum *Chronico Euſebiano* edididerunt. Conf. Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 293.

VICTOR UTICENSIS.

Aut rectius, ſecundum B. Rhenanum, Holſtenium, Chiffletium, viroſque doctos alios, Vitenſis ſive Vitanus in Africa Epiſcopus, ſub Zenone, Imperatore, anno circiter 487. floruit, ſcripſitque *Libros III. de Perſecutione Vandalica ſub Genſerico & Hunnerico, Regibus*, ſeorſim excuſos, Colon. 1535. Baſil. 1539. Paris. & 1541. 1569. 8. Divione, 1664. 4. cum aliis. Eosdem habes T. I. *Orthodoxogr. Lat.* f. 799. & *Bibl. Patr. Paris.* 2. f. 1890. *edit. recentiſſ.* T. VIII. p. 675. Hujus omnino eſſe *Rationem fidei exigenti Hunnerico* datam, Victori Africano communiter adſcriptam, Labbeus ait, T. II. p. 466, ubi & Voſſium carpit, eò, quod

quod perſecutionem Vandalicam Divi Auguſtini tempore in Africa eveniſſe ſcripſerit, cum certum ſit, anno 430. eum obiiſſe, Genſerico in Africa vix dum conſiſtente. Vide de Victore Vitenſi Guil. Caveum, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 263. Caſimirum Oudinum, *Supplem. de Scriptor.* p. 104. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV.

FABIUS MARIUS VICTORINUS.

Natione Afer, Rhetor primum Romanus & Conſularis, poſt in Senectute ad fidem Chriſtianam converſus, diſputator ſubtiliſſimus. Inſignem ejus Converſionem S. Auguſtinus, L. VIII. Confeſſ. c. 2. 5 deſcribit. Floruit, ut ipſe teſtatus, tempore Conſtantii, obiitque, ante annum 378. Ejus Scripta in unum volumen non dum collecta ſunt. *Lib. IV. adverſus Arium*, cum aliis quibusdam, extant T. IV. *Bibl. Patr. Paris.* f. 291. *Ad Juſtinum Manichaeum contra principia duo & de Principio diei, coeperit ne à veſpera, an à matutino*, edidit Jacobus Sirmondus, inter *Opuscula dogmatica Veterum*, Pariſiis, 1630. 8 *Carmen de fratribus Maccabaeis*, T. VIII. f. 427. & apud Georgium Fabricium, *Poet. Sacr.* f. 443. Idem *Carmen* cum aliis *opusculis Victorini hujus* & Victorini Petavienſis, Lipſiae, 1652. Andreas Rivinus in Reipublicae litterariae commodum, adjectis etiam notis & praefatione, edidit, quanquam illud maluerit Pictavienſi aſſerere. Reliqua verò Afri, quae iſte edidit, ſunt *Hymni III. de SS. Trinitate, Candidi Ariani ad Marium Victorinum de generatione divini verbi liber & hujus ad eundem reſponſio ſive confutatorium*. Conf. Labbeus, T. II. p. 467. & Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 128. De Victorino judicat Hieronymus, *Prooemio in Epiſtol. ad Galatas*, T. IX. p. 158. *Occupatus ille eruditione ſecularium Litterarum Scripturas omnino ſanctas ignoravit: & nemo poſſit quamvis eloquens de eo bene diſputare quod neſciat.* Stylum Victorini in dogmaticis perplexum, & ingratum, in Commentariis verò in aliquot Epiſtolas, quae manuſcripta in Bibliotheca Monaſterii Herevallenſis in Gallia adſervantur, planior & aptior, teſte, qui legit, Sirmondo, & Guil. Caveo.

CLAUDIUS MARINUS VICTORINUS.

Sive *Victor*, Rhetor Maſſilienſis & Poeta, anno 434. clarus, ante annum 450. è vivis deceſſit. Vir, juxta Sidonium, *Epiſtol.* Lib. V. *Epiſtolâ ultimâ*, ut egregius, tum undecunque doctiſſimus. Ejus *Lib.*

III. Carminum ſive *Commentariorum in Geneſin*, à principio Libri usque ad Abrahami obitum & *Epiſtola ad Salomonem, Abbatem, de perverſis ſuæ ætatis moribus*, heroico Carmine ſcriptas, in *Collectione Poetarum Fabriciana*, f. 307. in *Appendice Bigneana*, p. 580. & *Bibl. Patrum*, T. VIII. p. 417. Seorſim quoque edita Lugduni, per Joh. Gagnejum, ſed corruptiſſime: correctius verò Pariſiis, 1560. 8. De Victorino noſtro Labbeus, T. II. p. 462, Guil. Cave, Hiſt. *Litter.* P. I. p. 238.

VICTORINUS PETAVIENSIS

Ex Oratore Epiſcopus, neutiquam verò Pictavienſis in Aquitania Præſul, Martyrium ſub Diocletiano, anno 303. paſſus, Græce magis atque latine doctus fuit, atque ejus opera, Hieronymo judice, *grandia ſenſibus, viliora videntur compoſitione verborum.* Ejus in proſa & ligata oratione ſcripta Opuſcula, *Commentarium in Apocalypſin Joh. & tria elegantiſſima de Jeſu Chriſto Deo & homine, ejusque Paſchate & cruce*, nec non de *VII. Maccab. fratribus Martyribus Carmina*, quorum Ultimum rectius Victorino Afro tribuitur, cum aliis Lipſiæ, 1653. publicavit, notisque illuſtravit Andreas, Rivinus. *Commentarium in Apocalypſin habes* quoque T. I. *Bibl. Patr. Paris. edit.* 2. f. 1243. *Carmen* verò *de Jeſu Chriſto Deo & homine*, inter *Poetas Sacr.* Georgii Fabricii, f. 761. Hæc tamen omnia aut pro ſpuriis, aut ſaltem interpolatis, non absque rationibus habet Guil. Cave, atque genuinum ejus *de fabrica mundi Tractatum*, P. I. *Hiſtoriæ Litterariæ* p. 73. inſeruit. Plura ejus, quæ ſcripſit, interierunt. Conf. Hieronymus, *de Scriptor.* Joh. Launojus, *diſſertatione de Victorinis*, p. 56. Le Bon, *de Vie de S. Victor.* Paſſionem S. Victoris ex recenſione & emendatione Pauli Colomeſii edidit, atque Carthaphylaci ſuo annexit Guil. Caveus, quæ etiam inter *Colomeſii Opera* habetur. Adde Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 194.

VICTORIUS AQUITANUS.

Sive Victorinus, domò Lemovicenſis, anno 457. ad Hilarium, Rom. Eccleſiæ Archidiaconum, *Canonem Paſchalem* ſcripſit, editum ab Ægidio Bucherio, Antwerpiæ, 1634. fol. Confer Gennadium, *de Scriptor. Eccleſ.* cap. 88. Voſſium & Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 98. Guil. Caveum *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 254. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 235.

VIGI-

VIGILIUS AFER.

Diaconus primum, dein, ut quidam volunt, Tapſenſis ſeu Tapſitanus in Byzacena Provincia Epiſcopus, circa annum 484. florens, multa ſub Athanaſii & aliorum nomine, ut Arianorum invidiam fugeret, contra Arianos aliosque Hæreticos ſcripſit, quæ operosè collegit atque edidit Petrus Franciſcus Chiffletius, Divione, 1664. 4. exinde tranſlata *in Bibl. Patr.* T. VIII. p. 722. *Libri V. adverſus Neſtorium & Eutychem*, ſub Vigilii Tridentini nomine prodierunt, Tiguri, 1539. Coloniæ, 1575. 8. & inter *Opera Caſſandri*, p. 514. & auctiores, curâ Joſiæ Simleri, Baſileæ, 1571. Lipſiæ, & alibi. *Altercatio adverſus Arium* : Dialogi *III. adverſus eundem* : *de Trinitate, adverſus Marivadum Arianum*, lib. XII. *Liber de Unitate Trinitatis ad Optatum. Liber contra Palladium, Arianum Epiſcopum. Solutiones Objectionum Arianorum* &c. Eidem quoque Vigilio *Symbolum Athanaſianum* tribuit cum aliis Caveus, P. I. p. 263. & alia, de quibus ibidem diſſeruit. Vide Labbeum, T. II. p. 476. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 122. Eliam du Pinium, *Bib. Nouv.* T. IV. p. 255.

VIGILIUS DIACONUS.

Autor *Regulæ Monachorum*, quam Lucas Holſtenius in *Codice Regularum*, Pariſiis, 1663. 4. p. 89. edidit, circa annum 420. claruit. De eo Gennadius, Cap. 51. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 72. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 221. Elias du Pin, Bibl. Nouv. T. IV. p. 210.

VIGILIUS P. R.

Romanus, patriæque Eccleſiæ Archidiaconus, Pontificatum nefariâ ambitione, à Theodora Aug. mercatus, ut ipſi Facundus Hermianenſis, *Lib. contra Mucian.* p. 573. objicit. Sedit Vigilius, ab anno 540. ad 555. quô Syracuſis in Sicilia obiit. Tria Capitula quidem ab initio acriter defendit, poſt verò divexatus variè, eadem execratus. Habentur ejus *Epiſtolæ XVIII. Concil.* T. V. p. 311. *Conſtitutum adverſus Tria Capitula*, ibidem p. 337. *Epiſtola Decretalis ad Eutychium Conſtantinop. pro Confirmatione Quintæ Synodi*, gr. lat. ibidem, p. 596. *Conſtitutum adverſus Tria Capitula* adhuc prolixius, in *nova Collection Concil.* T. I. p. 1551. *Epiſtola II. ad Juſtinianum & Theodorum* &c. ibidem. Fusè de eo poſt Lud. Jacobum, *Bibl. Pontif.* p. 220. & alios, diſſeruit, Guil.

Cave, *loco citato*, P. I. p. 289. ſeq. Jo. la Placette, *Obſervatione Eccleſiaſtica* 10. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 69.

VIGILIUS TRIDENTINUS.

Epiſcopus circa annum 390. Martyr vero factus, anno 405. lapidibus obrutus, cujus *Epiſtola de Martyrio Siſinnii & Sociorum*, apud Surium, d. XXIX. Maj. habetur. De eo Gennadius, *de Scriptor.* c. 37. Guil Cave, P. I. p. 164. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. III. p. 4.

VINCENTIUS BANDELLUS.

Patria Lombardus, Ord. Domin. & Bononienſis Profeſſor Theologus, pòſt Prior Mediolanenſis, ab anno 1496 ad 1506. floruit, quo in Conventu montis Alti in Calabria, è vivis deceſſit. Prodierunt ejus Opuſcula, Lugduni 1515. utpote, *Declaratio ſuper Conſtitutiones Ordinis ſui*, ſeorſim quoque Mediolani, 1505. 4. excuſa. *Expoſitio in Conſtitutiones Sanctimonialium Ordinis Dominicani. Regula & Privilegia Fratrum & Sororum : de Poenitentia Ordinis S. Dominici Inſtructio : Officialium Fratrum Ordinis ſui : Formularium Electionum & Confirmationum Priorum : Modus celebrandi Generalia & Provincialia capitula.* Præter hæc modo enumerata Vincentii opuſcula, *de Conceptione B. Virginis in Peccato Originali, Lib. III.* Bononiæ 1481. Mediolani 1575. impreſſi ſunt. Loquitur de Vincentio Bandello, poſt alios, Henricus Wharton, *Append. Cav.* p. 126.

VINCENTIUS BELLOVACENSIS.

Patriâ, ut plerique volunt, Burgundus, Ord. Prædic. Bellovacenſis dictus, non quidem ab illius urbis Epiſcope, prout falsò putarunt Alfonſus Fernandes, Miræus, & alii, ſed à frequenti ſaltem in iſtâ commoratione. Obiiſſe notatur anno 1264. aut juxta alios, anno 1256. Scripſit *quatuor Specula. Hiſtoricum*, ſeorſim, Norimbergæ, 1473. Moguntiæ, 1474. prodiit. *Naturale* Lib. XXII. Colon. 1494. *Morale* Lib. III. Norimbergæ, 1485. Venet. 1493. excuſum. *Doctrinale*, Lib. XVII. Norimbergæ, 1486. Singula prodierunt Baſileæ, 1481. Venetiis 1484. 1491. 1494. fol. Duaci, 1624. fol. inſolenti titulo : *Bibliotheca Mundi* præmunita, accurantibus Ord. Bened. Collegii Vedaſtini apud Duacenſes Theologis evulgata. Vide de his & aliis, quæ ſcripſit,

ſit, Labbeum, T. II. Ambroſ. de Altamura, *Bibl. Prædic.* Vosſium, *de Hiſtor. Lat.* p. 480. & Guil. Caveum, P. I. p. 499. A Plagiariis eum eximit Jacob. Thomaſius, *de Plagio*, Sect. 562. 575.

VINCENTIUS FERRERIUS.

Sive *Ferrarius*, natione Hiſpanus, patriâ Valentinus, Ord. Præd. conventus Valentiæ, Sacræque Theologiæ Profeſſor, doctrina, ſanctitate & miraculis maximè celebratus, Concilio Conſtantienſi, anno 1418. interfuit, annoque ſequenti obiit. Labbeus eum velut alterum Paulum ad Judæos Maurosque ad Chriſti fidem convertendos à Deo miſſum, ait. Opera ejus plurima Vincentius Juſtinianus Antiſtius collegit, Scholiisque explicata edidit, Valentiæ 1591. *Conciones Vincentii de Tempore & de Sanctis*, T. III. Vlmæ 1475. Colon. 1485. Argent. 1493. 1494. 1503. Lugduni, 1527. 8. Venet. 1606. 8. *Sermones per tempus æſtivale*, Colon. 1487. fol. prodierunt. *Commentarius in Orationem Dominicam*, Antwerpiæ, 1573. Lugduni, 1523. 4. cum *Sermonibus*. *Liber de fine mundi*, Neapoli, in 4. & Germanicè alicubi, 1582. 4. excuſus, quo agit de caſu ſeu ruina vitæ Spiritualis, de ruina Eccleſiaſticæ dignitatis, de ruina fidei Catholicæ & multarum calamitatum prædictione, deque duplici Anti-Chriſti adventu, puro ſcilicet & mixto. *Tractatus de interiori homine informativus*, ut titulus habet, Magdeburgi, 1493. impreſſus, qui & inſcribitur, *Compilatio S. Vincentii Doctoris eximii, Ord. Præd. noviter anno 1455. SS. catalogo adſcripti, de vita & inſtructione pie in Chriſto vivere volentium.* Venetiis quoque 1500. & alibi prodiit. Plura de Vincentio Ferrerio, Andr. Schottus, *Bibl. Hiſpan.* T. II. f. 187. & 224. Labbeus, T. II. p. 483. & poſt alios multos, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 62.

VINCENTIUS LIRINENSIS.

Natione Gallus, Tulli Leucorum natus, Lupi, Epiſcopi Trecasſini, frater, militiam à teneris ſequutus, poſt verò apud Lerinenſis Inſulæ Monaſterium Presbyter ac Monachus, anno 434. florebat, atque ſcribebat *Libellum adverſus hæreſes ſive contra profanas omnium hæreſeon novitates Commonitorium*. Editum iſtud pasſim, Baſileæ, 1528. Colon. 1569. Pariſiis, 1569. 8. 1586. Colon. 1613. 12. Paris 1619. 4. & cum libris D. *Auguſtini de doctrina Chriſti*, cura Georg. Calixti, Helmæſtadii, 1629. & ad Calcem *Salviani*, cum notis Baluzii, 1669. 8. & in *Bibl. Patr.* T. VII.

p. 249. & Cantabrigiæ, 1687. 12. Hunc Librum in odium Auguſtini, ſub ficto nomine *Peregrini*, ſcriptum eſſe in gratiam Semipelagianorum notat Voſſius *Lib. I. Hiſtor. Pelag.* c. 10. & agnoſcit C. Janſenius, Epiſcopus Jprenſis, *de hæreſi Pelagiana*, c. 17. Adde Andr. Rivetum, *Crit. S.* L IV. c. 24. quorum argumenta repetiit Guil. Cave, P. I. *Hiſtor. Liter.* p. 339. *Objectiones Vincentii Lerinenſis adverſus Auguſtini Scripta & doctrinam de prædeſtinatione & Libero Arbitrio*, capitulis XVI. ſummatim comprehenſas, Proſper in Librô, quô eas confutat, exhibuit. Obiit Vincentius, ante annum 450. De eo Gennadius, *de ſcriptor.* c. 64. Vincentius Barralis, Chron. Lerin. P. I. p. 138. Noriſius, *Hiſtor. Pelag.* Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IV. p. 170. Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr.* Autor. p. 298.

VITALIANUS P. R.

Patria Signienſis, Pontifex anno 657. conſecratus, anno 671. deceſſit. Ejus *Epiſtolæ* VII. habentur *Concil.* T. VI. p. 445. Ultimam, quæ dirigitur ad Benedictinos Siculos, ſuſpectam habet Baronius, T. VII. *Annal.* Conf. Lud. Jacob. à. S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 211. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 29.

VITALIS è FURNO.

Aquitanus Vaſatenſis, S. Theologiæ Profeſſor, Ord. Minor. & Provinciæ Aquitaniæ Præfectus, Cardinalis, titulo SS. Sylveſtri & Martini, ab anno 1312. ad 1327. floruit, eodemque anno Avenione obiit. Scripſit *Speculum Morale totius Sacræ Scripturæ*, Lugduni 1513. 4. Venetiis, 1594. 1600. excuſum. *Commentaria in Proverbia Salomonis*: *Expoſitionem in IV. Evangelia*: *Commentaria in Apocalypſin*, edidit Venetiis, Cartinalis Sarnanus. *de tuenda Sanitate & remediis morborum digreſſio* prodiit Moguntiæ. *Comment. in IV. Lib. Sententiarum* & alia manuſcripta memorat Lucas Waddingus, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 331. Conf. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 10. quem ſequimur.

JOH. LUDOVICVS VIVALDVS.

Pedemontanus, Ord. Præd. & Epiſcopus Arborenſis in Sclavonia, anno 1501. clarus, *Opus Regale* condidit, cujus Opuſcula recenſet Henr. Wharton, *loco citato*, p. 130. Scripta ejus Theologica prodierunt Papiæ, 1507. Lugduni, 1548. Seorſim verò *de cauſa contritionis*

Liber, Lugduni, 1512. *de veritate contritionis Liber alter*, Pariſiis, 1519. 1530. 1564.

JOH. LUDOVIS VIVES.

Hiſpanus Valentinus, Lovanii Literis græcis & latinis eruditus, ibidemque alios edocuit. Oxonii deinde in Juris utriusque Doctorem creatus, & Henrici VIII. Angliæ Regis, filiæ, Mariæ, Præceptor datus. Cum autem Regis divortium improbaret, per menſes VI. in captivitate fuit detentus. Ex qua liberatus, Brugas ſe contulit, atque uxorem duxit, ibidemque, anno 1537. aut juxta alios, 1541. ad plures tranſiit. Vir, ut variæ doctrinæ, ita Sapientiæ prope incomparabilis fuit. Opera ejus omnia prodierunt Brugis, 1553. Baſileæ, 1560. T. II. fol. Repræſentat illa ex editione Baſileenſi, 1555. T. II. fol. excuſa, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 129. Ex illis autem, quæ huc faciunt, ſeorſim editæ *Exercitationes animi in Deum*, Baſileæ, 1543. 16. *Commentarius in Orationem Dominicam*, itemque *Precationes & Meditationes quotidianæ ac generales*, ibidem. *De Veritate fidei Chriſtianæ* Lib. V. Baſil. 1544. 8. Colon. 1564. *Commentarius in S. Auguſtini Libros de civitate Dei*, Baſileæ, 1522. Paris 1555. & alibi. De eo Eraſmus, in Ciceronianis, p. 158. *Equidem nec ingenium, nec eruditionem, in eo deſidero: adeſt illi parata ſententiarum ac verborum copia; cumque fuerit initio duriuſculus, indies magis ac magis in illo matureſcit eloquentia, quem ſi nec vita nec ſtudium deſtituerit, bona ſpes eſt, fore, ut inter Ciceronianos numeretur. Sunt enim, quibus ſcribendi conatus juxta Mandrobuli morem, ut habet proverbium, ſuccedat. Hic quotidie vincit ſe ipſum & habet ingenium ad quidvis verſatile, eoque ad declamandi facultatem unice compoſitum. Aliquot tamen M. Tullii Virtutes nondum abſolvit, præcipuè jucunditatem dictionis & mollitudinem.* Plura ejus elogia vide apud Blount. *Cenſur. celebr. Autor.* p. 519. ſeq. De ipſo autem Jo. Lud. Vive, Paulus Jovius, *in Elogiis doctor. Viror.* Alphonſus Garſias, in *Comment. de doctis Hiſpaniæ Viris.* Quenſtadius, *de Patriis illuſtr. Viror.* p. 29. Boiſſardus, *in Icon.* Nicolaus Antonius, *Bibl. Hiſpan.* T. I. p. 555. Valerius Andreas, *Bibl. Belg.* Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 129.

VLGERIUS.

Andegavenſis Epiſcopus, anno 1136. floruit, cujus *relatio ad Innocentium II. P. R. pro Monaſterio Rotenſi*, habetur apud Baluzium, *Miscellan.*

cellan. T. II. p. 200. Confer Guil. Caveum, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 462. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 183.

VLPHILAS.

Sive *Vrphilas*, natione Gothus, ſuæque Gentis Epiſcopus, primò quidem catholicus, poſtea verò Ariana labe infectus, claruit circa annum 365. Multos è Gothis ad Chriſtianos convertit, eamque ob cauſam totum Scripturæ corpus, in gothicum transtulit. Pars ejus, *Gothica* nimirum *IV. Evangeliorum verſio*, cum *Gloſſario* & notis, Junius & Mareſchallus, Gothicè & Anglo-Saxonicè vulgarunt, Dordrac. 1665. 4. De eo Socrates, *Lib. V.* c. 33. Philoſtorgius, *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. II. cap. 5. Richard Simon, *Hiſt. Crit. Vers. V. T.* Kortholdus, *de variis S. Scripturæ editionibus*, cap. 29. Kirchmaierus, *in diſſert. de Vlphila.* Guil. *Cave, Hist. Litter.* P. I. p. 129.

VLRICVS ab HVTTEN.

Non eſt cur prætereamus inclytum hunc ingenio militiâque Heroem, Eqvitem Francum Germanum, è nobili Huttenorum ſtirpe, anno 1488. d. 21. April. natum. Francofurti ad Oderam ſtudiorum fundamenta jecit, ibidemqve Philoſophiæ Lauream anno 1506. reportavit. Multa audacter & libere in Romanenſes dixit, atqve ſcripſit, & cum operam ſuam fortiter in bellis Venetis Maximiliano Imperatori præſtitiſſet, ab Auguſto illo Cæſare & Poeta, Lauro & Eques, auro donatus ac coronatus, propugnator Libertatis communis, Muſarumqve Hierophantes incomparabilis perſtitit. Claruit maximè, anno 1520. atqve ætate florida, anno 1523. obiit. Scripta ejus *Poetica & declamatoria* Simlerus, *Epitom. Gesner.* fol. 307. ſeq. & Boiſſardus, P. II. *Icon. illuſtr.* f. 34. ſeq. prolixè recenſent. Inſignem ejus *ad Lutherum Epiſtolam* T. IX. *Witteberg. German.* f. 132. videas. *Aliam ad Georgium Spalatinum* ex Autographo primus communicavit Sagittarius, fine T. I. *Operum Luther. Altenb.* f. 930. Nervoſam ejus maximeque ſeriam *actionem*, qva B. Lutheri defenſionem contra Pontificis & Curiæ Romanæ Tyrannidem maſculè ſcripſit, & Pontifices, Cardinales, Abbates, Epiſcopos, & univerſum Clerum Romanum vivis ſuis coloribus graphicè depinxit, edidit Leonhardus Hutterus, ſub finem *Actionis ſuæ contra Jacobum Gretſerum, de Munificentia Principum in Sedem Romanam,*

nam, Wittebergæ, 1613. 4. a. p. 71. ad 90. Idem, loco citato, addidit judicium, quomodo uno quoque tempore Pontifices Romani erga Germanicos Imperatores ſeſe geſſerint, per Ulricum ab Hutten ex Hiſtoriis & Chronicis excerptum, Cæſareæ Majeſtati exhibendum, à p. 90. ad 107. & finem. Ad manus eſt *Libellus Hutteni, continens conqueſtiones ejus ad Carolum V, Imperatorem, & Germaniæ Principes, adverſus intentatam ſibi à Romaniſtis vim & injuriam, & Epiſtolas varias ad Albertum Brandeburgicum & Fridericum, Saxoniæ Ducem, Principes Electores, aliosque Proceres*, item *Bullam Leonis* X. *contra Lutherum*, ab Hutteno gloſſatam: Sed ſine loci, annique, quo impreſſa iſta prodierint, additione. Alia alibi extant. De eo, Eraſmus, in *Ciceroniano*, p. 181. *Vlricus Huttenus ſat ſplendoris & copiæ, præſtat in oratione ſoluta: in Carmine felicior erat.* Epitaphium ejus refert Kœnigius, *Biblioth.* p. 419.

Hic Eques auratus jacet Oratorque diſertus,
Huttenus Vates, Carmine & Enſe potens.

Conf. poſt autores jam adductos, Melchior Adami, *in Vit. JCtorum.* Bayle & Buddeus, *in Lexicis.* Cyriac. Spangenberg, *Adelſpiegel.* Lib. VI. c. 10, *Obſervationes Halenſes Germanicæ*, T. III. *obſervat.* 5.

ULRICUS VELENUS.

Minhonienſis, Seculo XVI. edidit *Diſputationem* ſive *Libellum*, quo rationibus XVIII. graviſſimis demonſtrare annixus, *S. Petrum Romam nunquam veniſſe.* Impreſſus anno 1520. & recognitus iterum prodiit anno 1660 & Germanicè quoque translatus, anno 1518. Huic ſe oppoſuit Joh. Roffenſis, de quo P. I. *Bibliotheca noſtra* p. 406. diximus.

UMBERTUS vide HUMBERTUS.

URANIUS.

Presbyter, Paulini Nolani diſcipulus, circa annum 431. ſcripſit *narrationem de Obitu S. Paulini*, quam exhibent Surius, d. XXII. Junii, & Fr. Chiffletius, *in Paulino illuſtrato*, Divione, anno 1662. edito, & Joh. Baptiſta le Brun, in *noviſſima Paulini Nolani editione* Pariſienſi, 1685. f. De eo Iſidorus, in *Catalog.* c. 4. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 75. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 236.

ASTERIUS URBANUS.

Presbyter, circa annum 188. Cataphrygum, Hæreticorum, malleus, *argumenta ſua contra Cataphrygas*, Lib. III. complexus eſt. Aurea quædam ex iis *fragmenta*, de Montano ejusque Secta, exhibet Euſebius, L. V. c. 16. ſeq. Vide tamen, quæ de Urbano ejusque libris commoneat Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 37.

URBANUS II. P. R.

Otto antea dictus, ex oppido Caſtellionis in Archi-Epiſcopatu Rhemenſi, oriundus, Cardinalis & Epiſcopus, Pontifex deinde Romanus, anno 1088. conſecratus, anno 1099. obiit. Ejus *Epiſtolæ* LIX. *Concil.* T. X. p. 422. *aliæ* IV. ibidem, p. 1839 *Sermones* II. *ad Synodum Claromontanam*, ibid. p. 511. *Epiſtolæ* II. apud Baluzium, *Miscellan.* T. II. p. 177. habentur. Conf. Platina, Baronius, Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 222. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 436. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 70. ſeq.

URBANVS III. P. R.

Antè Lambertus, Mediolanenſis, in Patria Archi-Epiſcopus, & Papa, anno 1185. ordinatus, deceſſit Ferrariæ, anno 1187. Extant ejus *Epiſtolæ* V. *Concil.* T. X. p. 1742. Vid. Papirius Maſſonius, *Vit. Pontif.* Guil. Cave, *loco citato*, P. I. p. 479. Lud. Jacob. a S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 224. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 129.

VRBANVS IV. P. R.

Jacobus Pantaleon aliàs appellatus, natione Gallus, Canonicus Tricaſſinus, Laudonenſis Archidiaconus, Verdunenſis Epiſcopus, Alexandri IV. P. R. Legatus, Patriarcha Hieroſolymitanus, annoque 1261. Pontifex Romanus, anno 1264. Peruſii obiit. De eo hæc ſcribit Stella: *Hic etſi humili loco natus, præſtanti tamen & eleganti Lingua fuit, qui aliquando laceſſitus, quod vili patre, ſutore veteramentario, ortus eſſet, reſpondit*: NOBILEM VIRVM NON NASCI, SED FIERI VIRTVTIS EST ATQVE NOBILITATIS. Scripſit *Epiſtolas* II. *Concil.* T XII. p. 817. exhibitas, *alias* XI. apud Waddingum, *Annal. minor.* ad ann. 1261. &c. *alias* XIII. ibidem, T. II. *in Regeſto Pontif.* p. 86. *Metaphraſis ejus in Pſalmum* L. extat in *Bibl. Patrum Colon.* T. XV. item *Paris.* 2. T.

1. f.

I. f. 509. & *edit. noviſſ.* T. XXV. p. 335. De Urbano IV. Platina, Ludov. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 224. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 508.

VRBANVS V. P. R.

Antè *Guilielmus Griſant*, patriâ Lemovicenſis, Juris Canonici Doctor, Ord. Bened. Monachus, Cœnobii S. Victoris apud Maſſiliam Abbas, Apoſtolicus in Regno Siciliæ & Neapolis Legatus, Pontifex demum, anno 1362. creatus, anno 1377. obiit. *Epiſtolæ* III quas ſcripſit, *Concil.* T. XI. p. 1957 2033. *Conſtitutio contra pluralitatem beneficiorum*, ibid. p. 1936. *Epiſtolæ aliæ* VIII, *de unione Eccleſiarum*, Græcæ & Romanæ, apud Bzovium, ad annum 1365. *Aliæ* LX. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. IV. *Aliæ* LVII. ibidem, *in Regeſto Pontif.* p. 71. *Verſus de Agno Dei*, apud Victorellum, *addition. ad Ciacconium de Vitis Pontif.* Romæ 1630. & alia de quibus Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 39. Conf. Baluzius, *de Papis Avenionenſ.* Lud. Jacob, *loco citato* p. 225.

VRBANVS VI. P. R.

Bartholomæus prius dictus, Neapolitanus ex Archi-Epiſcopo Barenſi, ann 1378. Papa factus, Clementem Antipapam habuit, Romæque anno 1389. è vita migravit. Extant ejus *Epiſtolæ* IV. *Concil.* T. XI. p. 2045. *Conſtitutio in Violatores Libertatis Eccleſiaſticæ*, apud Bzovium, ad ann. 1383. *Epiſtolæ* aliæ III. apud Waddingum, *Annal. Minor.* T. IV. *in Regeſto Pontif.* p. 165. 171. 176. *Formulæ precum*, una cum *indulgentiis ab eo conceſſis*, Dilingæ, 1567. excuſæ ſunt. *Conſtitutiones quædam Eccleſiaſticæ*, in *Collectione*, Romæ, 1579. *Litteræ* ſeu *Bullæ* plures in Laertii Cherubini *Bullario Magno*, Romæ, 1637. 1638. Loquuntur de eo Antonius Poſſevinus, in *Appar. S.* Lud. Jacob à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 227. Henr. Wharton, *loco citato*, p. 43.

VRSINVS.

Gente Gallus, Presbyter aut Monachus, anno 690. clarus, ſcripſit *Vitam S. Leodegarii, Auguſtodunenſis Epiſcopi*, quæ interpolata apud Surium & Andream du Chesnium, *Hiſtor. Franc.* T. I. habetur. Integra verò atque ad Codicum Manuſcript. fidem recognita apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 698. De eo plura dabunt Caſimirus

Oudin, *Supplem.* pag. 186. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. pag. 134. & alii.

VRSIO.

Abbas Altimontis Ord. Bened. juxta Malbodium in Hannonia, condidit circa annum 1080. *Hiſtoriam S. Marcelli*, P. R. Lib. II. quam vide apud Bollandum, d. XVI. Jan. Pauca de eo modò citatus Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 343. & Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

VSVARDVS.

Sive *Huſuardus*, natione ut creditur, Gallus, Ord. Bened. Monachus, Albini Alcuini diſcipulus & juxta nonnullos, Monaſterii S. Salvatoris à Vice Comite vulgò dicti dioeceſeos Conſtantienſis in inferiore Normannia Abbas. Eſſe, qui Fuldenſem Monachum fuiſſe contendant, Labbeus T. II. p. 490. tradit. Vixit circa annum 876. & ſcripſit *Martyrologium*, ex Flori, aliorumque, id genus ſcriptis decerptum, quod Lovanii, 1568. 8. & Antwerpiæ, cum additionibus & annotationibus Jo. Molani, 1583. 8. prodiit. Plura de Uſuardo Sigebertus, *Catalog.* cap. 85. Aub. Miræus, *in Scholio* ad idem caput. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Voſſius *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 31. Labbeus, *loco citato.* Natalis Alexander, *Hiſt. Eccleſ.* Sec. IX. P. I. c. 3. art. 17. p. 238. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 274. Uſſerius, *in Bibl. Theolog. Manuſcript.* p. 499. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 394. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 100.

VULFADUS vide WULFADUS.

VULFINUS BOETIUS.

Sarmata, Pictavienſis in Gallia Epiſcopus circa annum 830. claruit. *Vita S. Juniani, Abbatis Mariacenſis* in Provincia Aquitanica Secunda, ab ipſo ſcripta, extat apud Mabillonium, *Sec. I.* p. 308. *Hiſtoria translationis Reliquiarum S. Juniani Mariacenſis in Nobiliacenſe Monaſterium*, apud eundem Mabillonium, *Sec.* IV. P. I. p. 430. Confer, ſi placet, Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 229. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 159. Eliam du Pinium, *loco citato*, T. VII. p. 197.

W. WALAFRI-

W.

WALAFRIDUS STRABO.

NAtione Germanus, à vitio oculorum, ut ajunt, *Strabus* ſive *Strabo* dictus, Ord. Bened. in Fuldenſi Monaſterio Monachus, poſt ad S. Gallum Decanus, ac deinde ab anno 842. in Dioeceſi Conſtantienſi, usque ad annum 849. Abbas, quô fatis ceſſiſſe perhibetur. Multi ab eo diſtinguunt Strabum, Fuldenſem Monachum, Gloſſæ Ordinariæ primum autorem, Rabani Mauri diſcipulum, atque breviatorem. Nolumus, dum ad portum properamus, hanc litem noſtram facere. Videant, qui S. Philologiæ avidi, quid Labbeus, T. II. p. 372. 495. ſeq. congeſſerit. Trithemius ſanè, Poſſevinus, Bellarminus, Sixtus Senenſis, aliique, diverſos faciunt. Alii combinare audent. Conf. Voſſius, L. II. *de Hiſt. Lat.* c. 32. Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. IV. f. 106. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 374. qui ſequentia eidem Scripta attribuit: *De Officiis divinis* ſive *de Exordiis & Incrementis rerum Eccleſiaſticarum Librum*, cum aliis, Moguntiæ 1549. Paris. 1610. & in *Bibl. Patr.* T. XV. excuſum. *Vitam & Miracula S. Galli Abbatis*, Lib. II. apud Surium, d. XVI. Octobr. *de Vita S. Oth mari, Abbatis*, Lib. apud Surium, ibidem, & Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 153. *Vitam S. Blaitmaci*, apud Caniſium, T. VI. & Mabillonium, *loco citato*, p. 439. *Extrema S. Mammæ* & *Vitam S. Leudegarii*, apud Caniſium, ibid. *Viſionem S. Wettini*, metro ſcriptam, ibidem & apud Mabillonium *Sec.* IV. T. I. p. 272. *Poemata varia* apud Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. VI. p. 542. & *in Bibl. Patr.* T. XV. p. 181. *Sermonem* ſeu *Tractatum de everſione Hieroſolymæ, ad caput* XIX. *S. Lucæ*, apud Caniſium, ibidem, p. 331. *Poemata* quædam anteà inedita, apud Baluzium, *Miſcellan.* T. IV. De eo poſt autores citatos, Sigebertus *in Catalog.* c. 71. Chriſtophorus Browerus, *in Chronico Fuldenſi.* Eberhardus Fabricius, *Glor. Fuldens.* p. 39. Trithemius, *Chron. Hirſaug.* ad ann. 847. qui *Chronicon Fuldenſe* à Walafrido inchoatum memorat, eodemque ſe multum adjutum fuiſſe, ſcribit. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor. Eccleſ.* p. 249. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 4. & 167.

WALDRAMNVS.

Epiſcopus Argentinenſis, anno 895. Concilio Triburienſi in-

terfuit, annoque 905. expiravit. Extant ejus *Poëmata ad Solomonem, Epiſcopum Conſtantienſem*, apud Caniſium, *Antiqu. Lect.* T. I. in *Append.* p. 31. & *in Bibl. Patr.* T. XVI. p. 1304. Dicunt de Waldramno, Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 297, Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 399. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII p. 56.

JOH. WALLINGFORD.

Anglus, Magiſter Joh. de Cella alias dictus, Prior Wallingfordienſis, & anno 1195. Abbas S. Albani, anno 1214. obiit. *Chronicon*, ejus ex Codice Cottoniano edidit, atque *Rerum Anglic. Scriptor.* T. III. p. 525. inſeruit Tho. Galeus. Plura de eo dabunt Mathæus Paris, *in Vitis Abbatum S. Albani*, p. 105. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 232.

WALTERIUS.

Aurelianenſis Epiſcopus, anno 871. Concilio Duziacenſi ſubſcripſit atque *Capitula quædam ſuæ Diœceſeos Presbyteris* condidit, quæ vide *Concil.* T. VIII. De Walterio noſtro Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. II. p. 239. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 266.

WALTERIUS.

Senonenſis Archi-Epiſcopus, præcedentis nepos, circa annum 887. quo Odonem, Roberti, Andegavenſis Comitis, filium, Regem Franciæ coronavit. Habentur ejus *Conſtitutiones Synodicæ* in *Bibl. Patr.* T. III. & alibi. Obiit Walterius, anno 923. Conf. Sanmarthanos, *Gall. Chriſt.* T. I. p. 614. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 302.

WANDELBERTUS.

Prumienſis in Archi-Epiſcopatu Treverenſi Monachus & Diaconus, circa annum 850. ſcripſit *Vitam S. Goardi & Miracula ejus* Lib. II. quos vide apud Surium, d. VI. Julii & Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 275. *Martyrologium ejus* carmine heroico exaratum, cum *Vſuardi Martyrologio* vulgavit Jo. Molanus, Lovanii, 1568. Extat illud quoque inter *Opera Bedæ*, T. I. & apud Dacherium, *Spicileg.* T. V. p. 305. Plura de Wandelberto Sigebertus, *in Catalog.* c. 128. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Aubertus Miræus, *in Auctuar.* c. 319. p. 239. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 343. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 383. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 200.

PAVLVS WANN.

Canonicus & Concionator Patavienſis, Theologiæ Doctor atque Profeſſor, uti in diverſis Opuſculis dicitur. *Quadrageſimale*, ſive *Tract. de præſervatione hominis a Peccato*, anno 1468. conſcripſit, impreſſum Hagenoæ, 1508. Extant quoque ejus *Sermones de VII. Vitiis criminalibus*, ibidem, 1514. & *Sermones alii, Dominicales atque feſtivales*, cum Michaëlis Lochmajeri, Juris Pontificii Doctoris & Canonici Patav. *Sermonibus* excuſi, ibidem, 1497. & 1512. item, Coloniæ, 1613. & Moguntiæ, 1616.

WARINVS.

Ex Monacho Gorzienſi & Clerico Leodienſi, Abbas Metenſis factus, circa annum 1028. claruit. Habetur ejus *Epiſtola* prolixa, ad Joh. Fiſcamnenſem, *de repetendo Benedicto Monacho Fiſcamnenſi*, qui ex Cœnobio Fiſcamnenſi ad Metenſe transfugerat, apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 225. Loquuntur de VVarino Guilielmus Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 419. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 105.

WARMANNVS.

Natione Germanus, Comes à Dilingen, Monachus Augienſis & Epiſcopus Conſtantienſis, annoo 115. clarus, anno 1034. e vita migravit. Extat *Vita Pirminii, Abbatis & Coepiſcopi*, ab ipſo ſcripta, apud Chriſtoph. Browerum, *in Vitis Sanctorum Germaniæ* & Surium, d. III. Novembr. ſub *Othloni* nomine. Verùm genuino illam Autori reſtituit Eiſingrenius, in *Catalogo teſtium*, & Mabillonius, *Sec.* III. P. II. p. 136. Vide, ſi placet, Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 197.

PAVLVS WARNEFRIED.

Patriâ Longobardus, Eccleſiæ Aquilegienſis Diaconus, Regisque Longobardorum ultimi, Deſiderii, Cancellarius, cum Principe ſuo aliisque nobilibus, expugnatâ urbe Papiâ ſive Ticino, anno 774. in Caroli M. poteſtatem venit, ſed adverſo poſteà fato exilium paſſus, tandem Cœnobii Caſinenſis Monachus factus, ſicut prolixe refert Leo Oſtienſis, Lib. I. *Chron. Caſinenſ.* c. 15. cujus verba vide apud Lindenbrogium & Joh. Bapt. Marum, *in notis ad Petrum Diaconum, de Illuſtr. Caſin.* c. 6. Scripſit VI. *Libros de Geſtis Longobardorum*, editos, Aug. Vindel. 1515. Baſil. 1532. Lugd. Batav. 1595. 8. 1597. & 1618. 8. Hambur-

burgi, 1611. & inter *Hiſtoricos Francicos Freheri*, Hanoviæ, 1613. fol. & ad calcem *Hiſtoriæ Gothorum Grotii*, Amſtelodami, 1655. 8. *in Bibl. Patr.* T. XIII. p. 160. *Hiſtoria Miſcellæ* Lib. XXIV. Baſileæ, 1569. Ingolſtadii, 1603. 8. Hanoviæ, 1611. Hamburgi, 1611. prodierunt. Vide, quid de iis judicet Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 30. *Homiliarium*, Spiræ, 1482. fol. Colon. 1517. 1539. Pariſiis, 1535. 1569. fol. *De Vita S. Gregorii, Papæ*, Lib. IV. Mabillon, *Sec.* I. p. 385. *Vita SS. Benedicti, Mauri, ac Scholaſticæ Virginis*, Romæ, 1590. *Verſus de eadem S. Scholaſtica*, apud Arnoldum Wion, *Ligno vitæ*, d. X. Febr. *Vita S. Arnulphi, Metenſis Epiſcopi*, inter *Opera Bedæ*, & apud Surium d. XXIV. Aug. *Hymnus in Natalem S. Joh. Baptiſtæ*: Ut queant laxis reſonare &c. explicavit Jo. VVeitzius, ediditque Jenæ, 1639. Excerpta quædam *de Metenſibus Epiſcopis*, apud Marqu. Freherum, T. I. *Corporis Hiſtoriæ Francicæ*, p. 171. & Andream Du Chesnium, inter *Hiſtor. coætan.* T. II. & *in Bibl. Patr.* T. XIII. p. 319. *Epiſtolarum* fragmenta, apud Baluzium, *Miſcellan.* T. I. p. 362. *Vita* ſeu *Paſſio S. Cypriani*, ejus operibus præfigi ſolita. Opera VVarnefridi deperdita, ut ſunt *Expoſitio Regulæ S. Benedicti*: *Verſus de Miraculis S. Benedicti*: *Geſta Epiſcoporum Papienſium*, refert Guil. Cave, *Hiſt Litter.* P. I. p. 348. De eo Sigebertus, *in Catalogo*, c. 80. & Miræus, *in Scholio*, p. 184. Poſſevinus, *in Appar.* S. Bellarminus, Labbeus, T. II. p. 170. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 208. Voſſius, *loco citato*.

WASELINUS MOMALIVS.

S. Laurentii apud Leodienſes Abbas, ab anno 1130. ad 1147. claruit, atque *Epiſtolam de continentia Conjugatorum ante Communionem* ſcripſit, quam exhibet Mabillonius, *Analect.* T. I. p. 339. Waſelini hujus mentionem habent, Guil. Cave, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 461. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 184.

WERNERUS.

Monaſterii S. Blaſii, in Nigra Sylva, Ord. Bened. Abbas, circa annum 1210. collegit *ex diverſis Patribus deflorationem, quæ continet Sermones poſtillares*, Baſileæ, 1494. fol. & 1549. excuſam. Loquitur de eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 486.

JOH. de WESALIA.

In inferiori Germania circa annum 1470. Theologus

infi-

inſignis, acerrimusque Pontificis adverſarius, Ariſtotelis atque Thomæ irriſor, Platonis verò defenſor perpetuus. Extant ejus *Paradoxa*, ut olim videbantur, aliquot in *Faſciculo Expetendarum rerum*, quibus Papæ infallibilitatem, jenuniorum neceſſitatem, & neſcio quæ plura Pontificiorum dogmata impugnavit. Hæc & alia maſcule quidem initiò defendit, ignis tamen metuens pœnam, abrenunciavit. Vide de eo Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 104. Baylium & Buddeum, *in Lexiis.*

JOH. WESSELVS.

Circa annum 1419. Groeningæ natus, ibidemque anno 1489. denatus. Idem aliàs dictus *Baſilius Hermanni*, cognomento *Gansfordius.* Rhetor fuit, Poeta, Philoſophus atque Theologus, ob Lingvarum, Græcæ, Hebraicæ & Latinæ peritiam *Lux mundi* appellatus. Hinc Pariſiis, Coloniæ, Heidelbergæ, Romæ & Baſileæ potiſſimùm Reuchlinum alioſque eaſdem edocuit. Ejus *Vitam* & quæ circa eam digna occurrunt, Suffridus Petri, *Decad. Scriptor. Friſ.* num. 4 p. 46. Melch. Adami, *Vit. Litter.* p. 38. Theoph. Spizelius, *Arcan. Bibl. prælim.* & Valer. Andreæ, *Bibl. Belg.* p. 849. Bayle & Buddeus, *in Lexicis*, pluribus indigitant. Opera ejus aliquoties prodierunt, invitis licet Cenſoribus Romanis, quibus obelo ſiniſtro maximam partem fuerunt notata. Excuſa autem ſunt illa ſub titulo *Farraginis rerum Theologicarum*, Baſil. 1523. f. & 1525. 4. Groeningæ, 1614. & Marpurgi, 1617. ſtudio Theodori Strackii, hoc quidem ordine : *de divina Providentia* : *de cauſis & effectibus Dominicæ incarnationis & Paſſionis* : *de Poteſtate Eccleſiaſtica* : *de Sacramento Pœnitentiæ & Eccleſiæ Clavibus* : *de communione Sanctorum* : *de Purgatorio & aliquot Epiſtolæ &c.* Seorſim prodiit *de moribus veterum Hæreticorum Liber*, Lipſiæ 1537. Plura de ejus Scriptis Henr. Wharton, *loco citato*, p. 104.

THOMAS WICCIVS.

Anglus, Ordinis S. Auguſtini in Coenobio Oſnejenſi Canonicus Regularis, anno 1299. clarus, ſcripſit *Chronicon Angliæ* ab anno 1066. ad 1304. quod inter *Hiſtoriæ Anglicanæ Scriptores* Twisdeni prodiit Oxonii, 1687. fol. T. II. *Librum de Abbatibus Osnejenſibus &* alia ejus aut manuſcripta aut deperdita memorat Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 523.

JOH. WICLEF.

Circa annum 1360. clarus, natione Anglus, Collegii Cantua-

rienſis ac Baliocenſis Præfectus & Rector Eccleſiæ de Lutterworth, Dioeceſis Lincolnienſis, prout ex Tho. Walſinghamo refert, Wicleſo aliàs, ejusque Encomiaſtæ, Balæo, parùm æquus Pitſeus, *Angl. Scriptor.* f. 54. Philoſophus atque Theologus fuit nulli ſecundus, qui omnes in ſui admirationem rapuit. Crasſiſſimis Papatus erroribus & moribus magno cum Zelo contradixit, hinc non modò in variis Conciliis damnatus, ſed ejus quoque Oſſa, demum, poſt mortem ſcilicet, an 1428. effoſſa atque combuſta ſunt. Obiit Wicleſus, anno 1487. Luterworthæ, neutiquam verò in Bohemia. Varios quidem in eo nævos animadvertimus, utpote in doctrina de Purgatorio, de SS. invocatione, de VII. Sacramentis & alios, quos tamen ante mortem, cognita magis Evangelii luce, eum abjuraſſe patet. Scripta ejus ſummo quidem ſtudio collegit atque recenſuit Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 36. E quibus ea ſaltem, quæ typis prodierunt, repetimus. *Dialogorum* Lib. IV. 1525. 4. excuſa. *Oſtiolum* ſive *Tractatus Anglicus de Sacramento Altaris*, Norimbergæ, 1546. 8. Oxon 1612. 4. *Tractatus* II. *adverſus Fratres Mendicantes*, Anglicè cura Sameſii, Oxonii, 1608. 4. *Aphoriſmi* ſeu *Articuli Wicleſiani*, Argent. 1554. 8. *Concluſiones & articuli*, in *Faſciculo Rerum Expetend.* Colon 1535. fol. 95. 133. *Confeſſio fidei*, apud Foxium, in *Comment. Rerum Eccleſ.* Baſileæ, 1563. f. P. I. p. 8. *Epiſto'a ad Urbanum* VI. P. R. ibidem, p. 16. Alia ejus quamplurima ſuppeditabit, modo laudatus Whartonus, quæ maximam partem ipſe vidit. Confer quoque Baleum, *Centur.* VI. c. 1. Plura de Wickfo dicunt Henr. Knygton, *in Chron. de Eventibus Angliæ*, Lib. V. Æneas Sylvius *Hiſt. Bohem.* cap. 35. Hermannus von der Hard, *Act. Concil. Conſtant.* Kortholt *Hiſt. Eccleſ.* Sec. XIV.

WILHELMVS vide GVILIELMVS.

WILLELMUS.

Abbas Metenſis anno 1073. ſcripſit *Epiſto'as* VII. & *Orationes in Feſto S. Auguſtini* recitandam, quas vide apud Mabillonium, *Analect.* T. I. p. 247. De eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 432.

WILLERAMVS.

Franconiâ oriundus, Eccleſiæ Bambergenſis Scholaſticus, deinde Monachus Fuldenſis Ord. Bened. denique Mersburgenſis

Abbas,

Abbas, anno 1070. clarus, ſcripſit *Expoſitionem ſuper Canticum Canticorum geminam*, latinam metro-Rhythmicam & Germanicam, curâ Pauli Merulæ, Lugduni Batav. 1598. editam. Ad illam notæ & ſupplementa Marquardi Freheri, Wormatiæ, 1631. prodiiſſe referuntur. Longè auctior Codex manuſcriptus in Bibl. Vindobonenſi adſervatus, memoratur Lambecio, *Comment.* Lib. II. c. 8. num. 25. p. 765. De Willeramo, Iſaacus Pontanus, *in Origin. Franc.* Lib. VI. c. 24. p. 582. & alibi, Poſſevinus, *in Appar.* S. T. II. p. 548. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 343. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 201. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 109.

WILLIBALDUS.

Epiſcopus Eiſtatenſis, natione Scotus, Devonius, S. Walpurgis, Abbatiſſæ Heidenheimenſis frater, S. Bonifacii diſcipulus, Ord. Bened. juxta Trithemium, floruit ab anno 742. ad 781. Ejus *de Vita Bonifacii Liber*, extat apud Caniſium, T. IV. *Antiqv. Lect.* P. II. p. 341 & cum *Bonifacii Epiſtolis*, Moguntiæ 1605. & apud Surium, d. V. Julii & Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 1. Plura, quæ ſcripſit, forſan interierunt. *Vitam Willibaldi*, à diverſis deſcriptam, vide apud Caniſium, *loco citato*, p. 475. 693. Conf. Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 29. Pantaleon, *de viris illuſtr.* P. II. p. 263. Antonius Poſſevinus, *in Appar. S.* Aub. Miræus, *in Auctuar.* c. 216. p. 222. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 199. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 344. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 107.

WILLIBRANDUS ab OLDENBURG.

Gente Germanus, Canonicus Hildesheimenſis, circa annum 1211. Iter in Palæſtinam ſuſcepit, atque redux factus *Itinerarium Terræ S.* conſignavit, quod vide apud Leonem Allatium, *Symmict.* P. I. p. 104. Colon. 1653. 8. Conf. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 491.

JACOB WIMPHELINGIUS.

Sletſtadienſis, anno 1449. natus, S. Theologiæ & Juris Pontificii Licentiatus, Eccleſiæ Spirenſis, anno 1494. Presbyter, & Heidelbergenſis Gymnaſii Profeſſor, anno 1528. Seleſtadii, quo ſe contulerat, obiit. Simlerus, *Epitome Geſner.* f. 316. penè multa ejus Scripta recenſet. Ex his ea repetimus, quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt,

unt, ut ſunt *Liber de vita & moribus Epiſcoporum Argentinenſium, aliorumque Principum & Prælatorum*, Argentinæ, 1512. 1661. excuſus. *Oratio* ſive *Conſilium de bello movendo contra Turcas*, Jslebii 1603. *De Germanicæ nationis gravaminibus contra Sedem & Curiam Romanam*, apud Freherum, *Germ. Script.* T. II. *Replica ſuper eodem argumento contra Æneæ Sylvii Tractatum*, ibidem. de *Nuntio Angelico Carmen Heroicum* &c. *Oratio de Annuntiatione Angelica* & alia, de quibus poſt Simlerum, Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 124. Conf. de Jacobo Wimphelingio, Melchior Adami, *Vitis Theolog.* Lilius Gyraldus, *de Poetis ſui temporis.* Voſſius, de *Hiſtor. Lat.* Bernardus Hertzog, *Chron. Alſat.* L. VII. c. 21.

WINIFRIDVS.

Bonifacius mutato nomine dictus, quia ſemper bona faciens, natione Anglus Cridioni in agro Devonienſi an. 670. natus, vel ut quibusdam videtur, Scotus, Friſiorum, Haſſorum, nunquam verò Thuringorum juxta Sagittarium, *de Antiqu. Rerum Thur.* p. 208. Bojarorum aliorumque Germaniæ populorum Apoſtolus, quos Chriſtianismo imbuit, ſedisque Pontificiæ in ea Regione Legatus, anno 704. clarus, Willibrodo Epiſcopo in Eccleſia Trajectenſi fideliter adhærens. Anno 717. Romam profectus, a Gregorio II. gentibus Evangeliſandi poteſtatem adeptus, à Gregorio poſteà III. pallio Archi-Epiſcopali ornatus, anno 732. & laudatus, quod Deus per eum Centum millia animarum Eccleſiæ gremio aggregârit, teſtibus Sanmarthanis, T. I. *Gall. Chriſt.* f. 347. Tres potisſimùm in Germania Epiſcopatus, anno 742. inſtituit, Wurtzburgenſem Buraburgenſem, & Erphesfurtenſem, teſte Zacharia Papa, in *Epiſtol.* & Ayſtetenſem atque Friſingenſem, ſi Bruſchio fides, T. I. *de Epiſcop. German.* p. 4. celeberrimum etiam Fuldæ Monaſterium an 750. ædificavit, cujus Bibliotheca inter alios Libros pretioſos & raros Evangelium S. Bonifacii manu conſcriptum olim continuit, idque ab Jmperatore Arnulpho, Hugoni, Abbati Fuldenſi IX. donatum, qui liber præſtans Regum Cimelium dictus Gualthero, in *Chron. Catal. Abbat. Fuld.* p. 119 Conf. Fabricium, *Glor. Fuldens.* p. 39. 84. Moguntinus præterea primus Archi-Epiſcopus, tandemque anno 754. non verò 755. ut plerique minus recte ponunt, in Friſia Martyr obiit, in Abbatia Fuldenſi ſepultus. De eo plura Nicolaus Serrarius, qui ejus *Epiſtolas* ex Auguſtisſimi Imperatoris Bibliotheca Vindobonenſi luce donavit & 1605. iterumque 1629. Moguntiæ edidit,

didit, quæ una cum Epiſtolis aliorum ad Bonifacium ſcriptis extant T. VIII. *Bibl. Magna Colon.* f. 67. & in *Hiſtoria S. Bonifacii*, quam edidere Joh. Leznerus Hardesſianus, Erfurt. 1603. & Jacobus Weberus XIV. *Homiliis*, excuſis Jenæ, 1606. *Vitam* verò à Willibaldo ſcriptam, apud Serrarium, *loco citato*, & Surium, d. 5. Junii. Henr. Caniſium, T. IV. *antiqv. Lect.* T. IV. P. II. p. 338. & ab Othlone autore conſignatam Surius & Caniſius, p. 392. ſiſtent. Epiſtolæ quædam habentur quoque *Concil.* T. VI. omnes verò *Bibl. Patr.* T. XIII. p. 70. *Vita S. Livini*, apud Mabillonium, *Sec. Bened.* II. p. 449. *Statuta* quædam, apud Dacherium, *Spicileg.* T. IX. p. 63. Conferquoque, ſi placet, Voſſium, *Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 29. p. 281. ſeq. Baleum, *Centur.* II. cap. 13. Arnoldum Wion, *Lign. Vitæ* L. 5 p. 688. Pitseum, *de Scriptor. Angl.* f. 148. Valerium Andream, *Bibl. Belg.* p. 117. Labbeum, *de Scriptor.* T. I. p. 208. Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 339.

WIPERTUS.

Guibertus ſive *Wibertus*, Tullenſis Archi-Epiſcopus, anno 1056. clarus, ſcripſit *Vitam Leonis IX. P. R.* Libris II. à Jacobo Sirmondo, Pariſiis, 1615. cum notis editam. Extat quoque apud Bollandianos, d. XIX. April. Notas in hanc vitam exaravit Barthius, *Adverſar.* Lib. XLV. c. 19. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 333. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 200.

WITTIKINDUS.

Qui & Windichindus & Widuchindus, Monachus Corbejenſis in Saxonia Coenobii, Ord. Bened. ab anno 940. ad 973. & ultra, floruit, & ſcripſit *de Geſtis Saxonum Libros III.* Baſileæ, 1532. Francof. 1577. & inter *Scriptores Rerum German.* ibidem, 1580. emendatos & notis Henrici Meibomii illuſtratos, Francofurti, 1621. cum *Verſibus* aliquot ab ipſo exaratis. *Paſſio Theclæ Virginis*, metricè ex *Vita Pauli Eremitæ*, tàm proſa, quam metro, Sigeberto *de Scriptor.* cap. 129. memorata, interierunt. Agunt de eo Voſſius, *de Hiſt. Lat.* Lib. II. c. 41. Labbeus, T. II. p. 497. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 407. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 56.

WOLBERO.

Ord. Bened. S. Pantaleonis intra Coloniam Cœnobii XII.

 Abbas,

Abbas, anno 1147. electus, anno verò 1167. defunctus, ſicut conſtat ex antiquisſima tabula, quam exhibet Henr. Gravius, ejusdem Ord. Bened. editor *Commentariorum Wolberonis in Cantica Canticorum*, excuſorum Coloniæ Agrippinæ, 1630. & 1650. 4. De eo Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 422. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 185.

WOLFHARDUS.

Sive *Wolphhardus*, Monachus Monaſterii Haſenrietani, Ord. Bened. anno 886. floruit, atque *Libros IV. de Vita S. Walpurgis, Virginis*, ſcripſit, quorum II. vide apud Henr. Caniſium, *Antiqv. Lect.* T. IV. Omnes autem IV. apud Surium & Bollandum, d. XXV. Febr. Mabillonium, *Sec. Bened.* III. P. II. p. 287. Vide, quæ de eo, exhibeant Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 293. Guil. Cave, P. I. p. 397. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 199.

WOLSTANVS.

Natione Anglus, Wintonienſis Cantor & Monachus, claruit circa annum 1001. Scripſit *Vitam Ethelwoldi Præceptoris ſui, Wintonienſis Epiſcopi*, quam edidit Jo. Mabillon, *Sec. Bened.* V. p. 606. *Vita S. Swithuni, Epiſcopi Wintonienſis*, habetur ibidem, p. 628. Plura de eo dabunt Baleus, Pitſeus, de *Scriptor. Angl.* p. 181. Guil. Cave *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 196. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 62.

HENRICVS WOLTHERUS.

Eccleſiæ Cathedralis S. Anſcharii Bremenſis Canonicus, anno 1463. conſpicuus, cujus *Chronicon Archi-Epiſcopatus Bremenſis* Henricus Meibomius, *Rerum German. Scriptor.* T. II. Helmſtadii 1688. fol. inſeruit.

WVLFHADUS.

Ex Eccleſiæ Rhemenſis Oeconomo, Archi-Epiſcopus Bituricenſis, anno 866. factus, anno 875. obiit. Extat ejus *Epiſtola Paſtoralis ad Parochos & Parochianos Diœceſeos ſuæ*, apud Mabillonium, *Analect.* T. IV. p. 602. Dicunt de eo Sanmarthani, *Gallia Chriſtiana*, T. I. p. 153. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 267. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 390. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VII. p. 152.

X. FRAN-

X.

FRANCISCUS XIMENIUS.

Hiſpanus Catalaunus, Epiſcopus Elnenſis & Pſeudo Patriarcha Hieroſolymitanus, anno 1400. flóruit atque inſignem *de Natura Angelica Librum* compoſuit. Prodiit iſte Compluti, 1527. *Tractatus de Scala Dei*, Barcinone, 1501. *Paſtorale pro inſtructione Epiſcoporum & Supernorum*, ibidem 1495. fol. *de Vita Chriſtiana* Lib. IV. Valentiæ, 1484. Granatæ, 1496. De aliis ejus vide Waddingum, *de Scriptor. Ord. Minor.* p. 140. Andream Schottum & Nicolaum Antonium, *Bibl. Hiſpan.* Henr. Whartonum, *Append. Cav.* p. 49. Caſimirum Oudinum, *Supplem.* p. 671. ſeq. Alius a noſtro eſt Fr. Ximenius, Cardinalis & Archi Epiſcopus Toletanus, Archi-Cancellarius &c. qui *Bibliorum Complutenſium* impreſſionem, anno 1515. T. VI. fol. feliciter abſolvit, cujusque *Vitam* Alvarus Gomecius, Marſolierius & Fleckierius ex inſtituto narrarunt.

RODERICUS XIMENIUS.

Navarrus Toletanus ab anno 1208. Archi-Epiſcopus, anno 1215. Concilio Lateranenſi interfuit, atque anno 1245. obiit. Ejus *Hiſtoria Hiſpanica* Lib. IX. habentur in *Hiſpania illuſtrata*, ab Andrea Schotto edita, T. II. p. 26. *Hiſtoria OſtroGothorum*, ibidem, p. 148. *Hiſtoria Hunnorum, Vandalorum*, &c. ibidem, p. 151. *Hiſtoria Arabum*, p. 162. *Hiſtoria Romanorum*, ibidem, p. 194. Dicunt de eo Aub. Miræus, *in Auctuar. de Script. Eccleſ.* c. 392. p. 259. Vaſæus, *in Chron. Hiſpan.* c. 2. & 4. Voſſius, *de Hiſtor. Lat.* L. II. c. 57. Andreas Schottus & Nicolaus Antonius, *locis citatis*. Joh. Mariana, L. II. *de reb. Hiſpan.* c. 21. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 514. qui hoc ejus Epitaphium Cippo inſculptum exhibuit. *Mater Navarra, Nutrix Caſtella, Schola Pariſius, Sedes Toletum, Hortus Mauſoleum, Requies Cœlum.* Confer quoque Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 514. Tho. Pope-Blount, *Cenſur. Celebr. Autor.* p. 405.

GEORGIUS XIPHILINUS.

Magnus Scevophylax, poſt Patriarcha Conſtantinopolitanus, anno 1193. conſtitutus, anno 1199. mortalitati debitum perſolvit.

Extat

Extat ejus *Decretum de Juribus Territoriorum*. gr. lat. apud Jo. Leunclavium, *in Jur. Græc. Rom.* L. I. p. 283. De aliis ejus vide Leonem Allatium, *de Georgiis eorumque Scriptis*, p. 342. Guil. Caveum, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 480.

JOH. XIPHILINVS.

Trapezunte oriundus, ex Senatore Patriarcha Conſtantinopolitanus, ab anno 1065. ad 1078. vel 1080. claruit. Ejus *Oratio in Crucem ſeu in tertiam Jejuniorum Hebdomadem*, extat apud Gretſerum, *de Cruce*, T. II. p. 1449. & *Bibl. Magn. Colon.* T. XI. f. 472. *Decreta II. de Sponſalibus, in Jure Græco Romano* Lib. III. p. 211. *Decretum de Nuptiis prohibitis*, ibidem, Lib. IV. p. 266. *Homiliæ in Evangelia Dominicalia totius anni* manuſcriptæ adſervantur in Bibl. Bavarica & Vaticana. Malè hunc noſtrum Jo. Xiphilinum cum alio cognomine, *Dionis Caſſii Hiſtoriæ* Epitomatore, confundunt Andreas Schottus, Baronius, Spondanus, Bzovius, Ludovicus de la Cerda, Philippus Brietius, Chriſtophorus Beſoldus, Jo. Gerhardus Vosſius atque Henricus Stephanus, quos ex ipſo Jo. Xiphilino, Epitomatore, refellit Guilielmus Caveus, P. I. *Hiſt. Litter.* p. 430. qui ſe ipſum Xiphilini noſtri nepotem, appellat. Agunt de Jo. Xiphilino, Patriarcha, Antonius Poſſevinus, *in Appar.* S. T. I. p. 955. Caſimirus Oudin, *Supplem.* p. 334. Koenigius, *in Bibliotheca*. Vosſius *de Hiſtor. Græcis*, Lib. II. c. 26. *Journal des Scavans*, T. VI. p. 258. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 113. Blount, *Cenſur. Celebr. Autor*, p. 365.

XYSTUS vide SIXTUS.

Y.

YVO.

SEu *Ivo*, Gallus, in agro Bellovacenſi natus, Lanfranci diſcipulus, ex Abbate S. Quintini, factus anno 1092. Epiſcopus, *Lucerna Occidentalis Orbis, fulgor Eccleſiæ Gallicanæ, Juris divini humanique Scientia celeberrimus*, elogio Baronii, obiit, anno 1115. aut ſequenti, poſtquam dura paſſus fuerat, inter alia, cum Philippo, Regi, in legitimum Berthæ, Vxoris, thalamum, Bertradam ſuperinducenti, contradiceret, & flagiti-

gitium exprobraret, fœdiſſimè conniventibus Regi nonnullis aliis Galliæ Præſulibus, de quibus Sanmarthani, *Gall. Chriſt.* T. II. f. 487. Confer Yvonis *Epiſtolam* 22. De aliis ejusdem fatis dicunt paſſim autores. Duo Yvonis Epitaphia exhibet Labbeus, *in Theſauro*, p. 107. ſeq. Middendorpius, Lib. VI. *de Academiis*, p 383. ſcribit, illum à Clemente VI. P. R. in Divorum numerum fuiſſe relatum. Plurima Ivonis Opera uno ſimul grandi volumine, Pariſiis, 1647. fol. ſtudio & operâ Jo. Baptiſtæ Souchetti, in duas Partes tributa, prodierunt. Recenſent ea Labbeus, T. II. *diſſert. de Script.* p. 501. ſeq. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 437. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. a. p. 1. ad 25. Seorſim vero *Decretorum Liber*, Baſileæ, 1499. 4. Lovanii, 1557. 8. & cum *Epiſtolis*, 1561. fol. *Panormiam* ſive *Decretorum Eccleſiaſticorum Summam* Hugoni quidem Catalaunenſi, poſt alios, tribuit Gerhardus Maſtrichtius, *Hiſtor. Jur. Eccleſ.* num. 267. ſeq. Baluzius vero in *præfatione ad Anton. Auguſtinum, de emendatione Gratiani* num. 21. & ex Codicis Pariſienſis manuſcripti autoritate & aliis litterarum monumentis noſtro Ivoni reſtituit. Ipſa Baluzii verba transſcripſit Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 359. ſeq. *Epiſtolæ* 287. Pariſiis, 1585. 4. & 1610. 8. *Sermones XXII. de Eccleſiaſticis Sacramentis ac officiis, præcipuisque per annum Feſtis*, inter *Scriptores de divinis officiis*, Coloniæ, 1568. Pariſiis, 1610. excuſos, habentur. *Epiſtola ad Bernerium, Abbatem Bonævallis, & alia*, ad calcem *Guilberti Operum*, à Dacherio editorum, p. 664. 668. Plura quidem Ivonis Manuſcripta adducit Antonius Sanderus, *in Bibl. Belg. Manuſcript.* P. I. p. 33. 51. P. II. p. 28. & ex eo Guilielmus Cave, *loco citato*. His adde Codicem manuſcriptum *in Pſalmos*, qui in Bibl. Colbertina, *Cod.* 1478. adſervatur. In Paulina Lipſienſi extat aliud Manuſcriptum rariſſimum *Compilationis Veteris & primæ Decretorum Ivonis* in XVI. partes diviſæ, Juris canonici velut Archetypon, ſicut annotavit Andreas Rivinus, anno 1639. illud Academiæ ſumptibus eò reponens, additô ſimul hoc diſticho:

Vltima non laus eſt Pandectas ſiquis Hetruscas
Viderit, haud minor eſt ſiquis Ivonis Opus.

Nullas in hac editione epiſtolas Ivonis legi, teſtes oculi ſunt mei.

Z.

FRANCISCVS ZABARELLA.

Sive de Zabarellis, patria Patavinus, J. V. D. Florentiam vocatus, Jus

Canonicum docuit, ibidemque factus Epiſcopus, dein Cardinalis, imò Concilio Conſtantienſi convocato, Pontificis ibi vices geſſit, Conſtantiæque fatis ceſſit, anno 1417. Vide Jac. Phil. Thomaſinum, *Elog. Illuſtr. Viror.* P. I. p. 5. Scripta ejus refert Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 59. *Commentarius in V. Libros Decretalium & Clementinas*, Venetiis, an. 1602. prodiit. *Comment. verò in Clementinas*, ſeorſim, Venet. 1481. T. IV. *Conſilia Juris*, Venet. 1581. *Variæ legum repetitiones*, ibid. 1587. *De Schiſmatibus authoritate Imperatoris tollendis Liber*, cum aliis, Baſileæ, 1587. Argentinæ, 1609, 1618. Plura, quæ ſcripſit, typis non dum expreſſa, ibidem comparent, & apud Thomaſinum, *loco citato*, quæ nunc quidem memorare non attinet. Conf. Pancirollum, *de clar. Leg interpret.* Lib. III. c. 38. Baylium & Buddeum, *in Lexicis.*

ZACHARIAS.

Chryſopolitanus Epiſcopus, vel juxta Albericum, *Chron.* ad annum 1157. Monachus Præmonſtratenſis apud S. Martinum, Laudunenſem, vixit circa annum 1157. ſecundum Helinandum à Labbeo, T. II. p. 505. citatum, ſcripſitque *Libros IV. Commentariorum, in Concordiam Evangelicam*, editos Coloniæ, 1535. & T. XII. *Bibl. Colon.* & *edit. noviſſ.* T. XIX. p. 732. Confer Guilielmum Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 470. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 189.

ZACHARIAS P. R.

Gente Syrus, ex Monacho Pontifex, anno 741. conſtitutus, anno 752. obiit. Ejus *Epiſtolæ* XVIII. habentur *Concil.* T. VI. p. 1498. *Epiſtola ad Theodorum, Episcopum Ticinenſem*, apud Dacherium, *in Spicilegio*, T. VIII. p. 120. & Baluzium, *in Append. ad Reginonem.* p. 601. *Dialogi Gregorii* græcè ab ipſo verſi, extant inter *Opera Gregorii*, editionis Pariſienſis, 1640. & alibi. Plura de eo ſuppeditabunt, Platina, Anaſtaſius Bibl. Ludovicus Jacob, *Bibl. Pontif.* p. 230. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 343. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VI. p. 96.

ZACHARIAS SCHOLASTICVS.

Seu Sophiſta, Mitylenes in Lesbo Inſula Metropolitanus, Concilio Conſtantinopol. anno 536. interfuit, atque *contra ea, quæ de duobus principiis à Manichæo quodam ſcripta, inque viam projecta invenerat, diſputationem* ſcripſit, quæ ex latina Turriani Verſione, apud Caniſium

um, *Antiqu. Lect.* T. V. p. 143. habetur. *Dialogus contra Philoſophos, qui mundi æternitatem adſerunt*, gr. lat. cum Turriani & Barthii notis, Lipſiæ, anno 1653. 4. & in *Auctuario Ducæano*, T. I. p. 331. & cum Origenis *Philocalia*, Pariſiis 1619. 4. prodiit. Habes utrumque Latinè in *Bibl. Patr.* T. IX. De eo Aub. Miræus, *in Auctuar. de Scriptor. Eccleſ.* c. 152. p. 209. Poſſevinus, in *Appar. S.* Conradus Gesnerus, *in Bibliotheca.* Caſimirus Oudinus, *Supplem.* p. 127. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 288. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. V. p. 74.

ZENO.

Veronæ Epiſcopus, anno circiter 360. Martyrium paſſus vulgò perhibetur. Sunt tamen qui refragantur & ſiccâ morte obiiſſe, aut diverſum certe ab illo Zenone tradunt, qui S. Ambroſii ætate, Veronæ Epiſcopus, Syagrii deceſſor, vixit. Vide de hoc dubio & vulgò venditatis *Sermonibus de plurimis S. Scripturæ locis & rerum divinarum argumentis*, numero 90. Labbeum, T. II. *diſſert. de Scriptor. Eccleſ.* p. 509. & alios, quos exſcribere nolumus. Prodierunt iſti *Sermones*, Venetiis, 1508. Veronæ, 1586. 4. *Biblioth. Patr.* T. III. & alibi. Conf. quoque de Zenone Veronenſi, Vghellus, *Ital. Sacr.* T. V. Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 124. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. I. p. 202.

IACOBVS ZENVS.

Venetus Patricius, Epiſcopus Patavinus, ab anno 1465. ad 1476. claruit, atque *Vitam Nicolai Albergati, Epiſcopi Bononienſis*, ſcripſit, quæ cum aliis prodiit Coloniæ, 1618. 4. *De geſtis P. R.* & *Orationes de humana miſeria & de Chriſti Corpore* memorant Trithemius atque Simlerus, & ex eo Guil. Cave, *Hiſt. Litter.* P. II. p. 314.

EVTHYMIVS ZIGABENVS.

Monachus Græcus Ordinis S. Baſilii, circa annum 1116. quicquid alii hic oberrent, claruit. Ejus *Orthodoxæ fidei dogmatica Panoplia adverſus omnes Hæreſes*, Latinè tantum, Petro Fr. Zino, Veronenſi Canonico, interprete, Lugduni, 1536. 8. Pariſiis, 1556. 8. Venetiis, 1575. vulgata. *Titulum* ejus ultimum, gr. lat. cum notis edidit Fridericus Sylburgius, in *Saracenicis*, à p. 1. ad 54. exinde Fronto Ducæus, in *Auctuar.* ſuo T. II. p. 292. *Commentarii in Pſalmos & X. Scripturæ Cantica*, gr. Veronæ, anno 1530. Lat. Pariſiis, an. 1543. 8. 1547. 8. Venetiis, 1568.

Præfatio in Pſalmos prolixa habetur gr. lat. apud Stephanum Moynium, *Var. Sacr.* T. I. p. 150. *Comment. in IV. Evangelia*, gr. Veronæ, 1530. lat. ex verſione Jo. Hentenii, Lovanii, 1544. 8. Pariſiis 1544. 1560. 8. 1602. Extant hæc omnia Euthymii Zigabeni Opuſcula, Lat. in *Bibl. Patr.* T. XIX. p. 235. 475. *Commentarios in Epiſtolas Pauli* ex Chryſoſtomo & aliis Patribus collectos, Johan. Hentenio interprete, editos tradit Simlerus, *Epitom. Geſner.* f. 193. Conf. de Euthymio Zigabeno, Bellarminum, *de Scriptor.* p. 299. Labbeum, *diſſert. de Scriptor.* T. I. p. 311. Guil. Caveum, *Hiſt. Litter.* P. I. p. 451. P. II. p. 222. Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 197.

IOH. ZONARAS.

Conſtantinopolitanus, ex Magno Drungario Biglæ, & Protoaſecretis, Monachus Ordinis Baſilii, circa annum 1118. celebris, condidit *Annales*, quos tribus Tomis vulgavit gr. lat. Hieronymus Wolffius, Baſileæ, 1557. f. Rectius verò Tomis duobus eos fecit recudi, gr. lat. Carolus du Fresne, Pariſiis, 1686. f. *Commentarii in Canones* SS. *Apoſtolorum*, Lat. Pariſiis, 1558. *Commentarii in Canonicas aliquot Græcorum Patrum Epiſtolas*, gr. lat. ad calcem *Gregorii Neocæſarienſis*, Pariſiis, 1621. f. *Comment. in Canones* SS. *Conciliorum*. Lat. Mediolani, 1613. Hi omnes *Commentarii* gr. lat. prodierunt Pariſiis 1618. & in *Pandectis Canonum*, cum Beveregii notis, Oxon. 1672. fol. *Proemium in Tetraſticha Gregorii Naz.* gr. Venetiis, 1563. Alia ejus Opuscula, partim edita, partim in membranis adhuc delitescentia, referunt Labbeus, T. I. p. 617. Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 452. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. IX. p. 203. De Stylo, quô uſus potiſſimum fuit in *Annalibus* Zonaras, ipſe non dubitat ſcribere, *Annal.* T. I. p. 3. *Dictionem eſſe variam, nec per omnia ſui ſimilem, nemo miretur, aut culpet orationem, aut me autorem illius. Cum enim hiſtoriam ex variis autoribus veluti ſtipem colligere neceſſum habeam, in multis illorum & dictione & compoſitione utendum erit. Sicubi tamen ipſe de meo aliquid interjecero ac inſeruero, ſtylus ad illius, quem ſequor, autoris formam accommodabitur, ne Scriptura à ſeſe diſſidere videatur.* Plura de Joh. Zonara ſuppeditabunt, Voſſius, *de Hiſt. Græc.* Lib. II. c. 26. *Journal des Scavans*, T. XV. p. 281. ſeq. & 294. ſeq. *Acta Eruditor. Lipſ.* anno 1687. menſe Septembri, p. 66. Elogia Zonaræ exhibet Tho. Pope-Blount, *Cenſur. celebr. autor.* p. 376.

ZOSIMVS P. R.

Gente Græcus, ab anno 417. ad ſequentem, Pontifex Romanus, Pelagium quidem ac Cæleſtium, Hæreticos, initio orthodoxos pronunciavit, poſtea verò meliora ab aliis edoctus, illos condemnavit. Pluribus de eo, ejusque cum Africanis Epiſcopis, controverſia, dixit Guil. Cave, *Hiſtor. Litter.* P. I. p. 217 & Clerc. *Bibl. Vniverſ.* T. VIII. p. 205. ſeq. Extant *Epiſtolæ* XIII. *Concil.* T. II. p. 1556. quas Zoſimo prolixè vendicat Garnerius, in *Append. ad* P. I. *Operum Mar. Mercatoris, Diſſertat.* 2. c. 9. Alia, quam eruditi deſiderant, Zoſimi adverſus Pelagianos *Epiſtola*, memoratur Caveo, *loco citato*. Fragmenta ejusdem exhibet Auguſtinus, *Epiſtol.* 157. ad Optatum, & alii. Conf. præter autores jam citatos, Eliam du Pinium, *Bibl. Nouv.* T. III. à p. 257. ad 260. atque uberrimum exinde fructum percipies. Adde Lud. Jacob. à S. Carolo, *Bibl. Pontif.* p. 132.

ZOZIMAS.

Cœnobii cujusdam in Palæſtina Abbas ſive Archimandrita, de quo quidem multa notatu non indigna refert Poſſinus, quibus eum cum Zozima, anno 432. celebri, conjungere laborat. Verum tanti ejus argumenta non judicat Cave, *Diſſert. I. de incertæ ætatis Scriptoribus* p. 17 quæ mereantur aſſenſum. Extant Zozimæ *Alloquia Aſcetica*, gr. lat. apud Poſſinum, in *Theſauro Aſcetico*, Pariſiis 1684. 4. edito, p. 279. Laudat hoc Zozimæ Opuſculum idem Poſſinus, propter effloreſcentem in illo genuinam indolem verè Aſceticorum ſenſuum, & quendam ſvaviſſimè fragrantem ex uberi, quâ penitus imbuitur, unctione Spiritus, heroicæ ſanctimoniæ odorem. Multa ex Zozima deſumpſit Jo. Moſchus, quæ *Prato Spirituali* inſeruit, eodem notante Poſſino, in præfat. *Theſauri Aſcetici*, quem *Acta Eruditorum Lipſienſ.* anno 1685. menſe Novembr. p. 488. repræſentant.

ADDENDA ET CORRIGENDA IN ALTERA PARTE BIBLIOTHECÆ SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

Ad pag. 34.

NORBERTVS.

Numum in Norberti memoriam cuſum illuſtravit frater cariſſimus, Jo. Chriſtophorus Olearius, in peculiari ad Cl. Chriſtophorum Krauſium, Hallenſem Medicum, *Epiſtola*, ut jam ſuprà diximus. Sed falsò illam de *Numis* Norberti *bracteatis* inſcripſimus, cum potius *numum ſolidum* ediſſerat.

Ad pag. 47.

ORIENTIVS.

Commonitorium fidelium Orientii denuò collatis duobus manuſcriptis Codicibus, Aquicinctino & Turonenſi, integro libro ſecundo addito, vulgavit, notasque variorum adjecit Henr. Leonardus Schurtzfleiſchius, Vitembergæ, 1706. 4. Acceſſit doctiſſima ejusdem V. C. præfatio.

Ad p. 77.

PETRVS de HONESTIS.

Sive Damiani, a fratre, quem Parentis loco habuit, cognominatus, Civis Ravennas, Ord. Bened. Monachus, & Abbas, inde, circa annum 1059. Epiſcopus Oſtienſis & Eccleſiæ Romanæ Cardinalis, corpore juxta nonnullos ſolutus, an. 1071. Si autem Epitaphio

phio fides, anno demum 1119. obiit. Exhibet illud Silveſt. Marulus, *Mare Oceano della hiſtoria Sacra di tutte le Religioni*, Lib. I. f. 20.

Hic ſitus eſt Petrus Peccans cognomine dictus,
Cui dedit hanc aulam meritorum condere Chriſtus,
Anno Milleno Centeno debita ſolvit
In decimoque nono defunctus corpore dormit.

Confer. de pœnitentia centum annorum Petro Damiano ob abdicatum Epiſcopatum à Pontifice injuncta, & quomodo illam uno anno redemerit, Cornelium à Lapide, *Comment. ad Jerem.* p. 788. b. Evolve, ſi vacat, autores circa eum à Labbeo, T. II. p. 201. productos penè multos & adde Elogia, quæ congesſit Daumius, ſæpius laudata *Præfatione Homiliarum S. S. Patr. Natalit.* Opera Petri in unum collecta cum animadverſionibus Conſtantini Cajetani, tribus Tomis prodierunt. Primus quidem, Romæ 1606. Secundus, 1608. Tertius, A. 1615. recuſi Lugduni, A. 1623. f. Quarto autem Tomo adjecto, Pariſiis, an. 1642. 1663. Seorſim excuſa ſunt Liber de correctione Papæ & Epiſcopi, Argentorati, 1561. & cum aliis, Francof. 1614. 1621. & alibi. *Epiſtolarum* Libri VIII. Pariſiis, 1619. 4. Opera Damiani omnia repræſentant Labbeus, & Guil. Cave, P. I. *Hiſtor. Litter.* p. 427. De eo Vosſius, de *Hiſtor. Lat.* Lib. II. c. 45. Caſimirus Oudin, *Supplem. de Scriptor.* p. 377. Dattichius, *Hiſtor. Cardin.* T. I. p. 16. Elias du Pin, *Bibl. Nouv.* T. VIII. p. 84. ſeqq.

Ad p. 154.

PETRVS SCHOTTVS.

Argentorati, an. 1459. natus, Lutetiæ, atque Bononiæ ſtudiis incubuit, magnamque nominis celebritatem, ſibi comparavit. Poeſeos quippe, Rhetoricæ, ac Græcarum Litterarum callentiſſimus, juri utrique ſe dedit, hincque Lauream & Doctoratus inſignia cepit. Claruit Schottus maximè circa annum 1488. quo patriæ Eccleſiæ Canonicus conſtitutus fuit. Ingenii ejus, quæ reliquit, monumenta, Argentinæ, 1498. prodierunt. Sunt autem *Vitæ S. S. Joh. Baptiſtæ & Evangeliſtæ & Chryſoſtomi*, carmine elegiaco, *Laudes Joh. Gerſonis*, *Epiſtolæ & Quæſtiones variæ de rebus ad Conſcientiam pertinentibus.* Plura dabunt de Petro Schotto, Trithemius, *de Scriptor.* p. 190. Henr. Wharton, *Append. Cav.* p. 118.

Ad p. 113.

RADVLPHVS de COLVMNA.

Hujus de *Tranſlatione Imperii* Tractatus ſeorſim quoque prodiit Baſileæ, 1566. 8. De eo cæteroquin non immeritò dubitat Cave, P. II. *Hiſt. Litter.* p. 274. num ſit ille, qui *Landolfus de Columna* alioqui ſcribitur.

Ad p. 160.

SVLPICIVS SEVERVS.

Sulpicii Severi *Hiſtoria Sacra* cum obſervationibus philologicis, ad modum Jo. Minellii excuſa eſt Lipſiæ, an. 1711. 12.

Ad p. 215.

PETRVS TVDEBODVS.

Presbyter apud Pictones Sivracenſis, quem male Italum credidit Aubertus Miræus, in Auctuar. *de Scriptor. Eccleſ.* c. 358. pag. 246. *de Itinere Hieroſolymitano*, cui interfuit, ſcripſit, quod opuſculum, cum aliis conſimilibus Hanoviæ, A. 1611. prodiit. Illum ad ann. 1096. repoſuit Caſimirus Oudinus, *Supplem. de Scriptor.* p. 357. quem ſequimur.

Errata.

Pag. 5. lin. 19. lege, Epiſcopo p. 6. l. 31. quem. p. 9. l. 29. Goar. p. 15. l. 8. Daciæ. p. 23. l. 5. pro ſua dimicat ſententia Michael. Henr. Reinhardus. p. 24. l. 11. an. 1090. p. 29. l. 25. an. 961. p. 40. l. 25. quo. p. 43. l 14. an. 940. l. 23. Catenæ. p. 44. l. 25. Oreſii. l. 33. an. 1614. p. 49. l. ult. Liber iſte. p. 55. l. 25. de Sanctis, pro, Scriptura Sacra. p. 101. l. 4. 268. pro 161. p. 123. l. 28. anno 855. p. 133. l. 5. Anglicè, Gallicè. p. 166. l. 5. an. 460. p. 179. l. 23. animadverſionibus, p. 226. l. 8. Petavionenſis, p. 231. l. 3. Ludovicus.

INDEX CHRONOLOGICUS.

Sec. I.

Nicodemus	anno 34
S. Barnabas	an. 34
Philo Judæus	a. 40
Dionyſius Areopagita	a. 50
Achaiæ Presbyteri	a. 59
Abdias, Babylonius	a. 59
Linus, Pontif. Rom.	a. 64
Clemens, P. R.	a. 65
Hermas, Paſtor	a. 65
Martialis Lemovicenſis	a. 70
Prochorus	a. 70
Cerinthus	a. 80.

Sec. II.

Ignatius, Martyr,	anno 101
Philo, Diaconus Tarſenſis	an. 107
Polycarpus, Smyrnenſis	a. 108
Papias	a. 110
Baſilides, Gnoſticus	a. 112
Hermes Pſeudo-Triſmegiſtus	a. 120
Epiphanes	a. 120
Quadratus Athenienſis	a. 123
Pius, P. R.	a. 127
Aquila	a. 128
Agrippa Caſtor	a. 132
Hermes, Presbyter	a. 136
Ariſto Pellæus	a. 136
Juſtinus Martyr	a. 140
Ptolomæus Hæreticus	a. 159
Abercius Hierapolitanus	a. 164
Irenæus	a. 167
Theophilus Antiochenus	a. 168
Melito Aſianus	a. 170
Cl. Apollinaris	a. 170
Dionyſius Corinthiacus	a. 170
Hegeſippus	a. 170
Bardeſanes	a. 172
Tatianus	a. 173
Theodotion	a. 175
Athenagoras	a. 177
Hermias	a. 177
Aſterius Urbanus	a. 188
Rhodon	a. 189
Serapion	a. 190
Theophilus Cæſarienſis	a. 192
Clemens Alexandrinus	a. 192
Tertullianus	a. 192
Apollonius	a. 192
Athenogenes Martyr	a. 196

Sec. III.

Cajus, Presbyter anno 210
Alexander Cæſarienſis a. 212
Hippolytus Portuenſis 220
Antonius Alexandrinus 220
Julius Africanus 220
Minucius Felix 230
Origenes 230
Firmilianus 233
Cyprianus Martyr 248
Cornelius, P. R. 251
Novatianus 251
Pontius, Diaconus, 251
Stephanus I. P. R. 253
Gregorius Thaumaturgus 454
Novatus Monachus 254
Dionyſius Alexandrinus 254
Sixtvs II. P. R. anno 256
Dionyſius P. R. 259
Paulus Samoſatenſis 260
Aurelius 260
Anatolius Alexandrinus 270
Commodianus 270
Theognoſtus 270
Manes, Hæreticus 277
Archelaus 278
Diodorus, Presbyter 278
Victorinus Petavionenſis 290
Methodius Eubulius 290
Pamphilus 294
Lucianus 294
Phileas 296

Sec. IV.

Anaſtaſia Romana anno 301
Petrus Alexandrinus 301
Arnobius Afer 303
Lactantius 303
Dorotheus Tyrius 303
Alexander, Epiſcopus Alexandrin. 313
Arius, Hæreticus 315
Euſebius Pamphilus 315
Hoſius 316
Conſtantinus M. 316
Joh. Nicomed. 316
Euſebius Pamphilus 324
Euſebius Nicomedienſis 324
Euſtathius 325
Jacobus Sapiens 325
Athanaſius Alexandrinus anno 326
Donatus 329
Juvencus 329
Ammonius Ægyptiacus 330
Antonius Abbas 330
Aſterius Arianus 330
Acacius Cæſarienſis 330
Theodorus Heracleenſis 334
Criſpinus 337
Pachomius 340
Julius Firmicus Maternus 340
Euſebius Emiſſenus 341
Oreſieſis 344
Serapion 347
Cyrillus Hieroſolymitanus 350

Liberius

Liberius, P.R.	anno 352	Hieronymus Stridonenſis	anno 378
Euſebius Vercellenſis	354	Auſonius	379
Hilarius Diaconus	354	Timotheus Alexandrinus	379
Lucifer Calaritanus	354	Philaſtrius	380
Potamius	357	Idacius Clarus	380
Phœbadius	359	Evagrius Ponticus	380
Aetius Hæreticus	359	Nectarius	381
Meletius Antiochenus	360	Diodorus Tarſenſis	381
Eunomius	360	Flavianus Antiochenus	381
Zeno Veronenſis	360	Helvidius	382
Titus Boſtrenſis	362	Fauſtinus Presbyter	384
Victorinus Afer	362	Arſenius	384
Apollinarius Senior	362	Polemon	385
Cæſarius, Naz. frater	362	Siricius P.R.	385
Candidus Arianus	364	Theophilus Alexandrin.	385
Ulphilas	365	Joh. Hieroſol.	386
Damaſus P.R.	367	Gaudentius Brixienſis	387
Optatus	368	Evagrius Antiochenus	388
Epiphanius Conſtantienſis	368	Flavius Dexter	388
Pacianus	370	Sophronius	390
Paphnutius	370	Secundinus	390
Petrus Sebaſtenus	370	Vigilius Tridentinus	390
Gregorius Nyſſenus	370	Tichonius	390
Gregorius Naz.	370	Aurelius Carthag.	390
Gregorius Bæticus	370	Hilarion	390
Didymus Alexandrinus	370	Ruffinus Aquilej.	390
Apollinarius Junior	370	Amphilochius Iconienſis	392
Baſilius M.	370	Aurelius Auguſtinus	396
Ephræm. Syrus	370	Hilarion	397
Eſaias Abbas	371	Anaſtaſius I. P.R.	398
Petrus Alexandr. Junior	371	Joh. Chryſoſtomus	398
Proba Falconia	371	Paulinus Nolanus	399
Macarius Ægyptius	373	Petilianus	399
Macarius Alexandrinus	373	Ammon Ægyptiacus	399
Ambroſius Mediolanenſis	374	Aſterius Amaſenus	400
Martinus Turonenſis	375	Fauſtus Milevitanus,	400

Sec. V.

Severus Sulpitius	anno 401
Victor Antiochenus	401
Severianus	401
Philo Carpathius	401
Palladius	401
Marcus Eremita	401
Panædorus	401
Chromatius	401
Anianus	401
Antiochus Ptolemaitanus	401
Marcus Gaz.	403
Polybius	403
Evodius Africanus	404
Prudentius	405
Philoſtorgius	405
Pelagius Hæret.	405
Atticus Conſtantinop.	406
Cæleſtius Hæret.	407
Nonnus	410
Polychronius	410
Paulinus Biterrenſis	410
Syneſius	410
Cyrillus Alexandrinus	412
Iſidorus Peluſiota	412
Lucianus Presbyter	415
Paulus Oroſius	416
Zoſimus P. R.	417
Bonifacius I. P. R.	418
Heſychius Salonitanus	418
Marius Mercator	418
Severus Balear.	418
Paulinus Presbyter	420
Niceas	420
Vigilius Diaconus	420
Leporius	anno 420
Severus Milevitanus	420
Evodius Uzal.	420
Faſtidius Priſcus	420
Iſidorus Cordubenſis	420
Julianus Hæreticus	420
Maximus Taurunenſis	422
Cæleſtinus I. P. R.	423
Theodoritus	423
Joh. Caſſianus	424
Sabinus	425
Lupus Trecenſis	426
Joh. Antiochenus	427
Meletius Mopsveſtenus	428
Neſtorius	428
Poſſidius	430
Olympius	430
Hilarius Arelat.	430
Alypius Prebyter	430
Acacius Berrhoënſis	430
Uranius Presbyter	431
Theodoſius Ancyranus	431
Paulus Emeſenus	431
Rabbulas	431
Memnon	431
Eutherius	431
Helladius Tarſenſis	431
Juvenalis	431
Maximianus	431
Maximinus	431
Rheginus Conſtantienſis	431
Acacius Melitenus	431
Alexander Hierapolitanus	431
Dorotheus Martianop.	431

Andreas

Andreas Samoſatenſis	anno 431
Capreolus	431
Chariſius	431
Sixtus III. P.R.	432
Patricius	432
Petrus Chryſologus	433
Maximus Rhegienſis	433
Adrianus	433
Sedulius	434
Proclus	434
Vincentius Lirin.	434
Victorinus Maſſilienſis	434
Eucherius	434
Dracontius	435
Paulus Perſa	436
Valerianus Cemelienſis	439
Leo I. P.R.	440
Petronius	440
Socrates Scholaſticus	440
Philippus Presbyter	440
Salvianus	440
Sozomenus	440
Euſtathius Baſilii Interpres	440
Conſtantius Lugdunenſis	440
Nilus Monachus	440
Baſſianus	443
Paſchaſinus	443
Cyrus Theodorus Prodromus	444
Proſper Aquitanus	anno 444
Idatius Lemicenſis	445
Flavianus Conſtantinopolitanus	447
Turibius	447
Baſilius Seleucienſis	448
Euſebius Dorilæenſis	448
Eutyches Presbyter	448
Symeon Stylites Senior	448
Anatolius Conſtantinop.	449
Honoratus Antonius	450
Athanaſius Presbyter	451
Iſchyrion	451
Photius Tyrius	451
Theodorus Diaconus	451
Proterius	451
Salonius	453
Leo Bituricenſis	453
Ruſticus Epiſcopus	454
Chryſippus	455
Jacobus Diaconus	456
Agapetus Rhodienſis	457
Julianus Coenſis	457
Lucianus Byzenſis	457
Valentinus Philipp.	457
Victorius Aquitanus	457
Theotimus	457
Gennadius Conſtantinop.	458
Victor Cartennenſis	460
Antipater Boſtrenſis	460
Antonius Monachus	460
Arnobius Junior	460
Bachiarius	460
Diadochus	460
Hilarius, P.R.	461
Leontius Arelat.	461
Paulinus Petricordius	461
Perpetuus	461
Claudiauus Mamertus	462
Simplicius P.R.	467
Ruricius	470
Gregentius	470
Acacius Conſtantinop.	471
Remigius Rhemenſis	471
Fauſtus Rejenſis	472

Sidonius Apollinaris anno 472
Gelaſius Cyzicenus 476
Petrus Mongus 477
Eugenius Carthaginenſis 480
Felix III. P.R. 483
Jo. Ægeates 483
Antheon 484
Asclepiades Trallenſis 484
Fauſtus Apollonius 484
Juſtinus Siculus 484
Quintianus 484
Pamphilus Abyd. 484
Sabas 484
Vigilius Afer 484
Æneas Gazæus anno 487
Victor Uticenſis 487
Honoratus Maſſilienſis 490
Avitus Viennenſis 490
Cerealis 490
Gelaſius I. P.R. 492
Turcius Rufus Aſterius 494
Gennadius Maſſil. 495
Anaſtaſius II. P.R. 496
Julianus Pomerius 496
Candidus Iſaurus 497
Ruſticus Helpidius 498
Symmachus P.R. 498
Andreas Cæſarienſis 500

Sec. VI.

Paſchaſius Diaconus anno 501
Cæſarius Arelat. 502
Laurentius Mellifluus 507
Anianus Junior 507
Fulgentius Ruſpenſis 508
Epiphanius Scholaſticus 510
Boethius 510
Timotheus Conſtantinop. 511
Ennodius 511
Eugyppius Lucullan. 511
Severus Antiochenus 513
Ægidius Abbas 514
M. Aurelius Caſſiodorus 514
Hormisdas P.R. 514
Orientius 516
Joh. Conſtantinop. 517
Theodorus Lector 518
Epiphanius Conſtantinop. 519
Joh. Maxentius 520
Fulgentius Ferrandus anno 520
Poſſeſſor 520
Petrus Diaconus 520
Procopius Gazæus 520
Trifolius 520
Joh. I. P.R. 523
Felix IV. P.R. 526
Ephræmius Antioch. 526
Nicetius Trevirenſis 527
Simeon Stylites, Junior 527
Dacius Mediolanenſis 527
Agapetus Conſtantinop. 527
Juſtus Orgellitanus 529
Eugyppius Abbas 530
Tetradius 530
Bonifacius II. P.R. 530
Benedictus Caſinenſis 530
Cogitoſus 530
Montanus Toletanus 680

Joh. II.

Joh. II. P. R.	anno 532
Dionyſius Exiguus	533
Marcellinus Comes	534
Liberatus Diaconus	535
Agapetus P. R.	535
Anthimus	535
Mennas	536
Zacharias Scholaſticus	536
Sylverius	536
Eutychianus Adanenſis	539
Gordianus	539
Facundus Hermian.	540
Aretas Cæſarienſis	540
Iſaacus Syrus	540
Vigilius P. R.	540
Ar tor	543
Victor Capuanus	545
Domitianus Ancyrænus	545
Verecundus	546
Aurelianus Arelatenſis	546
Cyprianus Vitæ Cæſar. Scriptor	546
Ruſticus Diaconus	550
Primaſius	550
Junilius	550
Mutianus Scholaſticus	550
Jornandes	552
Eutychius Conſtantinop.	553
Ferreolus	553
Agnellus	555
Cyrillus Scythopolitanus	555
Germanus Pariſienſis	555
Paulus Cyrus Florus	555
Pelagius I. P. R.	555
Victor Tununenſis	555
Procopius Cæſarienſis	557
Bernardus Abbas fontis calidi	a. 557
Venantius Fortunatus	560
Martinus Braccarenſis	560
Simplicius Monachus	560
Euſtratius Conſtantinop.	560
Creſconius Corippus	560
Anaſtaſius Sinaita	561
Joh. Climacus	564
Theodorus Iconienſis	564
Joh. de Qvalea	568
Timotheus Hieroſolym.	570
Cosmas Monachus	576
Pelagius II. P. R.	579
Joh. Climacus	580
Evanthus	581
Eulogius Alexandr.	581
Marius Aventicenſis	581
Gildas Sapiens	581
Leander	583
Licinianus	584
Joh. Gerundenſis	585
Joh. Jejunator	585
Columbanus	589
Leontius Clyprius	590
Leontius Byzantinus	590
Georg. Florent. Gregorius	590
Gregorius I. P. R.	590
Dynamius	593
Evagrius Scholaſticus	595
Iſidorus Hiſpalenſis	595
Auguſtinus Cantuar.	596
Photinus	596
Anaſtaſius Sinaita Junior	599
Eutropius Valentinus	599

Sec. VII.

Paterius	anno 601	Georgius Piſides	anno 640
Dorotheus Archimandr.	601	Anaſtaſius Nicenus	640
Euſebius Theſſalon.	601	Donatus Biſuntinus	640
Fauſtus Caſſinenſis	601	Audœnus	640
Heſychius Hieroſolym.	601	Cummianus	640
Joh. Philoponus	601	Eligius Lemovicenſis	640
Joh. Malala	601	Paulus Conſtantinop.	642
Themiſtius	601	Theodorus P.R.	642
Bonifacius V. P.R.	607	Tajo	644
Sergius Conſtantinop.	608	Maximus Confeſſor	645
Marcus Caſin.	610	Sergius Cyprius	645
Paulus Emeritenſis	610	Eugenius Toletanus	646
Theophylactus Simocatta	611	Severus Alexandrinus	646
Georgius Eleucius	614	Theodorus Rayth.	646
Antiochus, Monachus	614	Victor Carthaginenſis	646
Anaſtaſius Monachus	618	Maurus Ravennat.	649
Nennius	620	Martinus I. P.R.	649
Bonifacius V. P.R.	620	Florentinus Presbyter	650
Georgius Alexandr.	620	Fructuoſus	656
Sulpitius Bituric.	624	Vitalianus	657
Verus	625	Ildefonſus	657
Honorius I. P.R.	626	Syricius	657
Braulio	627	Marculphus	660
Sophronius Hieroſolym.	629	Cummeneus	660
Joh. Moſchus	630	Anaſtaſius Apocriſiarius	660
Gallus Abbas	630	Jonas Abbas	664
Cyrus Alexandrinus	630	Theodorus Cautuarienſis	668
Eubulus	631	Theodorus & Theodoſius	668
Andreas Cretenſis	635	Adeodatus Papa	672
Deſiderius Cadurcenſis	635	Agatho Papa	679
Theodorus Pharan.	640	Adamannus	679
Thalaſſius	640	Petrus Nicomedienſis	680
Paulus Neapolitanus	640	Theodorus Campedon.	680
Joh. IV. P. R.	640	Valerius Aſturicenſis	680

Mans-

Mansvetus	anno 680
Julianus Toletanus	-
Adelmus	-
Agatho Conſtantinop.	-
Aponius	-
Baudemundus	-
Ceolfridus	-
Macarius	-
Benedictus II. P. R.	anno 685
Sergius I. P. R.	anno 688
Arculphus	690
Bobolenus	-
Cresconius Afer	-
Urſinus Gallus	-
Felix Toletanus	693
Angradus	699
Joh. Carpathius	700

Sec. VIII.

Beda Venerabilis	anno 701
Acca, Hagulſtadienſis	705
Ailleranus	-
Joh. VII. P. R.	-
Conſtantinus P. R.	708
Siviardus	710
Ioh. Conſtantinop.	712
Gregorius II. P. R.	715
Germanus Conſtantinop.	715
Antenor	720
Stephanus Eddius	720
Bonifacius Moguntinus	723
Jonas Fontanell.	729
Joh. Damaſcenus	730
Egbertus Eboracenſis	730
Gregorius III. P. R.	731
Cuthbertus	740
Cosmas Hieroſolymitanus	740
Anaſtaſius Abbas	741
Zacharias P. R.	-
Chrodogandus	742
Willibaldus	-
Marcus Hydrunt.	750
Priminius	-
Stephanus II. P. R.	anno 752
Iſidorus Pacenſis	754
Marcellinus Eborac.	755
Paulus I. P. R.	757
Aribo	760
Ambroſius Authpertus	-
Florus Monachus	-
Carolus M.	768
Gotteſchalcus Leodienſis	770
Hadrianus I. P. R.	772
Turpinus	773
Paulus Warnefrid.	774
Anſo Abbas	776
Paulinus Aquilej.	-
Flaccus Alcuinus	780
Etherius	785
Taraſius	-
Baſilius Ancyranus	787
Elias Cretenſis	-
Epiphanius Catanenſis	-
Theodoſius Ammon.	787
Donatus Mediomatr.	790
Theophanes Confeſſor	792
Georgius Syncellus	-

Theodulphus Aurelianenſis anno 794
Leo III. P.R. 795
Leidradus 798
Jeſſe anno 799
Arno Salisburg. 800

Sec. IX.

Benedictus Abbas anno 801
Nicephorus Chartophylax -
Sergius Syrus -
Ludgerus 802
Odilbertus 804
Andreas Lucenſis 806
Nicephorus Patr. Conſtantinop. -
Joſephus Confeſſor 809
Othelgrimus -
Ignatius Diaconus Conſtantinop. 810
Smaragdus Verdunenſis -
Amalarius Trevirenſis -
Hatto 811
Amalarius Metenſis 812
Agobardus 813
Naucratius -
Theodorus Studites -
Frotarius -
Hilduinus 814
Hetto -
Halitgarius 816
Moduinus -
Ebbo -
Eginhardus 817
Paschalis I. P. R. -
Sedulius Scotus 818
Theodorus Graptus -
Ægil -
Anaſtaſius Abbas -
Ethelwolfus 820
Claudius Scotus anno 820
Jonas Aurelian. anno 821
Bertoldus Micianenſis -
Dungalus -
Adalardus 822
Eugenius II. P. R. 824
Freculphus -
Candidus Fuldenſis 826
Anſegiſus 827
Gregorius VIII. P.R. 828
Theoſteriſcus -
Vulfinus Boetius 830
Michael Syncellus -
Anscharius -
Lupus Servatus -
Ernoldus Nigellus 834
Chriſtophorus Patriarcha 836
Ardo Smaragdus -
Florus Magiſter 837
Theganus -
Alfridus Monaſterienſis 839
Ratramnus 840
Gotteſchalcus -
Ermanricus -
Amulo Lugdunenſis 841
Haymo -
Georgius Hamartolus 842
Joh. Hieroſol. -
Walafridus Strabo -
Methodius Confeſſor -

Nithar-

Nithardus	anno 843
Paschaſius Radbertus	844
Engelmodus	-
Sergius II. P. R.	-
Theophanus Graptus	845
Hincmarus Rhemenſis	-
Prudentius Galindus	846
Eulogius Cordubenſis	847
Ignatius Conſtantinop. Patr.	847
Leo IV. P. R.	-
Rabanus Maurus	-
Pardulus	-
Ermenricus	850
Hildegarius	-
Rudolphus Fuldenſis	-
Wandelbertus	-
Æneas Pariſienſis	854
Benedictus III. P. R.	855
Herardus	-
Chriſtianus Druthmarus	-
Remigius Lugdun.	-
Angelomus	856
Hincmarus Laudunenſis	-
Bertharius	857
Nicolaus I. P. R.	858
Photius Conſtantinop.	-
Joh. Erigena	-
Metrophanes	-
Ado Viennenſis	859
Alvarus Cordubenſis	-
Iſaacus Lingonenſis	-
Iſo	860
Ermentarius	863
Rembertus	865
Milo	866
Wulfadus	-
Baſilius Macedo	867
Theodorus Abucara	-
Hadrianus II. P. R.	-
Joſephus Alexandr.	869
Theodoſius Hieroſol.	-
Michael Alexandr.	-
Odo Glannafolienſis	-
Epiphanius Cyprius	870
Anaſtaſius Bibliothecarius	-
Petrus Siculus	-
stylianus	-
Ælfredus	871
Walterius Aurelian.	-
Aimoinus Pariſienſis	872
Hartmutus	-
Joh. VIII. P. R.	873
Joh. Diaconus Rom.	874
Uſuardus	876
Michael Monachus	878
Nicetas Paphlago	880
Herricus	-
Ratpertus	-
Remigius Antiſſiodor.	-
Abbo Pariſienſis	-
Georgius Nicomedienſis	-
Helias Hieroſol.	881
Martinus II. P. R.	882
Stephanus V. P. R.	885
Wolffhardus	886
Leo Sapiens	-
Herembertus	887
Walterius Senonenſis	-
Riculphus	889
Notkerus Balbulus	890
Joh. Diaconus Conſtantinop.	-
Guil. Bibliothecarius	-

Adrevaldus Floriacenſis	anno 890
Altmannus	-
Aſſerius Menevenſis	-
Formoſus P. R.	891
Salomon	-
Nicolaus Myſticus	892
Regino	-
Auxilius	894
Gregorius Monachus	895
Waldramnus	anno 895
Nicephorus Patr. Conſtantinop.	-
Stephanus VI. P. R.	896
Joh. IX. P. R.	898
Benedictus IV. P. R.	900
Cyprianus Cordubenſis	-
Herveus, Rhemenſis	-
Ottfridus	-

Sec. X.

Simeon Metaphraſtes	anno 901
Stephanus Leodicenſis	903
Conſtantinus Porphyrogenneta	911
Joh. X. P. R.	915
Hubaldus	916
Odo Cluniacenſis	926
Ratherius	928
Odilo Monachus	930
Udalricus Auguſtanus	-
Gerhardus Sueſſion.	932
Hippolitus Thebanus	933
Eutychius Alexandr.	-
Leo VII. P. R.	936
Wittikindus	940
Flodoardus	-
Adelagus Bremenſis	-
Gregorius Presbyter	-
Atto Vercellenſis	945
Agapetus II. P. R.	946
Joh. Italus	950
Luitprandus	-
Bruno M.	954
Dunſtanus	955
Joh. XII. P. R.	anno 956
Theodorus Daphnopates	-
Fridegodus	960
Adſo Hermiricus	-
Nicon	961
Bernerus	964
Fulcuinus	965
Joh. XIII. P. R.	-
Reginaldus	-
Simeon Logotheta	967
Peregrinus Laureac.	970
Rotgerus	-
Abbo Floriacenſis	-
Notkerus Leodienſis	971
Benedictus VI. P. R.	972
Benedictus VII. P. R.	975
Severus Ægyptius	978
Suidas	980
Roswitha	-
Gerhardus Presbyter	-
Adſo Dervenſis	-
Ælfricus	-
Ethelwerdus	-

Ingelra-

Ingelramnus	anno 981
Joh. XV. P. R.	986
Moſes Bar · Cepha	990
Reimannus	-
Olympiodorus	-
Oecumenius	-
Stephanus Germanus	-
Harigerus	-
Dudo	anno 990
Letaldus	-
Odilo Abbas	994
Gebehardus	995
Siſinnius Conſtantinop.	-
Burcardus Wormat.	996
Gregorius V. P. R.	-
Sylveſter II. P. R.	999

Sec. XI.

Wolſtanus	anno 1001
Aimoinus Floriacenſis	-
Godehardus	1002
Golzbertus	-
Fulbertus	1007
Adelboldus	1008
Meginfredus	1010
Sampirus	-
Arnoldus Halberſtat.	1011
Erchinfredus	1012
Benedictus VIII. P. R.	-
Berno Augienſis	1014
Ditmarus	1017
Hugo Turonenſis	1020
Olbertus	1020
Tangmarus	1024
Arnolphus Monachus S. Emmerani	-
Warmannus	1025
Alexius Studita	1025
Elias Niſibenſis	1026
Joh. Fiſcamnenſis	1028
Warinus	-
Hugo de Britolio	1030
Ademarus	-
Drogo Morinenſis	anno 1031
Odorannus	1032
Bruno Herbipolitanus	1033
Berengarius	1035
Theophanes Cerameus	1040
Petrus Antiochenus	-
Hermannus Contractus	-
Hepidamnus	-
Dominicus Gradenſis	-
Eugeſippus	-
Nylus Doxopatra	1043
Michael Cerularius	-
Bovo	-
Leo Atinenſis	1044
Glaber Rodulphus	1045
Ainardus	1046
Clemens II. P. R.	-
Hugo Cluniacenſis	1048
Evershelmus	-
Adelmannus	-
Deoduinus	-
Gislebertus Monachus	-
Leo IX. P. R.	1049
Anſelmus Leodienſis	-

Evervinus	anno 1050
Gerhardus Monachus	-
Michael Pſellus	-
Helgaldus	-
Richardus Bellilocenſis	-
Leo Achridrenus	1053
David Maronita	-
Humbertus Cardinalis	1054
Joh. Euchait.	-
Victor II. P. R.	1055
Wipertus	1056
Nicetas Pectoratus	1057
Georgius Cedrenus	-
Alphanus Salernitanus	-
Albericus Caſinenſis	-
Stephanus IX. P. R.	-
Conſtantinus Lichudes	1058
Drogo Belga	-
Marianus Scotus	-
Osmundus	1059
Nicolaus II. P. R.	-
Petrus Damiani	-
Metellus	1060
Gozechinus	-
Gauferius	-
Folcardus	-
Alexander II. P. R.	1061
Helmoldus	1065
Guitmundus	1066
Bertoldus Conſtantienſis	-
Joh. Xiphilinus	1068
Manaſſes	-
Sigifridus	1069
Lanfrancus Cantuar.	1070
Gualdo Corbejenſis	-
Osbernus	anno 1070
Petrus Gallus	-
Willeramus	-
Durandus Troarnenſis	-
Conradus Monachus	-
Anſelmus Lucenſis	1071
Theophylactus	-
Samona	1072
Conſtantinus Afer	-
Wilhelmus Metenſis	1073
Gregorius VII. P. R.	-
Conradus Ultraject.	1075
Ingulphus	1076
Lambertus Schaffnaburg.	1077
Nicetas Serron	-
Bruno Aſtenſis	1079
Urſio	1080
Adamus Bremenſis	-
Hugo Dienſis	-
Deſiderius Papa	1085
Benno Cardinalis	-
Micrologus	-
Ricemarchus	-
Bruno Carthuſianus	1086
Paulus Benridienſis	-
Joh. Atinenſis	1087
Victor III. P. R.	-
Robertus de Tumbalenia	-
Urbanus P. R.	1088
Nicolaus Grammaticus	1089
Rabbi Samuel	1090
Guil. Pictavienſis	-
Nicolaus Methonenſis	-
Petrus Diaconus	1092
Yvo	-

Anſel-

Anſelmus Cantuarienſis	anno 1093
Lambertus Atrebatenſis	1094
Heningus	1095
Petrus de Agiles	-
Gotſelinus	1096
Marbodus	-
Petrus Tudebodus	-
Alulphus	anno 1096
Baldricus Tornacenſis	1097
Gaufredus à Mala terra	-
Hildebertus de Lavardino	-
Theodoricus Trudonis	1099
Paſchalis II. P. R.	-

Sec. XII.

Theodorus Monachus	anno 1101
Sigebertus Gemblacenſis	-
Nalgodus	-
Nicephorus Monachus	-
Theofridus	-
Othlonus	-
Robertus de Remigio	-
Hugo Flaviniacenſis	-
Anſelmus Laudunenſis	-
Guibertus	-
Benno Miſnenſis	-
Gilbertus Weſtmonaſter.	-
Rodericus Tortarius	1102
Galterus	1103
Rainaldus de Semur.	1104
Ælnothus	1105
Gregorius Caſſinenſis	-
Hariulfus	-
Philippus Solitarius	-
Odo Cameracenſis	-
Petrus Alphonſus	1106
Anſcherus	1108
Turgotus	-
Stephanus Hardingus	1109
Pelagius Ovetenſis	-
Leo Oſtienſis	anno 1110
Godefridus Vindocinenſis	-
Stephanus Leodienſis	-
Cyrus Theodorus Prodromus	-
Petrus Chryſolanus	-
Syrus	-
Nicetas Seidus	-
Berengoſus	-
Euſtratius	-
Gilebertus Lumnicenſis	-
Joh. Lugdunenſis	1112
Franco	-
Anſelmus Gemblacenſis	-
Stephanus Auguſtodunenſis	1113
Baldricus Dolenſis	1114
Bernardus Clarævall.	1115
Laurentius Veronenſis	-
Earnulphus	-
Hermannus ex Jud. Chriſtianus	1116
Gelaſius P. R.	1118
Nicephorus Bryennius	-
Florentinus Wigornienſis	-
Anna Comnena	-
Calliſtus II. P. R.	1119
Petrus Abelardus	1120

Hugo de S. Victore	anno 1120
Hugo Floriacenſis	-
Hugo de Folieto	-
Nicolaus Sveſſion.	-
Odo Aſtenſis	-
Osbertus	-
Robertus Retenenſis	-
Rudolphus Trudon.	-
Heſſo	-
Nicolaus Leodienſis	-
Nicetas Byzantinus	-
Michael Glycas	-
Guido Carthuſianus	-
Galfridus	-
Gualterus Tarvanenſis	-
Albertus Aquisgran.	-
Arnulfus Roffenſis	-
Domnizo	-
Eadmerus	1121
Petrus Cluniacenſis	1123
Sugerius	-
Honorius, P. R.	1124
Fulcherius	-
Gualterus Monachus	-
Rupertus Tuitienſis	-
Cosmas Pragenſis	1126
Norbertus	1127
Hermannus Tornacenſis	-
Drogo Laudunenſis	1128
Innocentius II. P. R.	1130
Honorius Auguſtodunenſis	-
Hervæus Dolenſis	-
Algerus	-
Waſelinus Momalius	-
Hugo Rothomag.	-
Radulphus Ardens	anno 1130
Simeon Dunelmenſis	-
Reinerus Leodienſis	-
Benedictus Anglus	-
Fulco Beneventanus	-
Gratianus	1131
Stephanus Pariſienſis	1132
Malachias Hibernus	1134
Oddo	1135
Gaufridus Groſſus	-
Theobaudus	1136
Ulgerius	-
Georgius Corcyrenſis	-
Rinaldus	-
Petrus Caſſinenſis	1137
Udalricus Monachus	1138
Adilredus	-
Philippus Tarentinus	1139
Guerricus Abbas	1140
Lucas Leodienſis	-
Philippus Harvengius	-
Bernardus Morlanenſis	-
Bartholomæus de Fusniaco	-
Archardus Claræval.	-
Antonius Meliſſa	-
Guilielmus Rhemenſis Abbas	-
Hugo Farſitus	-
Ordericus Vitalis	-
Gilbertus Porretanus	1141
Arnulphus Luxovienſis	-
Guilielmus Sommerſet	1142
Cæleſtinus II. P. R.	1143
Lucius II. P. R.	1144
Thomas Maurign.	-
Otto Friſingenſis	-

Robertus Pullanus	anno 1144
Eugenius III. P. R.	1145
Wolbero	1147
Serlo	1148
Lucas Chryſoberges	-
Gaufridus Antiſſodor.	-
Gilbertus	1149
Anſelmus Havelberg.	-
Conſtantinus Manaſſes	1150
Conſtantinus Hermenopulus	-
Ogerius	-
Adalgiſus	-
Theulfus	-
Stephanus Hiſpanus	-
Richardus de S. Victore	-
Robertus Monachus	-
Joh. Antiochenus	-
Iſaacus Armenus	-
Simeon Theologus Junior	1151
Alanus de Inſulis	-
Galfredus Monumet	-
Nicolaus Claræval.	1152
Potho	-
Odo de Diogilo	-
Anaſtaſius II. P. R.	1153
Hadrianus IV. P. R.	1154
Alexander Abbas	-
Eliſabetha Schœnaug.	-
Baſilius Achridenus	1155
Radulphus Flaviac.	1157
Zacharias Chryſopolitanus	-
Alexander III. P.	1159
Petrus Lombardus	-
Amadeus	-
Petrus Pictavienſis	1160
Petrus Blæſenſis	anno 1160
Odo Cantuar.	-
Odo Canon. Regul.	-
Laurentius Leodienſis	-
Michael Theſſalon.	-
Ecbertus Schœnaug.	-
Folmarus	-
Bertrandus Monachus	-
Adamus Scotus	-
Faſtredus Claravallenſis	1161
Arnoldus Carnotenſis	1162
Godofredus Claræval.	-
Joh. Beleth	-
Thomas Becket	-
Gerhardus Germanus	1163
Bonacurſus	-
Hugo Salvanienſis	1164
Aldebertus Hildesheim.	-
Nierſes Ghelajenſis	1166
Alexius Ariſtenus	-
Michael Anchialus	1167
Gaufredus Lemovicenſis	-
Hugo Pictavinus	-
Gilbertus de Sempringham	1170
Gottofredus Viterb.	-
Gilbertus de Hoylandia	-
Hildegardis	-
Henric. Rhemenſis	-
Petrus de Riga	-
Saxo	-
Simeon Logotheta Iunior	-
Theorianus	-
Eduardus Cantuar.	1171
Joh. Sariſburienſis	1172
Petrus Comeſtor	1173

Guil. Tyrius anno 1174
Niers es Armenus 1175
Richardus Anglus 1177
Hugo Etherianus -
Alanus Teukesburienſis -
Benedictus Anglus -
Robertus Paululus 1178
Elias III. 1180
Gerhohus -
Gvalterus de Caſtellione -
Richardus Hagulſtad. -
Philippus Claræval. -
Robertus de Monte -
Theodericus Monachus -
Theodorus Balſamon. -
Lucius III P. R. 1181
Theodoſius Conſtantinop. -
Petrus Cellenſis 1182
Andronicus Conſtantinop. 1183
Georgius Xiphilinus -
Pandulphus 1184
Balduinus Cantuarienſis 1185
Urbanus III. P. R. -
Clemens III. P. R. 1187
Gregorius VIII. P. R. -
Gvilielmus Monspelienſis 1190
Gonterus -
Elias de Coxida anno 1190
Alanus -
Albertus Vercellenſis -
Neophytus -
Otto de S. Blaſio -
Cæleſtinus III. P. R. 1191
Stephanus Tornacenſis 1192
Demetrius Tornicius 1193
Joh. Lyddenſis 1194
Gvilielmus Neubrigenſis 1195
Joh. Wallingford. -
Petrus Tornacenſis 1197
Odo Soliacenſis -
Radulphus de Diceto -
Rogerius de Hoveden. 1198
Innocentius III. P. R. -
Joh. Brompton. -
Joh. Chamaterus 1199
Adamus de Perſennia 1200
Nigellus de Wirecker -
Matthæus Vindocin. -
Sylveſter Gyraldus -
Dodechinus -
Theodericus -
Andreas Sylvius -
Petrus Pictavienſis -

Sec. XIII.

Gervaſius Cantuar. anno 1201
Nicolaus Hydruntinus -
Thomas Ciſtertienſis -
Hervardus -
Joachimus -
Nicetas Maronita anno 1201
Demetrius Chomatenus 1203
Michael Acominatus 1204
Nicetas Choniates -
Guil. Gallus 1206

Gervaſius

Gervaſius Sagienſis	anno 1206
Stephanus Langton	-
Guil. de Seligniaco	-
Hugolinus	1207
Franciſcus Aſſiſias	1208
Rodericus Ximenius	-
Arnoldus Lubecenſis	1209
Wernerus Abbas	1210
Gvaltherus Mapes	-
Guntherus	-
Abſalon	-
Willibrandus ab Oldenburg	1211
Robertus	1212
Petrus Monachus	-
Helinandus	-
Hermannus de Lerbeke	1214
Conradus à Lichtenau	1215
Henricus III. P. R.	1216
Eberardus Bethunienſis	1220
Jacobus de Vitriaco	-
Antonius de Padua	-
Benignus Florentinus	-
Germanus Conſtantinop. Junior	1222
J· rdanus de Saxonia	1223
Gregorius Heiſterbac.	1225
Conradus Lauterbergius	-
Rigordus	-
Gerhardus de Fracheto	1226
Gregorius IX. P. R.	1227
Joh. Algrinus	-
Guil. Pariſienſis	1228
Radulphus de Coggeshal.	-
Raymundus de Pennaforti	-
Hugo Floreſſienſis	1230
Conradus Everbacenſis	-

Alexander de Hales	anno 1230
Alexander de Villa Dei	-
Conradus de Marburch	-
Fabianus	-
Guilielmus Andrenſis	-
Tho. Spalatenſis	-
Philippus Grevius	-
Petrus de Vineis	-
Richardus à S. Laurentio	-
Guil. de Podio-Laurentii	-
Mauritius Rothomag.	1231
Edmundus Rich.	1234
Robertus Capito	1235
Lucas Tudenſis	1236
Godofredus Colon.	1237
Joh. de S. Geminiano	1240
Conradus Moguntinus	-
Ægidius à Leodio	-
Matthæus Pariſ.	-
Albericus Trium fontium	1241
Gualtherus Cornutus	-
Innocentius IV. P. R.	1243
Richardus de S. Germano	-
Vincentius Bellovacenſis	1244
Hugo de S. Charo	1245
Odo Rigaldus	1247
Petrus Caſſiodorus	1250
Theobaldus Stampenſis	-
Manuel Charitopulus	-
Bernardus de Compoſtella	-
David de Auguſta	-
Gertrudis	1251
Robertus de Sorbona	1252
Guil. de S. Amore	1253
Humbertus de Romanis	1254

Reinerus Sachonus	anno 1254
Alexander V. P. R.	-
Bonaventura Cardin.	1255
Thomas Aquinas	-
Niceporus Blemmida	-
Tho. Cantipratenſis	-
Arſenius Conſtantinopol.	-
Albertus Stadenſis	1256
Richerius	1260
Albertus M.	-
Joh. Guallenſis	-
Urbanus IV. P. R.	1261
Ægidius Aſſiſias	1262
Henr. de Seguſia	1263
Bernardus Ayglerius	-
Bernardus Caſſinenſis	-
Clemens IV. P. R.	1265
Annibal de Annibaldis	1266
Guil. de Sanvico	1270
Gilbertus Tornacenſis	-
Tho. de Leontino	-
Tho. Bockingham	-
Radulphus Bockingus	-
Nicolaus Hanapus	-
Nicolaus Gallus	1271
Gregorius X. P. R.	1272
Adamus de Dommersham	-
Guil. Peraldus	-
Joh. Veccus	1274
Georgius Metochita	1276
Conſtantinus Meliteniota	-
Joh. XXI. P. R.	-
Simon Cretenſis	-
Innocentius V. P. R.	-
Martinus Polonus	anno 1277
Rogerus Baconus	1278
Joh. Peckam	-
Mechtildis	1280
Georgius Pachymeres	-
Henricus de Gandavo	-
Petrus de Alvernia	-
Udalricus de Argentina	-
Theodoricus de Apoldia	-
Martinus IV. P. R.	1281
Andronicus Palæolog. Comn.	1282
Bonaventura Brocardus	1283
Georgius Cyprius	-
Guido Baiſius	-
Henricus IV. P. R.	1284
Arlotus e Prato	1285
Guil. Durandus	1286
Nicolaus IV. P. R.	1288
Jacobus de Voragine	1290
Guil. Major	-
Joh. Pariſ.	-
Radulphus de Columna	-
Richardus de Mediavilla	-
Peregrinus Bononienſis	-
Tho. Palmeranus	-
Engelhardus	-
Conradus Monachus	-
Auguſtinus Anconitanus	-
Henr. Suſo	-
Bartholomæus de Cotton.	1292
Gregorius Siſenſis	1293
Cæleſtinus V. P. R.	1294
Alanus Magnus de Inſulis	-
Bonifacius VIII. P. R.	1295

Ricoldus

Ricoldus — anno 1296
Ægidius Romanus -
Armandus de Bellioviſu -
Engelbertus 1297
Tho. Wiccius anno 1299
Reinerus de Piſis 1300
Fredolius -
Juſtus Abbas -

Sec. XIV.

Jacobus Cajetanus anno 1301
Jacobus de Benedictis -
Andreas Novocastrenſis -
Dantes Aligerius -
Guil. de Mondagot. -
Guil. de Nangiaco -
Henr. Stero -
Joh. Duns -
Raymundus Lullius -
Joh. Friburg. 1302
Ptolomæus Lucenſis 1303
Clemens V. P. R. 1305
Tho. Jorſius -
Eberhardus Altahenſis -
Philippus Euſtatenſis 1307
Siffridus -
Haito -
Edmundus Hadenham -
Antonius Andreas 1308
Guil. Pariſ. Junior -
Guido Abbas 1309
Theoleptus 1310
Malachias Hybernus Junior -
Nicolaus Trivethus -
Theodulus Monachus 1311
Jacobus de Termis -
Guilielmus Durandus Junior -
Marinus Sanutus 1312
Vitalis e Furno anno 1312
Alexander S. Elpidio -
Hervæus Natalis -
Hugo Pratenſis 1313
Theodorus Metochita 1314
Hubertinus de Caſſalis 1315
Porchetus Salvaticus -
Joh. de Neapoli -
Franciſcus Mayronius -
Joh. XXII. P. R. 1316
Joh. de Glycis -
Michael Cæſenas -
Albertus Patavinus -
Aſteſanus 1317
Jacobus de Lauſanna -
Bertrandus de Turre 1319
Nicolaus de Lyra 1320
Albertinus Muſſatus -
Durandus à S. Portiano -
Adamus Goddam -
Odoricus Forojul. -
Andreas Horne -
Petrus Aureolus 1321
Joh. Baſſolus 1322
Bernardus Guidonis 1323
Marſilius Patavinus 1324
Petrus Bertrandus 1325
Petrus de Dusburg 1326

Joh. Baconus	anno 1329
Gerhardus Odonis	-
Joh. Canon	-
Guil. Occam	1330
Ludolphus de Saxonia	-
Petrus Paludanus	-
Guido Terreni	-
Monachus Beneventanus	-
Joh. Calecas	1331
Bartholomæus à S. Concordia	-
Guido de Monte Rocheri	1333
Guil. de Rubione	-
Nicephorus Calliſtus	-
Richardus Burienſis	-
Robertus de Grayſtanes	-
Benedictus XII. P. R.	1335
Simeon Fidatus	-
Rudolphus de Frameinberg	1336
Joh. Andreas	-
Gualterus Burlæus	1337
Arnaldus Cescomes	-
Simon de Cremona	1338
Joh. de Janduno	-
Arnaldus Verdala	1339
Barlaamus	1340
Nilus Cabaſilas	-
Richardus Hampolus	-
Robertus Holkot	-
Philippus de Monte Carlerio	-
Lupoldus Bamberg.	-
Bernardus Parentinus	-
Pelagius Alvarus	-
Gregorius Acindynus	-
Joh. de Rupeſciſſa	-
Henricus de Urimaria	-
Maximus Planudes	anno 1340
Clemens VI. P. R.	1342
Philippus Galterius	1344
Paulus Peruſinus	-
Nicephorus Gregoras	1345
Thomas de Argentina	-
Richardus Armachanus	1347
Theophanes Nicenus	-
Thomas Cheſterfield	-
Thomas Bradwardinus	1348
Joh. Honſemius	-
David Monachus	-
Franciſcus Petrarcha	1350
Rogerius Connovius	-
Nicolaus Cabaſilas	-
Joh. de Beka	-
Albericus Bergomenſis	-
Joh. Taulerus	-
Innocentius VI. P. R.	1352
Matthæus Cantacuz.	1354
Calliſtus Conſtantinop.	-
Gregorius Palamas	-
Joh. Palæologus	1355
Nicolaus Eumericus	1356
Adamus Woddheam	1357
Demetrius Cydonius	-
Ranulphus Hidgen.	-
Georgius de Arimino	-
Alphonſus Vargas	1358
Tho. Stübbs	1360
Joh. Wiclef.	-
Nilus Rhodius	-
Manuel Calecas	-
Joh. Calderinus	-
Joh. Sapiens	-

Bartho-

Bartholomæus de Glanvilla	anno 1360
Petrus Berchorius	-
Nicolaus Orem	1361
Urbanus V. P. R.	1362
Henricus Rebdorff.	-
Bernardus Dapifer	-
Amalricus Augerii	-
Philotheus Conſtantinop.	-
Brigitta	1363
Joh. Sapiens Cypariſſiota	1364
Philippus Ribotus	1368
Philippus de Leydis	1369
Petrus de Luxenburg	-
Philotheus Achillinus	1370
Jordanus de Qvedlinborch.	-
Joh. de Hildesheim	-
Gallus Ciſtert.	-
Gerhardus Magnus	-
Gregorius XI. P. R.	1371
Bartholomæus Albicius	1372
Iſaacus Argyrus	1373
Catharina Senenſis	1374
Matth. de Cracovio	1375
Bonaventura Patavinus	1377
Matthæus Weſtmonaſt.	1377
Albertus Argentin.	1378
Nilus Patr. Conſtantinop.	-
Urbanus VI. P. R.	-
Joh. Rusbrochius	1380
Stephanus Byrchingtonus	anno 1380
Henr. de Huecta	-
Baldus Ubaldus	-
Guil. Thorn	-
Guil. de Wodford.	-
Michael Ancyranus	1381
Raymundus Jordanus	-
Joh. Tambaco	1384
Emanuel Imper.	-
Marſilius ab Ingen	-
Jacobus de Theramo	-
Joh. de Burgo	1385
Bonifacius IX. P. R.	1389
Joh. Bromiardus	1390
Gerhardus Zutphanienſis	-
Petrus de Herenthal	-
Jacobus Guiſius	-
Radulphus de Rivo	-
Benedictus XIII. P. R.	1394
Henr. Knigthon	1395
Petrus de Alliaco	1396
Antonius de Butrio	1398
Demetrius Chryſoloras	-
Simon Jacumæus	1400
Jacobus Magni	-
Fr. Ximenius	-
Fr. Zabarella	-
Nicolaus de Gorrham	-
Nilus Damyla	-

Sec. XV.

Aymericus de Peyraco	anno 1401
Joh. Charlierius de Gerſon	1404
Paulus Anglicus	-
Hermannus de Petra	anno 1405
Gregorius XII. P. R.	1406
Joh. Latteburius	-

Theodoricus Niem	anno 1408
Alexander V. P. R.	1409
Petrus Dreſdenſis	-
Tho. Waldenſis	-
Simeon Theſſalon.	1410
Petrus de Ancharano	-
Henricus de Palma	-
Joh. XXIII. P. R.	-
Joh. Vitalis à Furno	-
Joh. Huſſus	1411
Joh. Groſſus	-
Hieronymus de S. Fide	1412
Vincentius Ferrerius	1414
Hermannus de Lerbeke	-
Ambroſius Camaldulenſis	-
Joh. Capreolus	1415
Paulus Burgenſis	-
Nicolaus de Clemangis	1416
Joſephus Patr. Conſtantinop.	-
Martinus V. P. R.	1417
Henr. de Haſſia	1418
Gobelinus Perſona	-
Antonius Rampelogus	-
Auguſtinus de Roma	1419
Nicolaus Dinckelſpiel	1420
Theodoricus Engelhuſius	-
Sanctius de Porta	-
Tho. Haſelbach	-
Anton. Raudenſis	-
Guilielmus Lindwood	1422
Georgius Phranza	1424
Joh. de Imola	1425
Bernardinus Senenſis	1426
Petrus de Roſenheim	1427
Nicolaus Tudeſchus	1428
Joh. Gritſch	anno 1428
Alexander Carpentarius	1429
Nicolaus Auximanus	-
Petrus Jeremiæ	-
Raymundus de Sabunde	-
Eſaias Cyprius	-
Alanus Rupenſis	-
Laurentius Juſtinianus	1431
Eugenius II. P. R.	-
Joh. Nider	-
Joh. Tarentinus	1432
Andreas de Petra	-
Ægidius Charlerius	1433
Gerhardus Landrianus	-
Henr. de Kalteiſen	-
Joh. Polemar	-
Joh. de Raguſio	-
Alphonſus Toſtatus	1434
Joh. Antiochenus	-
Nicolaus Plonius	-
Beſſarion Cardin.	1436
Marcus Eugenicus	-
Iſidorus Ruthenus	1438
Catharina Bononienſis	-
Sylveſter Sguropulus	-
Nicolaus Euboicus	1439
Joh. Turrecremata	-
Andreas Presbyter Ratiſpon.	-
Joſephus Methonenſis	1440
Joh. Segovienſis	-
Joh. Patriarch. Jac.	-
Albertus de Sarthiano	-
Georgius Trapezuntius	-
Joh. de Anania	-

Joh.

Joh. Capiſtranus	anno 1440
Nicodemus Abbas	-
Gregorius Meliſſenus	-
Jannotius Manettus	-
Laurentius Valla	-
Tho. Walſinghamus	-
Joh. Lydgatus	-
Franciſcus de Platea	1442
Reginaldus Pavo	1443
Meffreth	-
Petrus de Pilichdorff	1444
Leonardus de Utino	1445
Antonius Florentinus	1446
Mathæus Vegius	1448
Nicolaus Cuſanus	-
Nicolaus V. P. R.	1449
Joh. Pluſiadenus	1450
Thomas à Kempis	-
Joh. Canales	-
Hilario Monachus	-
Petrus Candidus December	-
Bartholomæus Facius	-
Antonius de Roſellis	-
Benedictus de Accoltis	-
Dionyſius Carthuſianus	-
Guil. Vorilongus	-
Ducas	1443
Georgius Scholarius	-
Leonardus Juſtinianus	-
Calliſtus III. P. R.	1455
Felix Malleolus	-
Nicolaus de Orbellis	-
Tho. Dorniberg	-
Guil. Houpelandus	1457
Jacobus de Paradiſo	-
Tho. Chaundlerus	anno 1457
Pius II. P. R.	1458
Andreas Barbatius	1460
Georgius Hermon.	-
Gregorius de Heimburg	-
Jacobus Piccolominæus	-
Joh. Aquilanus	-
Auguſtinus Dathus	-
Theodorus Lælius	-
Joh. Buſchius	-
Jacobus Gruytrodius	-
Henricus Gorcomius	-
Henricus Woltherus	1463
Ægydius de Roya	-
Joh. Antonius	-
Paulus IV. P. R.	1464
Ericus Olai	-
Jacobus Zenus	1465
Dominicus de Dominicis	-
Longinus	-
Rodericus de Arevalo	1466
Alexander de Imola	1467
Jacobus Peretzius	1468
Albertus Crummedickius	-
Joh. Beetzius	-
Henricus Harphius	-
Joh. de Weſalia	1470
Petrus de Natalibus	-
Gabriel Barletta	-
Ertwinus Erdmannus	-
Joh. Heroldus	-
Sixtus IV. P. R.	1471
Bernardus Juſtinianus	-
Martinus Magiſter	1473
Rudolphus Agricola	1474

Bartholomæus Platina	anno 1474
Petrus Niger	1475
Ambroſius Coriolanus	-
Joh. Weſſelus	1476
Robertus Flemyngus	1477
Joh. de Circyo	-
Petrus Ranzanus	1478
Joh. Raulinus	1479
Hieronymus Savonarola	1480
Marſilius Ficinus	-
Pacificus	-
Stephanus Brulifer	-
Wernerus Rolfinck	-
Robertus de Licio	-
Michael de Mediolano	-
Gabriel Biel	-
Joh. Gerbrandus	-
Bernardinus de Buſtis	-
Bernardinus Aquilanus	-
Baptiſta de Salis	-
Andreas Carnenſis	-
Angelus Clavaſius	-
Antonius de Balacho	-
Antonius Torquadus	-
Auguſtinus Senenſis	-
Bernardinus Tomitanus	-
Joh. Trithemius	1483
Sigismundus Groſſenbrot	-
Guil. Caxtonus	-
Auguſtinus Pojentinus	-
Baptiſta Trovamala	-
Felix Fabri	-
Innocentius VIII. P.R.	1484
Joh. Picus Mirandulanus	-
Petrus Brutus	1485
Philip. Callimach. Experiens	an. 1486
Carolus Fernandus	-
Otto Aroſienſis	1487
Ælius Antonius Nebriſſ.	1488
Petrus Schottus	-
Aurelius Brandolinus	-
Joh. Nivicellenſis	1489
Gaufredus Bouſſardus	-
Antonius Ghislandius	-
Antonius Boſtius	-
Donatus Boſſius	-
Joh. Annius	1490
Bonifacius Sinonetta	-
Petrus Apollonius Collatius	-
Nicaſius de Voërda	-
Matthæus Boſſus	-
Albertus de Bonſtett	1491
Alexander VI. P.R.	1492
Cherubinus de Spoletto	-
Hartmannus Schedelius	-
Bernardinus de Caravajal	-
Joh. de Lapide	-
Joh. Reuchlinus	1494
Joh. Geilerus	-
Jacob. Wimpheling	-
Oliverius Maillardus	-
Nicolaus Barianus	-
Jacob. Philipp. Bergomas	-
Felinus Sandeus	-
Michael Franciſcus	-
Baptiſta Ferrarienſis	-
Antonius Bonfinius	1495
Petrus Dorlandus	-
Gotteſchalcus Holen	-
Nicolaus Simonis	-

Robertus

Robertus Gaguinus	anno 1495
Jacobus Sprengerus	-
Joh. Blærus	1496
Joh. Veteraquinas	-
Vincentius Bandellus	-
Baptiſta de Roſellis	1498
Balthaſar de Lipſia	-
Bernardus à Breitenbach	1499
Carolus Bovillus	1500
Georgius Florus Baldinus	-
Gulil. Pepinus	anno 1500
Joh. Nauclerus	-
Joh. Parcevallus	-
Joh. Pinus	-
Paulus Corteſius	-
Paulus Svevus	-
Claudius Seiſelius	-
Petrus Burrus	-
Auguſtinus Ticinenſis	-

Sec. XVI.

Joh. Lud. Vives	anno 1501
Joh. Lud. Vivaldus	-
Baptiſta Mantuanus	-
Petrus Martyr Anglerius	-
Franciſcus Georgius	-
Antonius Trombeta	-
Bonifacius de Ceva	-
Antonius Bonitus	-
Jo. de Argamanes	-
Pelbartus Osvaldus	-
Jo. Meder	-
Mauritius de Portu Fildæus	-
Nicolaus Dionyſii	-
Jacobus Almainus	1502
Finus Hadrianus	1503
Albertus Krantzius	1504
Jo. Stella	1505
Damianus Craſſus	1506
Fr. Ximenius	-
Alphonſus Zamora	-
Antonius de Burgos	1507
Bernardus Baſinus	-
Antonius de Four	anno 1507
Philippus Decius	1508
Antonius Sorianus	-
Jac. Faber Stapul.	1510
Didacus Deza	-
Bernardus de Luxemburgo	-
Thomas Radinus	-
Cyprianus Benetus	1511
Jo. Aventinus	1512
Marcus Vigerius	-
Joh. Driedo	-
Alexius Epiſcopus Melfitanus	-
Jo. Maria de Monte	1513
Leo X. P. R.	-
Simon Benignus	-
Balthaſar del Rio	-
Jo. Baptiſta Garcia	-
Paulus Middelburgius	-
Antonius Puccius	1514
Anſelmus Minorita	-
Stephanus Torcellanus Epiſcop.	1515
Petrus Galatinus	1516

Martinus Lutherus	anno 1517
Dominicus Jacobatius	-
Franciſcus Lychetus	1519
Jacobus Latomus	-
Deſiderius Eraſmus	1520
Sylveſter Mozolinus	-
Jacobus Sannazarius	-
Ulricus ab Hutten	-
Auguſtinus Nebienſis	-
Bartholomæus Uſinghem	-
Beatus Rhenanus	-
Carolſtadius	1521
Antonius Margarita	-
Hadrianus VI. P. R.	1522
Joh. Tabienſis	1524
Othmarus Luſcinius	-
Fr. Lambertus	1525
Albertus Brandeburgicus	1527
Joh. Major	anno 1528
Alardus Amſtelrodamus	1530
Arnoldus Luydius	-
Ambroſius Catharinus	-
Jo. Eccius	-
Joh. Roffenſis	-
Conradus Kœllin	-
Nicolaus Schonberg	-
Jacobus Sadoletus	-
Franciſcus Vatablus	-
Fr. Titelmannus	-
Hieronymus Emſerus	-
Adamus Sasbout	1540
Agathius Guidiacenſis	-
Auguſtinus Steuchus	-
Franciſcus Victoria	-
Olaus M.	1544.

F I N I S.